SERMONVM

Decades quinque, de potissimis Christianæ religionis capitibus, in tres tomos digestæ, authore Heinrycho Bullingero, ecclesiæ Tigurinæ ministro.

Cum Indice uario & copiosissimo.

TOMVS  PRIMVS.

IESVS.

HIC est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea, Ipsum audite. Matth. 17.

TIGVRI IN OFFICINA CHRISTOPH. FROSCHOVERI. ANNO M.D.LXVII.

CLARISSIMIS VIRIS D. RODOLPHO GVALTHERO, PETRO SYMLERO, IOANNI STVMPFFIO, IOANNI FLORO, IOANNI SEYLERO, Adriano Hospiniano, Nicolao Sarctorio, & Ioanni Hugoni Decanis seu archipresbyteris, omnibusque Christi & ecclesiarum ministris, Classiũ Tigurini lacus, Liberæ prouinciæ, Steinæ, Vituduri, Heligouæ, Vuetzikonæ, & Reginospurgi, in agro Tigurino, uenerandis suis dilectissimisque symmystis & fratribus.

S. D.



I vllum aliud tempus vberem dicendi suppeditauit materiam, præsens hoc nostrum exhibet vberrimam. Nam quid fiat hodie, & quid orbi Christiano immineat, manifestius est quàm multis recitare oporteat. Irascitur peccatis nostris iustus Dominus, ac punit etiam, sed longè grauiora parat, quæ effundat in capita impœnitentium. Nostrum autem officium est vigilare pro grege Domini, & adueniente gladio omnes nostræ fidei commissas oues admonere in tempore, ne sanguis pereuntium requiratur de manibus nostris. Videbor ergo mihi operæpretium facturus si colloquar vobiscum, venerãdi Symmystæ & fratres charissimi, de officio nostro, periculoso hoc seculo ritè faciendo, ac de certa ratione qua exasperatam peccatis nostris Dei iram piè placemus. Scio quibus cum loquar, nempe cum peritissimis rerum diuinarum: breuitati ergo studebo.

Dubium non est quin propter peccata hominum irascatur iustissimus Dominus, vnde consequens est vnicam esse placandæ iræ diuinæ rationẽ, peccata abluere. Ea verò non abluuntur nisi agnoscantur primùm, deinde deponãtur per fidem & pœnitentiam. Proinde si volumus pro nostro officio sublatam à grege Domini iram & pœnas graues, peccata populi proferre & accusare, sed & fidẽ docere & pœnitentiam vrgere oportebit. Dominus enim per Ezechielem, Et tu fili hominis an non iudicabis, inquit? an non iudicabis ciuitatẽ sanguinũ? Indica ei cunctas abominationes suas, dicesque, O ciuitas effundens sanguinem in medio sui, vt tẽpus eius appetat, & quæ idola fecit contra se vt pollueretur. In sanguine tuo quem effudisti deliquisti: & in idolis tuis quæ fecisti polluta es: & adduxisti dies tuos: ideo tradã te gentibus. En principes viri tui quisque pro virili in hoc est vt sanguis effundatur. Patrem & matrem vilipenderunt in te. Peregrino qui est in medio tui fecerunt calumniam. Pupillum & viduam afflixerunt in te. Sancta mea despexisti & sabbata mea prophanasti. Viri dolosi fuerunt in te vt effunderent sanguinem. Et in montibus comederunt in te, atque scelus meditatum in te designarunt. Verenda patris in te retexit, pollutamque mensibus in te humiliarunt, & quisque cum vxore proximi sui abominanda designauit, quisque nurum suam polluit abominando scelere, quisque sororem suam filiam patris sui in

Protrahenda & accusanda sunt peccata hominũ.

te humiliauit. Munera acceperunt in te ad effundendum sanguinem, & fœnus siue excessum accepisti, & emolumentum tuum promouisti cum iniuria proximi tui, atq; mei es oblita, dicit dominus Deus. Et ecce ego complosi manus meas super auaritia tua, quam exercuisti, et super sanguines tuos qui fuerunt in medio tui. Num aũt præualebis cùm ego contra te insurrexero? Ego dissipabo te in gentes & dispergam te in nationes & finem faciã immũditiæ tuæ quæ est in te. Hæc uerbotim recensui hactenus ex Ezechiele, fratres, et hoc quidem libentius, quòd ista generalẽ quandã nobis formulã exhibent non modò accusandi scelera, sed iudicandi etiã de sceleribus quæ Deus maximè oderit, et quæ acerrimè impeti velit. Cauẽdum enim nobis etiam atq; etiã ne duces cæci culicem excolamus, e deglutiamus aũt camelum: id est, minutulis erroribus & uitijs inhæreamus accusandis exagitandisq;, transeamus aũt scelera & flagitia enormia intactá. Ostendit ergo hic Ezechielis locus, indicant & alij loci scripturæ sanctæ, quæ nã sint maximè detestanda flagitia, illa nimirum quæ rectà tendunt in subuersionem gloriæ Dei, in oppressionem iustitiæ & sanctimoniæ, deniq; in dissipationẽ charitatis. Scio horrenda illa flagitia non regnare (gratia domino) aut inueniri in singulis ecclesijs. Aliæ alijs laborant morbis. Neq; vtile est horrenda illa proponere populo vbi non inueniuntur. Prudentis autem pastoris est diligenter dispicere quid cuiq; congruat ecclesiæ, quid sit honestum, vtile ac necessarium. Id vrgeat. Quæ verò non sunt damnata diuino in scripturis iudicio & cõtra modò recensita capita non pugnãt, non sunt persequenda à nobis. Peccant enim grauiter, qui pro peccatis damnãt quæ Deus ipse non dãnauit. Væ his, inquit, Deo dilectus Isaias, qui dicunt malum bonum, & bonum malum, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras, amarũ dulce, & dulce amarum. Proinde nihil hic agendum nobis ex animi nostri arbitrio, sed iudicandum & agendũ potius ex præscripto diuinò. Cauendum præterea ne more quorundam extenuemus scelera, sed ligonem, quod dicitur, ligonem, ficum ficum appellemus, & loquamur disertè, sed sobriè & verecundè tamẽ. Absit quoq; fel amaritudinis & affectus carnis prauus. Absit petulãtia linguæ, absit dicacitas, obscœnitas, scurrilitasq;, ne videamur & decorum præterire & maledicendi libidine laborare, non feruere zelo Dei, veritatis et iustitiæ. Intelligant æqui auditores nos affectu paterno obiurgare, ac seruandi studio, non perdendi, homines peccatores persequi, adeoq; scelus magis quàm personam scelerati persequi. Dicendi enim libertas in ecclesia ministrorum verbi Dei, spiritus est ingenuitas, non affectati & liuore ægrotantis libido. Nec omnia ministris licent, nec conducunt omnia. Proinde nulli bono potest probari quorundam procax audacia scurrilisq; petulantia, qui non putant se suo functos officio, nisi plena cõuitiorũ plaustra citra omnẽ modũ et iudicium, effuderint exonerarintq; in miseros auditores. Huiusmodi rabulas non iuuant exempla prophetarum, quæ præteritis circumstantijs, non bene aptant. Sit autem increpatio aut obiurgatio ministrorũ ueritatis prudens, potius quàm audax,

Isaiæ 5.

Modus accusandi scelera.

audax, grauis & expensa, non leuis & effusa, ardeat non ira sed spiritus vehementia: sit verecunda, modesta, iustaq; seueritate sanctè temperata, quæ ipsa rei perspicuitate, euidentia & dignitate magis vrgeat reum atq; constringat, quàm malorum verborum copia pungat: hoc est, quæ scelerum viuaci demonstratione & rerum malarum indignitate vel enormitate reos magis vulneret, quàm scommatis & impuris dicterijs exasperet. Et quidem valde commouentur homines, cùm clarè intelligunt res quas designant tendere cõtra Deum, & in excidium proprij corporis, inq; æternum animæ interitum.

Frustra autem nulloq; cum fructu accusauerimus scelera, nisi simul & fidem vrserimus ac pœnitentiam. Non placatur iratus Dominus ceremonijs quibusdam & rebus vulgaribus, protritis, ex traditione humana acceptis. Frustra me colunt, ait dominus, docentes doctrinas præcepta hominum. Imò indignißimè fert dominu:, si pergamus cum illo redire in gratiam per cultum quendam Dei præposterum. Clamat enim apud Ieremiam, Emendate vias vestras & studia vestra, tum efficiam vt habitetis in loco isto. Sed ecce vos confiditis in rebus nihili. Num furando, occidendo, adulteria committendo, perfidè iurando, sequendoq; deos alienos, audebitis nihilominus venire in conspectum meum, in domo ista quæ appellatur meo nomine, ac dicere, Liberati sumus, etiamsi cuncta hæc abominanda fecimus? Num spelunca latronum facta est domus mea? Proinde repudiata doctrina falsa, discamus ex verbo Dei quæ Deo placeat conuersio, quæ vera sit pœnitentia & fides. Ergo post acrem peccatorum increpationem per ministros verbi Dei factam, flagitat verbum veritatis à pijs auditoribus, vt agnoscãt ex animo obiecta peccata, quæ designarunt contra legem Domini, confiteanturq; Deo omniscio & omnipotenti (cui omnium patent corda) tribuantq; Deo, qui verax, sanctus & iustus est, omnem gloriam, ipsis autem mendacium, scelera & ignominiam. Nam sanctus Ioannes Apostolus & Euangelista, Si dixerimus, inquit, peccatum nõ habemus, nosipsos fallimus, & Deum facimus mendacem, nec vlla est in nobis veritas. Apud Ieremiam quoque legimus, Cur bonam facis viam tuam cum sit mala? Dicis innocens sum: at ego te iudico. An non inuenitur sanguis pauperum sub alis tuis? Et in Euangelio dicit Dominus, Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc verò cùm dicitis videmus, idcirco peccatum vestrum manet. Ideoq; necessaria est ante omnia peccatorũ agnitio & confeßio. Præit hæc humiliationem corã Deo.

Agnoscenda sunt ac confitenda peccata.

Math. 15.

Daniel. 9. cap.

Quisquis enim peccata sua agnoscit ac Deo confitetur ex animo, non potest non humiliari coram Deo. Gemit, dolet, & suspiria imo ducit ex pectore. Pudet illum toties & tam indignis modis offendisse patrem benignißimum: ideoq; abijcit sese in pulueres ad pedes domini. Ita verò peccatrix illa in vrbe dominum in conuiuio sedentem accedens, & Petrus post abnegatum dominum iam ex atrio pontificis egrediens, prostrati coram domino, profusißimas profundunt lachrymas. Clamat Dauid, Sagittæ tuæ in me defixæ sunt, & depressa est in me manus tua. Nihil integrum est in carne mea propter indignationem tuam: non

Humiliatione & dolore opus.

est pax oßibus meis propter peccatũ meum. Nam iniquitates transcendunt caput meum, & grauiore sunt pondere quàm sim ferendo. Ego iniquitatem meam fateor, & ob peccatum meum solicitor, sed & anima mea territa est vehementer. Defatigatus sum in gemitu meo, fluctuare facio tota nocte lectum meum, lachrymis meis liquefacio. Expreßit his verbis grauem dolorem ex peccatorum agnitione conceptum enatumq́, ac in ijs verum nobis veræ humiliationis exemplum reliquit.

Credamus peccata nobis condonata esse propter Christum.

Neque verò fuerit satis agnoscere & confiteri peccata humiliariq́ coram domino & dolere, nisi præterea credamus peccata omnia nobis condonata esse propter Christum. Nam indoluit grauiter Iudas propter proditum Christum: confessus est peccatum ingenuè, dicens, Peccaui, tradens sanguinem innoxium: imò pretium quoq; sanguinis acceptũ à latronibus, restituit in templo, sed quia fide vera in dominum Iesum caruit, nihil dolor & professio profuit. Fides ergo docenda & vrgenda erit imprimis, fides inquam qua credant pœnitentes remissa sibi esse peccata gratis propter Christum. Id quod apertis dei promißionibus & exemplis illustribus comprobare imò & demonstrare oportet. Nam fides ex auditu est, teste Apostolo, auditus autem per verbum Dei. Atque hoc agendum vel demonstrandum est tanto diligentius, quantò grauius tentãtur hac in re fidelium animi. Ex lege & prophetis (licet in ijs sint copiosißima) nulla proferam testimonia, sed ex euangelicis duntaxat & Apostolicis literis, quæ vnicè docent fidelibus gratis condonari peccata propter Christum. Clamat præcursor domini Baptista, digito in ipsum dominum Iesum extento, Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Nam Ioannes apostolus dixit, Sanguis filij Dei emundat nos ab omni peccato. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro peccatis totius mundi. Ipse verò dominus Iesus testificans de his dicit, Sicut exaltauit Moses serpentem in deserto: ita oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Paulus quoque apostolus testificatur & ait, Certus sermo & dignus quem modis omnibus amplectamur, quòd Iesus Christus venit in mundum vt saluos faciat peccatores. Nam & Petrus dixit, Christo omnes prophetæ testimonium ferunt, quòd remißionem peccatorum accepturus sit per nomẽ eius quisquis crediderit in eum. Exempla verò remißionis gratuitæ et receptionis in gratiam Christi fidelium siue pœnitentium, innumera exhibet nobis scriptura præsertim euangelica. Huc enim pertinent exempla Matthæi, Zachæi, Peccatricis, Petri, Pauli, Latronis in cruce morientis, & multorum aliorum. Hæc vrgeat fidelis Christi minister in ecclesia constanter, ne quis mœrore absorptus & conscientia scelerum territus contabescat, desperet & conficiatur. Credat quisque sibi placatum esse patrem cœlestem propter mortem, iustitiam, & redemptionem per Christum. Sola enim hac fide conceditur pax & tanquillitas perturbatis conscientijs.

Ioan. 1.
1. Ioan. 1. 2.
Ioan. 3.
1. Tim. 1.
Actor. 10.

Cæterum

Cæterum fides quæ credit nobis propter Christum, patrem cœlestem esse placatum, nec porrò animaduersurum in nos propter delicta admissa, fides quæ animos nostros serenat & tranquillas reddit conscientias, non omnem expectorat solicitudinem, neq; vllam inducit segnem inertiam, quin potius ad preces & ad omnia pietatis officia excitat. Credidit Abraham Deo, verū ideo orare non desijt, imò quò certius se accepturum Dei promissiones credidit, hoc ardentius orauit. Minimè dubitauit Dauid se accepturū à domino quod hic ei promiserat, nihilo minus sine intermissione precatus est. Proinde admonendus erit nobis populus sedulò, ut nunquam desinat preces supplices effundere coram domino, quò ille misertus nostri propter Christum, auertat à nobis iram suam, fidem quoque veram donet & augeat, spiritu suo nos semper dirigat, deniq; ab omnibus liberet cùm animæ tum corporis nostri malis, pacem nobis & incolumitatem concedat: principibus & magistratui nostro donet sapientiā, prudentiam, fortitudinem, iustitiam & felicitatē. Cauendum erit tamē in precibus ne populus alium inuocet quàm solum Deum patrem per dilectum & vnicū filium dominum nostrum Iesum Christum, ne sine fide & charitate inuocet. Qui enim dubitat in fide, non putet se quicquā accepturum. Et qui munus suum ad altare offert, prius recōcilietur cum fratre suo, quàm oblationem faciat. Retineat autem omnes in orandi studio quod in euangelio dixit dominus, Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Quisquis enim petit accipit, et quicunque quærit inuenit, & pulsanti aperietur. An quisquam est, qui si filius eius petierit panem, lapidem daturus sit illi? aut si piscem petierit, num serpentem dabit illi? Si vos igitur cum sitis mali, nostis bona dare filijs vestris, quantò magis pater vester qui est in cœlis dabit bona, si postulaueritis ab eo?

Fides excitat ad preces.

Licet verò beatus Ieremias oraret aliquando strenuè & assiduè pro populo domini, audit tamē à domino. Et tu ne oraueris pro populo isto, neq; attollas pro illis clamorem et deprecationē, neq; interuenias apud me: quoniam nequaquam te audiam. An tu non vides quid isti faciant in vrbe & in agro? Filij colligunt ligna, & patres incendunt ignem, vxores aūt farinam aqua conspersam subigunt, vt placentas faciāt reginæ cœli, & alienis dijs fundant libamina, me verò ad iram prouocent. Proinde nemo putabit solis precibus licet prolixis aut frequētibus placari posse iram numinis, si illam interim irritare perrexerimus quotidianis flagitijs. Vrgeamus ergo populos nostræ commissos fidei, vt orent ardenter & indesinenter, simul aūt & prauos mutēt mores: hoc est, deposita auaritia, vsura, superbia, incestu, adulterijs, fornicatione, luxuria, ebrietate, crapula, blasphemijs, obtrectatione, idololatria, superstitione, impietate, ira, inuidia, corrupto & venali iudicio, effusione sanguinis, militia mercenaria iniusta, oppressione & contemptu pauperum, Deo seruiant in Christo beneficentia, liberalitate, humilitate, pudicitia, castitate, continentia, sobrietate, ieiunijs, benedictione, gratiarumactione, religione, pietate, lenitate, beneuolentia, iudicio & iustitia,

Viuendum præterea sanctè, iustè & inculpatè.

assertione & cura pauperum, fide, spe, charitate, amore patriæ, obedientia & spiritu, patientia & reliquis virtutibus. Verissimè enim pronunciauit sapientissimus mortalium Solomon, Qui aurem suam auertit ne audiat legem, eius precatio abominabilis est domino. Interim si faciamus omnia quæ præcepta sunt dicamus tamen, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Sicuti docuit in Euangelio dominus. Credamus autem nos Deo propter Christum & merita Christi, non propter nos & propter merita nostra, Deo patri gratos atque acceptos esse.

Patientia & spe opus immota.

Postremò opus erit ad hæc longanimi patientia & spe firma atq; immota in omnibus periculis circumuenientibus nos, ne deficiamus à fide, ne vspiã vacillemus in spe, aut spem nostrã figamus in res perituras. Occurrat ergo oculis omniũ illa egregia domini apud Isaiã sententia: Sedendo & quiescendo seruabimini: in vacando siue cessando & fidendo erit robur vestrum. Sed non voluistis, quin dixistis, Nequaquã: sed equis effugiemus. Fugietis igitur et concidet spes vestra vt ruptura ruens. In præsenti itaq; cõmodè eripienda confringendaq; sunt hominibus omnia præsidia quibus ferè niti solet hoc seculum, vt omnibus rebus destituti & nudati à solo pendeant cœlo: media tamen instrumentaq; concessa aut etiam mandata vel non prohibita à Deo non aspernentur, his tamẽ non plus tribuant, quàm ipsa permittit tribuere pietas, his omnino per se non fidant. Nisi enim dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Nisi dominus vires & consilia suffecerit senatui alioqui sapientissimo vel exercitui etiam robustissimo & instructissimo, in momento oculi interit, implicatur ac dispergitur veluti puluis à facie venti. Atq; huc mirum in modum quadrauerit prophetia Abdiæ: Nam miro compendio docet minimè præualitura quibus fidebant Idumæi, non loca natura & arte munita, non sapientiã, non opes, non fœdera, non milites exercitatissimos. Nam apud Ieremiam quoq; ait dominus, Non glorietur sapiens in sapientia sua, neq; glorietur robustus in robore suo, neque glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, quòd intelligat & cognoscat me, quòd ego sum dominus qui facio in terra misericordiam, iudicium & iustitiam: quapropter & his vnicè delector.

Isaiæ 30.

Ierem. 9.

Summa omnium.

Iam vt conferamus omnia in summã, quæ hactenus contulimus vobiscũ, venerandi charissimiq; symmystæ & fratres, didicimus ex his omnibus iratũ Deum peccatis nostris aliter placari nõ posse, quàm si omnes agnoscamus & confiteamur peccata nostra quæ nobis obijcit verbum dei, & quæ contra Deum patrem nostrũ designauimus: si humiliemur & ex animo doleamus corã domino Deo nostro: si non desperemus propter peccata, sed indubitatè credamus illa in vniuersum nobis ablata & cõdonata esse, nõ propter nos aut propter merita nostra, sed propter Iesum Christũ dominũ nostrum saluatorẽ totius mũdi, in quẽ omnia peccata mundi coaceruauit pater cœlestis, quæ etiã idem Dei filius expiauit in cruce: si deniq; perseueremus in supplicatione continua & precibus perpetuis,

Isaiæ 35.

tuis, ac demum vera pœnitentia dignisq́ pœnitentiæ fructibus, spe firma, dilectione non simulata, beneficentia, iustitia, sanctimonia, patientia & innocentia seruiamus Deo qui redemit nos & cui addicti sumus toti.

Hanc verò esse vnicam euadendi mala quæ nobis impendent viam, hanc esse vnicam placandi numinis irati rationem, testatur vniuersa scriptura vtriusque testamenti. Decreuerat Deus Niniuitas subuertere, curauitq́ illam subuersionem in tempore per clarißimum prophetam Ionam Niniuitis prædicari, consignato etiam dierum 40. numero, quo expleto corrueret vrbs. Verùm ubi crederēt Niniuitæ Deo, et pœnitentiā agerent, iugibusq́ precibus clamarent ad dominum, pepercit pœnitentibus Deus ac seruauit eos. Quid quòd Iudæi impijs & sacrilegis clamoribus ad crucem postularunt Iesum Christum dei filium saluatorem mundi? verùm clamat & docet Petrus tantum nephas vera fide & fideli pœnitentia posse elui. Ne ergo dubitemus, fratres, de veritate tot & tam apertis asserta testimonijs. Certißimam esse hanc rationem. Actor. 3.

Scio quid contra hæc afferant quidam, frustra hæc inculcari de pœnitentia, quæ nihil sit effectura propter latam à Deo sententiam & propter decretum Dei immutabile, quo statuit nos excindere propter peccata. Cæterum si scripturam propius inspiciamus, non loquitur ipsa adeo rigidè de decreto Dei. Nam apud Ieremiam hæc legimus verba, Repente loquar aduersus gentem & regnum vt eradicem & destruam & perdam illud: si verò pœnitentiam egerit gens illa à malo suo contra quod loquutus sum, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei. Exemplum appositißimum iam iam adduxi ex Iona propheta de Niniuitis, contra quos lata fuerat sententia excidij, sed reuocabatur illa protinus, ad pœnitentiam Niniuitarum. Nam excidij decretum non alia erat latum conditione, quàm si manerent impœnitentes. Similis locus extat Deutero. 9. capite. Moses enim dicit, Procidi coràm domino quadraginta diebus & quadraginta noctibus, quoniam dixerat dominus quòd vellet vos delere. Oraui igitur ad dominum, ac placatus est furor eius. Proinde neminem à pœnitentia, vel precibus pertinacibus, retrahat decretum dei contra peccatores pronunciatum, quod vt immutabile est contra impios, ita nihil officit pœnitentibus. De decreto Dei cōtra peccatores. Ierem. 18.

Porrò obijcientibus peccata patrum nostrorum, respondit iam olim Ezechiel in capite 18. Persequitur enim grauiter parabolam, quam suo quoque iactabant tempore contra pœnitentiam dicentes, Patres comederunt vuam acerbam & dentes filiorum obstupuerunt. Post longam verò disputationem tandem infert, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, neque pater portabit iniquitatem filij: sed iustitia iusti erit super eum: & impietas impij erit super eum. Peccata patrum pœnitentibus non officiunt.

Scio non omnes agere pœnitentiam commissorum scelerum. Ergóne inanis erit pœnitentia fideliū? Legimus nō rarò parsum multis peccatoribus propter Non est inanis pœnitentia fidelium.

pauculos probos atque iustos. Praterea dicit dominus apud Isaiam disertè, Dicite iusto quòd bene ei erit, siquidem fructu studiorum suorum fruetur. Va impio malo, quoniam secundum opera manuum suarum rependetur ei. Ita enim educitur pe. angelos Lot iustus ex vrbe Sodomorum, igni cœlesti concrematur vrbs scelerata cum omnibus inhabitantibus. Liberatur ex imminente periculo & ab Assyrijs iam vrbem aggredi volentibus Ezechias rex fidelis, inglorius perit Sobna cãcellarius. Capitur & in captiuitatem abducitur rex Zedechias, liberatur à morte & libertate donatur Ieremias. Vnde verissimè dixit sanctus Petrus, Nouit dominus pios à tentatione eripere, iniustos autem in diem iudicij puniendos seruare. Studeamus ergo virtutibus constanter. Non erit labor noster frustraneus. Si communi aliqua calamitate orbem visitarit dominus propter enormia scelera atq; nephanda flagitia, non obliuiscetur timentium & inuocantium nomen eius, tametsi paribus cum impijs inuoluti malis, videantur similem cum impijs sortiri finem.

Impœnitentes pereunt.

Certum enim est, regnum aut rempublicam pœnitere nesciam & impiam atq; contumacem, non posse diu subsistere. Nec proderit huiusmodi contemptoribus Dei & legum diuinarum euangelica prædicatio. Rursus enim apud Ieremiam dicit dominus, Subitò loquar de gente & de regno vt adificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono quod loquutus sum vt facerem ei. Nemo tamen cernens populum ad scelera procliuem ruere de peccato in peccatum, mox despondeat animum. Si videris multos pertinaci improbitatis studio perrumpere, indurato & tu animum tuum, ac non segniore studio boni & veri te illis oppone.

2. Tim. 2.

Hic enim memores simus oportet verborum Apostoli dicentis, Oportet seruum domini placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine, erudientem eos qui obsistunt, si quando det illis deus pœnitentiam ad agnoscendum veritatem, vt resipiscant è diaboli laqueo capti ab eo ad ipsius voluntatem. Magna verò sunt nobis proposita præmia, fratres, si fuerimus fideles & strenui: infidelibus & ignauis contra paratum est supplicium horrendum, cum perpetua ignominia. Vigilemus ergo & oremus. Semper obuersetur oculis & animis nostris hæc domini nostri Iesu Christi doctrina, O quàm præstans res est fidelis seruus & prudens, quem præfecit dominus famulitio suo vt det illis cibum in tempore. Beatus seruus ille, quem cum venerit dominus eius inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona constituet eum. Quòd si dixerit seruus ille malus in corde suo, Cunctatur dominus meus venire, cœperitq; percutere conseruos, imò edere et bibere cũ ebrijs, veniet dominus serui illius, in die quo nõ expectat & hora qua ignorat, et dissecabit eum, partemq; eius ponet cum hypocritis: illic erit ploratus & stridor dentium. Hæc inquam semper obuersentur oculis & animis nostris. Oremus præterea, spiritum illum suum principalem nobis concedat, & in diem augeat, vt

Matth. 24.

eius

eius instinctu & ductu fideliter, prudenter & multo cum fructu faciamus officium nobis iniunctum à domino.

Ego certè ut meam operam uobis collocarem, iuuarem studia uestra, imò occasionem singulis praberem cogitandi & indagandi ampliora, scripsi sermones hos, non quibus uerbotim uteretur quisque in sibi credita ecclesia. Opus est enim delectu & iudicio, ne uidelicet dicamus aliena aut parum utilia & necessaria ecclesiæ nostræ. Prudens pastor diligenter consyderet quales sint mores sibi crediti populi, quæ illi maximè necessaria, ea uerò illis proponat, semper spectans ædificationem, fidem ueram, pietatem, charitatem & innocentiam. Docendum enim & adhortandum, ut pia & sancta sit ecclesia, cui nos præesse uoluit dominus. Ego formulas aliquot Sermonum propono, illis quoque gratificaturus qui hoc à me annis iam multis postularunt. In omnibus his & per omnia uolo ualere apud omnes lectores illam iustißimam Apostoli regulam, Omnia probate, quod bonum est tenete. Nec admodum curo eorum calumnias qui clamant huiusmodi Sermonibus segnes reddi fratres, sicuti quondam est factum cum legerentur sermones Discipuli & Pelbarti. Habeo enim pro me exemplum maximorum in ecclesia luminum, præstantissimorum inquam in ecclesia episcoporum, qui & ipsi non sine utilitate ecclesiæ conscripserunt Sermones & Homelias. Inertes semper manent inertes, etiamsi nihil prorsus scribatur. Præposui his symbola uetustissima cùm antiquissimorum Conciliorum in ecclesia, tum patrum siue episcoporum maximè orthodoxorum, non alio consilio quàm ut manifestum facerem, doctrinam nostram ac fidem, quæ hodie apud multos pessimè audit & hæreseos accusatur indignissimè, consensum habere cum doctrina apostolica & ueteris ecclesiæ, quæ ab initio non aliud tradidit credendum & docendum quàm hodie in ecclesijs nostris credimus & docemus. Innocentius tertius eius nominis, ausus est primus plures attexere articulos quàm nobis exhibeant uetera Christianæ fidei symbola. Extat eius symbolum in Decretalibus cap. Firmiter credimus. At tenuit ille sedem Romanam circa annum domini 1215. ediditq; symbolum ex concilio Lateranensi.

Vos autem quoniam scitis fratres cui credidistis, & quòd doctrina fidei nostræ Christiana, apostolica, catholica, orthodoxa & uera, antiqua & indubitata fides & doctrina est, perseuerate in illa tenenda & docenda. Vincet in æternum ueritas, quæ premi quidem potest, opprimi non potest. Veritas domini, ait propheta, manet in æternum. Et portæ inferorum, ait dominus in Euangelio, non præualebunt aduersus eam, nimirum ecclesiam in petram collocatam, quam confessus est Petrus dicens, Tu es Christus filius Dei uiui: & de qua Paulus disputans dicit, Petra autem erat Christus. Fundamentum enim aliud poni non potest, quàm quod positum est, quod est Christus Iesus. Nam & spiritus sanctus per prophetas prædixit, Ecce pono in Sion lapidem angularem seu fundamenti, electum, pretiosum: qui crediderit in eo, non pudefiet.

Imponamus ergo huic fundamento Christo domino, qui alibi appellatur fundamentum prophetarum & apostolorum, populos aut ecclesias nostræ fidei creditas, ut iuxta doctrinam beati Petri doctoris ecclesiæ nostræ, ipsi quoque veluti vivi lapides ædificemur, domus spiritualis, sacerdotium sanctum ad offerendum spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum dominum nostrum. Id si bona fide fecerimus, nunquam deseret nos dominus. Siue enim viuamus siue moriamur, erit dominus petra, merces, vita & retributio nostra.

Labores verò hosce meos benignè suscipite & boni consulite. Prodeunt hi vestro omnium nomine, quos amo ex animo, quibus inseruire cupio fideliter. Valete memores semper horum Apostoli verborum. Videte ministerium quod accepistis à domino ut illud impleatis. Tiguri prima Martij, Anno domini 1549.

Vester ex animo frater & symmysta
Heinrychus Bullingerus.



DE QUATUOR UNIVERSALIBUS SYNODIS SIVE CONCILIIS.

A TEMPORIBUS Apostolorum multa per uarias prouinicias celebrata sunt Concilia. Ea tunc erant Synodi uel conuentus Episcoporum atque sanctorum, coeuntium ad consultandū de seruanda puritate fidei, unitate doctrinæ, de disciplina atque pace ecclesiarum. Non pauca huiusmodi exhibent nobis Epistolæ beati martyris Cypriani.

Prima uerò generalis siue uniuersalis Synodus conuocata dicitur ab Imperatore beatissimo Constantino in urbe Nicæa, anno Domini 324. contra Arrium & eius complices, negantes naturalē Domini nostri Iesu Christi deitatem. Ac conuenerunt ex omnibus quæ sub coelo sunt nationibus Episcopi & uiri excellentiores 318. conscripseruntque symbolum quod appellatur Symbolum Nicænum. *Nicæna Synodus.*

Sufficiebat hactenus symbolum Apostolorum, & suffecisset ecclesiæ Christi etiam Constantini seculo. Confitentur enim omnes, omnes ecclesias non alio symbolo, quàm Apostolico (quod prima Decade & recitamus & exponimus) usas, eodemque fuisse per totum terrarum orbem contentas. Quoniam uerò Constantini magni ætate emersit impius & blasphemus Arrius, qui Christianæ fidei puritatē corrupit, & simplicitatem doctrinæ Apostolicæ peruertit, coacti sunt ipsa necessitate ecclesiarū ministri sese impostori opponere, ac symbolo edito ueram, id est ueterem fidei confessionem (damnata Arrij nouitate) declarando ex scripturis canonicis illustrare. Neque enim & in alijs mox sequentibus tribus concilijs generalibus, editis symbolis, quicquam mutatum est in doctrina Apostolorum, neque quicquam noui adiectum, quod prius ex scriptura sancta ecclesiæ Christi non habuerunt & crediderunt, sed corruptionibus nouitatibusque hæreticorum antiqua ueritas illustrata per symbola prudenter, utiliter & religiose est opposita. Scriptura autem prophetica & Apostolica in hisce omnibus est fons, directio, regula & iudex: nihil hic suo permiserunt arbitrio patres. Ac significanter loquor de Symbolis illis priscis duntaxat, non etiam de omnibus constitutionibus aut canonibus: quibus tantum tribuimus quantum permittit scriptura canonica, quam confitemur unicum esse iudicandi, dicendi, agendique canonem.

Secunda Synodus generalis celebrata est Constantinopoli in urbe regia, sub imperio Gratiani Cæsaris, anno Domini 384. Conuenerunt in ea patres seu Episcopi, teste Prospero Aquitanico, 180. damnaruntque Macedonium & Eudoxium, negantes spiritum sanctum esse Deum. *Synodus Constantinop.*

Synodus Ephesina.

At circa annum Domini 434. eo ipso anno quo beatus pater Augustinus excessit è uiuis, regnante Theodosio magno & religioso principe, Ephesi conuenit Synodus tertia sacerdotum plus minus 200. contra Nestorium, mysterium incarnationis lacerantem, docentemq; duos esse filios, Alium Dei, alium uerò hominis: quem & condemnauit unà cum multis Pelagianis qui cognatum sibi dogma iuuabant.

Synodus Chalcedonensis.

Quarta uniuersalis Synodus congregatur anno Domini 454. sub Martiano principe, Chalcedoni, conuenientibus patribus 630. qui secundum scripturas damnarunt Eutychem, confundentem naturas in Christo propter personæ unitatem.

Beda de ratione temporum, & alij scriptores multi, coniungunt quatuor his œcumenicis concilijs adhuc duas generales Synodos, quintam & sextam, Constantinopoli celebratas. Quinta enim sub Iustiniano Imperatore conuenit contra Theodorum & omnes hæreticos, circa annum Domini 552. Sexta coijt sub Constantino Constantis filio, anno Domini 682. Conuenerunt autem Episcopi 289. contra Monothelitas. Nihil tamen definitum est in his, quod non reperiatur in Symbolis superiorum quatuor conciliorum. Vnde ex his nihil annotaui.

Symbolum Nicænum ex historia Ecclesiastica & Tripartita.

CRedimus in unum Deum, patrem omnipotentem, omnium uisibilium & inuisibilium factorem. Et in unum Dominum Iesum Christum filium Dei, de patre natum unigenitum, id est, ex substantia patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum uerum ex Deo uero, genitum non factum, ὁμοούσιον, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlis & quæ in terra. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, incarnatus, humanatus (homo factus est,) Passus est, & resurrexit tertia die, ascendit in cœlos, uenturus iudicare uiuos & mortuos. Et in spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt, Erat aliquando quando non erat, & antequam nasceretur non erat: & quia ex non extantibus (ex nihilo) factus est, aut ex altera substantia uel subsistentia, dicentes esse uel creatum uel conuertibilem uel mutabilem filium Dei, hos anathematizat sancta catholica & Apostolica ecclesia.

Symbolum Constantinopolitanum ex exemplari quodam Græcolat.

CRedo in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, uisibilium omnium & inuisibilium.

Et in unum Dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum, ex patre natum ante omnia secula, lumen ex lumine, Deum uerum ex Deo uero,

uero, genitum, non factum, consubstantialem patri per quem omnia facta sunt.

Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de coelis, & incarnatus ex spiritu sancto & Maria uirgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in coelos, & sedet ad dexteram Dei patris. Et iterum uenturus est cum gloria iudicare uiuos & mortuos, cuius regni non erit finis.

Et in spiritum sanctum Dominum uiuificatorem, ex patre procedentem, & cum patre & filio coadorandum & conglorificandũ. Qui loquutus est per prophetas in unam catholicam & Apostolicam ecclesiam.

Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Expecto resurrectionem mortuorum: & uitam uenturi seculi.

Fides vel confessio fidei Ephesinæ Synodi.

QVoniam per compendium hic omnia consignamus, non licuit copiosam S. Cyrilli ad Nestorium synodalem Epistolam, qua continetur decretum Ephesinæ Synodi, describendo his inserere: delegi magis ex eiusdem Cyrilli Epistola 28. confessionem breuem in Synodum missam, ac à tota Synodo comprobatam. Præmittuntur confessioni hęc uerba, Quemadmodum initio ex diuinis scripturis & sanctorum patrum traditione accepimus, breuiter dicemus, nihil omnino fidei in Nicæa à sanctis patribus expositæ addentes. Hæc enim sufficiens est cùm ad omnem pietatis cognitionem, tum ad cuiusuis hæreticæ prauitatis abdicationem. Paulò autem post hæc ponitur confessio in hæc uerba,

Confitemur Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei unigenitum, Deum esse perfectum & hominem perfectum, ex anima rationali & corpore, ante secula quidem ex patre secundum diuinitatem, postremis uerò diebus eundem ipsum propter nos & propter nostram salutem ex Maria uirgine, secundum humanitatem natum. Duarum siquidem naturarum facta est unio. Quapropter & unum Christum, unum filium, & unum Dominum confitemur. Et secundum hunc inconfusæ unitatis intellectum, sanctam uirginem Deiparam esse confitemur: propterea quòd Deus uerbum incarnatus & homo factus est, & ex ipsa conceptione acceptum ex ea templum sibiipsi aduniauit. Euangelicas uerò & Apostolicas de Domino uoces, scimus uiros theologos, tanquam ad unam personam pertinentes, ratione duarum naturarum, diuidere, & alias quidem, utpote diuinitati competentes, ad diuinitatem Christi, alias uerò humiles, ad illius humanitatem referre.

Huic confessioni Cyrillus hæc subiungit uerba, Cùm sacras istas uestras uoces legissemus (nimirum in Synodo in quam missa erat confessio) nosq́ ipsos etiam ad hunc modum sentire deprehendissemus (unus enim Dominus, una fides, & unum baptisma (glorificauimus omniũ seruatorem Deum, mutuò nobis congratulantes, quòd ecclesiæ cùm nostræ tum uestræ fidem habent diuinis scripturis & traditioni sanctorum patrum conuenientem.

Confesio fidei Chalcedonensis Synodi, ex libro Isidori.

POst recitata Symbola Nicenæ & Constantinopolitanę Synodorum, & interiectis uerbis aliquot, mox in hæc uerba definit sancta Chalcedonensis Synodus.

Consentientes itaq́ sanctis patribus, unum eundemq́ filium confiteri Dominum nostrum Iesum Christum consona uoce edocemus, pariter perfectum eundem in deitate Deum, & hominem uerum eundem ex anima rationali & corpore: secundum diuinitatem unius cum patre naturæ: secundum humanitatem eundem unius naturæ nobiscum, per omnia similem nobis, absque peccato. Ante secula quidem ex patre natum secundum diuinitatem: in nouissimis uerò diebus eundem propter nos & propter nostram salutem hominem factum. Hunc unum eundemq́ Christũ filium Dominum unigenitum * in duas naturas inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter cognoscendum, in nullo naturarum differentias propter unitatẽ perimendas, magis autem salua utriusq́ naturæ proprietate, * & in una coeunte persona unoq́ statu concurrente, nõ in duabus personis partiendum uel diuidendum, sed unum eundemq́ filium unigenitũ Deum uerbum Dominum Iesum Christum: sicut ab exordio prophetæ de eo, & ipse nos erudiuit, & nobis patrum tradidit Symbolũ. His ergo cum omni undiq́ diligentia & solicitudine à nobis ordinatis, statuit sancta & uniuersalis Synodus, aliam fidẽ nulli licere profiteri, aut scribere, aut docere, aut dicere aliter.

*in duabus naturis.

*& in unam personam & in unam substantiam concurrente.

Decretum Synodi Chalcedonensis non pugnare cum doctrina beati Cyrilli Episcopi ex 5. lib. sancti Vigilij martyris contra Eutychen.

SEd iam ultimũ decreti capitulum uideamus ex Decreto Synodi Chalcedonensis. Vnum eundemq́ Christum Dominum unigenitũ (confitemur (in duabus naturis inconfusè, inconuertibiliter, indiuisè, inseparabiliter cognoscendum, nusquam duarum naturarum diuersitate euacuata propter unionem, salua magis proprietate utriusq́ naturę, in unam personam atque substantiam conuenientibus, non ut in duas personas

diuisum

diuisum aut segregatum, sed unum eundemq; unigenitum filium Deum uerbum Dominum Iesum Christum.

In hoc capitulo hoc eis displicet quod dixerunt, Salua proprietate utriusque naturæ: uel, Non euacuata naturarum differentia: quæ ut firma esse perdoceant, consueta uerborum prolixitate & inani assertione utentes, multa de Cyrilli capitulis interponunt testimonia, quibus ille in Christo non duas negat naturas, sed unam docet esse personam. Ne igitur soli eos nostra disputatione refutemus, Cyrilli etiam nos uerba ponamus, ut quomodo Cyrillo teste nituntur, Cyrillo teste uincantur. Ex Synodicis Cyrilli ad Nestorium literis hęc sunt, Non enim dicimus, inquit, quòd diuina natura conuersa uel immutata facta sit caro, nec quòd in totum hominem, quod ex anima est & corpore, transformata sit, sed illud magis quòd carnem animatam rationabilè sibi copulauerit uerbum substantialiter, ineffabiliter & indeprehensibiliter factus sit homo, & nuncupatus sit etiam filius hominis, non nudæ tantummodo uoluntatis, sed nec assumptione sola personæ, sed quòd diuersæ quodam modo naturæ in unum conuenerint. Vnus tamen ex ambabus Christus & filius, non euacuata aut sublata diuersitate naturarum, per coniunctionem, sed quia simul effecerunt nobis unum Dominum & Christum & filium, id est diuinitas & humanitas per arcanam illam ineffabilemq; copulationem ad unitatem. Quid hoc manifestius? quid clarius ad consonantiam Synodici decreti Chalcedonensis ex literis Cyrilli potuit demonstrari? Ecce nec dicta dictis, nec sententiæ sententijs aduersantur, sed sicut uno fidei sensu, ita ijsdem penè usi sunt uerbis. Dixit sancta Synodus, Nusquam duarum naturarum diuersitate euacuata. Dixit beatus Cyrillus, Non euacuata aut sublata diuersitate naturarum per coniunctionem. Dixit sancta Synodus, Vtrisque naturis in una persona conuenientibus. Dixit beatus Cyrillus, Non nudæ tantummodo uoluntatis, sed nec assumptione sola personæ, sed quòd diuersæ quodammodo naturæ in unum conuenerint. Dixit sancta Synodus, Non in duas personas diuisum, sed unum eundemq; Christum. Dixit beatus Cyrillus, Vnus tamen ex ambabus, id est, naturis Christus filius. Et iterum, Sed quia simul nobis effecerunt unum Dominum Christum & filium, id est, diuinitas & humanitas, &c.

Symbolum Toletani Concilij primi, regnantibus Honorio & Arcadio, ex libro Isidori. *Circa annum domini 400.*

CRedimus in unum uerum Deum, patrem omnipotentem & filium & spiritum sanctum, uisibilium & inuisibilium factorem, per quem omnia facta sunt in cœlo & in terra: unum Deum & unam esse diuinæ

substantiæ trinitatem. Patrem autem non esse filium ipsum, sed habere filium, qui pater non sit. Filium non esse patrem, sed filium Dei de patris esse natura. Spiritum quoq; esse paracletum, qui nec pater sit ipse, nec filius, sed à patre filioq; procedens. Est ergo ingenitus pater, genitus filius, non genitus paracletus, sed à patre filioq; procedens. Pater est cuius uox hæc audita est de coelis, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Filius est qui ait, Ego à patre exiui & à Deo ueni in hunc mundum. Paracletus est spiritus de quo filius ait, Nisi ego abiero ad patrem, paracletus non ueniet. Hanc trinitatem personis distinctam, substantia unicam, uirtute & potestate & maiestate indiuisibilem, indifferentem, præter hanc nullam credimus diuinam esse naturam, uel angeli, uel spiritus, uel uirtutis alicuius quæ Deus credatur.

Hunc ergo filium Dei, Deum genitum à patre ante omne omnino principium, sanctificasse uterum uirginis Mariæ, atq; ex ea uerum hominem sine uirili generatum semine suscepisse, duabus duntaxat naturis, id est, deitatis & carnis, in unam conuenientibus omnino personam, id est, Dominum nostrum Iesum Christum. Nec imaginarium corpus aut phantasmatis alicuius in eo fuisse, sed solidum atque uerum, hunc & esurisse, & sitisse, & docuisse, & fleuisse, & omnes corporis iniurias pertulisse. Postremò à Iudæis crucifixum & sepultum, & tertia die resurrexisse, conuersatum postmodum cum discipulis suis, & quadragesima post resurrectionem die ad coelum ascendisse. Hunc filium hominis etiam filium Dei, & filium Dei & filium hominis appellamus.

Resurrectionem uerò futuram humanæ credimus carnis: animam autem hominis nō diuinæ esse substantiæ aut Dei patris, sed creaturam Dei uoluntate creatam.

Symbolum Toletani Concilij quarti, ex libro Isidori.

QVemadmodum à sanctis patribus accepimus patrem & filium & spiritum sanctum unius Deitatis atq; substantię, confitemur in personarum diuersitate trinitatem credentes, in diuinitate unitatem prædicantes, nec personas confundimus, nec substantiam separamus. Patrem à nullo factum uel genitum dicimus: filium à patre non factum, sed genitum asserimus: spiritum sanctum uerò nec creatum nec genitum, sed procedentem ex patre & filio profitemur. Ipsum autem Dominum Iesum Christum Dei filium & creatorem omnium ex substantia patris ante secula genitum descendisse ultimo tempore pro redemptione mundi à patre, qui nunquam desinit esse cum patre. Incarnatus est enim ex spiritu sancto & gloriosa sancta Dei genitrice uirgine Maria, & natus ex ipsa

solus

solus idem Dominus Iesus Christus, unus in sancta trinitate, anima & carne perfectus, sine peccato suscipiens hominem, manens quod erat, assumens quod non erat: æqualis patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem, habens in una persona duarum naturarum proprietatem. Naturæ enim in illo duæ, Deus & homo. Non autem duo filij uel duo dij, sed idem una persona in utraque natura perferens passionem & mortem pro nostra salute: non in uirtute diuinitatis, sed in infirmitate humanitatis. Descendit ad inferos, ut sanctos qui ibi tenebantur erueret. Et deuicto mortis imperio resurrexit. Assumptus in cœlos, unde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Cuius morte & sanguine mundati remissionem peccatorum consequuti sumus, resuscitandi ab eo in die nouissima, in ea qua nunc uiuimus carne, in ea qua resurrexit idem Dominus forma, percepturi ab ipso, alij pro iustitiæ meritis uitam æternam, alij pro peccatis supplicij æterni sententiam. Hæc est ecclesiæ Catholicæ fides, hanc confessionem seruamus atque tenemus, quam quisquis firmissimè custodierit, perpetuam salutem habebit.

Expositio fidei seu prædicationis euangelicæ & apostolicæ ueritatis, per beatum martyrem Irenæum, ex libro eius 1. capite 2. contra Valent. *Circa annum domini 185.*

ECclesia per uniuersum orbem usque ad fines terræ dispersa, ab apostolis & ipsorum discipulis eam accepit fidem, quæ est in unum Deum patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Et in unum Iesum Christum filium Dei incarnatum pro nostra salute. Et in spiritum sanctum, qui per prophetas prædicauit dispensationis mysterium & aduentum, & ex uirgine natiuitatem et passionem & resurrectionem ex mortuis, & in carne ad cœlos ascensionem dilecti Iesu Christi Domini nostri; & ipsius è cœlis in gloria patris aduentum ad instauranda omnia & resuscitandam omnem humani generis carnem, ut Christo Iesu Domino nostro, & Deo, & saluatori, & regi, iuxta uoluntatem patris inuisibilis, omne genu flectatur cœlestium & terrestrium ac infernorum, & omnis lingua confiteatur ipsi, & iudicium iustum in omnibus faciat: & spiritalia quidem nequitiei & angelos transgressores ac desertores factos, & impios ac iniustos, & iniquos & blasphemos homines in æternum ignem mittat: iustis uerò & sanctis & qui mandata eius seruarunt & in dilectione eius permanserunt, partim ab initio, partim ex pœnitentia, uitam largitus, incorruptibilitatem donet & gloriam æternam tribuat.

Hanc prædicationem & hanc fidem, ecclesia, uelut dixi, adepta, quanquam per totum orbem dispersa, diligenter conseruat, quasi unam do-

mum inhabitans, & similiter his credit uelut unam animam & idem cor habens, & consonè hæc prædicat & docet ac tradit uelut uno ore prædita. Nam linguę in mundo dissimiles sunt, uerùm uirtus traditionis una & eadem est. Neq; in Germania fundatæ ecclesiæ aliter credunt aut aliter tradunt: neq; in Hispanijs, neq; in Celtis, neq; in Oriente, neq; in Aegypto, neq; in Lybia, neq; hæ quæ in mundo constitutæ sunt: sed quemadmodum sol creatura Dei, in toto mundo unus & idem est, sic etiam prædicatio ueritatis ubique lucet & illuminat omnes homines ad cognitionem ueritatis uenire uolentes. Et neq; qui ualde potens est in dicendo, ex ecclesiæ præfectis, alia ab his dicet. Nemo enim est super magistrum. Neq; debilis in dicendo hanc traditionem imminuet. Cum enim una & eadem fides sit, neq; is qui multum de ipsa dicere potest, plus quàm oportet dicit: neq; qui parum, ipsam imminuit.

Lege præterea eiusdem lib. 3. contra Valent. cap. 4. & uidebis ipsum Traditionis apostolicæ uocabulo intelligere Symbolum apostolorum.

Circa annum domini 210.

Regula fidei secundum Tertullianum, ex libro eius de Præscriptionibus hæreticorum.

Regula est autem fidei, ut iam hinc quid credamus profiteamur, illa scilicet qua creditur unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi creatorem, qui uniuersa de nihilo produxerit per uerbum suum primò omnium emissum. Id uerbum filius eius appellatum, in nomine Dei uariè uisum patriarchis, in prophetis semper auditum, postremò delatum ex spiritu patris Dei & uirtute, in uirginem Mariam, carnem factum in utero eius & ex ea natum, egisse Iesum Christum, exinde prædicasse nouam legem, & nouam promissionem regni cœlorum, uirtutes fecisse, sedisse ad dexteram patris, fixum cruci, tertia die resurrexisse: in cœlos ereptum, sedere ad dexteram patris, misisse uicariam uim spiritus sancti qui credentes agat: uenturum cum claritate ad sumendos sanctos in uitæ æternæ & promissorum cœlestium fructum: & ad prophanos iudicandos igni perpetuo, facta utriusque partis resuscitatione cum carnis restitutione.

Hæc regula à Christo, ut probabitur, instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt & quæ hæreticos faciunt.

Circa annum domini 333.

Symbolum beati Athanasij Alexandrini episcopi, ex libris eius.

Qvicunq; uult saluus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem, quam nisi quisq; integram inuiolatamq; seruauerit, absque dubio in æternum peribit.

Fides

Fides autem catholica hæc est, ut unum Deum in trinitate, & trinitatem in unitate ueneremur: neq; confundentes personas, neque substantiam separantes.

Alia est enim persona patris, alia filij, alia spiritus sancti: sed patris & filij & spiritus sancti una est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.

Qualis pater, talis filius, talis spiritus sanctus. Increatus pater, increatus filius, increatus spiritus sanctus. Immensus pater, immensus filius, immensus spiritus sanctus. Aeternus pater, æternus filius, æternus spiritus sanctus. Et tamen non tres æterni, sed unus æternus: sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus & unus immensus.

Similiter omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens spiritus sanctus. Et tamen nõ tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Ita Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus. Et tamen non tres dij, sed unus est Deus. Ita Dominus pater, Dominus filius, Dominus spiritus sanctus. Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.

Quia sicut sigillatim unamquamq; personam Deum aut Dominum confiteri Christiana ueritate compellimur: ita tres deos aut dominos dicere catholica religione prohibemur.

Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à patre solo est, non factus nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus à patre & filio non factus nec creatus nec genitus, sed procedens. Vnus ergo pater, non tres patres: unus filius, non tres filij: unus spiritus sanctus, non tres spiritus sancti.

Et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales. Ita ut per omnia, sicut iam dictum est, & unitas in trinitate, & trinitas in unitate ueneranda sit. Qui uult ergo saluus esse, ita de trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus, Dei filius, Deus & homo est.

Deus est ex substantia patris ante secula genitus: & homo ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Aequalis patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra: descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos: sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis proprijs rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in uitam æternam: qui uerò mala, in ignem æternum.

Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.

Circa annum domini 376.

Symbolum beati Damasi Romani episcopi, ex 2. tomo operum S. Hieronymi.

CRedimus in unum Deum patrem omnipotentem, & in unum Dominum nostrum Iesum Christum dei filium, & in spiritum sanctum, Deum non tres deos, sed patrem, filium & spiritum sanctum, unum Deũ colimus & confitemur: non sic unum Deum quasi solitarium, nec eundem qui ipse sibi pater sit, ipse & filius: sed patrem esse qui genuit, & filium esse qui genitus sit: spiritum uerò sanctum non genitum neque ingenitum, non creatum neque factum, sed de patre filioque procedentem, patri & filio coæternum & coæqualem & cooperatorem: quia scriptum est, Verbo Domini cœli firmati sunt, id est, à filio Dei, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Et alibi, Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Ideoque in nomine patris & filij & spiritus sancti unum confitemur Deum, quod nomen est potestatis non proprietatis. Proprium nomen est patri Pater: & proprium nomen est filio Filius: & proprium nomen spiritui sancto Spiritus sanctus. In hac trinitate unum Deum colimus, quia ex uno patre quod est, unius cum patre naturæ est, unius substantiæ & unius potestatis. Pater filium genuit non uoluntate, nec necessitate, sed natura.

Filius ultimo tempore ad nos saluandos & ad implendas scripturas descendit à patre, qui nunquam desijt esse cum patre. Et conceptus est de spiritu sancto, & natus ex uirgine: carnem & animam & sensum, hoc est, perfectum suscepit hominem, nec amisit quod erat, sed cœpit esse, quod non erat, ita tamen ut perfectus in suis sit, & uerus in nostris. Nam qui Deus erat, homo natus est, & qui homo natus est, operatur ut Deus: & qui operatur ut Deus, ut homo moritur: & qui ut homo moritur, ut Deus resurgit. Qui deuicto mortis imperio cũ ea carne qua natus & passus & mortuus fuerat & resurrexit, ascendit ad patrem, sedetque ad dexteram eius in gloria, quam semper habuit & habet. In huius morte & sanguine credimus emundatos nos: & ab eo resuscitandos die nouissimo

in hac

in hac carne qua nunc uiuimus. Et habemus spem nos consequuturos præmium boni meriti, aut pœnam pro peccatis æterni supplicij. HAEC lege, hęc crede, hæc retine, huic fidei animam tuam subiuga, & uitam consequeris & præmium à Christo. EADEM docuit & credidit cum beato Athanasio & Damaso S. Petrus episcopus Alexandrinus, sicut colligi potest ex Tripartitæ historiæ lib. 7. cap. 37. & lib. 8. cap. 14. *Petrus Alexandrinus episcopus.*

Decretum Imperatorium de fide Catholica, ex Tripartitæ historiæ libro 9. cap. 7. *Circa annum domini 382.*

IMpp. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Aug. populo urbis Constantinopolitanæ: Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in ea uolumus religione uersari, quam diuinum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usque nunc ab ipso insinuata declarat, quamq́ pontificem Damasum sequi claret & Petrum Alexandriæ episcopum, uirum apostolicæ sanctitatis; hoc est, ut secundum Apostolicam disciplinam euangelicamq́ doctrinam, patris & filij & spiritus sancti unam deitatem sub pari maiestate & sub pia trinitate credamus. Hanc legem sequentes, Christianorum catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos uerò dementes uæsanosq́ iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere, diuina primùm uindicta, post etiam motus animi nostri, quem ex cœlesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos. *Catholici. Hæretici.*

Data 3. Calendas Martias Thessalonicæ, Gratiano 5. Valent. & Theod. Aug. Coss.

FINIS.

INDEX CONTINENS POTISSIMA CAPITA, QVAE IN HISCE SERMONIBVS TRACTANtur, secundum Decades digestus. Significat autem præfixa nota numerum Sermonum.

DECADIS PRIMAE LOCI.

DECADIS SECVNDAE LOCI.

DECADIS TERTIAE LOCI.

DECADIS QVARTAE LOCI.

DECADIS QVINTAE LOCI.

INDEX LOCORVM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, QVAE PASSIM AB AVTHORE IN HOC LIBRO EXPLICANTVR.

EX GENESI.



EX LIBRO PROVERbiorum Solomonis.

EX ECCLESIASTE Solomonis.

EX CANTICIS SOLOM.

EX ISAIA.

EX IEREMIA.

EX EZECHIELE.

Non

EX EVANGELIO MARCI.

EX EVANGELIO LVCAE.

EX EVANGELIO IOANNIS.

Chri-

EX PRIORE EPISTOLA ad Corinthios.

EX EPISTOLA AD Philippenses.

EX EPISTOLA AD Colossenses.

EX EPISTOLA PRIORE ad Thessalonicenses.

EX EPISTOLA POSTERIORE ad Thessalonicenses.

EX PRIMA EPISTOLA ad Timotheum.

EX PRIMA EPIST. PETRI.

EX SECVNDA EPIST. PETRI.

EX EPIST. D. IVDAE.

EX PRIMA EPISTOLA IOANNIS.

EX APOCALYPSI IOANNIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVAE HOC OPERE CONTINENTVR.

Angeli

B.

C.

D.

Honor

Liberum

N

O

Pœni-

Q.

R.

Talionis

V.

FINIS.

SERMONVM DECAS

[illegible]

SERMONVM DECAS PRIMA, AVTHORE HEINRYCHO BVLLINGERO.

De verbo Dei, origine eius, quomodo & per quos mundo sit reuelatum.

SERMO I.



OMNIA dogmata fidei Christianæ, omnis item rectè, benè, beateq; uiuendi ratio, omnis deniq; sapiētia uera diuinaq; semper petita est ex uerbi Dei testimonijs seu iudicatis: neq; hodie uel à uerè sapientibus uiris, uel à fidelibus & à Deo uocatis ecclesiarum ministris illa aliunde quàm ex uerbo Dei hauriri, doceri deniq; & confirmari solidè possunt. Quisquis itaq; ignorat quid sit uerbum Dei, & quæ uerbi Dei ratio, in ipso templo Domini auditorioq; Christi, adde & in lectione scripturarum sacrarum, ueluti cæcus, surdus & amens uersari uidetur. Imò quòd aliqui in audiendis sermonibus sacris ecclesiasticisúe, irreligiosiores & segniores apparent, non alio exoritur fonte, quàm quòd uirtutem & ueram rationem uerbi Dei, neque rectè intelligunt, neque satis diligenter expendunt. Ne quid itaq; remoretur hîc studiosos ueritatis ac uerbi Dei; quinimò ut in omnium animos iusta uerbi Dei existimatio reponatur, explicabo, Deo iuuante, charitati uestræ, quænam religiosum hominē de uerbo Dei sentire & tenere oporteat. Vos assiduis & intentis precibus benignas Dei nostri aures pulsate, quò & mihi sanctam & efficacem dicendi facultatē concedat, & uobis aures & mentem aperiat, ut in omnibus laudetur nomen Domini, uberemq; fructum percipiant animæ nostræ.

Principiò explicandum erit nobis quid sit uerbum Dei. Verbum in scripturis & iuxta idioma linguæ Hebrææ latissimè patet. Significat enim rem quamlibet, sicuti & Germanis latissimè patet uocabulū ding. Apud sanctum Lucam dicit ad beatam uirginem angelus Dei, Non erit apud Deū impossibile omne uerbum. Id quod perinde est ac si dixisset, Deo omnia possibilia, aut res nulla erit impossibilis Deo. Significat uerbum & dictionem ore hominis prolatā. Aliquando usurpatur pro cōmissione, aliquando & pro integra sententia aut etiam oratione aut prophetia. Exempla de his in scripturis copiosa sunt. Cæterum cùm uerbum coniungitur cum alio, ut cùm dicitur in præsenti uerbum Dei, etiam sic nō usurpatur eadem significatione. Nam uerbū Dei significat uirtutem & potentiam Dei: ponitur & pro filio Dei, qui est secunda in adoranda trinitate persona. Manifesta est enim omnibus illa diui Euangelistæ uox, Verbum caro factum est. Propriè autem in nostro hoc negotio significat uerbum Dei, eloquium Dei, reuelationeq; uoluntatis diuinæ, per os Christi, prophetarū ac Apostolorum, primùm quidem uiua uoce prolatam, deinde etiam relatā in literas, quas rectè appellant sacras atq; diuinas. Verbum enim mentem eius ex quo prodit refert: proinde uerbum Dei Deum refert. Est autem Deus natura sua uerax, iustus, bonus, purus, immortalis, æternus, iccirco consequens est & uerbum Dei quod prodit ex ore Dei, uerum esse, iustū, sine fraude & dolo, sine errore & affectu prauo, sanctum, purum, bonum, immortale, æternū. Dominus enim in Euangelio dicit, Sermo tuus ueritas est. Et Apostolus Paulus, Verbum Dei, inquit, non est alligatum. Rursus clamat tota scriptura,

Verbum quid.

Verbum Dei quid.

Joan. 1

Verbum Domini manet in æternum. Nam & Solomon dicit, Omne eloquium Dei est repurgatum. Nihil adijcias uerbis eius, ne fortè redarguat te, & inueniaris mendax. Dauid quoq;, Eloquia Domini, ait, eloquia munda, argentum igne expurgatum, defæcatum à terra septemplicìter.

De causis & origine uerbi Dei.

Hæc intelliget charitas uestra plenius, si paulò copiosius de causa siue origine, tum & certitudine uerbi Dei dixero. Verbum Dei ueritas est: atqui ueritatis unicus fons est Deus: origo ergo & causa uerbi Dei Deus est. Atq; hic quidem Deus cum membra, mortalium hominum instar, minimè habeat, ore caret etiam corporeo: quia tamen os instrumentum est uocis, tribuitur Deo os. Nam loquutus est hominibus uoce humana, id est, uoce hominibus perceptibili atque effigiata ad sermonem usitatum inter homines. Claret hoc in rebus gestis cum sanctis patribus; quibus cum, ut cum parentibus nostris Adamo & Eua, cum Noe & reliquis patribus frequentissimè colloquutus legitur. In monte Sina ipse Dominus concionatur ad magnam Israelis ecclesiam, recitans significanter decem illa capita, in quibus omnis comprehenditur pietas. Nam Deut. 5. cap. sic legimus, Verba ista (decalogum intelligens) loquutus est Dominus ad omnem ecclesiam de medio ignis uoce magna. Et in cap. 4. Vocem uerborum uos audistis, similitudinem autem nullam uidistis, præter uocem. Frequentissimè uerò usus est Deus opera angelorum, per quorum ministerium colloquutus est cum mortalibus. Cognitissimum uerò illud est omnibus hominibus, quòd filius patris incarnatus in terris obambulauit, uerusq; Deus & homo Israeliticum populum fermè per triennium docuit. Quondam autem & antequam nasceretur mundo Dei filius, insinuauit se Deus animis sanctorum patrum, deindè etiam mentibus sanctorum prophetarum, ac deinceps per ipsorum ora & scripta mundũ docuit. Ita & Christus Dominus spiritum sanctum, qui patris & filij spiritus est, misit in Apostolos, per quorum ora, uoces, ac calamos toti mundo innotuit.

Verbũ Dei reuelatur mundo per homines.

Atq; hi serui Dei omnes, ceu electa Dei organa, reuelationem Dei à Deo percipientes animis syncerissimis, oracula seu eloquia Dei quæ perceperãt, primùm quidem uiua uoce mundo tradiderunt, deinde senescente mundo, quidam ipsorum & literarum monimentis mandarunt. Hæc autem quomodo & per quos facta sunt, præstat cognosceer. Nam ex hac historia elucescit uera uerbi Dei ratio, certitudo & dignitas.

Ab exordio rerum ad tempora usq; Mosis nulla extant scripta quæ peruenerint ad nostram notitiam: quamuis uerisimile sit priscum & primum illud seculũ non omnino fuisse sine omni scriptura. Nam citatur à S. Iuda Apostolo fratre beati Iacobi scriptum, uaticinium beati patris nostri Enoch, qui legitur septimus fuisse à patre nostro Adam. Videtur præterea scriptum aut historia Iob antiquis edita temporibus. Vtcunq; uerò hoc habeat, sancti in ecclesia Dei omnes, primum inter scriptores sacros collocant fidelissimum Dei seruum Mosen.

Quomodo & per quos ab exordio mundi reuelatum sit uerbũ Dei.

Ab exordio itaque mundi Deus per spiritum suum, per ministeria quoq; angelorum locutus est sanctis patribus, ac hi filijs nepotibusq; & toti posteritati quæ à Deo acceperant, uiua uoce tradiderunt: cùm ea utiq; accepissent, non ut sibi reseruarent, sed posteris quoq; communicarent. Deus enim subinde testabatur se uelle Deum esse & patrum & seminis ipsorum in sempiternum. Elucescit hoc in historia Adæ, Noæ & Abrahæ primorum genearcharum maximè. Certè Gen. 19. legimus angelum domini, adeoq; ipsum Dominum dixisse ad Abrahamum, Num celabo Abrahamũ, quæ ego facturus sum, cùm Abraham omnino futurus sit in gentem magnam & ualentem, benedicendæq; sint in eo omnes nationes terræ? Hoc

Abraham.

quocp scio quòd mandaturus sit filijs suis & domui suæ post se, ut custodiant uiam Domini, faciantcp iustitiam & iudicium, & reliqua. Abrahā itacp fidelissimus & religiosissimus Dei cultor (sicuti & prisci illi primi seculi patres) nihil hac in re neglexit, sed diligentissimè homines de uoluntate & iudicijs Dei instituit. Vnde & à Mose, adeocp ab ipso Deo appellatus est propheta. Vsurpata est autem religiosa & uiua illa traditio sanctorum patrum ab exordio mundi uscp ad tempora Mosis. Præterea curauit diuina bonitas, ne ulla unquam secula carerent clarissimis luminibus indubitatæ fidei testibus & maximæ authoritatis patribus. Seculum enim ante diluuiū habuit clarissimos & sanctissimos sapientissimoscp uiros nouem, Adamū, Seth, Enos, Kenam, Malalehel, Iared, Enoch, Mathusalē & Lamech. Ex his præcipui Adam & Mathusalem ordiuntur & concludunt omnes annos seculi ante diluuium 1656. Nam Adam uixit annos uitæ 930. Moritur ergo ante diluuium anno 726. Mathusalem uerò uixit annos uitæ 969. Moritur eo ipso anno, quo inundauit diluuium: ac uixit unà cum Adamo annos 243. ut abundè potuerit institui ab Adamo de exordio rerum, de Deo, de lapsu hominis & restitutione, rebuscp ad religionem pertinentibus omnibus, quemadmodū ipse ab ipso Deo erat institutus. Ergo hi duo patres unà cum alijs supra nominatis, totum illud seculum abundè satis erudire potuerunt de salute uera ac de iustis uijs Domini. A diluuio dedit Deus iterum mundo uiros clarissimos & lumina maxima. Horum nomina sunt, Noe, Sem, Arphaxat, Sale, Heber, Palec, Reu, Saruch, Nachor, Thare, Abraham, Isaac, Iacob. Habemus hîc patriarchas præstantissimos 13. In qbus primi duo Noe & Sem principatum tenent: post quos illustriores sunt Abrahā, Isaac & Iacob. Vixit Noe annos uitæ in uniuersum 950. Natus erat annos 600. cùm inundaret diluuium. Vidit ergo & audiuit omnes sanctos patres primi seculi ante diluuiū, tribus duntaxat exceptis, Adamo, Seth & Enos. Ac cum reliquis, qui hos uiderāt & audierant, conuixit annis plurimis, ut nihil eorū quæ Adam tradiderat ignorare potuerit. Moritur Noe (quod dictu mirum, sed tamen uerū est) anno ætatis Abrahæ 49. Cum patre uiuit multos annos filius Sem. Vixit enim annos uitæ in uniuersum 600. Natus est ipsi Noe ante diluuiū annis circiter 96. Vidit ergo & audiuit non tantū patrem Noe & auū Lamech, sed etiam proauum Mathusalem, cum quo uixit ante diluuium annos illos 96. Ab eo erudiri potuit de omnibus quæ Mathusalem audierat & didicerat ab Adamo ac reliquis patriarchis. Moritur autem Sem post fata Abrahæ anno Iacobi 52. nimirum 37. anno post mortem Abrahæ, anno ætatis Isaac 112. ut Iacob patriarcha ab ipso Sem omnem ueram theologiam uti hic à Mathusalē acceperat, discere potuerit, à tertio post Adam teste ac præceptore. Porrò Iacob patriarcha suis quoque liberis tradidit, quod ut traderet à Deo per patres accepit. Nascitur Iacobo in Mesopotamia Leui filius, & huic rursus Kahad, qui uidit & audiuit Iacobum. Nam non paucos annos uixit Kahad cum auo Iacobo. Recensetur enim in catalogo liberorum descendentiū cum Iacobo in Ægyptum: at uixit Iacob in Ægypto cum liberis suis annos 17. Hic autem Kahad est auus Mosis, pater Amram, à quo plenam & certam illam traditionē de uoluntate præceptis & iudicijs Dei perfectissimè hausit, sicuti Amrā pater didicerat ex patre Kahad, Kahad à Iacobo, Iacobus à Sem, Sem à Mathusalem atcp Adamo primo patre omnium nostrum, ut iam Moses stet in mundo septimus testis ab ipso Adamo. Complentur autem anni mundi ab exordio rerum ad natiuitatem uscp Mosis 2368. Reperiet autem hanc supputationem ueram & iustam esse, quisquis annos à Mose in Genesi & Exodo non frustra consignatos diligenter supputauerit.

Clarissima primi seculi lumina. *Adam & Mathusalem.* *Noe.* *Sem.* *Iacob.* *Genes. 46.* *Kahad & Amram.* *Moses.* *Gen. 5. & 11.* *Exod. 6.* *Summa capita uiuæ traditionis sanctorum patrum.*

Iam præstat etiā scire prima illa capita uiuæ traditionis à sanctis patribus, Deo

sic disponente, ueluti per manus toti posteritati tradita. Tradiderunt patres posteris suis Deum pro natiua sua bonitate bene uelle hominibus, uelle ut homines omnes ad agnitionem ueritatis ueniant, & diuinæ cōsortes naturæ, sancti, felices et beati fiant. Ideoq; ab initio Deum condidisse hominem ad similitudinem & imaginem suam, ut esset bonus, sanctus, immortalis, beatus, & omnium bonorum Dei particeps: hominem autem in ea dignitate & felicitate non perstitisse, sed opera diaboli & culpa propria incidisse in peccatum, miseriam & mortem, cōmutasseq; imaginem Dei imagine diaboli. Porrò Deum opus hîc iterum ceu nouum salutis instituisse, per quod homo restitutus, & ab omnibus malis liberatus, Deo rursus similis fiat: ac opus quidem hoc ingens & diuinum medio quodam perfecturum, nempe per Verbum incarnatum. Nam ut hoc incarnando hominē Deo coniunxit, ita moriendo in carne expiauit, sanctificauit & liberauit hominem, eidemq; spiritum sanctum donando, eundem reddidit diuinæ consortem naturæ, immortalem & beatum. Efficit deniq; ut conemur ingenium moresq; eius exprimere, ad cuius imaginē sumus conditi, ut simus anima & corpore sancti. Adiecerunt, Verbum suo tempore & seculo fore incarnandū. Restare item diem iudicij magnum, in quo omnes homines congregati, pij uerò duntaxat percepturi sint præmia illa immortalitatis diuinitatisq;. Hæc autem est summa breuis traditionis sanctorum patrum, quam præstat copiosius retexere, & ueluti per partes diligentius prosequi. Principiò ergo tradiderunt patres, unum esse Deum in adoranda trinitate, patrem, filium & spiritum sanctum, conditorem & gubernatorem cœli & terræ, ac omnium quæ in eis sunt, à quo conditus sit homo, & qui propter hominem omnia condiderit, omniaq; subiecerit homini, cui necessaria sufficiat tanquam fidus pater & Dominus munificentissimus. Deinde tradiderunt hominem cōstare anima & corpore, & bene quidem conditum esse ad imaginem & similitudinem Dei, sua autem culpa & diaboli instigatione prolapsum in peccatum, mortem & condemnationem unà cum inexplicabili ærumnarum tela inuexisse in mundum, ut iam omnes filij Adæ ex Adam nascantur filij iræ & calamitatum. Deum autem qui diues est misericordia, pro immensa sua bonitate misertum humanæ miseriæ, ex mera sua gratia condonationem culpæ promisisse, pœnæq; grauitatē imposuisse filio unico, ut hic postquàm ipsi à serpente contritus sit calcaneus, conterat & ipse caput serpentis. Hoc est, promittit Deus semen siue filium qui ex singulari fœmina, id est, ex laudatissima uirgine incarnandus, morte mortem & mortis authorem satanam sit superaturus, fidelesq; Adæ filios liberaturus, imò & adoptaturus in filios Dei ac hæredes uitæ æternæ. Docuerunt ergo sancti patres fidem in Deum & in filium eius totius mundi redemptorem: cùm etiam sacrificarunt figurantes mortem siue hostiam eius immaculatam, qua detersurus & expiaturus erat peccata totius mundi. Ideò & diligentissimè obseruarunt genus & generis lineam Messiæ. Nam deducitur ea quasi filo ab Adamo ad Noe, à Noe per Sem ad ipsum usq; Abrahamum: ad quem rursus dicitur, In semine tuo benedicentur omnes nationes terræ: quibus uerbis prima promissio Adæ facta de Christo redemptore & maledictionem benedictione permutante, renouatur & inculcatur. Eadem linea ab Abrahamo deducitur per Isaacum in Iacobū, ac ipse Iacob plenus spiritu Dei Iudam filium seminis benedicti designat genearchā, sicut uidere licet Genes. 49. In tribu Iuda demum designatur domus Dauid, ex qua sit semen & germen illud uitæ proditurum. Præterea tradiderunt beati patres Deum cum genere mortaliū fœdere quodam coaluisse, ac se fidelibus, fideles sibi Deo inquam arctissimè obstrinxisse. Vnde iam docebāt Deo fidem seruare, Deum adorare, falsos deos abominari

Deus. *Creatio.*

Peccatum & mors.

Gratia, uita, & redemptio per Christum.

Fides.

Linea Meßiæ.

Fœdus diuinū.

minari, Deum inuocare solum, & colere religiose. Porrò cultum Dei constare rebus spiritualibus, fide, spe, charitate, obedientia, iustitia, sanctimonia, innocentia, patientia, ueritate, iudicio & pietate. Ideoq; accusabant scelera atq; peccata, perfidiam, incredulitatem, desperationem, inobedientiã, impatientiam, mendacium, hypocrisim, odia, contumelias, uim, iniurias, iniustitiam, impuritatem, luxum, crapulam, stupra, iniquitatem, impietatem. Docebant Deum boni esse remuneratorem, mali autem uindicem ultoremq;. Docuerunt animas hominum esse immortales, & corpora quoq; resurgere in iudicio: ergo hortabantur ita in hac uita temporali uiueremus omnes, ne amitteremus æternam. Hæc est summa uerbi Dei reuelati patribus, & per hos tradita posteritati. Hæc est traditio diuina patrum, quæ omnem pietatem comprehendit. Hæc est deniq; fides patrum uera, uetus, indubitata, authentica, orthodoxa & catholica. Ad hæc tradiderunt sancti patres liberis & posteris suis supputationem annorum ab exordio mundi, certam deniq; historiam utilem & necessariam rerum à condito mundo ad suam usq; ætatem, ne filij ignorarent principium & successionem rerum humanarum, iudicia item Dei & exempla piè pariter & impiè uiuentium. Possemus autem hæc omnia ex primo libro Mosis qui Genesis dicitur, clarè & ordine pulcherrimo demonstrare, nisi prolixè nimis protraheretur sermo. Sed & paucul os adeoq; nullos astare arbitror, qui non intelligant me ista de ueterum traditione quasi uerbotim recitasse ex lib. Genes. ut iam liceat in cœpta pergere historia.

Cultus Dei.

Vita æterna & iudicium.

Historia certa & annales iusti.

Cæterum quæ hactenus ore ac ueluti per manus tradita sunt à patribus mundo, primùm à beato Mose relata sunt in literas, unà cum ijs quæ toto uitæ Mosis tempore per annos 120. gesta sunt. Atq; ut maiorem in toto terrarum orbe & apud omnes homines omnibusq; seculis authoritatem haberet, nemoq; ignoraret scripta Mosis ipsissimum esse Dei uerbum, ornatur à Deo Moses & ueluti inauguratur signis & portentis uerè stupendis, quæ per Mosis manum, hoc est, ministerium patrabat omnipotens, & patrabat quidem nõ in angulo aliquo mundi, aut in loco obscuro, sed in eius ætatis florentissimo famosissimoq; Ægyptiaco regno. Miracula illa maiora et plura sunt, quàm hîc paucis recensere liceat: neq; uerò illa repetere necesse est, cùm eorum charitas uestra non sit omnino rudis & ignara. Deinde conciliauit Mosi authoritatem Deus etiam alijs modis. Frequentissima enim cum Mose habuit colloquia Deus: ac inter alia, Ecce ueniam ad te, ait, in densa nube ut audiat me populus tecum loquentem, & credat tibi in perpetuum. Nec his contentus Dominus, iubet Mosen in concionem euocare totum populum, sexcentena inquam uirorum millia, unà cum uxoribus & liberis. Euocati sunt ad montem Sina, in hoc apparet Deus mirifica ac terribili specie, ac ipse concionatur ad ecclesiã, recitans ipsis decem præcepta. Populus uerò territus diuina maiestate deprecatur ac poscit, ne Dominus ipse porrò pergat ore proprio concionari ecclesiæ, satis esse si Mose utatur ad ipsos interprete, ac per ipsum ecclesiæ loquatur. Recepit conditionem altissimus, ac porrò per Mosen populo locutus est quod uoluit.

Traditiones patrum conscribit Moses in historia.

Et quoniam populus ille erat duræ ceruicis populus, in Ægypto quoque ex consortio idololatrarum non uulgariter corruptus, cœpit iam quoq; literis committere Moses quæ tradiderant sancti patres, quæ item ipsi iam reuelauerat Dominus. Ea ideò in literas retulit, ne apud segnem populum obliuione, & temporum diuturnitate, & improbitate, uel interirent uel corrumperentur. Præit autem Mosi Dominus suo exemplo. Nam quæ recitauerat Deus apud ecclesiam in mõte Sina, eadem mox digito suo inscribit tabulis lapideis duabus, qui eadem ab exordio mundi digito suo inscripserat cordibus patrum. Deinde Mosi quoq; disertè præ-

cipit ut scribat quæ reuelarat Dominus. Obtemperauit præcepto Domini Moses ac scripsit. Scribentis manum direxit spiritus sanctus, qui totam Mosis mentem occuparat. Nulla deerat facultas Mosi necessaria scriptori absolutissimo. Abundè instructus erat à maioribus suis. Natus enim est ex prosapia sanctissima patrũ, quos Dominus testes uoluntatis, mandatorum, iudiciorũq; suorum constituerat, puto autem Amram, Kahad, Iacobum, Sem, Mathusalem & Adamũ. Potuit itaq; ueram & certam ab exordio mundi ad sua usque tempora historiam scribere. Cui ea adiecit quæ sua ætate in populo Dei facta sunt, quorum ipse erat ueracissimus, & oculatus atque auritus testis. Imò quæ libris comprehendit, populo suo recitauit, nec inuentus est in tot millibus qui recitatis contradiceret: ut non parum existimationis addat scriptis Mosi, ecclesiæ illius maximæ unanimis consensus ac testificatio.

Complexus est autem Moses historiam ab exordio mundi ad mortem usque suam per annos 2488. libris quinque, qui & libri Mosis quinq; dicuntur. In ijs copiosissimè exposuit reuelationem uerbi Dei factam hominibus, & quid contineat & doceat uerbum Dei. Habemus in his, ut ipsius Dei multiplicia oracula, ita clarissimorum, uetustissimorum, sanctissimorum, sapientissimorum, maximorumq; totius mundi uirorum illustrissima testimonia, sententias, exempla, dogmata, de omnibus quæ ad ueram pietatem, bene beateq; uiuendi rationem pertinere uidentur. Ideò apud omnes posteros hi libri ut authentici, & qui ex seipsis sat authoritatis habent, & quibus citra contradictionem totus mundus credere debet, fidem inuenerunt paratissimam. Quinimò Dominus noster Iesus Christus unigenitus Dei filius, fideles ad lectionem Mosis relegat, ac id quidem in rebus salutis nostræ maximis. Loca extant Ioan. 5. & Lucæ 16. Apud Matth. in 5. dicit, Ne existimetis quòd uenerim ad destruendam legem aut prophetas, imò non ueni ut destruam, sed ut compleam. Amen quippe dico uobis, donec prætereat cœlum & terra, iota unum aut apex non præterierit ex lege, quoad omnia facta fuerint. Quisquis igitur soluerit unum ex mandatis hisce minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum. Quisquis autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum. Certè reperti sunt qui contradixerint Mosi seruo Dei. Sed Deus contradictionem illam ueluti maiestati diuinæ illatam reputauit, ac seuerissimè puniuit. Testimonia extant Exodi 16. & Numeri 12. Primum quidem murmurantis populi contra Mosen: secundum Mariæ sororis Mosis contradicentis fratri. Cæterum populus audit, Non contra ministros tendunt querimoniæ uestræ, sed contra Dominum. Maria uerò lepra horribiliter percussa est. Theotectus tragœdiarum scriptor oculis capitur; & Theopompus incidit in insaniam, quòd irreligiosius attigisset uerbum Dei. Quanquam enim uerbum Dei reueletur, proferatur aut scribatur per homines, non desinit tamen esse quod reuera est, neque incipit humanum esse uerbum, quod ab hominibus prædicatur aut auditur: nõ magis quàm regis præceptum, præconis præceptum dicitur, quod à præcone annunciatur. Spernit Deum, & cum Deo omnes sanctos patriarchas, quisquis contempserit Mosen, per quem nobis loquitur Deus, & à quo recepimus quæ ab exordio mundi posteris tradiderunt patriarchæ. Nullum est inter uerbum Dei traditum uiua uoce hominis & stilo hominis scriptum, discrimen, nisi quatenus uox uiua & scriptura inter se differunt, materia certè, sensus & intentio utrobiq; eadem est. Intellexit autem ex his charitas uestra certam originis uerbi Dei historiam.

Maxime authoritatis est Moses.

Progressus uerbi Dei.

Pergamus iam ad reliqua, addere uidelicet historiam progressus uerbi Dei, ac quomodo

quomodo subinde clarius illustriusq; mũdo illuxerit. Post sublatum ex hoc mundo in cœlos beatum Mosen, dedit benignus Dominus cõtinuè prophetas præstantissimos suæ Ecclesiæ, quam elegerat, ut per ipsam uniuerso mundo uerbum suum reuelaret. Fuerunt autem quondam ueteribus prophetæ, qui hodie nobis sunt uates, sacerdotes, sapientes, concionatores, pastores, episcopi, doctores uel theologi, rerum diuinarũ scientissimi, & rectores populi à Deo in fide dati. Huiusmodi autem nec paucos nec obscuros floruisse in populo siue Ecclesia Dei ad captiuitatẽ usq; Babylonicam, testabitur quisquis diuinam legerit historiam. Inter eos numerantur singulares & excellentes, Phinees, Samuel, Helias, Heliseus, Isaias, & Ieremias. Reges simul & prophetæ fuerunt Dauid & Solomon. In captiuitate Babylonica clari fuerunt Daniel & Ezechiel. Post captiuitatem floruit inter alios Zacharias ille Barachiæ filius. Paucos hic ex multis numeraui. Qui, tametsi diuersis temporibus & longissimis inter se spacijs temporum floruerunt, unanimes tamen omnes agnouerunt Deum orbi loquutum esse per Mosen, qui, Deo disponente, ueræ theologiæ compendium & plenissimam uerbi Dei summam reliquerit scriptis comprehensam Ecclesiæ in mundo. Omnes isti sacerdotes uates ac prophetæ, in omnibus unicè respexerunt ad doctrinam Mosis. Omnes itẽ relegarunt in causa fidei & religionis ad libros Mosis. Legem Mosis, quæ reuera Dei est, ac proprijssimè Thora seu directorium & regula fidei & uitæ dicitur, inculcauerunt omnibus hominibus. Hanc explicarunt pro ratione temporum, personarũ, & locorum hominibus. Omnes enim sacerdotes & prophetæ ante incarnationem Christi, pietatem & ueram religionẽ tradiderunt sui seculi hominibus uiua uoce. Nec aliud tradiderunt, quàm quod patres acceperant à Deo, Moses à Deo & patribus, idipsum mox scriptis etiam mandantes commendarunt uniuersæ posteritati ad finem usq; mundi: ut in prophetis iam habeamus doctrinam quidem Mosis patrumq; traditionem, sed omnia & singula plenius & significantius exposita expolitaq;, insuper etiam locis temporibus & personis aptata.

Prophetæ. *Lex.*

Porrò doctrina & scripta prophetarum maximæ semper authoritatis fuerunt apud omnes sapientes homines in toto mundo. Multis enim argumentis deprehensum est, illa non ipsis exorta esse authoribus, sed cœlitus ac diuinitus inspirata à spiritu Dei sancto. Deus enim est qui spiritu suo inhabitãs animis, per ora nobis resonat prophetarum. Habent ergo amplissimum à Christo Dei filio & ab electis eius Apostolis testimonium. Quid quod Deus stupenda nec pauca per ipsorum ministerium miracula prodigiaq; patrauit? ut uel ex signis maximis disceremus Deum esse, cuius instinctu agant, docent atque scribunt quæ nobis reliquerunt in monumentis prophetæ. Præterea perhibent prophetis illustrissima testimonia diuinæ ueritatis, tot respublicæ siue Ecclesiæ à prophetis secundũ uerbum Dei congregatæ ac gubernatæ. Laudantur excellentissimi Plato, Zenon, Aristoteles & reliqui gentium philosophi. Sed quis istorum unquam potuit colligere Ecclesiam secundum sua uiuentem placita? Atqui prophetæ nostri clarissimas & famosissimas in toto terrarum orbe respub. siue Ecclesias, imò regna florentissima sub suo habuerunt magisterio. Solomonem regem & prophetam tantum non adorarunt omnes totius mundi, qui suo scilicet seculo uiuebant, sapientes, proficiscentes ad ipsum ab ipsis mundi finibus. Daniel quoq; in monarchia totius mundi præstantissima Babylonica, primas tenuit inter sapientes. Sed & magnæ authoritatis erat apud Darium Medum, Astyagis uel Assueri filium, atq; apud excellentissimum regem Cyrum. Libet hic quoq; commemorare diuinam illam in prophetis nostris præscientiam, & futurarum rerum post multa secula certissimam prædictionem.

Authoritas sanctorum prophetarũ maxima. 3 Regum 4 d

Nam ut hic ex alijs nihil commemorem, nónne prædixit Isaias certissima prædictione, quæ postea in Christo Domino per Iudæos sunt completa? Vetustis non frustra uisus est Euangelista magis esse quàm propheta siue uates. Cyri regis nomen prodidit centũ sexaginta ad minimũ annis priusquam nasceretur Cyrus. Ac Daniel rectè à uetustis appellatus est polyhistor. Nam quæ à suo seculo ad tempora usq; Christi, imò ad extremum usq; iudicij diem fiant ac facta sunt in omnibus ferè regnis mundi, in populoq; Dei, tam significanter ille prædixit, ut uideri posset historiam contexuisse rerum præteritarum. Hæc inquam omnia euidentissimè euincunt doctrinam & scripta prophetarum ipsissimũ esse uerbum Dei: quo nomine & titulo etiam ornantur passim in scripturis. Petrus certè Apostolus, Non uoluntate hominis allata est olim prophetia, inquit, sed à spiritu sancto impulsi, loquuti sunt sancti Dei homines.

Daniel po[ly] histor a uetustis appellatus

2. Pet. 1.

Quanquam uerò Deus uerbũ suum copiosè, clarè, disertè & simpliciter mundo per patriarchas, per Mosen, per sacerdotes, & per prophetas reuelauit, in fine tamen temporũ omnium luculentissimè, simplicissimè, abundantissimeq; toti terrarum orbi per filium exposuit. De cœlis enim descendens ipse Dei patris unigenitus filius, uti prædixerant prophetæ, omnia quæ prædixerant complet, & omnem pietatẽ ferè per triennium docet. Nam Ioannes, Deum nemo uidit unquam, ait, Vnigenitus qui est in sinu patris ipse enarrauit. Sed & ipse Dominus ad discipulos ait, Omnia quæ audiui à patre meo, nota feci uobis. Et iterum, Ego sum lux mundi: qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Docuit autẽ Dominus noster uolẽti cœlos ingredi atq; saluari, necesse esse regenerationẽ cœlestem. Prima enim natiuitate hominem nasci morti, secunda uitæ. Regenerationem autem illam perfici spiritu Dei, qui fide corda nostra imbuat, fide inquam in Christum, qui mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Ea fide docuit iustificari credentes: & ex eadem fide subnasci uarios charitatis & innocentiæ fructus: ad quos proferendos constantissimè adhortatus est. Docuit præterea se esse legis & prophetarũ complementum aut plenitudinem, adeoq; & Mosis prophetarumq; doctrinam approbauit & exposuit. Doctrinæ coniunxit uaria miracula & beneficia, quibus declarauit se esse lumen illud mundi, & potentem benignumq; mundi redemptorem. Iam ut doctrina & beneficia eius toti innotescerẽt orbi, delegit sibi testes quos appellauit Apostolos, eò quòd ipsos in orbem terrarum ad prædicandum ablegare statuisset. Erant testes illi homines simplices, innocentes, iusti, ueraces, doli & artiũ expertes, & per omnia sancti probiq;: quorũ nomina in Ecclesia frequenter recitare utile est. Sunt hæc Apostolorum nomina, Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus, Iacobus Alphæi & Iudas frater eius cognomento Thaddæus, Simon & Iudas Iscariotes, in cuius locũ (quòd prodidisset Dominum) subijt beatus Matthias. Hos ferè per triennium habuit auditores doctrinæ suæ cœlestis, & spectatores diuinorum operum. Hos ab ascensione ad cœlos, misso è cœlis sancto spiritu, instruxit omni facultate. Nam ut scripturarum erant peritissimi, ita linguarum omnium nec ignari nec infacundi. Ad eum autem modum instructi exeunt ex Hierosolymorum urbe & permeant orbẽ terrarum, omnibus populis & gentibus prædicantes, quod prædicandũ acceperant ab ipso mundi saluatore & Domino Iesu Christo. Cũq; annis iam aliquot uiua uoce prædicassent, quod prædicarunt etiam scriptis commiserunt. Nam alij quidem scripserunt historiam de dictis & factis Christi, alij de dictis & factis Apostolorũ. Alij uarias ad uarias gentes miserunt epistolas. In quibus omnibus ad confirmationẽ

Verbum Dei reuelatum per filium Dei.

Joan. 1.

Joan. 8.

Summa capita doctrinæ Christi.

Rom. 4.

Apostoli Christi.

Marc. 3.

Acto. 1.

ueritatis,

ueritatis, ueteri quoque legis & prophetarum scriptura utuntur, sicuti & Dominus factitasse legitur. Porrò coniunguntur 12. Apostolis, duo magna orbis lumina, Baptista Ioannes, quo sanctior non est natus ex mulieribus, & uas electionis Paulus, doctor ille magnus Gentium. *Ioannes Baptista & Paulus.*

Neque uerò mirum est præcursorē & Apostolos Christi, semper in Ecclesia maximam habuisse & dignitatem & authoritatem. Nam sicut legati fuerunt regis æterni, & omnium seculorum totiusque mundi, ita spiritu Dei donati, nihil ex suo fecerunt arbitrio. Ac Dominus per ipsorum ministerium, maxima patrauit miracula, quibus ipsorum ornaret ministerium, ipsorumque nobis doctrinam commendaret. Quid quod uerbo illo Dei totum mundum conuerterunt, & præclaras per orbem terræ Ecclesias collegerunt atque fundarunt? Id quod humanis Concilijs & uerbis nequaquam perficere potuissent. His accedit quod doctrinæ propagatæ, tanquam uiuificæ innitentes, mori non recusarunt. Præterea quotquot crediderant doctrinæ Euangelicæ, non horruerunt per aquas, ignes & gladios, uitam hāc abrumpere, futuramque apprehendere. Neutiquam hæc potuissent sancti fideles, nisi doctrina cui crediderant esset diuina. Quamuis itaque Apostoli fuerint homines, doctrina tamen ipsorum, primùm quidem tradita uoce uiua, deinde calamis relata in literas, est diuina, adeoque ipsum uerbum Dei uerū. Ideo enim Apostolus scriptum reliquit, Cum acciperetis à nobis sermonem quo Deum discebatis, accepistis non sermonem hominum, sed sicut uerè erat, sermonem Dei, qui & agit in nobis credentibus. *Authoritas sanctorum Apostolorum maxima* *1.Thess.2.*

Verùm res ipsa & locus iam postulant, ut etiam colligamus & disertè annumeremus libros illos sacros, in quibus comprehensum est ipsum uerbum Dei, primùm quidem à patribus, item ab ipso Christo & Apostolis uiua uocè proditum, deinde etiam in libros conscriptum, à prophetis & Apostolis. Et primo quidē loco ponuntur libri quinque Mosis. Sequuntur deinde libri Iosue, Iudicum, Ruth, Samuelis 2. Regum 2. Paralipomenon 2. Esdræ, Nehemiæ & Hester singuli. Accedunt his deinceps Iob, Dauid siue liber Psalmorū, Solomonis libelli tres, Prouerbiorum, Ecclesiastes & Cantica. Quibus annumerātur quatuor maiores prophetæ, Isaias Ieremias, Ezechiel, Daniel: & prophetæ minores 12. quorum nomina sunt notissima. His libris absoluitur uetus testamentum. Nouum habet initio historiam de Christo Domino Euangelicam, à quatuor scriptam authoribus, à duobus inquam Apostolis, Matthæo & Ioanne, & à duobus discipulis, Marco & Luca, qui etiam librum composuit mirè elegantem & utilem, de actibus Apostolorū. Inter Apostolos, Paulus edidit ad uarias Ecclesias atque personas 14. epistolas. Reliqui scripserunt septem, quæ & Canonicæ & Catholicę appellantur. Clauduntur autem libri noui testamenti Reuelatione Iesu Christi, quam aperuit dilecto discipulo Ioanni Euāgelistæ & Apostolo, ostendēs ipsi adeoque toti Ecclesiæ fata Ecclesiæ ad iudicij usque diem. His itaque libris pauculis & sobrijs non immensis, planis & simplicibus, non obscuris & impexis continetur plena pietatis doctrina, ipsum inquam uerbum ueri, uiui, & æterni Dei. *Catalogus librorum diuinæ scripturæ.*

Peruenerunt autem libri Mosis & prophetarum ad tempora usque Christi & Apostolorū integri & incorrupti per tot secula, pericula & captiuitates. Nam Dominus Iesus & Apostoli illis libris ceu authenticis usi sunt. Id quod non fecissent aut facere potuissent, si uel corrupti fuissent, uel penitus interijssent. Libri quoque quos adiecerūt Apostoli Christi, unà cum lege & prophetis integri & incorrupti asseruati sunt in Ecclesia per omnes persequutiones, & integri incorruptique in manus nostras, in quos fines seculorum inciderunt, peruenerunt. Nam uigilanti *Scriptura est integra & incorrupta.*

cura & bonitate ineffabili Dei patris nostri factum est, ne ulla unquam secula thesauro caruerint careántque tanto.

Hæc autem hactenus exposui charitati uestræ, de eo quid sit uerbum Dei, quæ eius origo in Ecclesia, quis eius progressus, quę dignitas & certitudo. Verbũ Dei est eloquium Dei, reuelatio uidelicet uoluntatis eius bonæ erga homines, quam ab initio, nunc ore suo, nunc per colloquia angelorũ, primis illis uetustissimis & sanctissimis patribus aperuit: hi uerò posteris suis fideliter tradiderunt. Veniunt hic commemoranda maxima orbis lumina Adam, Seth, Mathusalem, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Amram, & huius filius Moses, qui Deo iubente, & historiam & traditiones sanctorum patrum scripto comprehendit, quibus legem scriptam & expositionem legis cum historia sui temporis copiosa & luculenta coniunxit. Post Mosen dedit Deus Ecclesiæ suæ præstantissimos homines, prophetas & sacerdotes, qui & ipsi quæ acceperant à Domino, posteris & uiua uoce & scriptis tradiderunt. Post hos descendit è cœlis in mundum ipse Dei unigenitus filius, & impleuit quæcunque de ipso in lege & prophetis legebantur scripta. Idem plenissimam beatè benéque uiuendi rationẽ tradidit: Apostolos sibi testes adhibuit. Hi uerò testes postea omnia quæ tradiderat Dominus, primùm quidẽ uoce uiua prædicarunt, deinde ne unquam uel corrumperentur, uel è memoria hominum auferrentur, chartis commendarunt: ut iam habeamus & prædicatum & scriptum uerbũ Dei à patribus, à prophetis, & ab Apostolis. Profecta sunt hęc ab uno eodẽque spiritu Dei, & tendunt ad unum finem, ut doceant homines beatè benéque uiuere. His qui non credit, præsertim unigenito Dei filio, cui quæso credet? Habemus hic totius mundi & orbis terrarum uiros sanctissimos, innocẽtissimos, integerrimos, laudatissimos, iustissimos, antiquissimos, sapiẽtissimos, diuinissimos, breuiter modis omnibus incomparabiles. Nihil tale ostenderit nobis totus mundus, etsi totus millies congregetur in Synodum. Collegit beatus Cõstantinus Imperator ex toto terrarum orbe œcumenicum Concilium: ac coierunt tum præstantissimi ex toto mundo patres 318. sed hos prudentissimi quique non dixerint uel umbras esse collatos illis, à quibus accepimus uerbum Dei. Credamus ergo in omnibus uerbo Dei nobis per scripturas tradito. Teneamus per scripturas nobis loqui ipsum Dominum Deum, uerum, uiuum, & æternum. Laudemus nomen & bonitatem eius in secula, qui dignatus est miseris mortalibus nobis uniuersam benè beatéque uiuendi rationem aperire, tam fideliter, plenè, ac simpliciter. Ipsi laus & gloria, &c.

De verbo Dei, quibus & in quem finem reuelatum, quomodo item audiendum sit, & quòd omnem pietatis doctrinam plenè doceat.

SERMO II.

DIDICIT charitas uestra proximo sermone quid sit uerbum Dei, unde profectum, quibus reuelatum authoribus, qui eius progressus, quæ dignitas & certitudo sit. Adsum iam iterum, deoque propitio & uestris precibus iuuantibus, exponam charitati uestræ, quibus & in quem finem reuelatum sit uerbum Dei. Quomodo sit audiendum, quæ eius sit uirtus, aut quis effectus.

Quibus reuelatum sit uerbum Dei.

Deus noster omnium hominum gentiúmque deus est, qui iuxta Apostoli dictũ uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire: ideóque in omnium hominum gratiam, uitam, & salutem uerbum suum reuelauit, ut scilicet regula & uia quædam sit ducendi homines per uiam iustitiæ in uitam sempiternam.

Israelitico

Israelitico quidem sancto & peculiari populo suo Deus quondam se familiarius aperuit quàm alijs gentibus, propheta dicente, Annunciat uerba sua Iacob, & iudicia sua Israeli: non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis: attamen non omnino gentes neglexit. Vt enim Ionam Niniuitis misit, ita Isaias, Ieremias, Daniel & reliqui prophetæ multum operæ collocarunt in docendis & admonendis gentibus. Ac patres illi uetustissimi Noe Abraham & reliqui, non erudierunt duntaxat Iudaicum de se descendentem populum, sed alios quoque filios docuerunt Dei iudicia. Certè Dominus noster Iesus Christus totum orbem apostolis suis aperiens, Docete, inquit, omnes gentes. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Cumque sanctus Petrus nondum plenè intelligeret etiam gentes pertinere in consortiũ Ecclesiæ Christi, & gentium quoque esse prædicationem Euangelij de parta per Christũ fidelibus salute, erudit ipsum Dominus cœlesti uisione, uocibus item additis è cœlo, legationeque à Cornelio ueniente: sicuti nouit charitas uestra ex historia Actuum Apostolorum. Teneamus itaque fratres uerbum Dei ac scripturas sanctas reuelatas esse omnibus hominibus, omnibus in mundo ætatibus, sexubus, ordinibus & cõditionibus. Nam & Paulus Apostolus testificans de his, dicit, Quęcunque scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.

Acto: 10.

Rom: 15.

Nullus ergo nostrũ dixerit posthac, Quid ad me quid scriptum sit in testamento ueteri Iudæis, aut quid Apostoli Romanis, Corinthijs & alijs populis scripserint? Ego sum Christianus. Prophetæ suis hominibus & Apostoli suo seculo prædicauerunt & scripserunt. Nã si rem rectè æstimemus, uidebimus ideo quia Christiani sumus, scripturas ueteris & noui testamenti nobis esse recipiendas. Nam Christus & seruator & magister noster relegauit nos ad scripta prophetarum & Mosis. Sanctus Paulus Christi organum electissimum, nobis ueterum & sacramenta & exempla applicat, nempe circuncisionem in baptismo, ad Coloss. 2. & agnum paschalẽ in cœna siue mysterio 1. Cor. 5. In 10. cap. eiusdẽ epistolæ accommodat nobis uaria patrum exempla. Et in 4. cap. ad Rom. disputans de fide iustificante absque adminiculo legis & operum, profert exemplum Abrahæ. Deinde subiungit, Non scriptum est autem propter Abraham tantùm imputatam fuisse illi fidem ad iustitiam, sed etiam propter nos quibus imputabitur si credamus, &c.

Quid ad me, quid ueteribus scriptum sit?

Ea lege aiunt quidam, implicabimur rursus legi, cogemur circuncidi, sacrificare carnes & sanguinem, recipere sacerdotium Aaronicum cum templo & reliquis ceremonijs. Permittetur rursus diuortij aut repudij libellus cum Polygamia. Respondeo, in ueteri testamento considerandũ esse, quædam esse perpetua, quædam ceremonialia & ad tempus usque correctionis data. Tempus correctionis Christi tempus est, qui satisfecit legi & sustulit maledictionẽ legis. Idem circuncisionem baptismo permutauit. Sacrificia omnia sustulit unico suo sacrificio, ut iam nobis unicum Christi relictum sit sacrificium pro omnibus, in quo item discimus nostra ipsorum corpora & preces unà cum beneficentia spirituales Deo hostias offerre. Aaronis sacerdotium commutauit suo Christus & omnium Christianorum sacerdotio. Templum Dei sumus nos, quos spiritu suo inhabitat Deus. Ceremonias omnes antiquauit Christus, qui & libellum diuortij abrogauit unà cum polygamia apud Matthæum in cap. 19. Quamuis uerò ceremoniæ istæ & actiones aliquot externæ, per Christum sint abrogatæ & sublatæ, ut nos non obligent: scriptura tamen de his prodita, non est sublata uel antiquata per Christum. Oportet enim semper extare in Ecclesia Christi certum testimonium, unde discamus quales habuerint ueteres cultus & typos Christi. Hi hodie nobis interpre-

Etiã ueteris testamẽti scripta data esse Christianis.

Hebr. 7.
Hebr. 10.
Rom. 12.
Hebr. 13.
1. Cor. 3.

tandi sunt Ecclesiæ spiritualiter, & ex ijs nō minus quàm noui testamenti scriptis Christus, remissio peccatorum, & pœnitentia prædicanda. Omnibus ergo Christianis etiam ueteris testamenti scripta data sunt diuinitus. Sicuti & Apostoli ad omnes scripserunt Ecclesias, quæ nomen aut inscriptionem singularum habent.

In quem finem reuelatum sit uerbum Dei.

In hunc autem finem reuelatum est uerbum Dei hominibus, ut eos erudiat de Deo & uoluntate eius, quis & qualis sit Deus erga homines, quòd uelit eos saluos fieri, & per fidem quidem in Christum: quis sit Christus, & quæ salutis ratio: quid deceat ueros Dei cultores, quid fugiant, quid persequātur. Neq; enim satis est nouisse Dei uoluntatem, nisi eandem faciamus ut salui fiamus. Ideo uerò Moses dixit, Audi Israel statuta & iudicia, quæ ego doceo uos, ut faciatis & uiuatis. Et dominus in Euangelio testificans clamat, Beati qui audiunt uerbum Dei & custodiunt illud.

Laudanda bonitas Dei docentis nos.

Venit autem hîc laudanda immensa Dei bonitas, quæ nihil eorum nos uoluit latere, quæ faciunt ad rectè benè & beatè uiuendum. Sapientes & docti huius seculi inuident ferè alijs ueram sapientiam. Dominus autem noster ultrò offert omnem rerum cœlestium scientiam, cupitq; ut in ea proficiamus, imò iuuat studium nostrum & absoluit. Quisquis enim habet, ait ipse in Euangelio Dominus, dabitur ei ut reddatur abundantior. Et omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Vnde & beatus Iacobus Apostolus, Si cui uestrū inquit, deest sapientia, postulet ab eo qui dat, nempe Deo, qui dat inquā omnibus simpliciter, nimirum promptè, nec grauatim, nec exprobrat, ac dabitur ei. Vbi obiter etiam uidemus officium nostrum, quod est, inter legendum & audiendū uerbum Dei, sedulò & ardenter orare, ut ad eum finem perueniamus, in quem datum aut reuelatum est nobis uerbū Dei. Sed ea de re pluscula dicemus, ubi exposuerimus quomodo audiendum sit uerbum Dei.

Omnia ueræ pietatis nobis tradita esse in sacris literis.

Iam quia diximus uerbum Dei reuelatum esse in hunc finem, ut plenè nos instituat de uijs dei ac salutis nostræ, paucis ostendā charitati uestræ, uerbo Dei tradito nobis per prophetas & Apostolos, abundè comprehensam esse uniuersam pietatis rationem & quæcunq; pertinent ad rectè benè beateq; uiuendum. Equidem necesse est illam doctrinam esse plenam & omnibus modis perfectam, cui nihil debet uel addi uel adimi. Talis est autem doctrina uerbo Dei tradita, ut testatur Moses Deut. 4. & 12. & Solomon Prouerb. 30. Quis ergo non confiteatur omnia ueræ pietatis nobis tradita esse in sacris literis? Præterea nemo negauerit absolutissimam esse doctrinam, per quam homo plenè absoluitur ut in præsenti seculo pro iusto censeatur, & in futuro in perpetuum Dei accenseatur consortio. Cæterū qui uerbo Dei per prophetas & Apostolos orbi tradito credit & iuxta id uiuit, & iustus appellatur, & hæres uitæ æternæ. Est itaq; doctrina illa, absoluta doctrina. Nam & Paulus copiosius & plenius hoc declarans, Omnis scriptura, inquit, diuinitus inspirata, utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionē, seu instaurationem, ad institutionē, quæ est in iustitia, ut integer sit Dei homo ad omne opus bonum apparatus. Habetis fratres luculentum de plenitudine uerbi Dei testimonium. Habetis omnes partes absolutæ doctrinæ. Habetis effectum uerbi Dei perfectissimū, quòd ex hac doctrina homo Dei seu cultor Dei pius & uerè religiosus integer est, non ad quædam bona opera, sed ad omne bonum opus apparatus. Quid ergo desideres? Non arbitror quenquam tam esse stupidum, ut hæc Pauli uerba interpretetur duntaxat de ueteri testamento: cum luce manifestius sit, Paulum ista applicasse Timotheo suo qui erat Euāgelista & minister noui testamenti. Quòd si plena est doctrina testamenti ueteris, quanto quidem plenior erit,

2. Tim. 3.

si &

si & noui testamenti codex adijciatur? Non ignoro Dominum Iesum fecisse & dixisse plurima quæ non sunt scripta ab Apostolis. Sed ideò non sequitur inabsolutam esse doctrinam uerbi Dei per Apostolos traditi. Nam Ioannes Apostolus & Euangelista fatetur ingenuè Dominum & alia multa fecisse quæ non sint in suo libro scripta: sed idem mox addit, Hæc autem scripta sunt, ut credatis quòd Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius. Asserit hac doctrina sua quam scripto comprehendit, plenè fidem tradi, & per fidem uitam concedi à Deo æternam. Atqui finis absolutæ doctrinæ est, felicem & uerè beatũ esse. Quod cùm obtingat homini per doctrinam Euangelicam scriptam, certè absolutissima est.

Multa fecit & dixit Dominus quæ non scripta sunt.

Joan. 20.

Scio dixisse in Euãgelio Dominum, Multa habeo quæ uobis dicam: sed modò non potestis portare. Verùm scio eundem mox subiecisse, Cùm autem uenerit spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Scio præterea uenisse spiritum ueritatis in discipulos, itaq; credo ipsos iuxta ueracem Christi promissionem, ductos esse in omnem ueritatem, ut certissimum sit his nihil defuisse.

Multa habeo uobis dicere. &c.

Joan. 16. Acto. 2.

Cæterum cùm quidam hoc negare non possint, ad hoc cõuertuntur, ut dicant Apostolos quidem nouisse omnia, at nõ nisi uiua uoce tradidisse, scripto non item commendasse omnia quæ ad ueram pietatem pertinent. Quasi uerisimile sit, fidelissimos Christi Apostolos posteritati malignè aliquid uoluisse negare. Quasi uerò mentitus sit qui dixit, Hæc scripta sunt, ut credentes habeatis uitam æternam. Nihil omisit ergo Ioannes, quod ad fidem plenè informandam pertinet. Nihil omisit Lucas. Nil omiserunt reliqui Apostoli & discipuli Domini nostri Iesu Christi. Et Paulus scripsit Epistolas 14. sed pleraſq; eiusdem argumenti. Vnde conijcere licet in ijs plenam contineri pietatis doctrinam. Nõ enim inculcasset subinde unam & eandem rem tam multis, si fuissent adhuc alia quædam pro consequenda salute necessaria plenius tradenda. Hæc tradidisset haud dubiè, non repetiuisset eandẽ rem toties. Certè in 3. cap. Epistolæ ad Ephesios testatur, sese primis eius Epistolæ capitibus exposuisse suam de Euangelio Christi cognitionẽ. Deus secundum reuelationem, inquit, notum mihi fecit mysterium, quemadmodum ante scripsi paucis, ex quibus potestis legentes intelligere cognitionem meam in mysterio Christi. Hæc autem de unica Epistola, imò de primis duobus eius Epistolæ capitibus loquutus est. Quibus cùm accedant copiosissimæ & luculentissimæ eiusdem Pauli, adde & aliorum Apostolorum literæ siue Epistolæ, quis quæso nisi ineptissimus quisq;, cogitauerit Apostolos imperfectam posteris doctrinam scripto reliquisse?

Scripto cõprehenderunt Apostoli omnẽ pietatis doctrinã.

Qui uerò acriter contendunt, uiua quidem uoce, non autem scripto, omnia pietatis tradita esse posteris per Apostolos, hoc agunt, ut suas, hoc est, humanas constitutiones pro uerbo Dei uenditent. Sed contra hoc uenenum istud habetote uobis fratres antidotum. Conferte quæ isti uenditant pro uiuis non scriptis Apostolorum traditionibus, cum manifestis Apostolorum scripturis, & sicubi tradita illa à scriptis discrepare uideritis, colligite figmentum id esse hominum, non traditionem Apostolicam. Qui enim unum & eundem spiritum habuerunt ueritatis, non aliud scripto nobis reliquerunt, aliud uiua uoce tradiderunt. Præterea diligenter inuestigandum est, traditiones illæ gloriam Dei magis an hominum, incolumitatem item fidelium magis quàm priuatum sacerdotum compendium promoueant. Cauendum est autem ab humanis traditionibus, præsertim cùm Dominus dicat, Frustra me colunt docentes doctrinas præcepta hominum: ut iam tutissimum sit adhærere uerbo Domini nobis in scripturis relicto, abundè omnia quæ ueræ pietatis sunt tradenti.

Cõtra uiuas & confictas Apostolorum traditiones.

Mar. 7 Esa. 29.

Quomodo audiendū sit uerbum Dei.

Restat iam ut dicamus, quomodo perfecta hæc pietatis & salutis doctrina, ipsum inquam uerbum Dei sit audiendum à fidelibus, quò aliquo & ubere quidem cum fructu audiatur. Summatim id comprehendam. Audiatur uerbum Dei cum reuerentia magna, quæ iure ipsi Deo rebusq; diuinis debet. Audiatur multa cum sedulitate: intermixtis iugibus precibus, ardentibusq; uotis. Audiatur utiliter & sobriè, in hoc, ut reddamur meliores, ut per nos glorificetur Deus: non ut curiosè perquiramus consilia Dei abdita, aut habeamur docti & multarum rerum periti. Sit modus & certus finis auscultationi & lectioni nostræ constitutus, fides uera, gloria Dei, & salus nostra. Nam in Exodo iubetur sanctus Dei seruus Moses sanctificare populum & præparare concioni sacræ, postridie ab ipso Deo habendæ. Adest ergo Moses, exposcit ab uniuerso populo obedientiā iustam, tam Deo quàm ministris Dei præstandā. Deinde præcipit ut uestimenta sua lauent, sibiq; tēperent ab uxoribus. Postea terminos designat certos, quos nephas imò capitale sit transire. Ex quibus liquidè discimus quales auditores requirat Dominus, in primis obedientes & reuerentes Dei in omnibus. Deus enim loquitur hominibus. Deo honorem & timorē debemus omnes. Deo nisi quis supplex ac humiliter subijciatur & obtemperet, impius est. Deinde requiritur ab idoneis uerbi Dei auditoribus, ut conuersationem deponant mundanam, per uestimenta significatam: ut calcemus omnem spurcitiam, animæ & corporis impuritatem: ut temperemus nobis uel à licitis uoluptatibus. Amat spiritus sanctus animos purgatos, qui tamen non nisi per spiritum Dei purgantur. Opus est fide syncera in Deum, & uoluntate prompta, quæ cupiat uiuere secundum ea quæ præcipiuntur uerbo Dei. Iam etiam sapiendum est ad sobrietatem. Reijciendæ quæstiones curiosæ. Discantur duntaxat utilia. Postremò summa adhibeatur in audiendo & discendo diligentia. Solomon enim, Si indagaueris, inquit, sapientiam ut aurum, assequeris eam. Idem, Scrutator maiestatis opprimetur à magnifica gloria. Item, Altiora te ne quæsieris, & ne scruteris quæ uires tuas superant: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper: & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus: non est enim tibi necessarium abscondita uidere oculis tuis. Vnde & Apostolus, Ne quis arrogāter sentiat, ait, sed ita sentiat ut modestus sit & sobrius, ut cuiq; Deus partitus est mensurā fidei. Huc pertinet quod idem Apostolus dicit, Scientia inflat, charitas autem ædificat.

Morbi & pestes auditorum uerbi Dei.

In primis uerò ab illis cauendum erit pestibus, quę semen uerbi Dei præfocant, & sine fructu omni extinguunt in cordibus auditorum. Pestes & morbos illos recitauit aut annumerauit Dominus in parabola seminatoris. Principiò enim fluxæ & uanæ cogitationes semper patentes inspirationibus satanicis & pessimorū hominum sermonibus, pestes sunt uerbi Dei. Molles quoque, delicatuli & amatores huius seculi, qui propter Christum & Euangelium nihil perpeti calamitatum sustinent, nullo cum fructu uerbum Dei audiunt, tametsi uideantur audire cum gaudio. Præterea cura huius seculi deceptioq; diuitiarum, pestilentissimi sunt morbi auditorum uerbi Domini. Non enim obstant tantùm quò minus fructificet semen in cordibus, sed incitant extimulantq; homines ad contradicendum uerbo Dei affligendumq; uerbi Dei studiosos. Hîc ergo uigilandum accuratissimè, ne his morbis infecti, uani & ingrati efficiamur auditores uerbi Dei. Orandum assiduè, ut spiritum suum nobis conferat benignus & munificus Dominus, quo uiuificetur semen uerbi Dei in cordibus nostris, ac sancti & legitimi auditores uerbi dei fructū uberem feramus ad gloriam Dei, & nostrarum animarum salutem perpetuam.

Quæ uirtus, et quis effectus sit uerbi Dei.

Quid enim profuerit audire uerbum Dei sine fide, & sine spiritu Dei sancto intus in animis nostris operante aut agente? Clamat Apostolus Paulus, Nihil est qui

est qui rigat aut qui plantat, sed qui incrementum dat Deus. Dei ergo irrigatione opus est ut adolescat in animis nostris, & incrementum recipiat, imò ad iustam frugem perueniat uerbum Dei. Idem Apostolus Paulus, Nobis quoq; annunciatum est uerbum Dei, ait, sicut & patribus nostris. At non profuit illis audisse sermonē, quòd is non esset cum fide coniunctus apud eos qui audierant. Nam conciderūt in deserto. Idem mox, Studeamus igitur ingredi in illam requiem, ne quis eodem concidat incredulitatis exemplo. Proinde si sonet in auribus nostris uerbum Dei, interim autem in cordibus nostris uim suam exerat spiritus Dei, fideq; uera uerbū Dei recipiamus, maxima uirtus & mirificus effectus est uerbo Dei in nobis. Depellit enim errorum caliginem, oculos nostros aperit, conuertit, illuminat mentes, & in absoluta ueritate & pietate plenissimè erudit. Canens enim uates diuinus testificatur, & ait, Lex Domini integra est conuertens animas, testimonium Domini uerum, imperitis sapientiam suppeditans. Præceptum Domini repurgatum est, illuminans oculos. Cibat præterea uerbum Dei animas nostras, roborat, confirmat, & consolatur. Regenerat item, mundat, gaudio perfundit, & cum Deo coniungit, imò impetrat à Deo omnia & felicissimos reddit, ut uerbo Dei nulla bona, nulli deniq; thesauri totius mundi conferri posint. Ac tanta quidem tribuimus uerbo Dei, non citra uerbi Dei testimonia. Nam minatur Dominus per prophetā Amos famem & sitim, non utiq; panis & aquæ, sed audiendi uerbum Dei. In lege enim & Euangelio dicitur, hominem non solo pane uiuere, sed omni uerbo quod egreditur ex ore Dei. Et Apostolus Paulus dicit, omnia scripturę exarata esse in nostram doctrinam, ut per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. Petrus item, Regenerati estis, inquit, nō ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem uiuentis Dei & manentis in æternum. Hoc autem est uerbum quod per Euangelium delatum est ad uos. Dominus quoq; in Euangelio testificatur, & ait, Iam uos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum uobis. Idem in Euangelio clamat, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus & mansionem apud eum faciemus. Iam & Ieremias, Verbum tuum, inquit, factum est mihi in gaudium. Et Dauid Propheta dicit, Decreta Domini recta sunt, cor exhilarantia. His adde illud Domini ex euangelio dictum, Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis petetis, & fiet uobis. Alibi uerò propheta clamat, Si uolueritis & audieritis, bona terræ comedetis: quòd si audire uerbum meum nolueritis, gladius deuorabit uos. Sed & multus ac copiosus est Moses in recensendis bonis, quæ obueniunt uerbo Dei obsequentibus, in Leuitici capite 26. & Deut. 28. cap. Vnde Dauid, uerbum Dei omnibus huius mundi delicijs & thesauris præferre ausus fuit, Timor domini mundus perstans perpetuò, iudicia domini uera simulq; iusta. Magis expetibilia quàm sit aurum uel præstantissimum atq; plurimum, & dulciora melle & fauis stillantibus. Etenim seruus tuus perspicuè illis admonetur, in illorū obseruantia multa merces est. Ergo tui oris lex melior mihi est, quàm auri & argenti millenarij. Nisi lex tua meæ deliciæ essent, perijssem in miseria mea. Huc iam pertinet parabola Euangelica de emente margaritam preciosam: item de uendente omnia quæ habebat, & emente agrum in quo sciebat absc̄oditum esse thesaurum. Nam margarita illa, thesaurus ille, Euangelium siue uerbum Dei est. Quod & propter præstantiā in scripturis appellatur Lux uel lumen, Ignis, Gladius, Malleus conterens petras, Clypeus, & quæ illis alia sunt similia multa.

Audiuit hac hora charitas uestra benignum dominum & Deum nostrum, qui uult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem ueritatis uenire, uerbū suum

1 Corin: 3 Hebræ. 4 Psal. 19. Amos 8. Deut. 8. Matth. 4. Rom. 15. 1. Pet. 1. Ioan. 14. Ioan. 15. Ierem. 15. Psal. 19. Ioan. 15. Isaiæ 1. Psal. 19. Psal. 119. Matth. 13. Psal. 119. Prouerb. 30. Epilogus. Hebr. 4. Ierem. 23.

reuelauisse omnibus in toto mundo hominibus, atque in hunc finem reuelauisse, ut omnes ubiqꝫ, cuiuscunqꝫ sint sexus, ætatis & conditionis homines, cognoscant ueritatem, erudianturqꝫ de uera salute, habeantqꝫ absolutissimam benè, rectè & beatè uiuendi rationem, ut homo Dei integer sit, & ad omne bonum opus apparatus Tradidit enim Dominus in uerbo ueritatis ecclesiæ suæ, omnia quæ ueræ pietatis & salutis sunt. Quæcunqꝫ de Deo, de operibus, iudicijs, de uoluntate & præceptis Dei, de Christo, fideqꝫ in Christum & officijs uitæ sanctæ cognitu necessaria sunt, plenè uerbo Dei tradita sunt. Nec opus est ecclesiæ aliunde mendicare aut sarcire hominum supplementis, quod deesse uidetur uerbo Domini. Dominus enim non uiua duntaxat uoce omnem pietatem & salutem docuit patres nostros per Apostolos, sed & eorundem opera scripto cōprehendi curauit. Id quod manifestè propter posteritatem, id est, propter nos & posteros nostros factum esse apparet, nimirum, ne quis nostrum aut nostrorum seduceretur, aut ne cui falsæ traditiones pro ueris subijcerentur. Cauendum ergo nobis omnibus, uigilandum est omnibus, inhærendumqꝫ uerbo Dei in scripturis per prophetas & Apostolos nobis relicto. Curemus deniqꝫ neruis omnibus, ut cum fide & fructu audiamus quæ annunciantur nobis à Domino. Abijciamus & calcemus quæcunqꝫ ex carne nostra aut ex mundo satanáue obijciuntur impedimēta pietatis. Scimus qui sint morbi, quæ pestes seminis uerbi Dei seminati in corda fidelium. Scimus quanta sit uirtus uerbi Dei in religiosis auditoribus. Oremus ergo Deum & Dominum nostrū, spiritum suum sanctum infundat animis nostris, cuius uirtute uiuificetur semen uerbi Dei in cordibus nostris, multumqꝫ fructus ferat ad salutem animarum nostrarum & gloriam Dei patris nostri. Cui gloria semper.

De sensu & expositione legitima verbi Dei, quibus modis & rationibus exponi possit. SERMO III.

INtelligo, fratres dilecti, ex doctrina mea de Verbo Dei, uarias in multorum cordibus cogitationes exoriri, imò à quibusdam seri sermones satis irreligiosos. Sunt enim qui arbitrantur scripturas, id est, ipsum Dei uerbum, obscurius esse, quàm quod ullo posit legi cum emolumēto. Alij ex aduerso cōtendunt, uerbum Dei à Deo simpliciter hominibus traditum, nulla indigere interpretatione. Clamant ergo scripturas legi oportere quidem ab omnibus, omnibus autem licere sibi sensum fingere deligereqꝫ, quem putet quisqꝫ maximè conuenientem esse. Illi ipsi damnant modum in ecclesijs receptum, quo minister ecclesię cœtui scripturas explanat. Ego uerò, si charitas uestra uti cœpit, perrexerit precari Dominum, Domini bonitate fretus, confido me demonstrare posse, scripturam non esse obscuram pijs, Dominumqꝫ omnino uelle ut eam intelligamus. Deinde scripturas omnino esse exponendas. Vbi etiam modum & rationes aliquot simplices interpretandi scripturas explicabo. Remouebunt hæc, obstacula, quæ à lectione uerbi Dei arcent, reddentqꝫ lectionem uel auscultationem uerbi Dei salubrem atqꝫ frugiferam.

Deus uult uerbum suum intelligi.

Ac principiò quidem quòd Deus uelit intelligi uerbum suum ab hominibus, inde potissimùm possumus colligere, quòd loquens seruis suis, genere dicendi sit usus maximè uulgari, ipsis etiam idiotis consueto. Neqꝫ alio dicendi genere usi leguntur prophetæ & Apostoli serui dei, summæ et æternæ sapientiæ interpretes: ut in omni scriptorū turba non inuenias ullos, qui simpliciori magisqꝫ perspicuo stilo præcellant. Creberrimè utuntur sententijs generalibus & uulgaribus, similibus, parabolis, collationibus, fictis narrationibus, exemplis, & id genus alijs formis,

quibus

quibus uulgarem sensum hominis nihil magis mouet & clarius docet. Oboritur, fateor, aliqua in scripturis caligo ex idiomate, schematismis & insolentia linguarum. Verùm ei difficultati facilè mederi poterit studium, diligentia, fides & peritia interpretum. Iam & Petrus Apostolus dicit in Paulinis Epistolis quædam esse difficilia intellectu. Sed mox addit, Quæ indocti parumque integri aut firmi detorquent, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perniciem. Vnde colligimus, indoctis, imperitis, parum exercitatis, & malignis aut corruptis ingenijs, non studiosis & pijs lectoribus aut auscultatoribus difficilem esse scripturam aut obscuram. Proinde cùm Paulus quoque dicit, Si adhuc uelatum est euangelium nostrum, in his qui pereunt uelatũ est, in quibus Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucesceret illis lumen euangelij gloriæ Christi, qui est imago dei: culpam obscuritatis non in ipsum Dei uerbum, sed in auditores parum idoneos retorquet. Curemus itaque quicunque uerbũ Dei rectè intelligere cupimus, ne satanas animos nostros occupet & oculos perstringat. Nam & saluator noster dixit in euangelio, Hæc est condemnatio, quòd lux uenit in mundum, & homines dilexerunt magis tenebras quàm lucẽ. Alioqui legimus sanctos Dei prophetas & Apostolos uerbum Dei siue scripturas appellasse non tenebras, obscuritatem aut caliginem, sed iubar quoddam atque lucernam. Lucerna, inquit Dauid, pedibus meis uerbum tuum, & lumen semitis meis. Et quid quæso manifestius est, quàm quod in rebus dubijs & obscuris illustrandis, nemo relegat ad caliginosa & incerta? Incerta, dubia & obscura declarantur per certiora, firmiora & clariora. At quoties in fidei negotijs quæstio aut cõtrouersia incidit, an nõ oẽs cõsentiũt scripturis illã dirimi dissoluique oportere? Proinde necesse est scripturas esse claras, disertas, certissimasque.

Difficultas scripturæ. *2. Petri 3.* *2 Corin. 4.* *Ioan 3.* *Psal: 119.*

Quanquam uerò clara sit scriptura & uerbũ Dei apertum, non tamen respuit expositionẽ religiosam seu piam, imò expositio sancta addit uerbo Dei ornamentum, & profert in auditore pio fructum multiplicem. Quoniam autem multi negant scripturas esse exponendas, ostẽdam exemplis irrefragabilibus omnino exponendas esse. Nam Deus ipse legis uerba prolata in mõte Sina ad totam Israelis ecclesiam scriptaque in duas tabulas, multis colloquijs per 40. dies & annos habitis cum Mose, exponit ecclesiæ per Mosen, qui nobis Deuteronomiũ & alios quosdam libros ceu diuinæ legis Cõmentarios reliquit. Insequuti sunt mox prophetæ qui legẽ Mosis interpretantes suis temporibus, locis & hominibus applicauerũt, & sermones suos ueluti Enarrationes diuinæ Legis scriptos reliquerunt posteris. In Nehemia cap. 8. legimus in hæc uerba, Attulit sacerdos Esdra legem, librũ Mosis, & stetit super turriculam ligneam, nimirum in sacra cathedra. Et aperuit Esdra librũ coram ecclesia ex uiris & mulieribus, & quicunque intelligentes erant. Et Leuitæ stabant cum eo. Ipse uerò legit ex libro, & Leuitæ docebant populum in lege: & populus erat in statione sua. Et legerunt in libro legis Dei luculenter, explicantes sensum, & erudientes inter legendũ. Hæc Nehemias. Obseruate fratres, quòd legitimi & sancti ecclesiæ Dei ministri uerbum Dei non tantùm legerũt, sed exposuerunt etiam. Hunc ritum legendi & explicandi scripturas uel uerbum Dei nec abrogauit neque neglexit, cùm in carnem uenisset Dominus noster Iesus Christus, atque iam uerus propheta & doctor cœlestis, adeoque noui testamenti aut Christianæ ecclesiæ doctor instrueret suum populum. Nazarethi enim synagogam ingressus surrexit ut legeret: & traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Explicuit autem librum, & legit locum quendam insignem ex cap. 61. Deinde complicuit librum, ministro reddidit, & quod prælegerat exposuit, demonstrans uaticinium iam esse in ipso completũ. Præterea cùm resurrexisset ex mortuis, comitem se iungit duo-

Verbũ Dei expositionem requirit. *Solennis expositio uerbi Dei.* *Luc: 4.* *Luc: 24*

bus discipulis Emaum euntibus, cum quibus cōtulit uaria: tandem uerò exorsus à Mose & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Hoc Domini exemplum imitati Apostoli & ipsi uerbum Dei exposuerunt. Nam Petrus Psalmum 16. interpretatur de Christo resurgente ex mortuis, in Actis Apostolorum cap. 2. Sed & Philippus principi Æthiopico Isaiæ uaticinium luculenta interpretatione aperit, & ea ip... m ad fidem Christi ecclesiæq; consortium adducit. Pauli facta & scripta nec legit nec uidit, quisquis negauerit Paulum ubique sacras interpretari scripturas. His dilucidè & solidè satis, opinor, demonstraui uerbum Dei esse exponendum.

Acto: 8

Quid querant qui scripturas exponi nolunt.

Qui uerò expositioni scripturarum reclamant, & nolunt ministros uerbi ac ecclesiarum publicè & solenniter enarrare scripturas, easq; applicare locis, temporibus, rebus & personis, aliud quàm pieta... m quærunt. Viuunt isti aliter quàm deceat pios uiros. Loquuntur impia, indecora & absurda. Designant scelera & flagitia. Et hæc quidem cupiunt facere impunè: itaq; sublatam uolunt scripturarū expositionem. Si enim quis uerba duntaxat scripturæ legat, nec applicet rebus, locis, temporibus & personis, non admodum ipsorum impietati & sceleratæ uitæ contradixisse uidetur. Proinde cùm clamant è medio auferri oportere conciones & expositiones scripturarum, scripturas purè & sine additione legendas esse, non aliud uolunt, quàm abijcere legem Dei, disciplinam & correptionem omnem calcare, ac peccare impunè. Quos tamen suo tempore iustus Dominus puniet tanto grauius, quantò audacius insurgunt contra Deum.

Non sunt corrumpendæ scripturæ peregrinis expositionibus.

Ezechiel: 34.

Cauendum erit interim omnibus ecclesiarum ministris, ne uel hîc affectui tantillum indulgeant, uel scripturas sanctas interpretando corrumpant, & hoc modo ecclesiæ sua figmenta, non uerbum Dei proponant. Tale quidpiam uidentur designasse ueteris quondam populi doctores, quos apud Ezechielem accusans Dominus dicit, An leue uobis est quòd pascua bona depascitis, nisi residua pascuorū uestrorum pedibus uestris conculcetis, & bibentes limpidiores aquas, residuas pedibus uestris conturbetis? Et oues meæ conculcatum pedibus depascūt, & conturbatum pedibus uestris bibunt. Grande hoc est flagitium quod Dominus pro iustitia sua punit grauissimè. Curandum itaq; interpretibus sanctis & fidis, Christi ecclesiarumq; ministris, ut scripturas integras retineamus, & uerbum Dei purum tradamus populo Christi, illustratum inquam non corruptum aut obscuratum ineptis, detortis, & non natiuis nostris expositionibus.

Scripturæ sanctæ nō sunt exponendæ ingenio humano.

Ac locus quidem & tempus postulant, ut modò nonnihil dicamus c. v. de interpretandis scripturis sanctis, uel de exponendo uerbo Dei. Vbi non commemorabo quicquam de linguis linguarumq; peritia, aut de bonis artibus, bono interpreti necessarijs, sed generalia duntaxat perstringam. In primis uerò sciendum est quædā in scripturis uel uerbo Dei tam clarè proponi, ut nec indigeant expositione, nec recipiant ullam enarrationem. Quæ si quis pergat suis illustrare interpretationibus, nihilo prudentius facere uideatur, quàm si quis conetur facibus aut tædis exorientem iuuare Solem, quò orbi clarius illucescat. Quæ autē ita posita sunt, ut nostram postulent expositionem, non pro nostri animi arbitrio sunt interpretanda, sed pro eius ingenio & sensu, qui scripturas reuelauit. Nam S. Petrus, Omnis prophetica scriptura, inquit, non est priuatæ interpretationis. Non enim uoluntate hominis allata est olim prophetia: sed à spiritu sancto impulsi, locuti sunt sancti Dei homines. Proinde sensus uerbi Dei genuinus ex ipsis est petendus scripturis, non inferendus ex nostro arbitrio in scripturas. Simul autem Canones aliquot obseruandi sunt, quos per sequentia paucis perstringentes proferemus.

2. Pet: 1.

Principio

Principiò cùm Apostolus Paulus uelit prophetiam respondere analogiæ seu proportioni fidei: sicut legis ad Rom.12. & idem in posteriore ad Corinth. dicat, Cum habeamus eundem spiritum fidei, iuxta illud quod scriptum est, Credidi, & ideo locutus sum: & nos credimus, quapropter & loquimur, catholicum sit nihil adferre in expositionibus nostris, aut nihil recipere quod alij adduxerint cōtra receptos fidei articulos in symbolo Apostolorū & alijs uetustissimis symbolis cōprehensos. Nam pro ueritate possumus aliquid, ait Apostolus, contra ueritatem nihil possumus. Legētes ergo in Euang. Ioānis illud domini dictū, Pater maior me est, cogitabimus articulis fidei contrariū esse, inæqualitatē constituere aut admittere in diuinitate patris & filij, & proinde aliud sensisse dominum quàm ipsa uerba prima protinus fronte significare uideantur. Rursus cū in Apostolo legimus, Impossibile est ut qui semel fuerint illuminati, si prolabantur denuò, reparentur per pœnitentiam: ne credamus lapsis negandā esse pœnitentiā. Fides enim catholica credit omni loco, omni tempore, quoad in his terris uiuimus, & omnibus hominibus ad dominum conuersis promissam esse omnium delictorū ueniam. Ita cum audimus dominum accepisse panē & de pane dixisse, Hoc est corpus meum, reuocemus in memoriam articulos fidei, tribuentes domino nostro uerum & humanum corpus, quod ascendit in cœlos, sedet ad dexteram patris, inde uenturum iudicare uiuos & mortuos, ac cogitemus dominum de sacramento locutum, uelle ut sacramentalia uerba exponamus sacramentaliter, nō transsubstantialiter. Similiter legentes illud Apostoli, Caro & sanguis regni Dei hæreditatē consequi nō possunt, ne ex his uerbis protinus pronunciemus, sed articulo fidei inhærentes, Credo huius carnis resurrectionem, intelligamus per carnem & sanguinem affectiones & infirmitates, non naturam substantiamuè carnis nostræ.

Expositio scripturæ non aduersetur fidei articulis.

Joan: 14

1 Corin: 15

Deinde legimus dominum legis & prophetarum summam colligere ac dicere in Euāgelio, Diliges dominū Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est primum & magnum mandatū. Secundum autem simile est huic, Diliges proximū tuū sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex & prophetæ pendēt, Matt.22. Propter hęc Domini uerba beatus Aurel. August. lib. de Doct. Christ. 1. cap. 36. Quisquis, inquit, scripturas diuinas uel quamlibet earum partem intellexisse sibi uidetur, ita ut eo intellectu non ædificet istam geminā charitatem Dei & proximi, nondū intellexit. Quisquis uerò inde talem sententiā duxerit, ut huic ædificandę charitati sit utilis, nec tamē hoc dixerit quod ille quem legit eo loco sensisse probabitur, nō perniciosè fallitur, nec omnino mētitur. Hoc Augustinus scriptū reliquit. Cauendū ergo modis omnibus, ne nostra interpretatio tendat in subuersionē charitatis, sed hanc prouehat & omnibus cōmendet. Dixit quidem dominus, Ne restiteritis malo. Cæterū si hæc uerba etiam magistratui dicta esse cōtendamus, uiolabitur & è medio tolletur charitas proximi, periclitantium salus, oppressorūq; defensio. Nam latrones & cōtumaces homines, raptores & contumeliosi oppriment uiduas, pupillos & pauperes, regnabitq; & exultabit omnis iniquitas. Porrò plurib. exēplis in re manifestissima nō arbitror esse opus.

Expositio non pugnet cū charitate Dei & proximi.

Math 5.

Præterea necessarium est in exponendis scripturis & sensu genuino uerbi Dei indagādo, expendere, qua occasione quid dicatur, quid præcedat, quid sequatur, quo tempore aut modo, aut de qua persona aliquid dictum sit. Ex occasione, ex præcedentibus & consequentibus sententijs exponuntur ferè exempla & parabolæ. Imò nisi quis semper obseruet in omnibus scripturæ locis contextum orationis, idq; diligentissimè, exponendo nō poterit non plurimum à iusto aberrare tramite. Obseruauit S. Paulus circunstantiam temporis, & inde conclusit Abra-

Expositio præcedētia & consequentia item circunstantias excutiat.

hamum neq; circuncisione neq; lege fuisse iustificatum. Loci extant Roma.4.& Galat.cap.3. Rursus cum S.Petro dicitur, Conuerte gladium tuum in uaginam. Qui gladium sumit,gladio perit: considerandum est Petrum Apostoli non magistratus gerere personam. De magistratu enim legimus datũ ei gladium ad uindictam. Prolixũ aũt esset nedum laboriosum,plura de singulis coaceruare exempla.

Math:26
Rom:13

Expositio uerbi Dei fiat per collationem locorum.

His iam accedit & alia ratio interpretandi uerbum Dei,collatio uidelicet locorum uel similium uel dissimiliũ, & quòd obscuriores per clariores, item pauciores per plures sunt exponẽdi. Ergo cũ dominus dicit, Pater maior me est,cogitandũ est quod alibi idẽ dicit,Ego & pater unũ sumus. Cumq; Iacobus Apostolus dicit operibus & Abrahamum & nos iustificari, plures ex sancto Paulo loci huic sunt opponendi.Probauit hanc interpretandi rationẽ Petrus Apost. dicens, Habemus firmiorem sermonẽ propheticũ, cui dum attenditis,ceu lucernæ in obscuro loco, rectè facitis,donec dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus uestris. Vetustus scriptor Tertullianus author est,hæreticos,non uiros orthodoxos, quædã ex scripturis ad suam sententiam decerpere,ac cætera nõ intueri. Ita paucula sibi deligere testimonia, quibus omnino credi postulent, reclamante interim tota scriptura,cùm oporteat secundum plura intelligi pauciora.

Joan:10
Jacob:2
2 Pet:1

Expositio fiat ex pectore religioso & cum orationibus.

His omnibus addimus iam omnium efficacissimũ uerbum dei exponendi canonem,pectus Dei & gloriæ eius amans, non superbũ, non ambitiosum, non hæresibus,non prauis corruptũ affectibus: quod precibus indesinentibus uocet spiritum sanctum,per quem prodita & inspirata est scriptura, ut per eundẽ etiam explicetur ad gloriã Dei & fidelium incolumitatẽ. Ardeat interpretis animus studio prouehẽdi uirtutes, & odio omniũ scelerũ,eaq; opprimendi. Ne admittat huiusmodi interpretis pectus in consiliũ sophistam diabolũ,qui sensum uerbi Dei, nũc quoq;,sicuti olim in paradiso,corrumpat. Ne audiat humanã sapientiam directè spiritui Dei contradicentem.Hæc si fecerit bonus & fidelis interpres uerbi Dei,etiamsi alicubi non attigerit(quod dici solet) acu occultiorem scripturæ sensum,error tamen ille nec damnandus erit nec perniciosus iudicabitur. Et quisquis occultiorem & magis propriũ scripturæ sensum protulerit,imperfectiorem tamen illius sensum non damnabit:quemadmodum & hic,imperfectioris uidelicet sensus author,magis proprium non reijciet,sed agnoscens recipiet cum gratiarum actione.

Epilogus.

Ista diximus hucusq; de sensu & expositione uerbi Dei:quod ut hominibus reuelauit Deus,ita illud omnino uult intelligi. Vnde non est quod quisquam [illegible]espe ret de genuino sensu scripturæ,propter aliquot difficultates,assequendo. Admittit piam & religiosam interpretationem scriptura. Verbum Dei regula est uitę omnium hominum & temporũ. Omnibus ergo temporibus & omnibus hominibus interpretando applicandum est. Nam ipse etiam Deus noster legẽ quam in monte Sina tulerat aut promulgarat, multis per Mosen exposuit, populoq; suo aptauit.Pręterea celebre fuit uetustis prophetis & legem Dei populo pręlegere,& explicando aptare. Exposuit scripturas ipse quoq; dominus noster Iesus Christus. Exposuerunt easdem & Apostoli. Exponendum est itaq; uerbum Dei: quod qui exponi nolunt, uolunt utiq; peccare impunè. Cæterum quia expositionem recipit scriptura,non quamlibet recipit:humanam enim repellit. Sicuti enim scriptura reuelata est ex spiritu Dei,ita per eundem ipsam explanare cõuenit. Sunt itaq; Canones aliquot piè exponendi uerbum Dei ex ipso uerbo Dei:nempe ne exposi tio fidei articulis contradicat,aut cum charitate Dei & proximi pugnet:sed ut circumspecta sit, petita ex præcedentibus & consequentibus, diligenter pensitatis omnibus circunstantijs,locorumq; collatione. In primis aũt necesse est pectus in-

terpre-

terpretis pium sit, uirtutes plantatas uitiaq; extirpata modis omnibus uelit, deniq; quòd iuges fundat ad dominum preces, ut is animos nostros illuminet, quò glorificetur nomen Dei in omnibus. Ipsius est enim gloria, honor & regnū, in secula seculorum, Amen.

De fide vera, vnde oriatur, quòd sit certa persuasio mentis, & innitatur Deo & verbo eius.

SERMO IIII.

DOcui sermone proximo sanam uerbi Dei expositionem nihil discrepare à regula fidei ueræ, & à dilectione Dei & proximi. Est enim adulterinus scripturæ sensus proculdubio, qui cum fide pugnat & gemina dilectione. Proinde consequens est, ut iam etiam dicamus aliquid de fide uera, & de dilectione Dei atq; proximi, ne quid hic desideretur à quoquam. Principiò autem Deo iuuante, & uestris intercedentibus precibus, disseram de fide uera.

Vocabulum fidei patet in sermonibus hominum latissimè. Accipitur enim pro religione & cultura qualibet. Nam dicimus, fides Christiana, fides Iudaica, fides Turcica. Deinde sumitur fides pro opinione concepta ex relatione aliqua, ueluti cum audimus nobis recitari aliquid ex Indianis aut Aethiopicis historijs, dicimusq; illa nos credere, in quæ tamen non collocamus ullam fiduciam, aut ex quibus nihil omnino speramus utilitatis. Hac significatione ait S. Iacobus diabolum credere & contremiscere. Postremò usurpatur fides pro certa & indubitata in Deum & uerbum eius fiducia. Apud Hebræos fides nomē habet à ueritate, certitudine & constantia. Latinis dicitur Fides, quòd fiat quod dicitur. Vnde ille, Interrogo te utrum credas? Dicis, Credo. Fac quod dicis, & fides est. Proinde in argumento nostro, fides est indubitata & persuasissima fiducia.

Fides. 1 2 3

Hæc fides quæ persuasissima ac indubitata est persuasio aut fiducia, ac in Deū & uerbum eius tendit, uariè describitur à purioris notæ theologis. S. Paulus, Fides, ait, est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Substantia siue hypostasis, basis seu fulcrum est firmissimum illud quod nos sustinet, & cui nos tutò innitimur atq; incumbimus. Res sperandæ sunt res cœlestes æternæ ac inuisibiles. Dicit itaq; Paulus, Fides est immota subsistens & certissima fiducia rerum à Deo promissarum, uitæ æternæ uidelicet & omnium bonorū. Cæterum ipse Paulus expositionem eorum quæ attulerat proferens subnectit, Fides est argumentum non apparentium. Argumentum uel elenchus est euidens demonstratio, qua euincimus manifestissimè quod alioqui dubium esset, ut in eo quem sumpsimus erudiendū, nulla supersit dubitatio. Iam uerò mysteria Dei, prodita oraculis Dei, in se siue in natura sua cerni non possunt oculis corporeis: unde appellantur non apparentia. Fides autem illa mente illuminata corde apprehendit, uti sunt proposita Dei uerbo. Idcirco fides est, iuxta finitionem Pauli, euidentissima mentis uisio, & certissima cordis comprehensio rerum inuisibilium, id est, æternarum, Dei inquam & eorum omnium quæ nobis de rebus diuinis proponit uerbo suo. Ad hanc Paulinam definitionem respexerunt qui fidem sic finierunt, Fides est rerum diuinarum persuasio, quarū cogitationi ita incumbere debemus, propter oraculorū fidem, ut non minus ea cernere animo credamus, quàm oculis res sensu perceptas & aspectabiles cernimus. Ab hac finitione nō multum discrepat hæc uiri cuiusdā pij & docti definitio, Fides est firma animi persuasio, qua nobiscum statuimus tam certam esse Dei ueritatem, ut non possit non præstare quod se facturum sancto suo uerbo recepit. Item, Fides est firma conscientiæ cer-

Definitiones fidei. Hebræ: 11

titudo quæ Christum amplectitur, qualis nobis per Euangelium offertur. Est alius quidam qui ad eundem ferè modum fidem sic describat, Fides est donum diuinitus infusum menti hominis, qua citra ullam hæsitantiā credit esse uerissima, quæcunque nobis Deus per utriusque testamenti uolumina tradidit atque promisit. Fidem ergo extendit idem ille ad tria tempora, ad præteritum, præsens & futurum: uidelicet credendum docens mundum à Deo conditum, & quicquid superioribus seculis gestum narrant diuinæ literæ: item Christum pro nobis mortuum, unicam salutem esse credentium: deinde ab eodem Deo & hodie mundū Ecclesiamque gubernari, & credentes in Christo saluari: postremò euenturum certißimè tum impijs quæ minantur, tum pijs quæ pollicentur sacræ literæ.

Descriptio ueræ fidei.

Ex istis ergo omnibus diligenter expensis, fidem secundū scripturas ita possumus describere, Fides est donum Dei, homini cœlitus infusum, quo edoctus indubitata persuasione in Deum & uerbū eius innititur, per quod à Deo in Christo uita omneque bonum gratis promittitur, omnisque ueritas credēda exponitur. Quam descriptionem fidei consequentibus explicabimus, Deo iuuante, per partes, adductisque scripturarum locis ipsam & confirmabimus & illustrabimus. Vos quod fecistis hactenus, diligentes auditores este, inque animis uestris sedulò orate.

Origo & causa fidei.

Principiò causa & origo fidei deducitur non ex homine ullo uel ullis hominū uiribus, sed ex ipso Deo, qui per spiritum sanctū infundit in corda nostra fidem. Dominus enim in Euangelio dixit, Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et iterum, Caro & sanguis (ait Dominus ad Petrum uera fide agnoscentem Christum) nō reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Quo alludens etiam Apostolus, Non idonei sumus, ait, ex nobis ipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipsis, sed omnis idoneitas nostra ex Deo est. Et iterum, Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, uerumetiam ut pro illo patiamini. Fidem ergo infundit cordibus nostris Deus, qui est fons & origo bonorū omnium.

Joan. 6. Math. 16. 2. Cor. 3. Philip. 1

Per uerbum dei plātatur fides.

Vbi tamē considerandum uenit, Deum in donanda aut infundenda fide, non uti absoluta potentia aut miraculo, sed medio & ordine congruo hominibus: quamuis etiam sine illo medio fidem donare posit, quibus, quando & quomodo uult. Ordine uerò ab ipso rerum exordio hoc usus legitur dominus. Quos erudire & fide donare statuit, ijs mittit doctores, qui uerbo Dei ueram fidem tradant. Non quòd in hominum potestate, arbitrio, aut ministerio sit dare fidem, aut quòd externum uerbum ab homine annunciatum per se aduehat fidem: sed uox hominis & uerbum Dei annunciatū erudit homines quæ sit uera fides, quidúe credendum uelit præcipiatque Deus: hic uerò solus demisso in corda & mentes hominum spiritu sancto aperit corda, impellit mentes, efficitque ut toto corde credamus, quod ex eiusdem uerbo & eruditione credendum esse intelleximus. Potuisset dominus Cornelio centurioni apud Cæsaream Stratonis, citra prædicationem, cœlitus & mirabiliter conferre fidem in Christum, sed remittit ipsum per angelum ad prędicationē S. Petri. Ac dum is prædicaret, operatur Deus in animo Cornelij per spiritum sanctum, ut crederet prædicationi. Certè S. Paulus, Quomodo credent ei, ait, de quo nihil audierunt? Quomodo audient absque prædicante? Quomodo autem prædicabunt nisi fuerint missi? Ergo fides ex auditu est: auditus aūt per uerbum Dei. Idem tamen alio loco, Quis est Paulus, ait, quis Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & ut cuique dominus dedit? Ego plātaui, Apollos rigauit, sed deus dedit incrementum. Itaque non qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Congruunt cum hac S. Petri & S. Pauli doctrina quæ Augustinus scribit in Præfatione ad lib. de Doctrina Christiana, dicens, Quod ab homine discen-

Acto. 10. Rom. 10. 1. Corin. 3.

ne discendum est, quisque sine supercilio ab homine discat. Neque tentemus eum cui credimus, neque decepti nolimus ire ad Ecclesias audiendum aut ex libris discendum, & expectemus rapi in tertium cœlum. Caueamus tales tentationes superbissimas, magisque cogitemus ipsum Paulum Apostolū, licet diuina & cœlesti uocatione prostratum & instructum, ad hominem tamen missum esse: & Cornelium quamuis orationes eius audisset Deus, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solum sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset audiret: quæ tamen omnia poterant per angelū fieri, &c. Idem quoque in epistola ad Circenses ait, Conuersionem operatur ille & efficit, qui per ministros suos rerum signis extrinsecus admonet, rebus autem ipsis per seipsum intrinsecus docet. Item Tractatu in Ioan. 26. Quid faciunt homines, inquit forinsecus annuntiantes? Quid facio ego modò cum loquor? Strepitum uerborū ingero auribus uestris: nisi ergo reuellet ille qui intus est, quid dico aut quid loquor? Exterior cultor arboris, interior est creator, &c. Hæc ille.

Quemadmodum uerò Dominus poscit ut uerbo suo credamus, (Nam & propheta clamat & dicit, Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra:) Ita omnino à nobis omnibus auditoribus uerbi ipsius flagitat, ne simus orando segnes. Nam audiētes uerbū Dei, orare debemus pro dono fidei, ut Dominus aperiat corda nostra, conuertat animas nostras, duritiam mentis frangat atque contundat, fidemque datam adaugeat. Exempla huiusmodi orationis plurima sunt in sacris literis. Cùm in Euangelio ad quendam diceret Dominus, Potés ne credere? omnia posibilia credenti. Respondit ille, Credo Domine, succurre incredulitati meæ. Et Apostoli clamantes ad Dominum, dicunt, Adauge nobis Domine fidem. Sed & oratio hæc qua postulamus nobis infundi fidem, ex gratia & dono Dei est, non ex nostra iustitia quæ coram Deo nulla est. Relinquitur ergo certissimum & indubitatum, quòd fides uera merū Dei donum est, id quod cœlitus cōfertur animis nostris per spiritum sanctum, proponitur autem uerbo ueritatis per doctores à Deo missos, orationibusque indefessis & ardentibus impetratur. Vnde discimus frequenter & diligenter esse nobis audiendum uerbum Dei, & orandum sine intermissione, quò fidem ueram à Deo consequamur.

Orandum est pro uera fide. Heb 3 ex Psal. 95. Mar. 9. Luc. 11.

Quòd autem fides illa cœlitus infusa, & ex uerbo ueritatis percepta, mentem hominis imbuat indubitata persuasione, id est, quòd ea quæ ex uerbo Dei credimus, firmissimè & citra omnem ambiguitatem & dubitationem credamus, certi ita habere prorsus rem, ut habere credit fides, (usurpo enim uocabulum persuasionis non uulgariter, sed pro firmo animi assensu à spiritu sancto inspirato & persuaso (ostendemus exemplo fidei Abrahæ, quam his uerbis describit Paulus ad Romanos cap. 4. Abraham præter spem sub spe credidit: ac non infirmatus fide haud considerauit suum ipsius corpus iam emortuum, cum centū ferè annos natus esset, nec emortuam uuluam Saræ, uerùm ad promissionem Dei nō hæsitabat ob incredulitatē, sed robustus factus est fide, tribuens gloriam Deo, certa persuasione concepta, quòd is qui promiserat, idem potens esset & præstare. Obseruandæ sunt autem notæ in uerbis Apostoli, quæ nobis approbant fidem, credentis animum & cor imbuere certa persuasione, adeoque fidem esse consciam indubitatam rerum creditarum fiduciam: id est, fidem ueram non tantùm uolitare in animo hominis instabilem, sed altissimè fixis radicibus in Christo hærere in illuminato corde. Principio Abrahā, ait Apostolus, præter spem sub spe credidit: id est, ibi firma spe fuit, ubi tamen, rebus huius seculi more expensis, nihil erat sperandum. Est autem spes firmissima & indubitata expectatio earum rerum quas credimus: ut

Fides est mentis indubitata persuasio.

Spes quid sit?

uideamus Apostolum fidem illustrasse per spem, & spei certitudine exposuisse fidei firmitatem. Deinde subdit, Abraham non est infirmatus fide, neque ad promissionem Dei hæsitauit ob incredulitatem, sed robustus factus est fide. Duplex quidem est hæsitatio in hominibus. Vna quæ tentationibus aduersis superata uergit in desperationē, promissionesque Dei contemnit. Talis erat hæsitatio in decem illis exploratoribus terræ sanctæ, quorum mentio fit Numeri. 13. & 14. cap. Altera potius fidei imbecillitas est, quæ & ipsa tentatur, ut iam non cōmemorem, quòd nobis omnibus diffidentia quædam originali labe est ingenita, quodque mens hominis nunquā ita illuminata & stabilita est, quin nebulæ ignorantiæ dubitationisque oboriantur: cæterum non succumbit fides tentationi, neque immergitur aut inhæret hæsitationi, sed apprehenso uerbo ueritatis promisso eluctatur & rursus confirmatur. Ita legimus ad promissionem diuinam Abrahæ animum subijsse, Num centenario tibi nascetur filius? Hæc erat infirmitas illa & hæsitatio aut imbecillitas fidei. Atqui hic Apostolus uincentem & non succumbentē Abrahæ fidem celebrans, simul etiam nos docens qualis esse debeat uera fides, firma nimirum & certissima persuasio, dicit, Abraham non infirmatus fide, non considerauit corpus suum iam emortuum, cum ferè centum esset annos natus, nec emortuam uuluam Saræ. En subijt quidem animum Abrahæ, Num centenario nascetur filius? Cæterum non infirmatus est fide. Fides Abrahæ ob istam tentationem non incipiebat languescere. Non enim considerauit ea quæ in ipso erant infirma & parum diuinæ promissioni congrua. Quid ergo? Ad promissionem Dei non hæsitabat ob incredulitatem. Id est, locum non cedebat tentandi incredulitati: non dijudicabat & anxiè inquirebat, quod diffidentes solent. Nam proposita animo suo diuina promissione, ei inquam immotè inhæsit, hæsitatione & dijudicatione omni excussa. Nam fides minimè spectat imbecillitatem, miseriam, defectumque homini proprium, sed innititur diuinæ uirtuti. Sic inquam Abraham robustus factus est fide, id est, inualuit & superior in tentatione euasit. Opponitur enim illi superiori, Non infirmatus seu debilitatus est fide. Sequitur in Apostolo, Abraham tribuit gloriam Deo, nimirum credens Deum bene uelle hominibus, ueracē esse ac omnipotentē. Tribuit enim Deo gloriā, qui proprietates Dei Deo tribuit, qui uerbo seu promissioni Dei non contradicit. Nam Ioannes Apostolus ait, Qui nō credit Deo, mendacē facit Deum. Credidit ergo Abraham Deo, & credendo tribuit gloriam Deo. Sequitur enim in uerbis Apostoli Pauli, Certa persuasione cōcepta, quòd is qui promiserat, idem potens esset & præstare. Scripsit Paulus Græcè πληροφορηθεὶς, id quod perinde est ac si tu dicas, certificatus. Nam πληροφορῶ significat plenam facio fidem. Vnde πληροφορία certa fides, quæ fit argumentis aut re ipsa exhibita. Et πληροφόρημα uocant, quod nos dicimus certificationem, cum nobis res sic persuasa sedet animo, ut nihil amplius addubitemus. Ergo fides Abrahamum certificauit, & indubitata persuasione imbuit, ut iam nō dubitaret Deū posse præstare quod promiserat: fide ergo immotus inhæsit promissioni Dei, certus se assecuturum quod promiserat Dominus. Certissimū ergo & uerbis Apostoli demonstratum est, fidem ueram esse indubitatam persuasionem in animo credentis, omnino rem sic habere sicuti creditur & sicuti habere dicitur aperto Dei uerbo. Vnde etiam discimus fidem nō esse uagam & temerariam confidentiam hominis, qui credat rem quamlibet grandem & impossibilem. Fides enim regitur & astringitur uerbo Dei, & uerbo quidem Dei ritè atque legitimè intellecto. Pius ergo & fidelis nō quidlibet colligit ex omnipotentia Dei, quasi quidlibet faciat Deus quia potest omnia, aut fides quidlibet credat, quia scriptum est, Omnia possibilia sunt credenti

Hæsitatio duplex.

Fides nō credit rem quamlibet.

denti. Nam plus ideò credit, quia quod credit, ita uerbo Dei propositum & illustratum est sicuti credit. Præterea cùm Dominus in Euangelio dicit, Omnia possibilia sunt credenti, non absolutè quidem id nobis intelligendum est, sed coniunctũ cum uerbo & cum uoluntate gloriaq; Dei & cum animarum nostrarum salute. Omnia enim quæ uerbo suo promisit, & omnia quæ uult Deus, omnia deniq; quæ faciunt ad Dei gloriam animarumq; nostrarum salutem, possibilia sunt credenti. Et ea de causa apertè & disertè dixit Apostolus, Quæ promisit Deus eadem & potest præstare. Quæ enim non promisit, & quæ non sunt uoluntatis diuinæ, aut quæ pugnant cum uoluntate & cum expresso uerbo Dei, non potest Deus, nõ quòd non possit omnia, sed quòd nolit omnia. Posset Deus ex lapidibus panẽ facere, sed ideò non credendum est lapides esse panem, neque ideò panis sunt, quia Deus potest omnia. Id quod rectius & plenius intelligemus, ubi paulò post ostenderimus fidem ueram non oberrare & uagam fluctuare, sed Deo & uerbo eius inhærere & inniti pertinacissimè. Mar. 9.

Interea uerò quia ex Pauli testimonio & exemplo Abrahæ ostendimus fidem esse substantiam & indubitatam cordis persasionem, & multi contendunt hominem non esse certum suæ salutis, aliquot exempla ex Euangelio subijciam, ex quibus certò deprehendatur fidem firmissimã esse hypostasin, obfirmatamq; de Deo & salute nostra sententiam. Et principiò quidem Centurio ille Euangelicus firmissimam conceperat spem, fore ut seruulus eius curaretur à Domino. Intellexerat enim quàm ampla & magnifica polliceretur credentibus. Colligebat item ex operibus Christi, non difficile ipsi fore sanitati restituere seruulũ. Accedit itaq; Dominum, ac inter alia, Nõ est, inquit, quòd tectum meum subeas, imò tantùm dic uerbum & sanabitur famulus meus. Testificantur hæc uerba certam in Centurionis animo & corde persuasionem fuisse certissimæ salutis, quam & collatione quadã sic illustrat & plenius exprimit, Sum enim homo alterius potestati subditus, & habeo sub me milites, & dico huic uade, & uadit: & alteri ueni, & uenit: & seruo meo fac hoc, & facit. Hanc animi certificationem cùm ex uerbis fide plenissimis peruidisset Dominus, clamat se tantam fidem non reperisse in uniuerso Israele. Idem celebrat in Euangelio fidem mulieris profluuio sanguinis miserè laborantis. At eam fidem fuisse indubitatam cordis illuminati persuasionem ex eo intelligi potest, quòd apud se (prius nimirum excitata operibus & uerbis Domini) sic reputat, Si tantùm tetigero uestimentum eius, salua ero. Ideoq; & per confertam turbam se usq; ad ipsum Dominum penetrando ingessit. Sed quid multa congero exempla? An non una Chananææ seu Syrophœnissæ mulieris fides declarat irrefragabiliter, fidem esse certissimam rerum creditarum persuasionem? Nam præterita & quasi contempta à Domino non fluctuat fide, sed insequens Dominum, & iam etiam audiens Dominum perditis Israeliticæ domus ouibus missum esse, adorare quoq; pergit. Imò repulsa & quasi notata atroci cõuitio canis, pergit rursus se supplicem Domino prosternere, & ab eo quod postulabat impetrare. Non perseuerasset adeò pertinaciter, si fides in animo & corde credentis nõ esset certificatio quædam. Vnde & Dominus ea fide permotus, clamat, O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Constat ergo ex his diuinæ scripturæ testimonijs omnibus, fidem esse certam & indubitatam persuasionem in animo & corde credentis.

Exempla fidei indubitatæ. Math. 8. Math. 9. Math. 15 Mar. 7.

His absolutis, uideamus iam cui innitatur fides hominis, unde simul elucescat fidem non esse uanam & uagam opinionem (sicuti paulò superius dicere cœperamus) res cuiuslibet conceptæ in animo hominis, sed metis adeoq; legibus quibusdam astrictam atq; contentam. Diximus ergo in descriptione fidei, fidem ten-

Fides cui innitatur, & quod sit fidei obiectum seu fundamentum.

dere in Deum & inniti uerbo eius. Deus ergo & uerbum Dei obiectũ siue fundamentum est fidei ueræ. Firmum omnino & immotum sit oportet, cui homo tutò, certò & indubitatò inniti debet, quod salutem præstat, quod seruat, quod omnem plenitudinem sufficit aut suppeditat. Hæc enim quærit & poscit fides. Illa uerò non sunt extra Deum. In solum ergo Deum tendit & innititur uera fides. Deus æternus est, summè bonus, sapiens, iustus, potens & uerax. Idq; operibus & uerbo suo testat. Ideò in prophetis dicitur fortis & immota petra, arx, murus, turris, munimentum insuperabile, thesaurus, fons inexhaustus. Hic Deus æternus potest omnia, nouit omnia, ubiq; præsens est, impensè diligit homines, prouidet hominibus qui etiam omnia gubernat. Fides ergo cùm sit fiducia de bona Dei uoluntate & auxilio eius in omnibus necessitatibus, deq; uera hominis salute, in solum Deũ tendit, nec potest inniti ulli creaturæ, in qua non sunt illa quæ quærit fides. Et ut Deus uerax est & mentiri non potest, ita uerbum eius uerax est & neminem fallit. Verbo exprimitur uoluntas & ingenium Dei. Ad uerbũ ergo Dei respicit fides, ac fundat se in uerbum Dei, de quo Dominus in Euangelio pronunciauit, Cœlum & terra transibunt, uerbum meum non præteribit. Confertur uerbum Dei cum præstantissimis elementis. Aër & aqua sunt elementa fluida instabiliaq;. Cœlum autem licet uoluatur seu moueatur, mira tamen & certissima lege mouetur, firmaq; sunt in eo omnia. Terra multò firmissima est & immobilis. Proinde si facilius est ista insolubilia solui, quàm uerbum Dei, consequens est uerbũ Dei per omnia esse longè firmissimum, immobile & insolubile. Si irritum facere potestis fœdus meum, ait apud Ieremiam Dominus, quod inij cum die, aut fœdus quod pepigi cum nocte, ut non sit suo tempore uel dies uel nox, iam irritũ potest esse fœdus meum quod pepigi cum Dauide. Cæterum ne totus quidem mundus iunctis simul uiribus omnibus poterit efficere, ut dies sit cùm nox est, aut ut una hora citius quàm leges cœli dictant, lucescat: ergo ne apicem quidem infirmare aut infringere, mutare aut abolere in uerbo Dei ueritateq; uerbi Dei poterit totus hic orbis cũ omni sua uirtute & pompa. Proinde fides quæ innititur in rem multò firmissimã, non poterit non esse persuasio indubitata. Cumq; uerbum Dei sit fidei fundamentum, non potest fides oberrare uaga, & inniti in uerbum quodlibet. Nequit enim quælibet opinio extra uerbum Dei, aut etiam cõtra uerbũ Dei concepta, appellari uera fides. Ideoq; sanctus Christi Apostolus Paulus noluit fidem uerã uel Christianam ullis imponere fulcris carnalibus aut opinionibus hominum, sed ueritati & potentiæ Dei. Verba eius concludent hunc locum, Fides, inquit, ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Per uerbum Dei ait, non per uerbum hominis. Et iterum ad Corinth. Prædicatio mea, inquit, non erat in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostentatione spiritus & potentiæ, ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei. Vbi etiam discimus quosdam præter rationem à nobis flagitare fidem, hoc est, ut credamus id quod ex uerbo Dei ostendere nequeunt, aut quod uerbo Dei repugnat. Facit ad illustrationem prædictorum & illud quod in descriptione fidei compendium quoddam uerbi Dei & fidei contextum est: uerbi inquam quod proponit quid credamus, & fidei quæ credit credenda. Recensentur autem duo capita fidei & uerbi. Primum est, quòd à Deo in Christo uita & omne bonum gratis promittitur. Deus enim qui fidei obiectum seu scopus & fundamentum est, cùm sit natura sua uiuus, æternus & bonus, ab æterno generat ex se sui similem per omnia filium. Is cùm sit eiusdem cum patre substantiæ, est & ipse naturaliter uita & omne bonum. Ac ut nobis filijs fratribusq; suis uitam & omne bonum communicaret, hominẽ assumpsit, & cum hominibus

uerus

Math. 24.

Iere. 33.

Rom. 10

1. Corin. 2

Duo sunt capita fidei ueræ.

1

Fides uera credit sibi à Deo per Christum uitam & omne bonum gratis contingere.

uerus Deus & homo cōuersatus, testificatur Deum patrem se per filium totū cum omnibus bonis trāsfundere in credentes, hos uiuificare, omni bono adimplere, & eosdem ad se transferre tandem in uitam illam beatam. Et hoc quidem beneficiū constare gratis, ut laudetur in omnibus gloria gratiæ suæ. Id quod credit fides uera. Et huc quidem pertinet bona scripturarum pars, testificans Deum in Christo communicare credentibus uitam & omne bonum. Ioannes Apostolus clamans testificatur, In principio erat uerbū, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum, Et uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et cōspeximus gloriā eius, gloriam uelut unigeniti à patre, plenus gratia & ueritate. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, &c. Ipse enim Dominus in Euangelio Ioan. dicit, Amen dico uobis, Quæcunque pater fecerit, hæc itidem & filius facit. Sicut enim pater suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Neque enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium filio dedit, ut omnes honorent filium sicut honorant patrem. Qui non honorat filium, non honorat patrem qui misit illum. Amen amen dico uobis, qui sermonem meum audit & credit ei qui misit me, habet uitā æternam: & in iudicium non ueniet, sed transiuit à morte in uitam. Cum his Euangelicis uerbis congruit hæc Paulina sententia, In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi. Quoniā in illo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, & estis in illo completi. Quòd autem ingentia hæc beneficia Dei gratis conferantur fidelibus, uas electionis his exposuit uerbis. Benedictus Deus qui elegit nos in Christo antequam iacerentur fundamenta mundi, qui prædestinauit nos ut adoptaret in filios per Iesum Christum in sese, iuxta beneplacitum uoluntatis suæ, ut laudetur gloria gratiæ suæ, qua charos nos reddidit per dilectū, per quē habemus redemptionem in sanguine eius, &c. Item, Omnes peccauerunt & destituuntur gloria Dei, iustificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionē quæ est in Christo. Et reliqua. Vera itaque fides credit sibi à Deo per Christum uitam & omne bonum gratis contingere: quod primum est fidei caput, quod in articulis fidei spargitur latius. Secundum uerbi Dei & fidei caput est, quòd uerbo Dei omnis ueritas credenda exponitur: & quòd uniuersæ narrationi in scriptura uera fides credit Exponit enim quòd sit Deus, qualis sit, quæ opera Dei, quæ iudicia, quæ uoluntas, quæ mandata, quæ promissiones, quæ minæ, denique quicquid creditu utile & necessarium est, id totum exponit nobis uerbum Dei, id quod uera fides recipit, credens omnibus quæ scripta sunt in lege & prophetis, in Euangelio & Apostolorum literis. Quæ uerò ex his deduci aut probari non possunt, aut quæ his contraria sunt, non credit fidelis. Est enim de natura ueræ fidei, non credere illis quæ cum uerbo Dei pugnant. Proinde qui non credit fabulis & hominum opinionibus, is demum uerè credit: pendet enim à solo Dei uerbo adeoque ab ipso Deo unico omnis ueritatis fonte. Et materia, argumentum & summa fidei tota proposita est nobis per compendium in articulis fidei Christianæ. De quibus alio tempore. Exposui hac hora charitati uestræ, fratres in Domino honorandi, descriptionem fidei, quam ut omnium mentibus infigam, omnesque quid fides sit intelligant, repeto, eaque sermonem hunc concludo. Fides est donum Dei, homini cœlitus infusum, quo edoctus indubitata persuasione in Deum & uerbum eius innititur, per quod à Deo in Christo uita omneque bonum gratis promittitur, omnisque ueritas credenda exponitur. Oremus omnes Deum patrem nostrum per unigenitum filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, ut omnibus nobis cœlitus ueram fidem conferat, per quam ipsum rectè cognoscentes, tandem etiam consequamur uitam æternam.

Fides uera quærit in deo per Christū omne bonum.

Ioan. 1.

Ioan. 5.

Koloss. 2.

Ephe. 1.

Rom 3

2

Fides uera credit scripturis sanctis.

Epilogus.

Fides qd sit.

Vnam tantùm esse fidem veram, & quæ sit eius virtus. SERMO V.

TEMPORIS exclusus breuitate, præpeditusq; argumenti præstantia, non potui sermone proximo omnia quæ de fide instituerem dicere, absoluere: iam ergo diuina aspirante gratia, subijciam quæ eius argumenti restare uidentur. Vos orate Dominum, ut quod uoce hominis infertur auribus uestris, idipsum digito Dei uestris inscribatur cordibus.

Vna est fides. Ephe. 4.

Nescit fides uera ullas partes. Apostolus enim, Vnus, inquit, Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium. Manet enim ab ipso mundi exordio ad finem usq; una & eadem in omnibus electis Dei fides. Vnus & idem est perpetuò Deus, unus omnium bonorum fons inexhaustus. Vna & eadem est ab exordio rerum Dei ueritas, Dei uerbo exposita hominibus. Vnum ergo & idem perpetuò manet obiectum & fundamentum fidei, Deus & uerbum Dei. Vna & eadem nobiscum fide crediderunt omnes ab exordio rerum electi, per Christum nobis omnia bona gratis donari, & in uerbo Domini omnem ueritatem credendam exponi: proinde fideles antiquorum seculorum fidem suam in Deum & uerbum eius semper collocarunt: ut iam proculdubio non sit nisi una fides uera.

Variæ sunt religiones, sed nõ nisi una uera fides.

Scio plures easq; uarias in orbe iactari fides, id est, religiones. Est enim fides Indiana, est fides Iudaica, est fides Mahometica, est fides Georgiana, interim tamen non est nisi una uera fides Christiana, cuius compendium continetur in articulis fidei, & plenitudo eius in sacris utriusque testamenti literis. Scio item uarias esse fides hominum, innitentium in res uarias credentiumq; cõtraria ueræ fidei, sed manet interim non nisi una uera fides in Deum & uerbum eius, indubitata rerum uerissimarum certissimarumq; persuasio fiduciaq;.

Fides habet suũ incrementum & defectum. Psalm. 51. 1 Regũ 18. Math. 25.

Ea fiducia suscipit incrementum in animis fidelium, decrescit item & deficit prorsus. Ideoq; Apostoli Dominum orabant, Adauge nobis fidẽ Domine. Et Apostolus ubique imprecatur fidelibus in scriptis suis spiritus & fidei incrementum. Nam & Dauid prior orauit, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Nam uiderat à Saule, cui ipse successerat in regno, recessisse spiritum Dei bonum, ac subijsse animum eius spiritum nequam, qui ipsum miserè diuexabat. Huc pertinet illud Euangelicum, Omni habenti dabitur: non habenti autem aufertur quod non habet aut pro nihilo reputat, & dabitur habenti. Neq; frustra dixit ad Petrum Dominus, Oraui pro te Petre ne deficiat fides tua. Paulus enim commemorat quosdam suo seculo circa fidem fecisse naufragium, aliorumq; fidem subuertere. Et quorsum quæso audimus quotidie uerbum Dei ac precamur supplices Domino, nisi quòd incrementum pietatis speramus, & poscimus ne à uera fide excidamus? Certè Paulus ad Thessalonicenses, Nocte & die oramus, inquit, sedulò ut uideamus faciem uestram, & suppleamus quæ desunt fidei uestræ. Nam & paulò superius dixerat, Misi ad hoc Timotheum, ut cognoscerem fidem uestram, ne quo pacto tentasset ille qui tentat, & inanis factus esset labor noster. Siquidẽ ad Ephesios idẽ ille Apostolus dicit, Christus dedit alios Apostolos, alios uerò prophetas, alios autem pastores & doctores, ad instaurationem sanctorum in ædificationem corporis Christi, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenæ adultæ Christi, ut non simus amplius pueri. Proinde quoad uiuimus discimus, ut perficiatur fides nostra, & sicubi tentationibus debilitata fuerit, reficiatur ac confirmetur rursus. Atq; in hac uarietate, in hoc incremento & imbecillitate fidei non est ulla partitio aut diuisio, manet eadem semper fidei radix, eadem substantia, licet

1. Thes. 3. 1. Thes. 3. Eph. 4.

iam maior sit, nunc uerò minor. Eodem modo fidem nec mutat nec scindit in partes, quòd alia dicitur fides generalis, alia fides specialis. Generalis enim fides non alia est, quàm quæ credit omnia uerba Dei uera esse & Deum bene uelle hominibus. Non aliud credit Specialis fides, tantùm quod omnibus cõmune est, sibi specialiter applicat fidelis, credens Deum non tantùm alijs, sed sibi quoq; bene uelle. Sed & totum quasi in partes, genus in species deducit. Nam quia generali fide credit omnia uerba Dei uera esse, pari ratione credit speciali fide immortales esse animas, & resurgere nostra corpora, saluandos fore fideles, perdendos infideles, & siquid huius generis aliud est quod uerbo Dei credendum traditur.

Generalis & specialis fides.

Differunt inter se

Porrò disputationem de fide Infusa & Acquisita, de fide informi & formata, illis excutiendam relinquo, qui ex seipsis nouas illas disputationes inuehunt in ecclesiam. Vera fides nullis acquiritur uiribus & meritis humanis, sed infunditur à Deo, sicut exposui superiori concione: & cum auscultatione uerbi diuini ab homine acquiritur, nihilo minus totum gratiæ Dei imputatur, quæ nisi operetur in animo auditoris internè, nihil proficit externus cultor aut prædicator. Legimus in libro S. Augustini de Prædestinatione sanctorum cap.3. quòd aliquando fuit in errore, putans fidem qua in Deum credimus non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus iustè & piè uiuamus in hoc seculo. Sed eam opinionem eo libro copiosè & grauiter refellit. Ita fides uera quæ in unum Deum tendit, & dirigitur uerbo Dei, satis est formalis aut formata. Certè forma fidei sculpitur in corde credentis per spiritum sanctum. Et quamuis sit minuta neq; excreuerit ad gradum supremum, uera tamẽ fides est, uim suam habens ceu granum sinapi. Credidit in Dominum Iesum latro cum Domino crucifixus, & saluatus est, licet fides in eo uiguerit pauculo tempore, neq; uberem protulerit bonorum operum segetem: denique fides illa latronis non fuit diuersa aut aliena à fide S. Petri & S. Pauli, sed eadem prorsus, licet horum uberiorem bonorum operum segetem protulerit. Gratis iustificati sunt Petrus & Paulus, licet multa habuerint bona opera: gratis iustificatur latro, licet pauca aut nulla habuerit opera bona. Teneamus itaq; fidem ueram esse unicam quidem, quæ tamen augmenta seu incrementum recipiat, deniq; deficere possit & extingui.

Fides infusa & acquisita.

Fides formata.

Restat iam ut explicemus uirtutem & effectus fidei ueræ. Præstitit hoc ante me multò felicius imò absolutissimè S. Apostolus Paulus. Verùm cùm multa ad Hebræos 11. capite attulisset, cogitur tamen fateri se non posse commemorare omnia: idcirco recensebo aliquot modò fidei uirtutes, reliquas charitati uestræ indagandas & expendendas relinquens.

De uirtute & effectu fidei.

Fides uera ante omnia confert ueram scientiam, uerè sapientes reddens. Fide enim Deum cognoscimus, rectèq; de iudicijs & operibus Dei, de uirtutibus & uitijs iudicamus. Quam illa confert, uera proculdubio est sapientia. Sperant multi se ueram consequuturos sapientiam ex studijs philosophiæ: sed errant toto cœlo. Nam philosophia perperàm iudicat, & uitiosè pleraq; docet de Deo, de operibus Dei, de summo bono, de fine bonorũ & malorum, de expetendis & fugiendis. Eadem autem uerè & rectè traduntur in uerbo Dei, intelliguntur uerò percipiunturq; fide. Fides ergo est uera sapientia, & reddit uerè sapientes. Nam Ieremias quoq;, Ecce uerbum Domini, inquit, reprobarunt, quæ ergo illis sapientia reliqua esse poterit? Celebris est in toto terrarum orbe Solomonis sapientia. Sed legimus in Euangelio secundum Matthæum, Dominum cõtra Iudæos hanc protulisse sententiam, Regina Austri surget in iudicio cum generatione hac, & condemnabit eam, quòd uenerit à finibus terræ ad audiendam sapientiam Solomonis: & ecce

Fides est uera scientia & reddit sapientes.

Math. 12.

plus quàm Solomon est in loco hoc. Præfertur Christus Solomoni, & sapientia Christi sapientiæ Solomonis. Constat autem sapientiam Christi filij Dei non posse percipi nisi fide. Præstantissimam ergo sapientiam confert fides. Eximiam uerò laudem hæc nostra sapientia meretur, quòd qui eam ambiunt, non ad exteras gentes multo cum sumptu & labore relegantur, uelut ad Ægyptios sacerdotes, ad gymnosophistas Indorum, ad philosophos Græcorum, aut ad Iudæorum Rabbinos. Verbum Dei, Deus per totum orbem terrarum dispersit, ut iam uerbum fidei sit in fidelium omnium cordibus. Nam Apostolus Paulus, Iustitia fidei, ait, ita loquitur, Ne dixeris in corde tuo, Quis ascēdet in cœlum? hoc est, Christum ex alto deducere: aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit? Prope te uerbum est in corde tuo: hoc est uerbum fidei quod prædicamus, nempe si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitauit ex mortuis, saluus eris. Ergo fides nos non tantùm sapientes, sed & felices reddit, attestante etiam Domino & dicente discipulis suis, Beati oculi qui uident quæ uos uidetis. Dico enim uobis, quòd multi prophetæ & reges uoluerunt uidere quæ uos uidetis & non uiderunt, & audire quæ auditis & non audierunt.

Rom. 10. Luc. 10.

Quomodo homo summū bonū assequatur.

Inueniemus ergo in fide certissimam determinationem famosissimæ quæstionis ab exordio mundi exagitatæ à doctis & præstantissimis ingenijs, quomodo uidelicet homo uiuere, beari, summum bonum assequi, & cum summo bono coniungi adeoq; & iustificari possit? Variæ fuerunt & sunt etiam hodie pugnantes inter se de hac re sententiæ. Cæterum breuiter & uerè dicimus nos, Fide uera hominem uiuere, beari, summum bonum consequi, cum summo bono coniungi atq; iustificari, sic ut Deus uiuat in nobis & nos in ipso, simusq; fide felices & beati. Quid uerò potuisset de fidei uirtute dici præstantius, maius, diuinius? Fides ecce uiuificat, beat, cum summo bono coniungit, ut Deus in nobis, nos in ipso uiuamus, & iustificat plenissimè. Sed præstat iam audire scripturarum testimonia. Fides beat. Audit enim beatus Petrus uera fide Dominum Iesum confitens, Beatus es Simon filius Ionæ. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Adducit S. Paulus pro fide illud Dauidis, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputabit Dominus peccatum. Fides uiuificat. Nam iustus ex fide uiuit. Id quod Paulus ex prophetis frequentissimè in scriptis suis citauit. Idem, Vitam quam nunc uiuo in carne, inquit, per fidem uiuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Fides coniungit nos æterno & summo bono, adeoq; facit nos frui summo bono, ut Deus in nobis uiuat, & nos in Deo. Nam ipse Dominus Iesus in Euangelio ait, Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinē, in me manet & ego in eo. Sicut misit me uiuens pater, ita & ego uiuo propter patrē: & qui ederit me, uiuet & ipse propter me. Atqui edere & bibere Dominum, est credere in Dominum, quòd seipsum pro nobis tradiderit in mortem. Vnde Ioannes Apostolus, Nos uidimus & testamur, inquit, quòd pater misit filium seruatorem mundi. Quisquis confessus fuerit quòd Iesus est filius Dei, Deus in ipso manet, & ipse in Deo. Vnde & Paulus dixit, Viuo iam non ego, sed uiuit in me Christus.

Fides beat. Math. 16. Rom. 4. *Fides uiuificat.* Rom. 1. *Fides cōiungit nos Deo.* Ioan. 6. 1. Ioan. 4. Gal. 2.

Fides iustificat.

Iustificat præterea fides. Ea tractatio cùm non posit hac hora commodè & plenè determinari, differemus in futuram concionem sacram. In præsenti teneat charitas uestra, unam esse ueram fidem, nimirum Christianam. Licet enim plures dicantur esse fides, id est, religiones, una tamen duntaxat uera est & indubitata. Incrementa ea habet, ac deficit in quibusdam. In quibus rectè & piè colitur, miras

exerit

exerit uirtutes. Confert enim ueram sapientiã, deniq; uiuificat & efficit uerè beatos ac felices. Deo patri authori omnis boni & felicitatis nostræ, sit laus & gloria per Iesum Christum Dominum nostrum, in secula seculorum, Amen.

Fide iustificari homines fideles absq; lege operibusq;. SERMO VI.

DICTVRVS apud charitatẽ uestram de fide absq; operibus iustificante credentes, inuoco patrem qui in cœlis est per filium eius unigenitũ dominum nostrum Iesum Christum, obsecrans, ut os meum & labia mea ad depromendam laudem eius aperiat, & corda uestra illuminet, quò Dei beneficium maximum agnoscentes, uerè grati & sancti efficiamini.

Ab initio autem dicam quædam huic causæ uel tractationi in primis necessaria de uocabulo iustificationis. Iustificandi uerbum Hebræis usitatissimũ & uulgatissimum, amplissimæ item significationis, hodie non est, ita uti decebat, cognitum omnibus. Significat iustificare, absoluere à iudicio adeoq; ab intentata & lata condemnationis sententia. Significat remittere peccata, purgare, beatificare, & hæredem constituere uitæ æternæ. Est enim iuridicum aut forense uocabulum. Finge ergo hominem produci ad tribunal Dei, ibidemq; agi reum, id est, accusari & conuinci de grauissimis peccatis, ideoq; postulari ad pœnam uel ad condemnationis sententiam. Intercedere uerò mediumq; se ingerere Dei filium, ac postulare, ut in ipsum omnis culpa & pœna hominibus debita imponatur, quæ moriendo mox expiet & auferat, liberatisq; à morte conferat uitam æternam, Deum autem supremum & iustissimum iudicem recipere conditionem, ac pœnam cum culpa transferre in caput filij, decernereq;, ut quicunq; credit filium dei pro peccatis mundi passum, confregisse mortis uires & liberasse à condemnatione, purgatus à peccatis ac hęres sit uitæ æternæ. Hîc uerò quis usque adeò stupidi possit esse ingenij, ut non uideat fide iustificari homines?

Iustificare & iustificatio.

Cęterũ ne quid dubij aut obscuri resideat in animo cuiusquam, quod in genere & per parabolam imaginemq; forensem proposui, per species aut partes quasdam diducam, singulaq; scripturis diuinis & roborabo & illustrabo, ut uel tardis ingenijs uirtus fidei & iustificationis negotium fiat planissimum.

Principiò demonstrabo iustificationis uocabulum in præsenti causa usurpari pro absolutione siue remissione peccatorum, pro beatificatione & adoptione in numerum filiorum Dei. Act. 13. dicit Apostolus Paulus: Notum sit uobis, uiri fratres, quòd per hunc Christum Dominum uobis remissio peccatorum annunciatur: & ab omnibus à quibus non potuistis per legem Mosis iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur. En annunciatur in Christo nobis remissio peccatorũ: & qui credit annunciato Christo remittẽti peccata, iustificatur. Sequitur ergo iustificationem esse remissionem peccatorum. Ad Rom. 5. ait idem Apostolus, Iustificati sanguine Christi seruabimur per ipsum ab ira. Sanguis autem Christi abluit peccata. Iustificatio itaq; est ablutio siue remissio peccatorum. Et in eodem capite adhuc clarius, Iudicium quidem ex uno ad condemnationem, donum autem ex multis delictis ad iustificationem. Hic opposuit condemnationi iustificationem: ergo iustificatio est absolutio & liberatio à condemnatione. Quid quod iustificationem manifestè appellat donum, id est, condonationem delictorum? Huc pertinent & illa, Sicut per unius delictum in omnes homines condemnatio deriuata est, sic per unius iustitiam in omnes homines propagata est iustificatio uitæ. Rursus opponitur iustificatio uitæ condemnationi propter peccatum irrogatæ nobis

Iustificare quid.

Rom. 5.

ad mortem: est ergo iustificatio uitæ absolutio à peccatis, liberatio à morte, uiuificatio, seu trãslatio à morte in uitam. Nam in 4. cap. idem Apostolus ad Rom. iustificationem exponit per beatificationem, & hanc per remissionem peccatorum. Disputans enim de fide qua iustificamur, uel quam nobis imputat Deus pro iustitia, absq; operibus, quemadmodũ & Dauid explicat, inquit, beatificationem hominis, cui Deus imputat iustitiam absq; operibus, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata, &c. Quid clarius adferri his poterat? Manifestè enim iustificationem exponit per beatificationem, & hãc per remissionem peccatorum. Præterea quid est beatificatio aliud, quàm adoptio ea, qua recipimur in gratiam & in numerũ filiorum Dei? Quis ergo non uideat iustificationẽ in hac disputatione Pauli pro adoptione usurpari? præsertim cum contendat in eodem ad Romanos cap. 4. hæreditatem fidei deberi, cui & iustificationem tribuit. Ex quibus omnibus planum fit quæstionem de iustificatione aliud non continere quàm modum & rationem beatificandi, nempe per quid aut quomodo remittantur hominibus peccata, recipiantur autem in gratiam & in numerum filiorum Dei, fiantq; iusti & hæredes regni Dei.

Psalm. 31.

Christus in se suscepit peccata nostra & expianit.

Deinde uideamus an scripturis traditum sit quod diximus, Christum coram tribunali Dei, cum contra nos damnationis sententia pronuncianda fuerat, propter peccata nostra, in se suscepisse peccata nostra, & expiasse morte crucis, adeoq; Deum in Christum trãstulisse & pœnam & culpam, ut unus Christus sit fidelium satisfactio & expiatio solus? Hoc significantissimè docẽs Paulus Apostolus, Quis inquit, intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextram patris, & intercedit pro nobis. Et iterum, Christus nos redemit, ait, ab execratione legis dum pro nobis factus est execratio. Scriptũ est enim, Execrabilis omnis qui pendet in ligno, ut in gentes benedictio Abrahæ ueniret per Christum Iesum, &c. Hæc ex Mose docuit Apostolus. Ac Moses creberrimè in libris suis repetit, peccata imponi in capita animantium quæ sacrificabantur. At sacrificia illa typum prætulere mortis & hostiæ Christi. Significantissimè aũt Isaias in cap. 53. Verè languores nostros ipse tulit, ait, & dolores nostros ipse portauit. Ipse uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, Mulcta enim correctionis nostræ ei imposita est, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus: unusquisq; in uiam suam declinauit, & posuit dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Et mox, Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. His uerbis nõ opinor quicquam posse significantius & magis appositũ nostro instituto adferri. Allusit ad ea S. Petrus cum dixit, Ipse Dominus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, quò peccatis mortui iustitiæ uiueremus, cuius eiusdem uibice sanati estis. Allusit ad ea beatissimus præcursor Domini Ioannes cum dixit, Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Sed & Apostolus Paulus clamans testificatur, Eum qui non nouit peccatum pro nobis peccatũ fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei per illum. Et in epist. ad Coloss. In Christo, ait, complacitum est patri uniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius per eundem, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis. Hæc opinor satis clara sunt testimonia, probantia in Christum imposita esse peccata nostra execrationemq; uel condemnationem peccatis nostris debitam, ac Christum sanguine expiasse peccata, & morte sua mortem & authorem mortis diabolum oppressisse, & pœnam nobis debitam sustulisse.

Rom. 8. & Gal. 3 ex Deu: 21. 1. Pet. 2. Joan. 1. Colos. 1.

Quia

Pœnam & culpam peccati sublatam esse per Christum.

Quia tamen non pauci negant Christum morte sua & pœnam & culpam nobis peccatoribus sustulisse, factumq́ue esse unicam totius orbis satisfactionem, adducam iam & alia quædam testimonia, repetamq́ue ex præcitatis quædam, quibus manifestum fiat, Christum unicam orbis satisfactionem pro pœna & culpa satisfecisse. Isaias certè & culpam peccati & pœnam simul sublatã esse testificatus est, cum dixit, Ipse languores nostros tulit, & uulneratus est propter iniquitates nostras: deniq; disciplina pacis, id est, disciplina uel castigatio pœnáue pacem faciẽs, aut mulcta correctionis nostræ, id est, pœna quæ nobis debebatur propter peccata, ei imposita est. Audi uerò quid sequatur, Et liuore eius sanati sumus. Id quod manifestè docet pœna Christi sublatam nobis esse pœnam. Quę enim nobis debebatur pœna, mulcta uel correptio, aut disciplina, ipsi est impsita Domino: ideoq; uulneratus est dominus, & liuores accepit. At his medicatus est nobis. Medicatus autem esset nobis minimè, si uulnera & liuores atq; plagas, id est, pœnam pro peccatis adhuc expectaremus. Proinde Christi mors est plenaria satisfactio pro peccatis nostris. Et quid obsecro præstitisset nobis Christus, si adhuc pro peccatis nostris exigeretur à nobis pœna? Itaque cum dicimus eum pertulisse omnia peccata nostra in corpore suo super lignum, quid quæso aliud significamus, quàm sustulisse dominum nobis indebita morte uindictã, ne ea in nos animaduertat? Ac quoties de redemptione per Christum facta meminit Paulus, uocare solet ἀπολύτρωσιν, quo non simpliciter, uti uulgò putatur, redemptio intelligitur, sed precium ipsum & satisfactio redemptionis. Qua ratione etiam scribit Christum ipsum se pro nobis ἀντίλυτρον dedisse. Id significat precium quo redimuntur captiui ab hostibus in bello. Siquidem quæ uulgò uocant ransonas, Græci λύτρα uocant: ἀντίλυτρον uerò est cum caput capite, uita redimitur uita. Cæterum ita redemptis & liberatis nulla porrò irrogatur pœna, cum trãslata sit ex uno capite in aliud. Præterea hoc est testamentum nouum quod Deus in Christo suo nobiscũ pepigit, quòd iniquitatum nostrarum non recordabitur. At quomodo non recordaretur iniquitatum nostrarum, si illas postulare pergeret ad pœnam? Itaq; relinquitur iam indubitatum, Christum dominum plenariam esse propitiationem, satisfactionem hostiáq; ac uictimam pro peccatis, pro pœna inquã & pro culpa totius mundi, & quidem solum, Non est enim in alio quoquam salus. Nec enim aliud nomen est datum inter homines in quo oporteat nos saluos fieri.

Christi mors plenaria satisfactio pro peccatis.

Act. 4.

Quomodo imponatur nobis pœna.

1. Petri 4.

Non nego disciplinæ, castigationis & exercitij gratia imponi hominibus uaria pœnarum genera, affligiq; & exerceri homines propter peccata uariè. Cæterum illæ afflictiones utcunq; perferantur à fidelibus patienter, nõ tamen peccata abluunt, neq; pro peccatis satisfaciunt. S. Petrus, Ne miremini, inquit, dum per ignem exploramini, quæ res ad experimentum uestri fit, perinde quasi nouum uobis aliquid obtingat: imò in hoc quòd consortes estis afflictionum Christi, gaudete, ut in reuelatione quoq; gloriæ eiusdem gaudeatis exultantes. Is inquam finis & usus afflictionum est. Manet interim Christo sua gloria illibata.

Deus constituit ut qui credit habeat uitã æternã, et sit iustus.

Isaiæ 53

Ioan. 3.

Restat iam ut diuinis scripturis demonstrem Deum patrem cõstituisse, ut qui credit in unigenitũ Dei filium, particeps fiat iustitiæ Christi, id est, iustificetur per Christum, absoluatur à peccatis, fiatq; hæres uitæ æternæ. Isaias itaq;, Cognitione sui, uel in scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, quorum iniquitates ipse portabit. At quæ est cognitio aut scientia Christi domini, nisi uera fides? Iam uerò ipse dominus Iesus in Euangelio secundum Ioannem dicit, Et sicut Moses exaltauit serpentẽ in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Non fuit remedium in de-

ſerto aliud contra uenenatum ſerpentium morſum, niſi contemplatio erecti ſuſpenſiq́ ſerpentis. Non medicabatur ueneno infectis emplaſtrum, non oblatio facta Deo, non oratio ipſa Deo oblata, non opus ullum, nō ratio ulla: ſola cōtemplatio uirus per membra diffuſum reddebat innoxium. Ita nulla omnino res ſeruat à morte, niſi unica fides in Chriſtum. Fide enim aſpicimus & uidemus erectū Chriſtum in ſtipite crucis, ſicuti claret ex 6. cap. Ioannis. Sequitur ergo in uerbis ſaluatoris, Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum nō pereat, ſed habeat uitam æternam. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut condemnet mundum, ſed ut ſeruetur mundus per eum. Qui credit in eum non condemnatur, qui uerò non credit condemnatus eſt: quia non credit in nomē unigeniti filij Dei. His uerbis tertiò inculcatur fides per quam redimur participes filij Dei, uitæ eius, ſalutis, redemptionis ac bonorum omnium. In 6. cap. euangelij Ioannis idem Dominus dicit, Hæc eſt uoluntas eius qui miſit me patris, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitā æternam, & ego ſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Quibus uerbis inſtituto noſtro nihil poterat afferri efficacius. Nam diſertè dicitur, uoluntatē eſſe Dei patris ut credamus in filium, & per hanc fidem ſaluemur. Vnde & Ioannes ille Euāgeliſta & Apoſtolus in Canonica ſua auſus fuit in hæc prorumpere uerba, Qui non credit Deo, mendacem facit eum: quia nō credidit in teſtimonium quod teſtificatus eſt Deus de filio ſuo. Et hoc eſt teſtimonium, quòd uitam æternam dedit nobis Deus, & hæc uita in filio eius eſt. Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filium, uitā non habet. Obſeruet hæc charitas ueſtra. Aeterna & immutabilis Dei uoluntas eſt, quòd uult uitam æternam dare mundo. Vult autem dare per Chriſtum, qui naturaliter uita eſt, & uiuificare poteſt. Vult idem ille Deus ut uitam conſequamur habeamusq́ in nobis: & habeamus quidem per fidem. Nam & Apoſtolus Paulus docuit Chriſtum per fidem habitare in cordibus noſtris. Sed & ipſe Dominus rurſus teſtatur & ait, Qui edit me, uiuet & ipſe propter me. At nouit charitas ueſtra, Edere eſſe credere. Concludimus ergo hunc locum his beati Petri uerbis, Huic Chriſto omnes prophetæ teſtimonium ferunt, quòd remiſsionem peccatorum accepturus ſit per nomen eius, quiſquis crediderit in eum. Habemus in his totius ſcripturæ ſanctæ teſtimonium ampliſsimum. Oſtendimus iſtis manifeſtè ſatis, Deum cōſtituiſſe ut quicunq́ credit in Chriſtum, purgatus à peccatis hæres ſit uitæ æternæ.

Joa. 3.

1 Joa. 5.

Joan. 6.

Sola fide iuſtificari homines.

Iſta reddemus adhuc illuſtriora, demonſtrando fidem ſolam, id eſt, fidem propter ſe & non propter opera noſtra iuſtificare credentes. Propter ſe dicimus, non quatenus fides in nobis eſt animi noſtri qualitas aut opus noſtrum in nobis, ſed quatenus fides donum eſt gratiæ diuinæ, promiſsionem habens iuſtitiæ & uitæ, ac quatenus natura ſua certa indubitataq́ fiducia aut perſuaſio eſt, innitens Deo & credens Deum propter Chriſtum placatum, per Chriſtum uitam & omne bonum nobis cōtuliſſe. Itaq́ fides propter Chriſtum & ex gratia Dei aut pacto Dei iuſtificat: adeoq́ fides eſt id quod credimus & in quo acquieſcimus, ipſe inquam Deus, ipſa Dei gratia per redemptionē Chriſti nos iuſtificat: ut iam opera & merita noſtra nullum hic locum habeant, nempe iuſtificandi. Alioqui locum ſuum habent bona opera in fidelibus: ſicut ſuo loco dicemus. Nam doctor Gentium Paulus antitheſi quadam committit Adamo Chriſtum, & oſtendit ex Adamo adeoq́ ex natura noſtra & uiribus noſtris nos nihil habere quàm peccatum, indignationē Dei, & mortem. Id eo nomine oſtendit, ne quis in carne quærat iuſtitiam ac uitam. Ex aduerſo autem demonſtrat nos à Chriſto habere iuſtitiam, gratiā Dei, & uitam, ſed & condonationem omnium peccatorum. In ea antitheſi uehementer urget & replicat

Antitheſis Adæ & Chriſti.

Rom. 5.

plicat uocabulum VNIVS, certè ut intelligeremus solam fidem iustificare.

Ad Galatas hac utitur demonstratione profectò euidentissima, Testamento hominis, siquidem sit comprobatum, nemo addit aut adimit aliquid. Aequissimũ ergo est, ne quis Dei testamento aut addat aut adimat aliquid. Cæterum hoc est testamentum quod sanciuit Deus, quòd benedictionẽ semini Abrahæ, non in multis aut per multos, sed per unum conferre uelit. Nam non dicit, Et seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de uno, Et in semine tuo, qui est Christus. Proinde nefas est huic testamento Dei quicquam adijcere uel detrahere: manetq́ solus Christus saluator: homines non sunt saluatores uel sui uel aliorum. Gala: 3. *Testamentum Dei.*

In eadem ad Galatas epistola, Scimus, inquit, non iustificari hominem, ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. Et nos in Iesum Christũ credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea quòd non iustificabitur ex operibus legis omnis caro. Tertium repetit Paulus homines non iustificari ex operibus legis. Qua sententia omnis generis opera cõprehendit. Nulla itaq́ opera iustificant. Quid autem iustificat? Fides in Christũ: & ea quidem sola. Quid enim aliud potest loquutio, Scimus hominem non iustificari, nisi per fidem Iesu Christi? Aequipollentes enim sermones sunt, Sola fides iustificat. Et, Certum est non iustificari nos, nisi per fidem Iesu Christi. Adiungit exemplum Apostolorum, Et nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificaremur ex fide Iesu Christi: & nõ ex operibus legis. Ita etiam Petrus argumentatur ab exemplo in Actis apostolorum, dicens, Credimus per gratiam domini nostri Iesu Christi nos saluos futuros, quemadmodum & illi, Acto. 15. cap. Gala: 2. *Non per opera legis, sed per fidem iustificamur.*

In eodem ad Galat. capite, Nõ aspernor, inquit, gratiam Dei. Nam si per legem est iustitia, igitur Christus frustra mortuus est. Si enim in nobis erat per quod potueramus seruari, quid opus erat filiũ Dei incarnari, pati & mori? Quia uerò Dei filius incarnatus, passus & mortuus est: neq́ frustra mortuus est: ideo non erat in carne quod poterat salutem impetrare homini. Solus ergo Dei filius manet saluator: ac salutem nobis communicat per ueram fidem. *Christus nõ est frustra mortuus.*

In epistola ad Romanos per initium euincit Paulus omnes homines esse peccatores, neq́ ullas superesse hominibus uires quibus iustificentur, legemq́ ipsam Dei peccata eruere, id est, applicare, proferre & manifestare, nõ tollere, expungere, aut extinguere: ideoq́ Deum pro bonitate sua, ne periret prorsus quod condiderat, gratis iustificare in fide Iesu Christi credentes. Verba aliquot Apostoli recitabo, Iustitia Dei, inquit, absq́ lege manifestata est, cõprobata tamen legis & prophetarum testimonio, iustitia inquam Dei per fidẽ Iesu Christi in omnes & super omnes eos qui credunt. Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt & destituuntur gloria Dei: iustificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus reconciliatorem per fidem in sanguinem eius. Hæc opinor uerba Apostoli planissima sunt omnibus credentibus. Adimit nostris meritis & uiribus iustificationem, tribuit illam gratiæ, qua datus est orbi filius Dei ad supplicium crucis, in hoc, ut omnes qui credunt se sanguine filij Dei redẽptos esse, iustificati sint. Idem Apostolus mox subijcit, Colligimus ergo fide iustificari hominem absq́ operibus legis. His argumenta subijcit, An Iudæorum Deus tantùm? An non & gentium? Certè & gentium: quandoquidem unus Deus qui iustificabit circuncisionem ex fide, & præputium per fidem. Deum esse aliud nõ est, quàm uitam esse & salutem. Est autem Deus gentium quoq́ Deus, non Iudæorum tantùm: ergo Deus est uita & salus gentiũ. Hanc uitam & salutem non communicat per legem aut per circuncisionem: sed per fidem in *Omnes homines sunt peccatores.* Rom. 3. *Deus iustificat fide Gentes & Iudæos.*

Christum. Sola ergo fides iustificat. Demonstrari hoc potest exẽplo Cornelij Centurionis, cui cum prædicasset Christum S. Petrus, & ille credidisset, protinus iustificatus fuit, etiamsi non recepisset circuncisionem uel legem, etiamsi non sacrificasset, aut ullo opere promeruisset iustitiam: Gratis enim fide per Iesum Christum iustificatus est. Nam Petrus sermonem suum ita concluserat, Huic Christo omnes prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius quisquis crediderit in eum.

Acto. 10.

Abraham pater noster quomodo sit iustificatus.

Profert Apostolus post illa eximium & singulare exemplũ patris nostri Abrahæ, docens quomodo iustificatus sit pater noster Abraham. Hoc enim ubi certò expositum fuerit, non poterit non constare & manifestum esse omnibus, quomodo Deus uelit iustificare omnes homines. Nequeunt enim alia ratione iustificari filij quàm iustificatus est pater. Abraham ergo non iustificatus est ex circuncisione aut sacramentorum perceptione. Nam prius dicitur iustificatus quàm circuncisus. Postea accessit circuncisionis signum, signaculum iustitiæ fidei, id est, sigillum aut obsignatio, quòd fide iustificatur omne semen Abrahæ. Idem ille pater noster Abraham non est iustificatus per legem. Nam lex demum post annos 430. addita est promissioni, non ut peccatum tolleret uel iustificaret, sed ut peccatum ostẽderet, & nos totos euacuaret, & euacuatos relegaret & quasi cogeret ad Christum. Idem Abraham non iustificatus est per opera sua. Et tamen inueniuntur in hoc sanctissimo patriarcha bona opera ac fidei quidem ueræ opera bona, & illustria & multa, qualia & quanta uix reperias in alio. Nihilominus dicit Apostolus, Quid dicemus inuenisse uel meruisse (utrunq; enim significat εὑρηκέναι) Abraham patrem nostrum secundum carnem, qui inquam secundũ carnem pater est? Nam si Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quod glorietur: at nõ apud Deum. Deus enim solus iustus est & iustificans. Omnes homines corrupti sunt, etiam Abraham peccator est, & omnes homines destituuntur gloria Dei. Vnde & propheta disertè prohibuit gloriari, nisi in misericordia Dei. Proinde Abraham minimè contra Deum gloriatus est: agnouit se peccatorem esse, & gratis, non propter merita sua iustificari. Sequitur enim in Apostolo, Quid enim scriptura dicit? Credidit autem Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Duo dicuntur, Primum, quòd Abraham Deo crediderit, Secundum, quòd id ei imputatum sit pro iustitia. Ex ijs consequitur fide iustificatum esse Abrahamum, non per opera. Id enim colligit Apostolus ad hunc modum, Ei qui operibus meretur iustitiam, non imputatur iustitia. Imputatur autem Abrahæ iustitia, ergo non meruit iustitiam operibus. Rursus, Ei certè imputatur iustitia, qui credit non operatur. Credidit autem Abraham Deo, ergo fides ei imputatur pro iustitia.

Galat. 3.

Ière. 9.

1 2

Neq; fides neq; promißio est inanis.

In eodem capite profert idem Apostolus & alia non minus firma pro fide iustificante absq; operibus argumenta. Si ij qui ad legem pertinẽt, ait, hæredes sunt, inania facta est fides, & irrita facta est promissio. Ad legem pertinent qui operibus legis iustitiam quærũt. Cæterum fides innititur in misericordiam Dei. Quem uerò locum habebit gratia & misericordia Dei, si meremur iustitiã? Quid necesse est credere iustificandum me fore Christi sanguine, si propter opera mea placatur mihi numen, propter peccata mea iratum? Deniq; promittitur salus & iustitia à Deo. Promissio autem ibi cessat ubi incipit meritũ se nostrum ingerere. Nam ad Galatas quoq; dixit Apostolus, Si ex lege est hæreditas, iam non est ex promissione. Atqui Abrahæ per promissionẽ donauit Deus: proinde ut firma maneat promissio, fides iustificat non meritum.

Rursus ad Romanos cap. 4. Idcirco ex fide datur hæreditas, ait, ut secundum

gratiam,

gratiam, ut firma sit promissio uniuerso semini, non ei tantùm qui est ex lege, uerumetiam ei qui est ex fide Abrahæ. Duas commemorat causas, ob quas fidei & non operibus tribuat iustificationem. Prior, ut iustificatio constet gratis, & laudetur gratia Dei. Posterior, ut firma sit promissio & salus, cedatq; ea etiam gentibus. Non daretur autē gentibus, si legi & circuncisioni, quibus gentes carent, deberetur. Deniq; oportet firmam esse spem salutis nostræ. Nunquā autem uel firma uel tuta esset futura, si tribueretur nostris operibus aut meritis. His enim semper deest aliquid. In Deo autē & merito filij eius nihil potest desiderari. Rata ergo salus est, indubitata & certa, si illam per fidem quæramus in filio Dei, qui est iustitia nostra & salus.

Iustificatiò constat gratis.

Salus certa sit oportet, non dubia.

His omnibus subiungam adhuc aliud ex S. Paulo testimonium, & hoc quidem euidentissimum clarissimumq;. Ad Ephesios scribit, & ait, Gratia estis seruati per fidem, idq; non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Nam ipsius sumus figmentum conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus ut in eis ambulemus. Plura his non adijciam, nec Pauli uerba multis interpretabor. Sunt enim luce meridiana clariora, & clarissimè testantur fide nos non ullis operibus iustificari.

Ephes. 2.

Nullum autem hîc periculum est fratres in Domino honorandi, ne uilescant hac doctrina de sola fide iustificante, bona opera. Apostoli Christi sic docuerunt, cur non ita etiam doceremus & nos? Apostolos Christi, non nos accusent, quibus uidetur genus doctrinæ, quod de fide iustificante absq; operibus constanter à nobis proponitur, esse irreligiosum. Præterea cùm dicimus sola fide, aut fide absque operibus iustificari credentes, non hoc dicimus quod multi intelligunt, fidem esse solam aut destitutam bonis operibus. Nam ubicunq; fides est, ibi se exerit per bona opera. Iustus enim non potest non operari iustitiam. Antequam tamen operetur iustitiam, id est, opera bona, iustus sit necesse est: ergo iustus per opera sequentia, præcedentem iustitiam non assequitur. Ea ergo iustitia gratiæ tribuitur. Iustificātur enim gratis credentes in fide, iuxta illud, Iustus fide sua uiuet, & postquam iustificati sunt, incipiunt proferre opera iustitiæ. Proinde nolumus hac disputatione bona opera impugnare, quæ suum locum & suam dignitatem habent in ecclesia apud fideles coram Deo: sed uolumus modis omnibus adserere gratiam Dei & meritum filij Dei, quo solo iustificamur, euerti & conculcari, cùm cōiungimus nostra merita & opera merito Christi & fidei qua apprehendimus Christū. Quid enim clarius quàm quod dicit beatus Apostolus? Si per gratiā saluamur, non iam ex operibus. Alioqui gratia iam non est gratia. Sin autem ex operibus, iam non ex gratia. Quandoquidem opus iam non est opus. Rom. 11. Nequeunt ergo hæc duo gratia & meritum uel opus simul consistere. Ergo ne subuertamus Dei gratiam, & fructum passionis Christi negemus impiè, iustificationē tribuimus solæ fidei, quia hæc tribuit meræ Dei gratiæ morte filij Dei.

Fides exerit et exprimit se per opera.

Sola fides iustificat.

Agnoscimus interim nos conditos esse, iuxta Pauli doctrinā, ad opera bona, ad ea inquā quæ præparauit Deus, quæ uerbo suo præscribit, exigitq; ut in eis ambulemus. Cumq; in his ambulamus & bonis operibus diuites sumus, his tamen iustificationē non tribuimus: sed iuxta doctrinā Euangelicā humiliamus nos sub manum eius qui dicit, Sic & uos, cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus. Ergo quoties legit pius opera nostra nos iustificare, opera nostra appellari iustitiā, operibus nostris tribui mercedē uitamq; æternā, non superbit, non obliuiscitur meriti Christi, sed huiusmodi loca piè & cōmodè interpretans, intelligit omnia esse diuinæ gratiæ, & tan-

De bonis operibus.

Lucæ 14.

ta tribui hominum operibus, quia ipsi sunt recepti in gratiam, & quia iam sunt filij Dei propter Christum; ut tandem omnia ad ipsum reuoluantur Christum, propter quem sciunt sancti se & omnia sua Deo patri gratos atque acceptos esse.

Illis uerò pauculis quidem, si amplitudinem argumenti spectaueritis, copiosioribus autem, si præfixum horæ spacium respexeritis, ostendi charitati uestræ maximam fidei uirtutem, nempe quòd iustificet credentes, ubi obiter totum ferè iustificationis negotium utile & cognitu necessarium omnibus, perstrinximus uerius quàm tractauimus. Transimus ergo iam ad alia quoq;.

Fides radix bonorũ operum. Fides uera est fons & radix omnium uirtutum bonorumq; operum, ac satiat in primis mentem ac desiderium hominis & tranquillam reddit ac hilarẽ. Nam Dominus in Euangelio, Ego sum, inquit, panis uitæ: qui uenit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam. Quid enim desideret amplius, qui sentit uera fide se iam possidere ipsum Dei filiũ, in quo sunt omnes thesauri cœlestes, in quo est omnis plenitudo & gratia? Serenas & tranquillas reddit conscientias nostras, postquàm uera fide apprehendimus Christum Dei filium planè esse nostrũ, illum nobis placasse patrem, illum apparere nunc in cõspectu patris, & intercedere pro nobis. Ideoq; Paulus dixit, Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Per eundem in fide habemus liberũ ad patrem aditum. Inuocamus ergo patrẽ per filium, & impetramus ab eo omnia, quæ nobis sunt salutaria. Verè enim dixit Ioannes Apostolus, Et hæc est fiducia quam habemus apud eum, quòd si quid petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. Et si scimus quòd audit nos quicquid petierimus, scimus quòd habemus postulationes quas postulauimus ab eo. Qui fide carent, nec Deum inuocant, neq; salutaria ab eo accipiunt munera. Fides præterea gratos efficit Deo, eadem iubet donis Dei bene uti. Fides efficit ne in tribulationibus deficiamus. Imò fide uincimus mundum, carnem, diabolum, & aduersa omnia. Nam Ioannes Apostolus, Quoniam omne quod natum est ex Deo, ait, uincit mundum. Et hæc est uictoria quæ uincit mundum, fides uestra. Quis est qui uincit mundum, nisi qui credit quòd Iesus est filius Dei? Paulus, Alij uerò distenti sunt, ait, aspernati fide redemptionem, ut potiorem sortirentur resurrectionem. Alij ludibrijs & flagris explorati sunt, insuper & uinculis, & carcere: lapidati sunt, dissecti sunt, acie gladij interierunt: oberrarũt in ouillis & caprinis pellibus, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat mundus, in desertis errantes & montibus, in speluncis & cauernis terræ. Dominus enim ipse in Euangelio dixit, Hæc locutus sum uobis ut in me pacem habeatis. In mundo afflictionem habetis, sed confidite, ego uici mundum. Erit itaq; & est neruus & robur patientiæ fides. Hæcq; fulcit, erigit & conseruat spem. Ex fide existit charitas. Charitas est plenitudo legis, quæ in se continet uniuersitatem bonorum operum. Nisi uerò uera in Deum imbuti simus fide, nulla erit in nobis charitas. Omnis qui diligit eum qui genuit, dicit Ioannes Apostolus, diligit & eum qui natus est ex eo. Verùm hora iamdudum elapsa est, neq; quisquam poterit multis horis uirtutem fidei omnem pro dignitate explicare.

Fides est uictoria Christianorum.

Epilogus. Intellexit charitas uestra, fidem esse uerã ecclesiæ seu fideliũ Dei iustificationẽ, absolutionẽ inquam omniũ peccatorum, receptionẽ in gratiã Dei, imò adoptionẽ in numerũ filiorum Dei, & beatificationẽ certissimam felicissimãq;, fontem deniq; omnium bonorũ operum. Oremus itaq; uera fide Deum patrem per Dominũ nostrum Iesum Christũ, ut is nostra corda huiusmodi fide uera adimpleat, ut in præsenti seculo ipsi fide coniuncti, seruiamus ei legitimè: & postquã hinc soluerimus, uiuamus in æternum cum eo cui credidimus. Cui laus & gloria semper, Amen.

De

De primis fidei Christianæ articulis, Symbolo Apostolorum comprehensis.

SERMO VII.

DISSERVI proximis sermonibus duobus de uera fide & uirtutibus eius, ac inter alia commemoraui alicubi, Articulos fidei Christianæ compendium esse quoddam ueræ fidei, unde iam operæprecium & mei officij esse putaui, paucis explicare uobis Duodecim illos fidei articulos. Sunt enim ueræ fidei ueluti subiectum & materia circa quæ uersatur fides: quæ cùm sit substantia rerum sperandarum, articulis hisce exponitur simpliciter & breuiter quænam sint res illæ sperandæ. Nemo autem expectet à me in præsenti operosam & plenam de articulis fidei disputationem: perstringam illos duntaxat, maximè necessaria tantùm attingens. De singulis dicitur aliâs copiosius. Vos mecum orate Dominum, ut is uias suas nobis ostendat, in ijs deducat & seruet, ad gloriam nominis sui & animarum nostrarum salutem æternam.

Principiò dicendum est aliquid de communi appellatione, qua uulgò articuli fidei nostræ appellantur Symbolum Apostolorum. Symbolum autem dicitur & collatio & indiciũ. Collatio uerò nuncupantur articuli, quòd ex collatione doctrinæ Apostolicæ sint compositi atq; conscripti, ut sint regula & epitome quædam fidei prædicatæ ab Apostolis, & receptæ à Catholica siue uniuersali ecclesia. Quis autem primus hos articulos sic ordinauerit conscripseritq;, incertũ est, neq; traditum sacris literis. Sunt qui id ipsis tribuāt Apostolis, ac eo nomine appellitēt Symbolum Apostolorũ. Beatus Cyprianus martyr in expositione Symboli Apostolici, Tradunt maiores nostri, inquit, quòd post ascensionē Domini, cùm per aduentum sancti spiritus super singulos quosq; Apostolos igneæ linguæ sedissent, ut loquelis diuersis uarijsq; loquerentur, per quod eis nulla gens extera, nullæ linguæ Barbaræ inaccessæ uiderentur, & in uia præceptum eis à Domino datum ob prædicandũ Dei uerbum ad singulas quasq; proficisci nationes. Discessuri itaq; ab inuicem, normam prædicationis in cõmune constituunt, ne fortè alius ab alio abducti, diuersum aliquid his qui ad fidem Christi mutabantur exponerent. Omnes ergo in unũ positi & spiritu sancto repleti, breue istud futuræ sibi, ut diximus, prædicationis indicium, conferendo in unum quod sentiebat unusquisq; componũt, atq; hanc credentibus dandam regulam esse statuunt. Hæc Cyprianus. Siue uerò ipsi fecerint Apostoli siue alij uiri Apostolici, satis tamen constat ipsam Apostolorum doctrinam purè in his contineri atq; tradi. Indicium ideò appellantur hi 12. articuli, quòd per illam notam seu indicium ueri Christiani à falsis dinoscantur.

Symbolũ Apostolorum.

Iam indicabimus quo ordine in illis explicandis simus progressuri. Poterit tota Epitome aut totũ compendium fidei distribui in quatuor ordines, ut tres primi ordines explicent triũ personarũ unius Dei mysteria: quartus aũt, fructus fidei, quæ scilicet bona expectemus ex fide, & quæ Deus suis donet fidelibus. Interim pgrediemur nihilominus eo ordine, quo articuli duodecim collocati aut positi sunt.

Distributio Symboli Apostolici.

Primus fidei Christianæ articulus hic est, CREDO IN DEVM, PATREM OMNIPOTENTEM, CREATOREM COELI ET TERRAE. Et primus quidem hic Symboli ordo duo continet. Primò enim in genere dicimus, Credo in Deum. Deinde speciatim descendimus ad distinctionem personarum, adijcientes, Patrem omnipotentem. Est enim unus Deus substantia, personis trinus. Vnde significanter unitatem substantiæ significantes, dicimus, Credo in Deum. Rursus personarum distinctionem obseruantes, & non confundentes, subiungimus, In patrem omnipotentem. In Iesum Christum fi-

Vnus est Deus essentia, personis trinus.

lium eius unicum. Et in spiritum sanctum. Credamus ergo Deum simplicem, unū, & purum esse substantia, personis autem trinum, patrem, filium, & spiritum sanctum. Scriptum est enim in lege, Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est. Rursus in Euangelio legimus dixisse Dominum, Baptizantes eos in nomen patris, & filij, & spiritus sancti.

Deut. 6 Math. 28.

Credo in Deū.

Obseruandum uerò singulariter, quòd orantes dicimus, Pater noster qui es in cœlis, da nobis hodie panem nostrum quotidianum: confitentes autem non dicimus Credimus, sed Credo. Nam requiritur ab unoquoque nostrum fides, quam quisque teneat synceram corde, profiteatur simpliciter ore. Non potuit Abrahā credere pro uniuerso semine suo. Neque enim profuerit tibi si alius credat, tu uerò non credas. Requiritur enim à singulis fides à Domino. Singuli ergo profitentes dicimus Credo. Porrò quid sit credere, exposui Sermone 4. Præterea sequitur in professione, Credo in Deum. Deus est obiectum & fundamentum fidei nostræ, utpote æternum, summum, inexhaustum & obuium bonum. In Deum ergo credimus, id est, spem omnem, omne præsidium & totos nos collocamus, ueluti in eum qui seruare & omnia salutaria conferre potest.

Deus pater dicitur.

Sequitur enim iam quis sit ille Deus cui innitimur, & cui nos totos committimus, Pater omnipotens. Pater appellatur Deus noster, quia ab æterno sibi similem genuit filium. Scriptura enim nominat Deum, patrem Domini nostri Iesu Christi. Hic, inquit Apostolus, est splendor gloriæ, & expressa imago substantiæ paternæ: ad quem dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et rursum, Ego ero illi pater, & ille erit mihi filius. Deinde Deus pater dicitur per similitudinē quandam, quam habet cum patre nostro terrestri, nimirum propter creationem, fauorē, amorem, curam & solicitudinē qua erga nos affectus est. A Deo enim sumus conditi. Deus amat nos, curat res nostras, & pro nobis solicitus est, & magis quidem uel impensius quàm sit ullus pater terrenus. Nam Dauid, Quemadmodum pater miseretur liberorum, ita Dominus miseretur timentium eum. Ipse enim nouit conditionem nostram, recordans quoniam puluis sumus. At Isaias in cap. 50. Nunquid obliuisci potest, inquit, mulier infantis sui, quò minus misereatur & eximiè afficiatur erga eum quem suis ex uisceribus genuit? Sed esto, obliuiscatur illa, ego tamen tui non obliuiscar. His ergo declaratur bona erga nos Dei uoluntas: & nos profitentes Deum esse patrem nostrum, profitemur nos credere Deum nobis esse clementem, benignum, misericordem, qui uelit omnia quæ nobis sunt salutaria, denique ipsum erga nos nihil nisi bonum & salutare instituere: præterea nos ab illo habere quicquid habemus boni corporaliter & spiritualiter.

Heb. 1. Psal. 2. Psal. Esa. 50.

Deus omnipotens.

Omnipotens dicitur Deus, quia omnia potest, quia omnium Dominus est, omniaque habet suo subiecta imperio. Ideò enim & Dominus exercituum appellatur. Cœlum, terra, & quæ in eis sunt, astra, elementa omnia, homines, angeli, diaboli, animantia omnia, res cōditæ omnes, in potestate sunt supremi & æterni numinis. Quæcunque iusserit, faciunt, nihil eius uoluntati resistere potest. Quod ipse uoluerit, fieri necesse est: ac utitur rebus illis omnibus prout uult, & ut iustitia eius, denique salus hominū poscit. Confessi sumus prius Deum nobis bene uelle, iam confitemur illum quæ uult etiam posse. Confitemur enim Deum omnipotentem esse, id est, nihil non posse quod utile & necessarium est hominibus, adeoque illum esse Dominum uniuersorum, & auxiliatorem nostrum fortem.

Deus est creator cœli & terræ.

Quòd autem Deus sit pater noster bonus, benignus, clemens, & misericors, denique fortis, omnipotens, Dominus uniuersorū, atque defensor & assertor noster, declaratur operibus eius mirificis. Est enim Creator cœli & terræ. Porrò creatione

cœli

cœli & terræ declarauit quomodo affectus sit erga homines. Dum enim illi nondum essent, neque meritis officijsque prouocare possent Deum ad benefaciendum ipsis, Deus prior ex mera sua & natiua bonitate condidit cœlum & terram, palatium longè præstantissimum & elegantissimum, & hoc ipsis ad inhabitandum concessit, subiectis homini creaturis in toto hoc mundo uniuersis. Quantam uerò potentiam exeruerit in creatione rerum omniũ, claret ex hoc, quòd dixit, & facta sunt mandauit & creata sunt. Quæ si per partes digeras & sigillatim exponas quid per sex dies condiderit, quo ordine, quo cum ornatu, quanta cum utilitate hominum, denique quàm nullo negotio ista omnia produxerit, sicuti fusè scribitur à Mose Genes. 1. cap. cogeris ad beneuolentiam & potentiam Dei planè obstupescere. Interim talem quoque Creatorem uniuersorum cogitare oportet, qui condiderit quidem per filium suum siue per æternam sapientiam omnia, tam uisibilia quàm inuisibilia, eaque ex nihilo: sed nunc quoque nihilominus per spiritum suum æternum sustineat, foueat, agat, & conseruet omnia, citra quem omnia statim collapsura essent & abitura in nihilum. Confitemur ergo hîc quoque Dei æterni prouidentiam, & gubernationem sapientissimam. Prouidentia

Et hoc quidem ordine primo expositum est, quod patris quidem quasi proprium est. Est enim pater, & pater quidem Domini nostri Iesu Christi: & pater noster est Dominus uniuersorum, creator cœli & terræ, gubernator & conseruator rerum omnium, ex quo sunt omnia, & in quo consistunt omnia. Ex hoc ab æterno gignitur filius æternus, patri coæqualis, coessentialis, eiusdem cum patre potestatis & gloriæ, per quem & secula condidit: ex utroque procedit spiritus sanctus, Dauide quoque attestante & dicente, Verbo Domini cœli facti sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Psal. 33.

Sequitur iam ordo secundus, in quo continentur omnia mysteria filij Dei Domini nostri Iesu Christi. Secundus enim articulus fidei Christianæ ad uerbum sic habet, ET IN IESVM CHRISTVM FILIVM EIVS VNICVM DOMINVM NOSTRVM. Duo autem continet hic articulus. Alterum, quòd credimus in filium Dei: Alterum, quis sit ille Dei filius. Profitemur enim nos credere, id est, fiduciã & spem omnẽ uitæ ac salutis perinde in filiũ collocare atque in patrẽ. Disertè ergo dicimus, Credo in Iesum Christũ: quemadmodũ diximus, Credo in Deũ, &c. Nam Ioan. 14. cap. dicit ipse Dominus Iesus, Ne turbetur cor uestrũ: creditis in Deũ, & in me credite. Itẽ, Hoc est opus Dei, ut credatis in eũ quẽ misit ille. Et iterum, Hæc est uita æterna, ut cognoscãt te solũ Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Præterea legimus in Euangelio Ioannis, Dominum ad cæcũ cui aperuerat oculos dixisse, Credis in filiũ Dei? Cæcum uerò illuminatũ illi respondisse, Quis est Domine, ut credam in eum? At Dominũ subiecisse, Et uidisti eum & qui loquitur tecum ipse est. Tunc autem excepisse cæcum, Credo Domine: sed & adorasse. Credamus ergo & nos ac adoremus, credamus autẽ Iesum esse uerum Dei patris filium, eiusdem potestatis cum patre, distinctam tamen à patre personã. Quando & Dauid dixit, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.

Articulus filij dei 2. Credere in filium Dei. Ioan. 6. Ioan. 17. Ioan. 9. Psalmi 110.

Cæterum copiosè explicamus quis sit ille filius Dei in quem credimus. Vbi tria ueniunt obseruanda. Primũ illud est quod appellatur Filius unicus. Si filius est, & filius quidem Dei patris, ergo natura & substantia eius diuina est natura & substantia. Hoc enim nomine appellatur ab Apostolo splendor gloriæ paternæ, et expressa imago substantiæ illius. Rectissimè itaque filius dicitur à sanctis patribus consubstantialis & coessentialis patri. Quò illud pertinet quod dicitur filius unicus, alibi unigenitus & primogenitus. Nuncupamur enim & nos filij, sed non com-

Quis sit filius Dei. Hebræ. 1. Filius unicus.

munione naturæ, aut substantiæ æqualitate, uel naturaliter, sed per adoptionem. Et proinde non offendebantur Iudæi, quòd se nuncuparet filium Dei, sicuti omnes fideles dicuntur & sunt filij Dei, sed quòd intelligerent ipsum amplius quippiam de se prædicare, nempe quòd sit naturalis Dei filius, Deo æqualis, & Deus ipse. Sic enim legis in Euangelio Ioannis 5. cap. Propterea magis quærebant Iudæi interficere Iesum, quia non solùm soluisset sabbatum, sed & patrem suum dixisset Deum, æqualem se faciens Deo. Et in cap. 10. ubi dixisset Dominus, Ego & pater unum sumus, sustulerunt Iudæi lapides ut lapidarent eum: at hunc respondisse, Multa bona opera præstiti uobis, ob quod eorum me lapidatis? Iudæos uerò dixisse, Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam: & quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum. Sunt hæc clarissima diuinitatis Christi naturalis testimonia: quibus qui non credit, ne patrem quidem habet. Nam qui honorat filium, patrem honorat: & qui filio caret, ne patrem quidem habet: ac nisi filius naturalis esset Deus, non posset esse saluator mundi.

Ioan. 3. *1 Ioan. 2.*

Iesus. Deinde nomen proditur unigeniti filij Dei, & appellatur Iesus Christus. Exprimitur autem nomen ne sit error in persona, & ut intelligamus ex nomine quis sit ille in quem credimus, Iesus est: quo nomine donatus est oraculo cœlesti, quemadmodum etiam typi præcesserant de eo in Iosue duce, & in Iesu sacerdote summo. Angelus apud Matthæum erudiens Iosephum, Pariet filium, inquit, Maria, & uocabis nomen eius Iesum. Is enim saluum faciet populum suum à peccatis suis.

Math. 1.

Filius ergo hic Dei Iesus saluator est mundi, qui remittit peccata, & liberat ab omni potestate aduersaria, quod nullo modo posset nisi esset Deus uerus. Dicitur idem Christus, quod perinde sonat atque si tu dicas, Vnctus. Hebræi uocant Messiam. Et uocabulum hoc tam regni est, quàm sacerdotij. Olim enim ungebantur & reges & sacerdotes: & ungebantur quidem chrismate aut oleo externo siue typico. Christus ipse ipsa uera unctione spiritus sancti plenitudine unctus est: sicuti narratur in Ioanne cap. 1. & 3. Proprijssimè ergo hoc uocabulum Christus tribuitur Domino nostro. Nam primùm quidē rex est & sacerdos populi Dei. Deinde plena omnigenaque ubertate in Iesum effusus est spiritus sanctus, unde ueluti è scaturigine uel fonte uiuo exuberat in omnia Christi membra. Hic enim est ille Aaron, in cuius caput effusum est oleum, quod descendit in barbam & in extimos uestimenti eius lumbos. Nam de plenitudine eius accepimus nos omnes.

Christus. *Ioan. 1.*

Christus est Dominus. Postremò obseruandum uenit in secundo articulo, quòd nuncupamus Dei filium Dominum nostrum. Ac peculiariter & duplici quidem nomine appellatur filius Dei Dominus noster. Principiò propter mysterium redemptionis. Christus enim Dominus est omnium electorum, quos asseruit à potentia & dominatu satanæ, peccati & mortis, & fecit sibi eos populum acquisitionis. Fit autem allusio ad dominos qui pecunia sibi emunt seruos, aut qui in bello seruant captiuos, quos occidere potuissent, aut qui aliâs à morte præsenti liberant damnatos. Sunt ergo domini ueluti liberatores, redemptores, ac saluatores. Certè Paulus quoque huc alludens, Precio empti fuistis, inquit, nolite fieri hominū serui. Et beatus Petrus, Redempti estis, inquit, non auro & argento, sed precioso sanguine agni immaculati. Deinde Christus appellatur Dominus propter diuinam potentiam & naturam, secundum quam omnia subiecta sunt filio Dei. Et quia amplissimum est uocabulum domini, diuinam etiam naturam et maiestatem cōprehendens, libenter leguntur eo usi Apostoli. Paulus ad Corinthios, Licet multi sint domini, ait, nobis tamē unus est Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per illum.

1. Corin. 1. *1. Pet. 1.* *1 Cor. 8.*

Articulus fidei 3. Tertius fidei Christianæ articulus hic est, QVI CONCEPTVS EST

DE

DE SPIRITV SANCTO: NATVS EX MARIA VIRGINE.

Secundo articulo professi sumus nos credere in Iesum Christum Dei filiū Dominum nostrum: quo certè adumbrauimus nos firmiter credere Deum patrem nobis & in nostram salutem dedisse mundo filium saluatorem & liberatorem. Huc enim pertinent uocabula Iesus & Dominus. Iam itaq; tertio articulo exponimus modum & rationem qua uenit in mundum, nimirum per incarnationem. Duo ergo comprehendit articulus, Conceptionem Christi, & natiuitatem eiusdem. De quibus ordine dicemus, ubi prius & paucis quidem explicauerimus incarnationis dominicæ causas.

Actum erat cum hominibus, & perijsset totum genus mortalium propter peccatum quod contraximus omnes ex protoplasto. Nam stipendium peccati mors. Ideoq; non potuissemus cœlum ingredi qui eramus ad tartara projciendi, nisi ad nos descendisset Dei filius, ac Immanuel factus secum nos traxisset ad cœlos. Proinde summa incarnationis causa est, mediare inter deū & homines, & mediando coniungere uel adunare disiunctos. Nam ubi mediator est, ibi dissidiū & partes sint necesse est. Partes sunt Deus & homines. Causa dissidij est peccatum. At mediatoris est dissidentes partes rursus coniungere: id quod fieri non potest, nisi prius tollatur è medio causa dissidij, peccatum. Peccatū autem neq; expiatur, neq; tollitur, nisi fundatur sanguis & sequatur mors. Testimonium huius rei præbet Paulus ad Hebræos 9. cap. Oportuit ergo mediatorem assumere carnem nostram & sanguinem, quò & mori posset & fundere sanguinem. Præterea necesse est sequestrem aut mediatorem utrisque communem esse quos conciliare debet: unde oportuit Christum Dominū, & Deum esse uerum, & hominem uerum. Deus purus, formidabilis, & parum accommodus fuisset hominibus. Homo purus nō potuisset accedere ad Deum qui est ignis cōsumens: quapropter utrunque existens Dominus noster Iesus Christus, utriq; parti accommodus est mediator. De qua re testificans Apostolus dicit, Vnus Deus, unus etiam mediator Dei & hominū, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum preciū redēptionis pro omnibus. Idem Apostolus ad Hebr. 2. & 9. cap. plura disserit quæ ad hunc locū pertinent. Et in 2. cap. alteram quoq; incarnationis Christi causam recitans dicit, Debuit per omnia fratribus similis reddi, ut misericors esset & fidelis pontifex, in ijs quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum utiq; populi peccata. Nam quòd ipsi quoq; accidit tentatio, potest tentatis quoq; succurrere. Rursus ut erudiret homines in omni pietate & iustitia, deniq; ut esset lux mundi & exemplum sanctissimæ uitæ, incarnatus est Dominus noster. Nam Paulus, Gratia ait Dei salutifera apparuit nobis, erudiens nos, ut abnegata impietate sanctè uiuamus. In summa, ut nos propter peccata disiunctos à Deo, cum Deo rursus coniungeret, & in societatem suijpsius suorumq; bonorum omnium nos reciperet, naturæ communione nobiscum coaluit, hoc est, incarnari uoluit.

Incarnationis dominicæ causæ. *Rom. 6.* *Mediator.* *1 Timo 2*

Descendimus nunc ad modum incarnationis explicandum. Articulus fidei duo habet mēbra. Alterum est, Conceptus est de spiritu sancto. Homines alioqui omnes concipimur ex uirili semine eoq; immundo, & idcirco nascimur peccatores, adeoq;, ut Paulus ait, nascimur filij iræ. Cæterum corpus Christi adeoq; Dominus noster nō concipitur in Maria uirgine de Ioseph, aut ex ullo uirili semine, sed de spiritu sancto: non quòd spiritus fuerit loco seminis. Nequit enim ex spiritu aliud generari nisi spiritus. Atqui habet Dominus noster non phantasticū corpus, sed uerum & nobis consubstantiale. Conceptus est ergo Dominus noster in utero uirginis è spiritu sancto. Nam effecit æterna sua potentia spiritus sanctus,

De conceptione Christi.

ut illibata uirginitate matris, ipsa inquam fœcunda facta conceperit ex suo ipsius sanguine, dederitque corpus purum & uerè humanum filio Dei. Id quod multis exponitur per angelum Gabrielem apud S. Lucam in cap. I. De quo loco cum alibi dicturi simus copiosius, iam transimus intactum. Prædixit conceptionem illam sic futuram ipse Deus mox ab ipso mundi principio. Non enim dixit, semē uiri conculcabit caput serpentis, sed semen mulieris. Præterea dicit per prophetas Deus, Ego excitabo semen ipsi Dauidi. Nota est autem lex Mosis de excitando semine fratris defuncti. Si enim excessisset frater sine liberis, cogebatur frater superstes uxorem ducere defuncti fratris, ac ex ea procreare liberos, qui nomine appellabantur censebanturque non uiui quidem, sed defuncti fratris. Proinde cum ex Dauide non esset uir qui idoneus foret gignere ex uirgine filium Dei saluatorē mundi, Deus ipse suscitat Dauidi semen, ac per spiritum suum fœcundam reddit uirginem: quæ quanquam non concepit ex uiro Dauidico, quia tamen ipsa erat Dauidis filia, & ex sua ipsius substantia, Deo sic efficiente, dederit substantiā filio Dei, est hic, & dicitur Dauidis filius. Quid quod ipse Dauid in Psalmo 110. uaticinans dicit: In magnificentijs sanctitatis ex utero auroræ tibi ros natiuitatis tuæ. Vel, Ros natiuitatis tuæ tibi ex utero auroræ in magnificentijs sanctitatis. Hoc est, magnifica quadam sanctitate & modo mirabili nasceris. Habebit enim se tua natiuitas sicut generatio roris, qui ex aurora pura uelut matrice nascitur. Elicit enim interdiu sol è terra uaporem, qui ob calidi sursum ducentis paucitatem, temperatæ noctis uel uesperarum frigore deorsum ducitur, atque in aquam soluitur. Sic autem sol iustitiæ Deus è terra, ex corpore inquam intemeratæ uirginis Mariæ, sanguinem elicuit, & mirabili modo sanctè & purè effecit, ut è matrice mūda nasceretur conciperetur que sanctissimus Dei filius.

De excitando semine fratris

Caussæ puræ conceptionis Christi.

Caussæ purissimæ huius cōceptionis filij Dei in utero sanctissimæ uirginis hæ sunt. Qui concipitur in utero uirginali Deus est: at Deus est ignis consumens, qui nullam potest in se recipere immunditiam. Et quoniā uenit Deus nostram, id est, humanam impuritatē purificaturus, oportuit certè ipsum ab omni originali labe exemptum, per omnia esse sanctissimū, ut unica eaque illibata hostia pro peccatis totius mundi oblata, omnia mundi peccata semel tolleret è medio. Nam quod inquinatum est, non potest id quod inquinatum est purgare, quinimo labes & immunditia per alterius immundi accessionem conduplicat impuritatem.

De natiuitate Christi.

Alterum membrum huius articuli tertij est, Natus ex Maria uirgine. Natus est Dominus ex Maria matre eademque uirgine. Homo ergo uerus est, qui ex homine natus est. Sed & pura est eius natiuitas. Nam ex uirgine natus est, ita ut simul & mater fuerit & uirgo. Nam & Isaias dixit, Ecce uirgo concipiet & pariet filium. Virgo inquit faciet utrunque, concipiet & pariet, ita ut maneat uirgo. Purissima ergo est filij Dei natiuitas. Et uera quoque est. Trahit enim carnem ex substantia & ex uisceribus uirginis. Quo nomine etiam appellatur Dominus noster Iesus filius Dauidis. Non posset dici Dauidis filius, nisi ex Maria, puella, aut filia utique Dauidica accepisset ueram substantiam humanam. Ad quam significandam & proprijssimè exprimendam Ioannes Apostolus dixit, Verbum caro factū est. Et apostolus Paulus, Nusquam assumit angelos, sed semen Abrahæ. Ibidem dicit Dominum fratribus suis factū esse similem per omnia excepto peccato. Ad Philippenses ait, Cum esset æqualis Deo, semetipsum inaniuit forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo. Rursus autem testificatur Ioannes Apostolus, & ait, Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum uenisse in carne, ex Deo est, & omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum

Esa. 7 *Joan. 1* *Phil. 2* *1 Joan. 4*

in carne

in carne uenisse, ex Deo nō est. Modum natiuitatis exposuit multis Lucas cap.2. Et nos aliàs de eo dicemus copiosius. Credamus ergo & confiteamur Iesum Dei filium conceptum esse ex spiritu sancto, natum ex Maria uirgine.

Quartus fidei Christianæ articulus hic est, PASSVS SVB PONTIO PILATO, CRVCIFIXVS, MORTVVS, ET SEPVLTVS, DESCENDIT AD INFERNA. Exponitur hoc articulo quarto, finis, usus & fructus incarnationis dominicæ potissimus. Homo enim factus est, ut pati & mori posset, moriendoq; & patiendo à morte æterna & tormentis inferorum redimere, purgatosq; constituere hæredes uitæ æternæ. Nam hic est finis mortis dominicæ, ut mox indicabimus, & copiosè exposuit Paulus ad Hebræos cap.9. *Articulus fidei 4.*

Diducitur hic articulus rursus in suas portiones. Principiò confitemur Dominum nostrum passum esse, uerè utiq; non putatiuè, & passum quidem ærumnas & miserias huius seculi, deinde tormenta carnificum & ipsam mortem acerbissimam. Passus est itaq; animo & corpore, & multifariè quidem. Isaias enim dicit, Vir dolorum est, & qui expertus est ærumnas. Ipse portat infirmitates nostras, & dolores nostros ipse baiulauit. Nam & in Euangelio ipse dixit, Tristis est anima mea usq; ad mortem. Ea uerò omnia propter nos passus est. Non enim erat in ipso peccatum aut causa ulla cur pateretur. *Christus passus est.* *Esa: 53.*

Secundo loco notatur tempus & iudex Pontius Pilatus sub quo mortuus est dominus, & redemit mundum à peccato, morte, diabolo, & inferis. Passus est ergo sub monarchia Romanorum, sub Imperatore Tiberio, cum iam secundū uaticinium Iacobi Israelis, populus Iudaicus pareret exteris regibus, neq; præessent amplius reges uel præsides è stirpe Iudaica. Tum enim uenturum prædixerat Messiam. Quid quod ipse Dominus in Euangelio nō semel prædixerat se tradendum fore in manus Gentium, & ab his occidendum? *Passus sub Pontio Pilato.* *Gene. 49.*

Tertio loco significamus etiam modum passionis. Subiungimus enim, Crucifixus & in cruce mortuus. Erat autem supplicium crucis ut probrosissimum, ita etiam acerbissimum. Id autem supplicij in se suscepit, ut satisfaceret pro mundo, & quòd ab initio typi præcesserant fore ut suspenderetur in ligno. Strui lingnorū imponebatur Isaac immolandus. In palum quoq; impositum serpentē Moses erigebat. Sed & ipse Dominus, Vbi exaltatus fuero, inquit, omnes traham ad me. Porrò in cruce expirauit tradens spiritum Deo. Verè enim mortuus est, ut mox sequetur. Vbi paucis dicendum est quis sit fructus mortis Christi. Principiò maledicti eramus propter peccatum: maledictionem ergo in se suscepit, sublatus in crucem, ut tolleret maledictionem, essemus autem benedicti in ipso. Deniq; non potuit nobis obuenire hæreditas testamento legata, nisi is qui legauit fuisset mortuus. Deus autem legauit: qui ut mori posset, hominē assumpsit, idemq; mortuus est iuxta humanam naturam, ut hæreditatem uitæ acciperemus. Alibi rursus Paulus, Qui peccatum non nouit, pro nobis (Deus) peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei per illum. Homo ergo piacularis factus est pro nobis dominus noster, in quem ceu hircū peccati cum collata congestaq; essent omnia totius mundi peccata, ipse moriens ea omnia sustulit ac expiauit: ut iam unica Christi hostia satisfecerit pro peccatis totius mūdi. Qui certè maximus est mortis Christi fructus ubique traditus ab Apostolis Christi. Deinde docet nos mors Christi patientiā & mortificationem carnis nostræ: imò communione sui efficit in nobis Christus spiritu suo ne regnet in nobis peccatum. De qua re multa tradidit Apostolus Paulus ad Romanos 6. cap. Dominus in Euangelio dicit, Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Hi & nōnulli alij sunt fru- *Crucifixus est dominus noster.* *Gene: 22.* *Num. 21.* *Fructus mortis Christi.* *Heb. 9.* *2 Corin. 5.* *Luc. 9.*

ctus passionis dominicæ uel mortis Christi.

Sepultus est dominus noster. Quarto loco subiungitur, Sepultus. Verè enim in cruce mortuus est dominus noster. Probata est ueritas mortis eius à milite qui latus eius transfixit. Sublatus est deinde ex cruce, & positus in monumentum. Ponuntur in Euangelio illorum nomina qui ipsum sepeliuerunt, Ioseph & Nicodemus. Ostenditur item modus quomodo sepeliuerint eum. Fructum sepulturæ his uerbis tradidit ipse saluator, Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti deiectum in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si uerò mortuum fuerit, multum fructum adfert. Vnde & Apostolus hortatur ut sepeliamur cum Christo in morte eius, quò in nouitate uitæ resurgamus, imò & uiuamus regnemusq; æternùm cum eodem. Ergo si nostra quoq; corpora sepeliantur aliquando, ne simus soliciti. Sepeliuntur enim fideles ut resurgant cum Christo. *Ioan. 12.*

Descendit ad inferna. Quintam particulam articuli 4. quidam separatim ponunt pro articulo fidei quinto. Ego non uideo cur auelli debeat à præcedentibus, neq; cur peculiarē constituat articulum fidei. Verba sic habent, Descendit ad inferna. De his uariæ sunt apud sacros interpretes sentētiæ. Augustinus in libro de fide & symbolo hæc uerba neq; ponit in regula fidei neq; exponit. Cyprianus hæc tradit: Sciendum sanè est, quòd in Ecclesiæ Romanæ symbolo non habetur additum, Descendit ad inferna, sed neq; in Orientis Ecclesijs habetur hic sermo: uis tamen uerbi eadem uidetur esse in eo quod sepultus dicitur. Hæc ille. Videtur autem sentire Cyprianus, Descendere ad inferna, aliud non esse quàm condi sepulchro, iuxta illud Iacobi, Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos. Verùm non desunt quibus apparet hoc quod allatum est carere iusta ratione. Nam consentaneum non esse quòd rem semel apertè expositam, obscuriore mox loquendi genere implicuerint. Imò quoties coniunguntur duæ sententiæ eandem rem significantes, semper posteriorem prioris esse explicationem. Cæterum planiorem esse illam loquutionē Sepultus est: implicatiorem, Descendit ad inferna. S. Augustinus ad Euodium epistola 99. torquet se in hac causa. Ad Dardanum de Dei præsentia, scribit Dominum ingressum fuisse tartarum, sed nullum sensisse cruciatum. Longè simplicius uidebimur articulum hunc intelligere, si senserimus uirtutem mortis Christi dimanasse etiam ad defunctos, & his profuisse: id est, propter mortem Christi omnes patriarchas & fideles homines ante Christi aduentum mortuos, ab æterna morte præseruatos esse. Sicut & S. Petrus cōmemorat dominum abijsse in spiritu, & spiritibus inobedientibus ac in carcere detentis prædicasse. Nimirum innotuit & his iusta damnationis ex morte Christi sententia, quòd uiui nō credidissent cum ipso Noe ac suis in uenturum Messiam. Vel certè per inferos uel inferna intelligimus non locum supplicij destinatum impijs, sed defunctos fideles, quemadmodum per superos significamus adhuc superstites in uita. Proinde anima Christi descendit ad inferos, id est delata est in sinum Abrahæ, in quo collecti fuerunt omnes defuncti fideles. Ergo cum latroni secum crucifixo dixit, Hodie mecum eris in paradiso, promisit ei consortium uitæ & beatorum spirituum. De sinu Abrahæ disseruit copiosius dominus noster apud S. Lucam in cap. euang. 16. Licet enim dominus descendisse dicatur, fit tamē id ex more loquendi. Alioqui ex Luca claret sinū Abrahæ locum esse longißimè separatum à tartaro, & positum quidem in sublimi. Cæterum de his curiosius inquirere & disserere, curiosi magis quàm pij est hominis. Confitemur in hoc articulo animas esse immortales, easq; protinus à morte corporea transire ad uitā, & sanctos quidem ab initio mūdi omnes fide sanctificatos per Christum, in Christo & per Christum hæreditatem accipere uitæ æternæ. *1 Per. 3* *Luc. 23.*

Adderem

Adderem istis articulum 5. nisi hora iam præteriјsset. Differemus ergo in sermonem proximum. Iam uerò orabimus unà omnes Deum patrem nostrum qui in cœlis est, ut per spiritum suum nobis inspirare dignetur ueram & uiuificam illam fidem, quæ tendit in patrem & filium: in patrem ut creatorem uniuersorum: in filium ut saluatorem totius mundi: qui ideo cœlo descendit, & in utero sanctissimæ uirginis Mariæ incarnatus est, ut esset mediator inter Deum & homines, atque hos inter se reconciliaret seu coniungeret, haberetq; quod offerret ad satisfaciendũ diuinæ iustitiæ, & ad purganda peccata nostra: quæ & in corpore suo tulit, imò abstulit, omnesq; fideles hæredes fecit uitæ æternæ. Laudemus iam Dei gratiam, & agamus gratias filio Dei. Cui soli debetur omnis honor & gloria, in secula seculorum, Amen. Epilogus.

De posterioribus fidei Christianæ articulis, symbolo Apostolorum comprehensis.

SERMO VIII.

OREMVS ante omnia Deum nostrum, ut is pro sua bonitate concedat nobis feliciter, expeditè, & multo cum fructu procedere in explanandis alijs fidei nostræ Christianæ articulis. *Articulus fidei 5.*

Quintus fidei nostræ articulus hic est, TERTIA DIE RESVRREXIT A MORTVIS. Et tenet quidem hic articulus fidei inter omnes alios fermè primas. Nec sunt Apostoli in alijs declarandis & confirmandis operosiores quàm in hoc uno. Nec satis fuisset si Dominus noster duntaxat pro nobis mortem oppetiјsset, nisi etiam resurrexisset ex mortuis. Nam si non resurrexisset ex mortuis, sed mansisset in morte, quis persuaderet hominibus peccatum morte Christi esse expiatum, morte Christi mortem superatam, satanam deuictũ, & tartarum fidelibus confractum? Imò pergerent absurdi nostri homines perpetuò blasphemare Deum uerũ, ac spem nostram suggillare, dicereq;, Quis unquam rediјt ex iјs qui mortem obierunt, ac enarrauit nobis an sit uita in alio seculo post hanc uitam, & qualis illa sit? Quia ergo nemo rediјsse legitur, dubium relinquitur quod garriunt spermologi de uita futuri seculi. Idcirco ut toti mundo declararet dominus post hanc uitam superesse aliam uitam, animam quoq; cum corpore non interire, sed uiuere, tertia die rediјt ad discipulos suos rediuiuus dominus noster: simul etiam demonstrauit expiatum esse peccatum, exarmatam mortem, deuictum diabolum, & destructum infernum. Nam aculeus mortis est peccatum. Vel stipendium peccati mors est. Mortis imperium habet diabolus, & concludit ob peccata in tartarum. Iam itaq; cum resurgit uiuus ex mortuis Christus, non potuit ei dominari mors: & quia mors dominio amisso cõfracta est, pari ratione consequitur & diabolum & infernum per Christum esse deuictum, deniq; horũ omnium uim & uirtutem, peccatum, esse expiatum. Claret ergo resurrectionẽ Domini nostri Iesu Christi quasi certificare obsignareq; salutem & redemptionem nostram, ut de ea addubitare non possimus amplius. Confitemur itaq; hoc articulo, resurrexisse Dominum nostrum Iesum Christum ex mortuis, & nobis quidem resurrexisse, id est, nobis deleuisse peccatum, nobis deuicisse mortem, infernũ, & diabolum: iuxta illud Apostoli, Deus fecit nos saluos, & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data est nobis per Iesum Christum ante tempora æterna, sed palàm facta est nunc per apparitionem seruatoris nostri Iesu Christi, qui mortem quidem aboleuit, uitam autem & lucem produxit & immortalitatem per Euangelium. Sunt huius generis

Resurrectio Christi gloriosa.

Rom. 6.

2 Tim. 1.

Ioan. 11. alia multa ad Rom. 4. & 1. Cor. 15. Nam & in Euangelio Ioannis dicit Dominus, Ego sum resurrectio & uita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum.

Resurgere quid sit. Inspiciamus iam etiam singula uerba articuli. Confitemur Dominum resurrexisse. Est autem resurgere, denuo surgere. Surgit quod cadit. Corpus Christi cecidit, ergo corpus Christi surgit, adeoque resurgit: id est, illud ipsum corpus Christi quod priusquam caderet uiuebat & operabatur, iam resurgit, rursus inquam uiuit & operatur. Verè enim Tertullianus de resurrectione carnis, Resurrectionis uocabulum, ait, non aliam rem uindicat quàm quæ cecidit. Resurgere enim non est nisi eius quod cecidit. Iterum enim surgēdo quia cecidit resurgere dicitur. Re enim syllaba semper iterationi adhibetur. Proinde dum matronæ euangelicæ abeunt ad sepulchrum uncturæ corpus Domini quod pependerat in cruce, audiunt ab angelo Domini, Quid quæritis uiuentem cum mortuis? Non est hîc, sed surrexit, &c. Nota est enim historia dominicæ resurrectionis apud Lucam in cap. 24. & apud Marcum in cap. 16. Petrus quoque Apostolus ex Dauide resurrectionē ueram astruens 2. cap. Actorum, in prima illa concione sua, disertè ostendit Christum uerè resurrexisse ex mortuis.

Ex uel à mortuis resurgit. Deinde addimus dominum resurrexisse ex mortuis uel à mortuis. Quæ particula exprimit & mortis & resurrectionis ueritatem. Corpus enim uel caro moritur & corrumpitur: atqui mortuum resuscitatur. Corpus ergo uel caro resuscitatur: quasi dicat confitens, Ea qua cæteri mortales lege naturæ defunctus est dominus noster, at nō mansit aut hæsit inter mortuos. Eandem enim carnem quam semel assumpserat mortalem, ac per mortem deposuerat, iam resumit immortalem.

Psalm. 15. Acto. 2. et 13 Prædixerat enim Dauid, Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis ut sanctus tuus uideat corruptionē. Est enim primogenitus resurgentium Christus, in quo ceu in capite declarari oportuit, qualis sit futura resurrectio omnium membrorum Christi in die iudicij.

Tertia die resurgit. Hanc uerò resurrectionem confitemur factam esse die tertia, à morte inquam. Deponitur enim in die parasceues à cruce, & infertur sepulchro, quiescit sabbato toto, & circa principium diei primi sabbatorum, qui primus inquam occurrit in hebdomada, quæ nobis hodie dominica est, resurgit circa auroram ex mortuis. Quamuis ergo in Euangelio Matthæi 12. cap. legamus dixisse dominum, Quemadmodum fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus: attamen in cap. 16. & 20. seipsum quasi exponens loquutum id per synekdocham, dicit, Oportet me abire Hierosolymā, & multa pati à scribis & seniorib. & occidi, & tertio die resuscitari.

Articulus fidei 6. Sextus fidei nostræ articulus hic est, ASCENDIT AD COELOS, SEDET AD DEXTERAM DEI PATRIS OMNIPOTENTIS. Corpus illud quod corpori nostro consubstantiale est, desumptum ex Maria uirgine, adeoque ex substantia uirginis assumptum, quod pependit in cruce & excessit, sepultum est & resurrexit, illud ipsum inquam ascendit ad cœlos, & sedet à dextris Dei patris. Nam posteaquam per dies 40. abundè satis instruxisset Dominus noster discipulos suos de ueritate resurrectionis suæ & de regno Dei, sub[...]s est in cœlum.

Ascensio Christi gloriosa. Ascensione illa sua declarat uniuerso terrarum orbi dominus noster, quòd sit uniuersorū Dominus, omniaque sibi habeat subiecta quæcunque in cœlo sunt & in terra, quòd ipse sit robur nostrum, uirtus fidelium & gloriatio contra portas inferi. Ascendens enim in cœlum captiuam duxit captiuitatem, spoliatisque hostibus

populum

populum suum locupletauit, quem & indies spiritualibus donis cumulat. Nam in excelsis residet, ut transfusa inde ad nos sua uirtute, uita nos uiuificet spirituali, uarijsq; gratiarũ muneribus exornet, deniq; ut ecclesiam aduersus omnia mala defendat. Est enim Deus seruator, rex & pontifex noster. Vnde cùm offenderentur quondam Capernaitæ, quòd Dominus appellasset se panem uitæ de cœlo descendentem ad uiuificandum mundum, ait, Hoc uos offendit? Quid ergo si uideritis filium hominis eò ascendentem ubi erat prius? nimirum ex uiuifica resurrectione & gloriosa ad cœlos ascensione, colligetis me esse panem uitæ de cœlo delatũ, & iam iterum assumptum in cœlos manere seruatorem, uitam, & Dominum cœli & terræ. Sed & beatus Petrus Apostolus in Actis, Certò sciat tota domus Israel, inquit, quòd Dominũ & Christum fecerit Deus hunc Iesum quem uos crucifixistis. Ioan. 6. Acto. 2.

Virtus ascensionis in cœlũ. Deinde non tantùm à morte resurgens redijt ad suos, uerùm his inspicientibus ascendit in cœlos, quò redderemur omnes certiores æternæ salutis. Ascendendo enim parauit nobis locum, strauit uiam, hoc est, ipsum aperuit fidelibus cœlum. In cœlo posuit quod à nobis assumpsit Deus, uerum hominem, uiuũ utiq; & irrefragabile testimonium, in cœlos aliquando totum hominem esse transferendum. Nam necesse est membra capiti conformia fieri. Resurrexit ex mortuis Christus caput nostrum: resurgent ergo & membra. Et quemadmodum nubes Dominum abstulit ab oculis discipulorum; ita pij feremur in occursum Domino in nubibus, totiq; tam anima quàm corpore erimus & æternũ habitabimus in cœlis apud caput nostrum Christum Dominũ. Id quod clarissima lectione traditur Ioan. 14. cap. dicente Domino, Vado paraturus uobis locum, iterumq; ueniam ad uos & assumam uos ad me ipsum, ut ubicunq; ego sum & uos sitis. Apostolus quoq; Paulus testatur, & ait, Nos qui uiuimus & reliqui erimus in aduentu Dñi, simul cum resuscitatis ex mortuis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aëra. Confitemur ergo hoc articulo Iesum Christum in cœlos sublatũ, uniuersorum esse Dominum, regem & pontificẽ, assertorem & saluatorẽ omniũ in orbe uniuerso fidelium. Confitemur in Christo & propter Christum nos credere uitã æternam, quam corpore in fine mundi, anima quoq; protinus atq; hinc excesserimus, percepturi simus. 1. Thessa. 4.

Ascendit ad cœlos. Porrò ueniunt ipsa articuli uerba pensitanda, Ascendit, profitemur. Quis oro ascendit? Qui ex Maria uirgine natus est, qui crucifixus, mortuus & sepultus est, qui resurrexit ex mortuis: is inquam ascendit, nimirũ corpore & anima. Quò autem ascendit? Ad cœlos. Cœlum in scripturis non uno modo accipitur. Principiò ponitur pro firmamento & extensione illa quæ est supra capita nostra, in qua uolitant ultrò citroq; auiculæ, & in qua insunt astra, quæ dicuntur ornatus & exercitus cœlorum. Nam Dauid, Amictus est Deus luce ceu uestimento, & extendit cœlos ueluti cortinam. Item, Videbo cœlos tuos, opus digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti. Et iterum, Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Rursus, Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuũ eius annunciat firmamentũ. Deinde cœlum ponitur pro throno & habitatione Dei, deniq; pro ipso loco, sede & receptaculo beatorum, in quo Deus se suis uisendũ & fruendum præbet. Dauid enim iterum testificans, dicit, Dominus in cœlis parauit solium suum. Vnde & Dominus in Euangelio dixit, Ne iuretis per cœlũ, quia thronus Dei est. Paulus uerò Apostolus, Scimus, ait, quòd si terrenũ nostrũ domiciliũ huius tabernaculi destructum fuerit, ædificationem ex Deo habemus, domicilium non manufactum æternum in cœlis. Hac itaq; significatione Cœlum appellatur Regnũ Dei, regnum patris, Gaudium, Beatitudo & felicitas, æterna uita, pax & tranquillitas. Et quanquam Deus nullo concludatur loco. Nam dicit, Cœlum mihi sedes, terra De cœlo. 2 Corin. 5.

autem est scabellum pedum meorum: attamen quia maximè elucescit in cœlo gloria Dei, & in cœlis se suis uisendũ fruendumq; præbet, iuxta illud, Videbimus eũ sicuti est: Item, Nemo uidebit me, ait Dominus, & uiuet, dicitur cœlos inhabitare Deus. Sed & Christus Dominus iuxta diuinitatem nullo concluditur loco: iuxta assumptam humanam naturam quam uexit ad cœlos, loco cœli certo continetur, nec est interea in terris aut ubiq; locorũ corporaliter, sed seiunctus à nobis corpore uersatur in cœlis. Ascendit enim, qui inferiora relinquens ad superiora contendit. Christus ergo relictis terris supra omnes cœlos sedem corpori suo collocauit: non quòd elatus sit extra omnes cœlos, sed quòd supra omnes orbes ascendens, in ipsum extimum atq; supremum cœlum, in sedem inquam beatorum sit receptus. Paulus enim Apostolus significatissimè loquens, Nostra conuersatio, inquit, in cœlis est, ex quo & seruatorem expectamus, &c. Eodem modo & Lucas Euangelista dicit, Et cùm benediceret eis, recessit ab eis, ac ferebatur in cœlum.

1 Joa. 3.

Ascendit dominus supra omnes cœlos.

Philip. 4.

Luc. 24.

Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.

Sed quid multis exponimus, quod in ipso Symbolo per consequentia clarissimè illustratur? Sequitur enim, Sedet ad dexterã Dei patris omnipotentis. Ex his enim intelligimus qualis locus sit cœlum, & quid in cœlis agat Dominus noster. Non est quidem nostræ fragilitatis cœlorum secreta rimari & discutere, interim non impium est, illud quod scripturis nobis traditur inquirere, & ita ut nobis traditum est fideliter tenere. Simpliciter dicitur Dominus noster sedere, & ad dexteram quidem patris omnipotentis sedere. Quæramus ergo ex scripturæ testimonijs quid sit Dextera patris, & quid sit sedere in dextera patris.

Dextera Dei finita est et loci nomen.

Augustin.

Psalm. 15

Dextera Dei patris in scriptura duplicem habet significationem. Principiò dextera Dei est locus beatorum & felicitas æterna in cœlis. Id quod ante nos obseruauit beatus Augustinus, qui in libro de Agone Christiano cap. 26. sic reliquit scriptum, Dextera patris est beatitudo perpetua quæ sanctis datur: sicut Sinistra rectissimè dicitur miseria perpetua quæ impijs datur: ut non in ipso Deo, sed in creaturis hoc modo quo diximus intelligatur dextera & sinistra. Hoc autem dixit beatus Augustinus secundum scripturas. Dauid enim canit, Notam mihi facies semitam uitæ, satietas gaudiorum in conspectu tuo est, & iucunditates in dextera tua in perpetuum. Hoc quid aliud est, quàm si dixisset? Perduces me ad uitam, in ipsos inquam cœlos, ubi satiabor gaudijs, nimirum te inspiciendo & te contemplando atq; fruendo In dextera tua, in æterna beatitudine sunt gaudia perpetua. Et in Euangelio legimus oues ad dexteram, hœdos collocari à iudice in sinistra. Iuxta hanc significationem dexteræ, Sedere, significat quiescere ab omnibus laboribus, & tranquillè beateq; uiuere. Notissimum est enim illud propheticũ, Sedebit uir sub uite sua, pro eo quod est, pacata, secura & tranquilla erunt omnia. Dextra itaq; patris hac significatione finita est: & cùm confitemur sedere filium in dextra patris omnipotentis, confitemur Dominum nostrum liberatum omni molestia & infirmitate humana, secundum humanam naturam quiescere iam & lætari in certo cœli loco, ubi & animas & corpora nostra credimus æternùm & futura & uictura. Nam in Euangelio ipse Dominus testatur in domo patris sui mansiones esse multas, ad quas parandas ut & ipsis locus sit abeat, & quanquam abeat, rediturum tamen ad ipsos & assumpturum ipsos ad semetipsum, ut ubi ipse sit, ibi aut eodem in loco futuri sint & illi. Proinde credimus Christum quiescere in cœlis, ubi nobis quoq; locum parauit quietis, in quo æternùm in gaudio futuri simus. Et quia corpora nostra in beatitudine non sunt ubique futura, sed in loco certo, ideò rectè dixit beatus Augustinus, Christum Dominum iuxta ueri corporis modum in uno aliquo loco cœli esse. Et S. Cyprianus, Sedere ad dextram

Sedere est quiescere, imò frui gaudio.

Joan. 14

patris

patris, carnis assumptæ mysterium est.

Deinde ponitur Dextera Dei pro uirtute, regno, protectione, assertione & potentia Dei. Dauid enim dixit, Dextera Domini excelsa est, dextera Domini facit fortia. Et Moses, Dextera tua Domine magnificata est in uirtute, Dextera tua Domine fregit inimicum. Et iuxta hanc dexteræ significationẽ, Sedere significat regnare, asserere, potentiam exercere & obire munus principis. Nam Dauid dixit, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et Zacharias, Ecce uir, ait, cuius nomen est Germen, de loco suo germinabit, & ædificabit templũ Domini, sedebit & dominabitur super solium suum, eritq; sacerdos super solium suum. Hac ratione Dextera Dei infinita est & nullo loco concluditur: & cùm confitemur Dominum nostrum sedere ad dexteram patris, confitemur filium exaltatum esse super omnia subiectis sibi rebus omnibus, ut Paulus ait ad Ephes. 1. cap. deniq; filium sic exaltatum, posse omnia, regnare in tota ecclesia, asserere suos, intercedere in cœlis apud patrem, ubiq; præsentem esse diuina uirtute. Huc enim pertinet, quòd omnipotentiam sessioni huic adiunxit Symbolum dicens, Sedet ad dexteram patris omnipotentis. Nam et apud Matth. dicit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, abite ergo & adducite mihi omnes gentes.

Dextera Dei infinita est & potentiæ nomen. Sedere est regnare, &c. Psal. 11[8] Exo. 15

Sic pulchrè pauculis hisce uerbis expressum puto qualis sit locus cœli, nimirum locus quietis, gaudij & æternæ felicitatis, in quo sedet, habitat & uersatur iuxta assumptã naturam filius Dei, sicut & nos qui sumus Christi membra futuri sumus in illo loco sine omni dolore & molestia, in gaudio sempiterno. Et quamuis Dominus noster molestia omni liberatus sit, intelligimus tamen ipsum non otiosum desidere. Est enim rex, sacerdos & Deus uerus in templo dei uero: non potest ergo non pro ingenio & officio suo operari salutẽ in electis, & omnia facere quæcunq; facit Deus rex & sacerdos. Ita scimus iam omnes quid in cœlis residens dominus noster faciat. Neq; ullam ei adfert molestiam quod agit & operatur: non enim necessitate quadam, sed natura & uoluntate operatur.

Non aliter tractarunt hunc fidei articulum & ueteres sanctæ scripturæ interpretes, quorum aliquot proferemus testimonia. S. Hieronymus exponens 1. cap. Pauli ad Ephesios scribit, Per humanam similitudinem Dei potentiã demonstrauit: non quò solium ponatur & deus pater in eo sedeat, secumq; filium habeat residentem: sed quò nos aliter iudicantem atq; regnantem, nisi per nostra uerba intelligere nequeamus. Sicut ergo proximum esse deo uel ab eo procul recedere non secundum locorum spacia, sed iuxta merita sentiendum est, quòd sancti iuxta eum sint, peccatores uerò (de quibus ait propheta, Ecce qui elongant se à te peribunt) ab omni eius uicinia submoueantur: Sic uel in dextris uel sinistris dei esse accipiendũ est, quòd sancti à dextris eius sint, peccatores uerò à sinistris. Saluatore quoq; idipsum in Euangelio cõprobante, cùm oues à dextris, hœdos uerò memoret esse à sinistris. Sed & ipsum uerbum sedere, regni significat potestatem, per quam beneficium eis deus tribuit super quibus sedere dignatur, quòd scilicet regat eos, & in cursu suo habeat, & ad nutum proprium uaga prius & libera colla conuertat.

S. Hieron. de dextera patris.

S. Augustinus de Fide & Symbolo, Credimus, inquit, quòd sedet ad dexterã dei patris. Nec ideò tamen quasi humana forma circumscriptum esse deum patrẽ arbitrandum est: ut de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus animo occurrat: aut idipsum quòd sedere pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, ne in illud incidamus sacrilegium quo execratur Apostolus eos, qui cõmutauerũt

S. August. de dextera patris.

Vide. Rom. 1.

gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulachrum Deo nephas est Christiano in templo collocare: multò magis in corde nepharium est, ubi uerè est templum Dei, si à terrena cupiditate atque errore mundetur. Ad dexteram ergo intelligendum est dictum esse, in summa beatitudine, ubi iustitia & pax & gaudium est: sicut ad sinistram hœdi constituuntur, id est, in miseria propter iniquitates & labores atque cruciatus. Sedere ergo quòd dicitur Deus, non membrorum positionem, sed iudiciariam significat potestatem, qua illa maiestas nunquam caret semper, dignis digna tribuendo. Et reliqua.

S. Fulgentius.

Beatus Fulgentius Episcopus lib. ad Trasimundū regem 11. Dominus, inquit, ut localem ostenderet humanitatem suam, dicit discipulis suis, Ascendo ad patrē meum & ad patrem uestrum, Deum meum & Deum uestrum. Et mox, Immensitatem uerò suæ diuinitatis ostēdens dicit discipulis suis, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad cōsummationem seculi. Quomodo autem ascendit in cœlum, nisi quia localis & uerus est homo? Aut quomodo adest fidelibus suis, nisi quia idem immensus & uerus est Deus?

S. Vigilius.

Beatus martyr & Episcopus Tridenti Vigilius libro cōtra hæreses. 1. Hoc erat, inquit, ire ad patrem & recedere à nobis, auferre de hoc mundo naturam quam susceperat ex nobis. Vides ergo eidem naturæ proprium fuisse ut auferretur & abiret à nobis, secundum attestantium uocem angelorum, Hic Iesus qui receptus est à uobis, sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum. Nam uide miraculum. Vide utriusque proprietatis mysterium: Dei filius secundum humanitatem suam recessit à nobis: secundum diuinitatem suam ait nobis, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Si nobiscum est, quomodo ait, Venient dies quando desiderabitis uidere unum dierum filij hominis, & non uidebitis? Sed & nobiscum est, & non est nobiscum. Quia quos reliquit & à quibus discessit humanitate sua, nō reliquit nec deseruit diuinitate sua. Hæc ille.

Articulus fidei 7. Iudex Christus.

Septimus fidei nostræ articulus hic est, INDE VENTVRVS IVDICARE VIVOS ET MORTVOS. Præcedentibus articulis proposita & confessa est diuina in Christo bonitas, beneficentia, & gratia: iam declarabitur in ipso etiam diuina iustitia, seueritas & uindicta. Nam duo sunt aduentus Domini nostri Iesu Christi. Primo uenit humilis in carnem redemptor & seruator mundi. Secundo ueniet gloriosus in iudicium, iudex & ultor inexorabilis contra omnes impœnitentes & impios. Venturus est autem è cœlis è dextera patris, corpore uisibili & uerè humano conspicuus omni carni, cum immensa diuinitatis potentia & gloria, cum angelorum omnium satellitio. Ipse enim Dominus in Euangelio, Videbunt, inquit, filium hominis uenientem in nubibus cœli cum uirtute & gloria multa, & mittet angelos suos cum tubæ uoce magna, &c.

Iudicare quid.

Porrò iudicare significat pro tribunali sedere, causas audire & discutere, litem dirimere, decernere & pronunciare, denique defendere & asserere, rursus punire aut afficere supplicio, atque ita coërcere & opprimere uim & malitiam. Credimus ergo Dominum nostrum Iesum Christum in die illo asserturum omnes pios & perditurum omnes impios: iuxta illud Apostoli, Reuelabitur Dominus noster de cœlo cum angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ, & infliget ultionem ijs qui non nouerunt Deum: rursus idem iudex iustus reddet coronam iustitiæ omnibus qui diligunt aduentum eius.

Pictura iudicij extremi.

Modum enim iudicij talem proponunt nobis Euangelica & Apostolica scripta. Postquàm iniquitas huius seculi peruenerit ad summum, ac orbem seduxerit

Antichri-

Antichristus, ut minimum supersit fidei, impijq́ dixerint pax & securitas, tum repentinus ueniet interitus. Mittet enim archangelū suum iudex Dominus noster, qui clangat tuba, & à quatuor uentis colligat omnem carnem ad iudicium: mox sequetur ipse iudex Dominus noster Iesus Christus cum toto exercitu cœlorum: descendet autem è cœlo in nubes: ac in nubibus ceu in tribunali sublimis residens apparebit illustris omni carni. Qui enim uixerint in hoc seculo, isto iudicij tempore stabunt coram iudice in puncto immutati: mortui uerò resurgent in momento omnes. Tunc iudex separabit oues ab hœdis: & pronunciabit iustam pro ouibus & contra hœdos sententiam, Venite benedicti, &c. Et, Abite maledicti, &c. Sequetur mox ipsa executio. Oues enim sursum protinus rapientur in nubes obuiam Domino in aëra, ascendentq́ cum illo læti in cœlos ad dexteram Dei patris, æternùm uicturi in gloria & gaudio. Impijs dehiscet ima tellus, absorbebitq́ horribiliter uniuersos, demittens eos ad tartara æternùm cum satana & angelis eius cruciandos. Fient hæc omnia non longo, molesto, uersipelli et iuridico quodam processu, sed extemplo. Tunc enim patebunt omnium corda, & accusabit unumquenq́ sua ipsius conscientia. Copiosius hæc traduntur Matth. 24. & 25. Sap. 3. & 5. 1. Corinth 15. 2. Corinth. 5. 1. Thess. 4. & 5. Rom. 2. 2. Pet. 3. &c.

Iudicantur uiui & mortui.

Cæterum singulariter confitemur iudicandos fore uiuos & mortuos. Id quod nonnulli exponunt de pijs & impijs. Atqui Symbolum paratum est simplicibus maximè. At simplicibus cōueniunt simplicia. Idcirco mortui sunt omnes, quicūq́ ab exordio mundi ad diem usque ultimum excesserunt è uiuis. Viui autem sunt, quos deprehendet dies illa uiuentes adhuc in hoc seculo. Apostolus enim, Ecce mysterium uobis dico, ait, Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur in puncto temporis, in momento oculi per extremā tubam. Canet enim, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. Rursus alio in loco idem Apostolus, Hoc dicimus uobis in uerbo Domini, quòd nos qui uiuemus & reliqui erimus in aduentum Domini, nequaquam præueniemus eos qui dormierunt. Quoniā ipse Dominus cum hortatu & uoce archangeli ac tuba Dei descendet è cœlo, & mortui in Christo resurgent primùm, deinde nos qui uiuemus qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus, in occursum Domini, in aëra: & sic semper cum Domino erimus,

Præmia & supplicia certissima.

Confitemur ergo hoc articulo 7. nos credere finem affore rerum omnium in hoc seculo, felicitatemq́ impiorum non fore perpetuam. Deum enim iustum esse qui omne dederit iudicium filio suo, qui & repensurus sit in illo die unicuiq́ iuxta opera sua, impijs tormenta nunquam terminanda, pijs æterna gaudia. Adeoq́ profitemur hoc articulo nos expectare liberationem, refrigerium, & præmium uitæ æternæ. Quomodo enim credentes suos, populum suum, & seruos suos perderet, qui in ueracissimo Euāgelio dixit, Amen dico uobis, quòd uos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Certissima sunt præmia & supplicia pijs & impijs in uerbo ueritatis proposita. Veracissimus est qui ad Isaiam dixit, Dicite iusto quòd benè sit habiturus, fructu studiorum suorum fruetur. Væ impio, malè habebit, quoniam rependetur ei secundum opera manuum suarum. Et hæc quidem hactenus de ordine Symboli secundo. Descendimus iam ad ordinem tertium.

Articulus fidei 8.

Articulus fidei octauus hic est, CREDO IN SPIRITVM SANCTVM. Continet hic ordo tertius, tertiæ in adoranda Trinitate proprietatem personæ. Recte autem credimus in spiritum sanctum, sicut in patrem & in filium. Deus enim

Spiritus sanctus.

unus est cum patre & filio spiritus sanctus: & rectè sequitur fides in spiritum sanctum fidem in patrem & filium. Nam per ipsum diuinæ salutis completæ in filio fructus obsignatur, sanctificatioque & ablutio nostra nobis per spiritũ confertur aut in nos deriuatur. Apostolus enim, Qui unxit nos Deus est, inquit, qui etiam obsignauit nos, deditque arrham spiritus in cordibus nostris. Et iterum, Eratis quidem sceleribus polluti, iam uerò abluti & sanctificati estis, denique & iustificati per nomen Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. Sanctificat quidem & pater, sed per sanguinem Iesu Christi, & eandem in nos sanctificationem transfundit per spiritum sanctum: ut spiritus sancti quasi proprium sit sanctificare, unde & nomen obtinet sancti uel sanctificatoris. Proinde cùm spiritus sancti nomen audimus, cogitandus est effectus quem ei tribuit scriptura, expectandaque beneficia quæ ex ipso in nos manant. Virtus enim, operatio, seu actio spiritus, est quicquid operatur in nobis per filium gratia Dei patris: ut necessaria sit fides in spiritũ sanctum. Et profitemur quidem hoc articulo octauo nos credere fideles omnes purgari, ablui, regenerari, sanctificari, illuminari, uarijsque gratiarum muneribus donari à Deo propter Christum, sed per spiritum sanctum. Extra hunc enim non est ulla sanctificatio uera: unde non oportet charismata alijs tribuere medijs: hæc gloria solius est spiritus diuini. De quo disseremus in alijs concionibus fusius & plenius.

In Christo dedit nobis pater plenè omnes thesauros cœlestes.

Coloss. 1

Quoniam uerò elapsa hora nos admonet uela colligere, hortamur omnes ut fidem in Dominum Iesum religiosè teneant: hunc enim misit nobis pater cœlestis, in hoc se totum nobis & exprimit & exhibet, hunc inscribit cordibus, & retinet in animis spiritus sanctus. Est autem tota salus hominis, & singulæ salutis partes comprehensæ in Christo: unde cauendum est, ne aliò deriuemus. Placuit patri, ait Apostolus, uniuersam plenitudinem inhabitare in filio, & in ipso recapitulare ac uelut in summam redigere salutis omnia: ac in ipso fideles sint completi. Si enim salus quæritur, ipso nomine docemur penes ipsum esse salutem. Dicitur enim Iesus, id est, saluator. Si ipsum Dei sanctum spiritum ac dona eius uaria desideramus, reperiemus & in Christi unctione. Dicitur enim Christus, unctus inquam, sanctus sanctorum & sanctificans, siue inungens nos spiritu suo. Si opus est alicui robore & fortitudine, assertione & potentia, habet in dominio Christi. Est enim Christus uniuersorum Dominus. In eodem inuenimus redemptionem. Redemit enim nos uenditos sub iugum satanæ. Habemus puritatem in eius conceptione, indulgentiam in eius natiuitate. Nostri enim similis factus est ut cõdolere nobis posset. Habemus remissionem in eius passione, absolutionem in eius damnatione, satisfactionem in eius hostia uel sacrificio expiatorio, purgationem in eius sanguine, reconciliationem uniuersalem in descensu eius ad inferos. Habemus mortificationem carnis nostræ in sepultura eius, uitæ nouitatem, imò & animæ immortalitatem, corporumque resurrectionem in eius gloriosa resurrectione. Habemus item regni cœlestis hæreditatem & hæreditatis obsignationem in ascensione eius, sessioneque in dextera patris. Ibidem est intercessor, sacerdos & rex noster, præsidium & caput nostrum, defensor noster & securitas nostra tutissima. Inde transfundit in nos omnium bonorum copiam spiritum suum sanctum, & communicat se totum nobis, & nosipsos sibi coniungit nexu indissolubili. Inde confidentes & lætantes expectamus ipsum iudicem, assertorem inquam & patronum nostrum, qui damnabit & in tartarum cum satana præcipites dabit omnes hostes nostros: nos autem & omnium seculorum omnes credentes secum subuehet in cœlos, ut ibi canamus canticũ nouum, & in eo exultemus in secula seculorum. Ipsi gloria semper.

De postremis fidei Christianæ articulis symbolo Apostolorum comprehensis.

SERMO IX.

INVOCEMUS patrem nostrum in cœlis, per Dominum nostrum Iesum Christum, ut gratiam suam in nos transfundat, quò postremam partem expositionis articulorum fidei Christianæ multo cum fructu expediamus.

Articulus fidei nonus sic habet, SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM, SANCTORUM COMMUNIONEM. Post confessionem fidei in sanctam trinitatē & in mysteriū filij Dei domini nostri Iesu Christi, deniq; in sanctificatorem & reparatorem omnium spiritum sanctum: quarto ordine iam enumeratur fructus uel uirtus, effectus & finis fidei, quæ uidelicet contingant & donentur fidelibus. Obuenit his communio cum deo & cum omnibus sanctis, sanctificatio, remissio peccatorum, resurrectio carnis, & uita sempiterna. De his ordine dicemus, quantum facultatis dederit benignus Dominus. *Articulus fidei 9.*

Porrò repetendum est ex articulo 8. Credo, Credo inquā sanctam Ecclesiam catholicam. Contendunt hic imperiti quidam cōfitendum esse, Credo in sanctam Ecclesiam. Nimirum quòd scriptum sit in Constantinopolitano symbolo, Et in spiritum sanctum Dominum uiuificantem: qui ex patre filioq; procedit, qui cum patre & filio simul adoratur & cōglorificatur, qui locutus est per prophetas in unam catholicam & Apostolicā Ecclesiam. Nam hæc ita distinguunt, ut sicut repetunt ex præcedentibus Credo, & intelligunt, Credo in spiritum sanctū Dominum: ita Credo hic quoq; repetunt, & hunc sensum colligunt, Credo in unam catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Cæterum præter necessitatē & contra pietatem uerba symboli ita detorquent. Nam refertur hoc, In unam catholicam & Apostolicā Ecclesiam non ad uerbum Credo, sed ad spiritum sanctum, nempe quòd is locutus sit per prophetas in unam catholicā & Apostolicā Ecclesiam. Significamus enim & confitemur unum atq; eundem spiritum omnia egisse in utroq; testamēto, contra eos qui confinxerunt duos sibi quasi cōtrarios spiritus. Sed & beatus Cyprianus in expositione symboli Apostolici, Non dixit In sanctam ecclesiam, ait, nec In remissionem peccatorum, nec In carnis resurrectionē. Si enim addidisset In præpositionem, una eademq; uis fuisset cum superioribus. Ne autem in illis quidem uocabulis ubi de diuinitate fides ordinatur, In Deo patre dicitur, & in Iesu Christo filio eius, & in spiritu sancto: in cæteris uerò ubi nō de diuinitate, sed de creaturis ac mysterijs sermo est, In præpositio non additur, ut dicatur, In sanctam Ecclesiam, sed sanctam Ecclesiam credendā esse, non ut in Deum, sed ut Ecclesiam Deo congregatam: & remissionem peccatorum credendam esse, non in remissionem peccatorum: & resurrectionem carnis, non in resurrectionem carnis. Hac itaque præpositionis syllaba creator à creaturis secernitur, & diuina separantur ab humanis. Hæc Cyprianus. *Non profitendum est, Credo in Ecclesiam.* *Cyprianus.*

S. Augustinus de Fide & symbolo legit, Credo sanctam Ecclesiam: & non, Credo in sanctam Ecclesiam. Allegantur præterea uerba eius ad Neophytos de Consecrat. Distinct. 4. cap. Prima, Non diximus ut in Ecclesiam quasi in Deum crederetis, sed intelligite nos dixisse, ut in Ecclesia sancta catholica conuersantes in Deum crederetis. *Augustinus.*

Multò clarius autem Paschasius in lib. 1. de Spiritu sancto cap. 1. Credimus Ecclesiam, inquit, quasi regenerationis matrem: non in Ecclesiam credimus quasi in salutis authorem. Qui in Ecclesiam credit, in hominem credit. Nō enim homo ex *Paschasius.*

Ecclesia, sed Ecclesia cœpit esse ex homine. Recede itaq; ex hac blasphemiæ persuasione, ut in aliquam humanam te æstimes debere credere creaturam: cum omnino nec in angelum nec in archangelum sit credendum. Imperitia nonnullorum præpositionem In, uelut de proxima uicinaq; sententia in cõsequentem traxit & rapuit, & ex superfluo imprudenter apposuit. Cæterum hic liber S. Paschasij ualde probatus est à beato Gregorio magno Romano Episcopo.

S. Gregorius. *Thomas Aquinas.* Quid quod Thomas Aquinas disputans de fide lib. 2. part. 2. artic. 9. quæst. 1. ait: Si dicitur, Credo in sanctam Ecclesiam, intelligendũ, quòd fides nostra refertur ad spiritum sanctum qui sanctificat ecclesiam: ut sit sensus, Credo in spiritum sanctum sanctificantem Ecclesiam. Sed melius est & secundum communiorem usum ut nõ ponatur ibi In, sed simpliciter dicatur sanctam Ecclesiam catholicam: *Leo papa.* sicut etiam Leo papa dicit. Hæc ille. Habetis sententias ueterum Ecclesiæ doctorum, Cypriani, Augustini, Gregorij, Paschasij, Leonis papæ, sed & Thomæ Aquinatis, qui in hisce postremis temporibus docuit. Intellexit autem charitas uestra ex rationibus desumptis ex scriptura canonica, confitendum esse sanctam catholicam, & non credendum in sanctam catholicam Ecclesiam.

Ecclesia. Videndũ porrò quid Ecclesia dicatur, & quid catholica Ecclesia. Ecclesia propriè est concio, populus inquam euocatus aut collectus ad audiendum de reipublicæ negotijs. In præsenti est omnium profitentium nomen Christi cœtus, com*Catholica Ecclesia.*munio aut collectio, multitudo & societas. Catholica, id est, uniuersalis dicitur hęc societas, quia per omnia loca & tempora extẽditur. Sancti enim omnes ita uniuntur, ut membra in uno corpore quæ ab uno dependent capite. Ergo uniuersitas totaq; multitudo fidelium dicitur Ecclesia. Non enim restricta est Ecclesia Christi in angulum aliquem Aphricæ Donatianicum: extendit se per orbem terræ, & ad omnia tempora, & complectitur omnes fideles ab ipso Adamo ad ultimum usq; sanctum qui futurus est ante finem mundi. Habet hæc particulares Ecclesias, Ecclesiam inquam Adæ & patriarcharum, Ecclesiam Mosis & prophetarũ ante natiuitatem Christi, Ecclesiam Christianam quæ à Christo denominatur: & Apostolicam, apostolica doctrina collectã in nomine Christi. Ecclesiam deniq; Hierosolymitanam, Antiochenam, Alexandrinam, Romanam, Asiaticam, Aphricanam, Europeam, Orientalem, Occidentalem, &c. Et hæ tamen omnes ueluti membra unius corporis sub unico capite Christo (solus enim Christus est caput Ecclesiæ suæ, non tantùm triumphantis, sed & militantis) unicam duntaxat cõstituunt catholicam Ecclesiam: in qua non reperiuntur uel hæreses uel schismata, ideo etiam appellatur orthodoxa, nimirum à recta & uera opinione, sententia, fide atq; do*Orthodoxa Ecclesia.*ctrina. In sola enim Ecclesia est uera fides, & extra Ecclesiam dei nulla est ueritas, nulla salus.

Credimus sanctam esse Ecclesiam. Confitemur autem hoc articulo, quòd omnes fideles per totum terrarum orbem dispersi, sed & qui hodie uiuũt in cœlis, quotquot inquam saluati sunt, & in finem usq; seculi nascentur saluandi, unum sint corpus, nacti societatem & participationẽ cum Deo & inter se mutuam. Et quoniam nemo cum Deo uniri potest, nisi & ipse sanctus atq; purus sit, quemadmodum Deus sanctus & purus est, ideo credimus sanctam esse Ecclesiam, id est, sanctificatam per deum patrem in sanguine filij & dono spiritus sancti. Testimonia plura audiuimus in superioribus concionibus. Vnum Pauli satis fuerit quod ad Ephes. ita legitur scriptum, Christus *Ephe: 5* dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret mundatã lauacro aquæ per uerbum, ut adhiberet eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, &c. Ex quibus uerbis etiam hoc intelligimus, Eccle-

siam

ſiam appellari incontaminatam & prorſus puram, non propter ipſam, ſed propter Chriſtum. Ita enim ſancta eſt Eccleſia Chriſti ut quotidie proficiat, nondū quoad in terris uiuit, perfecta ſit. In Chriſto tamen eius ſanctitas perfectiſsima eſt. Quo nimirum pertinet illa egregia domini uox, Qui lotus eſt non opus habet, niſi ut pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Propter Chriſtum enim lauantē ſanguine ſuo, fideles erfectè mundati ſunt, ſed quia caro repugnat quoad uiuitur in terris ſpiritui, opus eſt pijs pedes, id eſt, carnis reliquias & maculas ex quotidiana mundi conuerſatione aſperſas, eluere atq; extergere ſpiritu ac fide. *Quomodo Eccleſia ſancta.* *Joan. 13.*

Sed quorſum pertinet quod appenditur, Sanctorum communionem? Ea uerba non habentur neq; apud Cyprianum, neq; apud Auguſtinum, neq; ab eis exponuntur. Vnde ueriſimile eſt adiecta eſſe interpretandi gratia: ut enim appareret Eccleſiam catholicam eſſe ſocietatem & contubernium fidelium, adiecit Sanctorum communionem, id eſt, quæ Eccleſia eſt cōmunio ſanctorum. Sanctos appellauit Paulus fideles ſanguine & ſpiritū dei ſanctificatos. Sed & Communionis uocabulum plurimum habet euidentiæ & conſolationis. Primò enim innuit inter nos & deum eſſe communionem, id eſt, ſocietatem & participationem, & per conſequens omnium bonorum cœleſtium communicationem. Deinde intelligimus ſocietatem & participatum eſſe nobis cum omnibus ſanctis, cùm in cœlis tum in terris uiuentibus. Horum enim membra ſumus ſub uno capite Chriſto. Ioannes enim Apoſtolus dicit, Quod uidimus & audiuimus annūciamus uobis, ut & uos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas ueſtra ſit cum patre & filio eius Ieſu Chriſto. Huc pertinet ſimilitudo elegans de corpore & membris ſub uno capite, copioſè tractata ab Apoſtolo Paulo. Quis uerò ſatis dignè præſtantiam doni beneficijq; Dei explicuerit, quòd nos ſumus participes dei cum quo arctiſsimam coniunctionem imò cōmunionem habemus cum omnibus bonis cœleſtibus? Quid iucundius auditu eſt, quàm quòd omnes ſancti tam in cœlis quàm in terris fratres noſtri ſunt, & nos iſtorum membra participeſq; & ſocij ſumus? Benedictus Deus qui nobis in Chriſto tam liberaliter benedixit. In hunc locum pertinet tractatio ſacramentorum, de quibus aliâs, ſicut & de Eccleſia aliâs dicemus copioſius. Hæc ad inſtitutum præſens ſufficiunt. Abundè enim ſatis fidei in deum patrem, filium, & ſpiritum ſanctum fructum exprimunt & exponunt, nempe quòd communionem habemus cum deo & cum omnibus ſanctis, & quòd in hac ſocietate ſanctificamur ab omnibus inquinamentis, purgati iam & ſancti in Chriſto Domino noſtro. *Sanctorum communio.* *1 Joan. 1.* *2 Corin. 12.*

Sequitur articulus fidei decimus, REMISSIONEM PECCATORVM. Fructus alter fidei in deum patrem, filium, & ſpiritum ſanctum exponitur, remiſsio uidelicet peccatorum, quæ tametſi in ſanctificatione ſuperioris articuli ſit comprehenſa, uiuidius tamen exprimitur. Extra Eccleſiam ceu arcam Noe nulla eſt ſalus: in Eccleſia autem, in ſocietate inquam Chriſti & ſanctorū, eſt plenaria remiſsio omnium peccatorum. Hæc ut rectius intelligantur, digeremus in aliquot capita. *Articulus fidei 10.*

Principiò neceſſe eſt, omnes agnoſcamus & confiteamur nos eſſe peccatores, ac natura proprioq; noſtro merito filios iræ & condemnationis. Nam non fruſtra neq; uanè mendacem appellauit beatus Ioannes omnem qui negat ſe eſſe peccatorem. Et qui corda hominum nouit Deus, iuſsit nos ad extremum uſq; halitum orare, Remitte nobis debita noſtra. Sed & in Euangelio duo elegantia habemus confitentium deo peccata ſua apertè exempla, filij uidelicet prodigi, & publicani apud Lucam. Teneamus ergo nos omnes eſſe peccatores, ſicut & Paulus docuit *Agnitio & confeſsio peccatorum.* *Luc. 15.* *Luc. 18.*

imò euicit ad Rom.3.cap. & confiteamur Deo ingenue peccata nostra cum Dauide Psal.23.& 51.dicentes, Peccatum meum tibi notum feci, & iniquitatem meam non abscondi. Dixi: confitebor aduersum me iniquitatem meam, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam,&c. Notus est Psalmus.

Remittuntur à deo peccata nō propter merita nostra, sed propter Christum.

Deinde credamus nobis peccata illa nostra condonata & remissa esse à Deo, non propter illam nostram peccatorum agnitionem & confessionem, sed propter meritum ac sanguinem filij Dei: non propter opera & merita nostra, sed propter ueritatem & misericordiam siue gratiam Dei. Disertè enim profitemur, Credo remissionem peccatorum: nō dicimus, Emo, aut muneribus impetro, aut operibus assequor remissionem peccatorum, sed, Credo remissionem peccatorum. Ac Remissionis uocabulum gratuitam condonationē significat, metaphora tracta à creditoribus & debitoribus. Remittit enim debitori creditor cum ille non est soluendo: ergo remissio est donatio: iuxta illud saluatoris in Euangelio, Duo debitores erant cuidam creditori: cumque illi non essent soluendo, donauit utrisque. Huc pertinet illud ex oratione dominica, Et remitte nobis debita nostra. Debita enim nostra peccata sunt, ea nobis remitti, id est, condonari postulamus. Huc pertinent illa sancti Pauli uerba, Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiā, sed secundum debitum. Porrò ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam. Quemadmodum & Dauid explicat beatificationem hominis cui deus imputat iustitiā absque operibus, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputabit dominus peccatum. Proinde gratis quidem quod nos quidē attinet, qui non habemus quod rependamus, quantum uerò ad iustitiam dei, propter meritum & satisfactionem Christi, condonantur nobis peccata.

Remittuntur peccata omnia.

Condonantur autem peccata, non paucorum, non unius aut alterius seculi, non certa & numerata, sed omnium hominum, omnium seculorum, & tota multitudo peccatorum, quicquid est & dicitur peccatum, siue originale sit, siue actuale, siue alienum sit, breuiter omnia peccata remittuntur nobis. Id quod sic intelligimus, unicam uidelicet Christi hostiam satis esse efficacem ad abluenda omnia omnium peccatorum fide ad thronum gratiæ accurentium peccata. Ergo nō docemus homines peccare, quia iam olim pro peccatis satisfecit dominus: sed si quis peccauerit, docemus illum bene sperare non desperare, & accedere ad thronum gratiæ. Christum enim residentem ad dextram patris, esse agnum illum dei qui tollat peccata mundi. Et significanter quidem in symbolo ponitur, Credo remissionem peccatorum, & non peccati. Peccatorum enim dicētes, agnoscimus deum remittere omnia peccata. Nam ut Pauli testimonia ad Rom.3. & 5. non proferamus, sufficient illa Ioannis Apostoli & Euangelistæ testificantis in epistola illa sua, atque dicentis, Et sanguis Iesu Christi filij dei emundat nos ab omni peccato. En ab omni peccato dixit. Ab omni inquam qui dicit, nullum excludit, nisi fortè quod exclusit ipse dominus, peccatum in spiritum sanctum, pro quo & Ioannes ille idē orare prohibuit. Rursus, Si confitemur peccata nostra, ait idem ille, fidelis est & iustus ut remittat nobis peccata nostra, & emūdet nos ab omni iniquitate nostra. Non satis erat Apostolo dixisse, Vt remittat nobis peccata nostra, adiecit insuper ut rem proprijssimè & significantissimè explicaret, Et emundet nos ab omni iniquitate nostra. Rursus ab omni iniquitate dicit. Et quia calumniator aliquis obijcere poterat, Efficit huiusmodi doctrina inertes & segnes homines. Nam homines prætextu gratiæ diuinæ pergent peccare: respondet ergo Ioannes in cap.2. & ait,

ait. Filioli mei hæc scribo uobis ne peccetis: & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Proinde certum est morte Christi condonari credentibus peccata omnia.

Porrò remittit dominus solus peccata. Solius enim Dei gloria est remittere peccata, & ex iniustis facere iustos. Ergo quanquam homines dicantur remittere, id tamen de ministerio non potestate intelligendũ est. Annunciat minister credenti propter Christum remissa esse peccata: nec fallit: Deus enim uerè peccata remittit credentibus: iuxta illud, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Id fit quotiescunq; annunciatur uerbum euangelij, ut nihil necesse sit comminisci, confessione auriculari & priuata sacerdotis absolutione ad condonationem peccatorum opus esse. Nam ut auricularis confessio non fuit usurpata sanctis ante aduentum Christi, ita non legimus Apostolos priuatas audiuisse confessiones, uel priuatas absolutiones usurpasse in Ecclesia Christi. Satis est cõfiteri Deo inspicienti corda nostra, & idcirco legitimo confessionario peccata nostra. Satis est, si iuxta uerbum S. Iacobi alter alteri fateatur delicta & offensas, precemurq; cõdonationem, & mutuò redeamus in gratiam. Satis est audiuisse Euangelium, promittenti nobis per Christum remissionem peccatorum si credamus. Credamus ergo remissionẽ peccatorum, orantes interim dominum ut is & fidem concedat & augeat. Hæc quondam & in primitiua Ecclesia satis fuerũt efficacia ad consequendã indulgentiam & plenariam peccatorum remissionem: sufficiunt haud dubiè etiam hodie. *Solus Deus nõ homo remittit peccata.*

Præterea remittit dominus nobis peccata, non ut non sint & reliquias in carne nostra ceu aculeum non relinquant, sed ne imputentur nobis ad condemnationem. Hæret & exerit sese cõcupiscentia in carne nostra, spirituiq; Dei bono repugnat uel in sanctis, quoad uixerimus in hisce terris. Multa ergo hîc opus uigilia, multis ieiunijs quibus carni detrahamus fomẽta mali, multis precibus quibus imploremus Dei auxilium ne uincamur à malo. Quòd si quis succubuerit tentationi, ne præbeat se irretiendum diabolo, resurgat per pœnitentiam, recurrat ad Christum, credens sibi per mortem Christi hunc quoq; lapsum esse condonatum. Recurret autem toties, quoties à concupiscentia & peccato fuerit superatus. Huc enim pertinent omnes adhortationes prophetarum & Apostolorũ suadentes conuersionem ad Dominum. *Quomodo remittantur peccata.*

Peccata deniq; nostra ita condonat dominus, ut eorum planè recordari nolit. Ita enim prædixit per Ieremiam in cap. 31. Ergo non animaduertit in nos. Non enim culpam modò, sed & pœnam peccati cõdonauit. Quòd autem non rarò flagellis suis nos cædit, & cædit quidem propter peccata, sicuti clarè exprimit scriptura sancta, id quidem non fit ut afflictione nostra satisfaciamus pro peccatis commissis, ita enim euacuaretur mors Christi: sed flagellando castigat nos Dominus, & flagellando declarat se non probare peccata quæ designauimus, ac ipse gratis condonauit: flagellando item exempla statuit nos alijs, ne ipsi quoq; peccent: sed & nobis ipsis occasionem peccandi amputat, & cruce nostram exercet patientiã. Hæc hactenus de Remissione peccatorum. De qua nonnulla disseruimus etiam in sermone de Fide iustificãte, et aliâs. *Nos non satisfacimus pro pœna.*

Articulus fidei undecimus hic est, CARNIS RESVRRECTIONEM. Duo articuli postremi, hic & duodecimus, fructum fidei præstantissimum summamq; totius perfectionis succincta breuitate concludunt, finem inquam fidei, æternam uitam, & totius hominis plenam & perfectam salutẽ profitentes. Totus enim homo saluabitur cùm anima tum corpore. Nam ut homo anima & cor- *Articulus fidei 11.*

pore perierat, ita anima & corpore restitui debebat, adeoq; & per Christum restitutus est. Anima quidem hominis spiritus est, neq; interit unquam: corpus terrenum est, moritur ergo ac computrescit. Quare multi arbitrantur interire corpora, neq; ea unquam uel gaudiorum uel pœnarum fore consortia. Diuersum uerò hoc articulo profitemur, confitentes corpora illa nostra adeoq; carnem nostram resurgere & ingredi in uitam æternam.

Carnis resurrectio.

De uocabulo resurrectionis diximus, ubi explicaremus articulum illum, Tertia die resurrexit ex mortuis. Caro uerò multò significantius huius nostræ carnis resurrectionem, quàm si corpus diceremus, exprimit. Certè Cyprianus author est in aliquot Orientis Ecclesijs hunc articulum sic fuisse pronũciatum, Credo huius carnis resurrectionem. Nam & Augustinus De fide & symbolo cap 10. scriptum reliquit, Hæc uisibilis quæ caro propriè dicitur, sine dubitatione credenda est resurgere. Hanc uidetur Paulus Apostolus ceu digito suo ostendere cum ait, Oportet corruptibile HOC induere incorruptionem. Cum enim dicit, HOC, in eam quasi digitum intendit. Hæc ille. Sed & diuus Hieronymus urget Ioan. Hierosolymitanum episcopum, ut palàm confiteatur carnis non tantùm corporis resurrectionem. Alia, ait, carnis, alia corporis definitio est. Omnis caro est corpus: nõ omne corpus est caro. Caro est propriè quæ sanguine, uenis, ossibus neruisq; cõstringitur. Corpus quanquam & caro dicatur, interdum tamen uel ætherium uel aerium nominatur, quod tactui uisuiq; non subiacet: & plerunq; uisibile est atq; tangibile. Paries est corpus, sed non caro, &c. Hæc Hieron. Credamus itaq; corpora hominum quæ de terra sumpta sunt, & quæ homines hic uiuentes gerunt, in quibus uiuunt & uersantur, quæ moriuntur, inq; cinerem & puluerem abeunt, rursus reuiuiscere.

An resurgant corpora illa ipsa quæ corrumpuntur.

Phil. 3.

Sed rogas quomodo possit hæc caro redacta in fauillam & puluerem adeoq; in nihilum, resurgere in substantia & forma pristina: ueluti cum à ferarum dentibus dilacerata, aut ignium flammis prorsus absumpta est, cumq; in monumentis nõ nisi tenuissimus & rarissimus reperitur puluisculus. Relego te ad omnipotentiã Dei, quam & Apostolus citauit dicens, Christus transfigurauit corpus nostrum humile ut conforme reddat corpori suo glorioso, secundum efficaciam qua potest etiam sibi subijcere omnia. Proinde qui ab initio cum nullus omnino esset homo in mundo, hominem potuit ex puluere terræ producere, tametsi idem homo iterum resoluatur in id unde sumptus est, nempe terrã, iuxta quod dixit, Puluis es & in puluerem reuerteris, certè poterit idem ille Deus etiam in fine seculi hominem rursus excitare è terra. Disertè enim dixit in Euangelio Dominus, Veniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient uocem filij Dei, & prodibunt, qui bona fecerunt in resurrectionem uitæ, qui uerò mala egerunt in resurrectionem iudicij. Iam uerò fides nostra certa concipit persuasione, ut Apostolus ait, quòd is qui promisit, idem potens est & præstare. Sunt præterea uiua huius rei exempla, sunt clarissima sanctæ scripturæ testimonia. Ionas deglutitur à ceto in Syriaco mari, at idem post triduum, ad declarandam carnis resurrectionẽ ueram, è uisceribus beluæ euomitur uiuus in aridam. Proinde iam non amplius creditu difficile est, quod in theologia domini mare dicitur reddere mortuos suos. Nõ potuit impetus ignis nocere tribus socijs Danielis, imò rabies ferarum contra naturam pepercit ipsi Danieli: ergo quid mirum, si potentiæ Dei ne hodie quidem resistere possit uis ignis & rabies ferarum, creaturas suas excitare uolenti? An non triduo iam in sepulchro iacentem imò & fœtentem Lazarum excitauit Dominus noster Christus? An non ipse confracta mortis tyrannide, tertia die resurrexit ex mortuis,

mortuis, & resurrexit quidem eadem carnis substantia & corporis forma, qua pependerat in cruce, & sublatus è cruce fuerat sepultus? In Christum, qui dicitur primogenitus ex mortuis, meritò respicimus, quoties cogitamus qualis futura sit resurrectio carnis nostræ. Ad eum enim modum resurgent membra, quemadmodū resurrexit caput: non quidem tertia die à morte nostra, sed nostro modo & ordine in die illa ultima; uero tamen & nostro illo corpore in quo iam uiuimus.

Testimonia de resurrectione carnis nostræ aliquot subiungemus. Profitetur Iob fidem suam de resurrectione mortuorum in maxima sua infirmitate, afflictione & ægritudine, ac dicit, Scio quòd redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum: quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes in sinu meo. Clarissimum est hoc testimonium non indigens ulla copiosiore expositione. *Testimonia resurrectionis uera.*

Non minus clara sunt testimonia Isaiæ 26. Ezech. 37. Psal. 15. Matth. 22. Ioan. cap. 5.6.11. In Actis nullibi non inculcatur resurrectio mortuorum. S. Paulus in 1. ad Corinth. 15. cap. plenè de hac resurrectione disputat. In 2. Epistola cap. 4. Semper nos qui uiuimus, inquit, in mortem tradimur propter Iesum, ut & uita Iesu manifestetur in mortali carne nostra. En quid poterat dici clarius, quàm uitam Christi manifestandam esse in mortali carne nostra? Mox enim subiungit, Scientes quòd qui suscitauit Dominum Iesum, nos quoq; per Iesum suscitabit. Et in 5. cap. Omnes nos manifestari oportet, ait, coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, siue id bonum sit siue malū. Corpora ergo nostra uera resurgent in die iudicij.

Explicandum porrò erit charitati uestræ, quomodo resurrectura sint corpora nostra, & qualia in resurrectione futura. In fine & exitu seculorū siue huius mundi, ueniet in iudiciū magna cum maiestate Dominus noster Iesus Christus, & tunc quidem quos dies illa deprehendet uiuos, in puncto temporis mutabuntur, mortui autem à primo homine ad ultimum, uniuersi inquam resurgent, ac in propria carne stabunt inter uiuos illos immutatos ante tribunal Christi, ultimam illam expectantes sententiam. Id quod Paulus hisce uerbis exposuit, Ecce mysterium uobis dico, Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur in puncto temporis, in momento oculi, per extremam tubam. Canet enim, & mortui resurgent incorruptibiles: & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile HOC induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem. *Quomodo resurrectura sint corpora nostra.* *1 Corin. 15.*

Ex hoc claro Apostoli testimonio colligere licet etiam qualia sint futura corpora nostra ex resurrectione: non alia quidē erunt corpora nostra ex resurrectione quàm nunc sint, nisi quòd ab omni corruptione & affectione corruptibili erunt aliena. Dicit enim Apostolus, Mortui resurgent. Item, Nos immutabimur. Rursus emphaticè & δεικτικῶς ipsamet corpora nostra quæ nunc circunferimus demonstrans, dicit, Hoc corruptibile, Hoc mortale, Hoc, inquam, corpus & non aliud, sicut & Iob testificatus est, resurget: resurget autem incorruptibile quod aliquando erat corruptibile: resurget immortale, quod ante resurrectionem erat mortale. Liberabitur ergo in resurrectione corpus nostrum ab omni affectione praua & passibili, ab omni corruptione: non autem annihilabitur eius substantia, non conuertetur in spiritum, non erit à sua figura alienum. Et hoc quidem corpus propter purificationem & defæcationem illam, imò propter dotes cœlestes & diuinas, appellatur & Corpus spirituale, & corpus gloriosum ac clarificatum. *Qualia sint futura corpora resuscitata.*

Corpus gloriosum. Paulus enim ad Philippen. 3. Conuersatio nostra, inquit, in cœlis est, ex quo & seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso. Ecce resurrectionem nostram ex mortuis appellat Apostolus non transsubstantiationem aut annihilationem corporis nostri, sed transfigurationem: deinde corpus transfiguratũ quale sit ostendens, nominat gloriosum, non utiq; alienum ab omni figura aut exemptum forma, sed auctum gloria: imò ipsum Domini Iesu corpus nobis proponit, in quo ostendit qualia sint futura corpora nostra in gloria. Disertè enim dicit, Conforme reddet corpus nostrum humile corpori suo glorioso. Videamus ergo quale habuerit corpus à resurrectione Dominus noster: non erat hoc conuersum uel in spiritum, uel annihilatum, uel nulla forma & figura cognobile. Manus enim & pedes ostendens fixura clauorum insignes dicit, Videte quia ego ipse sum, nimirum eodem indutus corpore quo pependi in cruce. Clarius enim loquens & corpus suum à spirituali substantia asserens, ait, Spiritus carnem & ossa non habet sicut uidetis me habere. Habet ergo clarificatum corpus, carnẽ & ossa, nec alia membra quàm quæ habuit dum nondum fuisset clarificatum. Ideò enim & Thomæ palpandum & contrectandum præbuit idem Dominus & latus & cicatrices quinque uulnerum, ne quid dubitaremus de ueritate corporis resuscitati. Edit cum discipulis & bibit, sicuti Petrus testatur coram Cornelio in Actis, ut appareret omnibus illud ipsum corpus resurrexisse quod ceciderat.

Iam etsi hoc corpus loco sit circumscriptum, non per omnia diffusum, licet suam habeat dimensionem, figuram seu formam, & suum pondus, sexum & suam naturam, alienum tamen est ab omni passione, corruptione & infirmitate. Nam corpus Domini resuscitatum in horto, non in sepulchro erat, dum hoc uncturæ uenirent mulieres, his & redeuntibus quidem à sepulchro in itinere occurrit, in horto Magdalenæ se uidendum exhibet: æquis passibus contendit Emaum cum duobus illis Emaum petentibus: interea dum apud hos esset corpore suo, nõ erat apud alios: ubi rediissent illi duo ad undecim discipulos, adest & ipse ad uesperam Dominus. Præcedit suos in Galilæam: redit mox in Iudæam, ubi ex monte oliueti corpus eius sublatum est in cœlum. Hæc omnia approbant corporis Christi ueritatem. Sed quoniam hoc corpus quamuis uerum sui sexus, loci, ingenij & suæ formæ ac naturæ sit, glorificatum & gloriosum dicitur corpus, paucula dicemus & de gloria illa, quæ uidelicet accedit ueræ corporis resuscitati formæ atq; substantiæ.

Gloriosa corpora illustria sunt. 2. Cor. 3. Principiò gloria usurpatur in hoc negotio pro lumine atque illustri splendore. Nam & Paulus dicit filios Israel præ gloria uultus Mosis non potuisse oculos intendere in faciem Mosis: ita gloriosum corpus erit illustre & splendens corpus. Huius rei elegans specimen exhibuit Dominus noster uel ante resurrectionem suam, dum discipulis suis qualemcunq; gustum futuræ gloriæ uellet propinare, ac idcirco delectos subduceret in montis cuiusdã cacumen, ubi & transformatus est coram ipsis, ita ut species uultus eius splenderet sicut Sol, uestimenta autẽ eius albicarent ac candida essent tanquam lumen. Eandem quidem corporis substantiam retinuit Dominus, eadem corporis membra: hæc autem sunt transformata. Transformatio autem illa ostenditur fuisse in accidentijs. Accessit enim lux & splendor, ut manente substantia & forma uultus & corporis, uultus & corpus ueluti Sol & lumen rutilarit. Et quamuis resuscitatum Domini corpus non legatur in quadraginta diebus, in quibus se rediuiuum ostendit discipulis, exeruisse aut fudisse de se fulgorem, idq; propter dispensationẽ iuxta quam cum discipulis

suis comedit, cùm clarificata corpora nullo indigeant alimento: tamen fulget iam, sicuti Ioannes testatur in Apocalypsi cap. I. in cœlis, & spem certam aperiunt nobis sacræ literæ, etiam corpora nostra fore clarificanda in resurrectione. Nam ipse Dominus in Euangelio ex Daniele loquens de die iudicij, Tunc iusti fulgebunt, inquit, uelut Sol in regno patris sui. Hac de causa corpora gloriosa etiam appellantur clarificata, à cœlestis luminis quo illustrantur & ornantur claritate. Math. 13. Daniel 12.

Deinde opponitur gloria humilitati. Paulus enim dicit, Transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso. Opponuntur in his uerbis Humilitas & Gloria. Humilitas comprehendit omne quod propter peccatum irrogatum est corpori miseriarum & infirmitatum, passionum & affectionum. Ab illis omnibus repurgantur corpora nostra in resurrectione uitæ: ut iam gloriosa corpora sint corpora defæcata ab omni corruptione, passione, infirmitateq́, induta autem perpetuitate & cœlesti sensu & gloria. Apostolus enim, Seminatur in corruptione, inquit, resurgit in incorruptibilitate: seminatur in ignominia, resurgit in gloria: seminatur in infirmitate, resurgit in potentia: seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale. Pollent ergo gloriosa uel clarificata corpora multis dotibus, incorruptibilitate inquam, gloria, potentia ac spiritu uiuificante. Ipse enim Apostolus sese declarans quid intellexerit per animale & spirituale corpus, subiungit, Est corpus animale, est & corpus spirituale: sicut scriptū est, Factus est primus homo in animam uiuentem: extremus homo in spiritum uiuificantem. Deinde adhuc clarius, At non primum quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus: secundus ipse Dominus de cœlo. Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni sunt: & qualis ille cœlestis, tales & hi qui cœlestes sunt. Et quemadmodum gestauimus imaginem terreni, ita gestabimus & imaginem cœlestis. Proinde appellauit Paulus animale corpus terrenum corpus, quod habemus ab ipso Adamo parente nostro, quod ab anima uegetatur ac uiuit. Spirituale autem corpus appellauit cœleste, quod à Christo & ad similitudinem corporis Christi habemus, quod licet uerum corpus & uera caro sit, per spiritum tamen Christi uiuificatur & seruatur, nec ullis indiget animæ uegetatiuæ potentijs.

Gloriosa corpora liberata sunt humilitate. *1 Corin. 15.* *Animale et spirituale corpus.*

Quanquam ergo hæc ipsa corpora nostra & membra eadem quæ nunc gerimus, futura sint post resurrectionem in cœlo, quia tamen clarificata sunt, & ab omni corruptibilitate ac animali sensu purificata, certè non erit ullus animalis corruptibilisq́ uel sensus uel affectus adeoq́ carnalis corporis aut membrorū usus. Id quod Dominus cōtra Sadducæos in cœlis nuptias imaginantes, aut hoc absurdo potius resurrectionem suggillantes, asserit & ait, Filij huius seculi ducunt uxores & nuptum dant: illi uerò qui digni habebuntur seculo illo & resurrectione ex mortuis, neq́ ducunt uxores, neq́ nuptum dant: neque enim ultra mori possunt. Aequales enim angelis sunt & filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis. Ad quem modum & Paulus, Caro & sanguis ait, regni Dei hæreditatem consequi non possunt. Id ne quis de substantia carnis intelligeret, per interpretationem subdit, Neque corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipiet. Proinde caro & sanguis, id est, carnales affectiones & cupiditates non erunt in electis agentibus in cœlo. Nam cœlestia gaudia aliena sunt à gaudijs terrestribus, adeoq́ sunt alterius naturæ, ut huiusmodi corruptos hæredes non admittant, ideoq́ prius corpora corruptibilia ab omni corruptione purgari adeoq́ clarificari oporteat. Errant Turci expectantes gaudia terrestria.

Caro et sanguis non erunt in cœlo. Marc. 12. 1 Corin. 15.

Porrò resurgent & impiorum corpora. Paulus enim in Actis, Credo, inquit,

Resurgent et impiorum corpora.

omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt, spem habens in Deum fore, quemadmodum ipsi expectant resurrectionem mortuorum, simul iustorum & iniustorum. En iniustorum quoqꝫ dicit Apostolus Cæterum non tollentur in resurrectione ex horum corporibus infirmitas, ignominia, corruptio & miseria: interim uerò hoc ipsum corpus quod resurgit in ignominia, iudicio & potentia Dei confirmabitur in ignominia & corruptione, adeoqꝫ ad æterna tormenta perferenda perpetuabitur, immortaleqꝫ & incorruptibile in morte & corruptione reddet: ut quemadmodum corpora quædam reperiuntur in terris, quæ in ignibus perdurant, ita non atterentur neque frangentur ullis tormentis maledicta impiorum corpora: subinde enim ac in momenta uires nouas patiendi accipient, luentqꝫ hoc modo commeritas pœnas sine fine in secula seculorum. Dominus enim in Euangelio, Qui mala, inquit, egerunt, resurgent in resurrectionem condemnationis, id est, in perseuerantem perpetuamqꝫ condemnationem. Nam Daniel prior dixit, Et multitudo ex ijs qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt, hi ad uitam perpetuam, illi uerò ad probra & contemptum æternum. Rursus enim in Euangelio dicit Dominus, Illorum uermis non moritur, & ignis non extinguitur. Nam ijsdem uerbis prior usus est Isaias in cap. 66. Semper ergo illa Domini uox retinenda erit in cordibus nostris, Illum metuite qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Hæc hactenus de resurrectione carnis.

Articulus fidei 12.

Vltimus fidei nostræ articulus omnia feliciter concludens hic est, ET VITAM AETERNAM. Audiuimus & intelleximus animas hominũ esse immortales, insuper & corpora nostra resurgere in fine mundi. Hoc nos credere professi sumus. Sequitur ergo in calce Symboli, quo anima illa perpetua & corpus resuscitatum sint peruentura. Profitemur itaqꝫ, Et uitam æternam, uidelicet credo me corpore & anima consecuturum & uicturum. Et æternitas quidem perpetua est, nec admittit ullum finem, sicut modò declaratum est diuinæ scripturæ testimonijs.

Vita æterna.

Porrò uitæ huius participes fiunt animæ simul atqꝫ migrant à corporibus, Domino ipso testante, Qui credit in filium Dei, in iudicium non ueniet, sed transiuit à morte in uitam. Corpora uerò sepeliuntur & computrescunt, interim illa ipsa non sunt expertia uitæ. Sed tum demum recipiuntur in æternam uitam, cùm post diem iudicij excitata obuiam Christo rapientur in aëra, ut semper sint cum Domino. Tunc enim animæ è cœlis redeunt ad sua corpora, ut totus perfectus & plenus homo anima & corpore uiuat in æternum. Nam anima Christi in cruce morientis migrauit extemplo in paradisum, tertia uerò die redijt ad corpus, quod resurrexit & ascendit in cœlum. Quemadmodum ergo capiti obtigit uita æterna, ita omnibus & singulis Christi membris eadem obueniet.

Qualis sit uita æterna.

Cùm autem Paulus dicat ex Isaia, Quæ oculus non uidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, ea præparauit Dominus diligentibus se, arbitror ego si omnia de uita æterna dicta fuerint, quæ omnium hominum omniumqꝫ seculorũ ora profari potuerint, uix minimam eius particulam fuisse & esse delibatam. Nam utcunqꝫ disertis & tropicis uerbis, allusionibus & ænigmatibus scriptura uitam & gaudia illa adumbrat euidentissimè, modica tamen sunt reuera illa omnia, donec illa dies uenerit qua ipsum Deum conditorem omnium in sua gloria, Christum seruatorem nostrum in sua maiestate, omnes deniqꝫ beatos spiritus, angelos, patriarchas, prophetas, Apostolos, martyres, patres nostros, & omnẽ gentem nostram, & omnem exercitũ cœlestem, omnemqꝫ illam gloriam diuinam & cœlestem ineffabili cum gaudio uiderimus. Verissimè ergo dixit Aurelius Augustinus

gustinus libro de ciuitate Dei 22. cap. 29. Cùm ex me quæritur quid acturi sint sancti in illo corpore spiritali? non dico quod iam uideo, sed quod credo. Dico itaque quòd uisuri sint Deum in ipso corpore. Et iterum, Illa actio uel quies atque otium quale futurum sit, si uerum uelim dicere, nescio. Pax enim Dei superat omnem intellectum. Breuiter uidebimus ipsum Deũ de facie ad faciem, laudabimus Deum in secula seculorum, fruemur Deo ad satietatem omni carentem fastidio. Et facies Dei nõ est uultus ille qui in nobis apparet, sed reuelatio iucundissima Dei, & fruitio quam nulla dignè satis explicarit mortalis lingua. Agè ergo credamus & uiuamus, charissimi fratres, ut ubi hinc migrauerimus, re ipsa experiamur ineffabilia uitæ futuræ & æternæ gaudia quæ hodie credimus. *Facies Dei.*

Hactenus enim fidei Christianæ fructum & finem per quatuor articulos ultimos exposuimus. Tendit fides in unum Deum, patrem, & filium, & spiritum sanctum, qui fideles sanctificat, purgat & consecrat sibi ecclesiam. Hæc habet communionem cum Deo & cum omnibus sanctis. Huic condonat Deus omnia delicta. Hanc anima & corpore seruat. Vt enim animæ mori nõ possunt, ita excitat Deus corpora sanctorum, quæ & gloriosa reddit & perennia, ut totus homo æternùm uiuat in cœlis cum Domino. Cui laus & gloria in secula seculorum, Amen. *Epilogus.*

De dilectione Dei & proximi. SERMO X.

RESTAT ut postquàm sermonibus aliquot de uera fide disserui, subiungam modò sermonẽ de dilectione Dei & proximi. Nam sermone quarto pollicitus sum me dicturum post fidem expositam, de dilectione Dei & proximi: quòd extra fidem & dilectionem expositio scripturarum, ceu extra legitimas & sacras metas, non debeat exorbitare. Quod autem fecistis hactenus, porrò facere non desinite, orare, ut hæc salutaris doctrina per me iustè tradatur, & à uobis recipiatur multo cum fructu.

Initiò non distinguam curiosè inter charitatem & dilectionem. Vtrunque enim pro eodem accipiam. Sanctus Augustinus de doctrina Christ. Charitatem uoco, ait, animi motum ad perfruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum. Ego itaque appello dilectionem donum homini cœlitus datum, quo ex animo Deum diligit ante & super omnia, proximum uerò tanquã semetipsum. Proinde oritur dilectio è cœlo, unde infunditur cordibus nostris. Prouehitur autẽ & augetur partim beneficiorum Dei cõmemoratione & consideratione, partim crebra oratione, item auscultatione & exercitatione uerbi Christi. Quæ & ipsa spiritus dona sunt. Apostolus enim Paulus, Dilectio Dei effusa est in corda nostra, ait, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Equidem charitas Dei qua is cõplectitur nos, fundamentum est & causa nostræ dilectionis qua Deum amamus, & ex utraque existit dilectio proximi. Apostolus enim dicit, Nos diligimus eum, quoniam is prior dilexit nos. Item, Omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qai natus est ex eo. *Charitas & dilectio.* dilectio qd *Vnde sit dilectio.* *1 Ioan. 5.*

Inde rursus colligimus, donum hoc dilectionis esse indiuisum, etsi sit geminũ. Nam qui uerè diligit Deum, proximum non odit: & tamen propter duplicem respectum, nempe ad Deum & ad proximum, dilectio hæc bipertita est. Nam & tabulæ diuinæ legis propter geminam dilectionem diuiduntur in duas: quarum prima habet præcepta dilectionis Dei 4. secunda habet præcepta dilectionis proximi 6. De quibus suo loco dicetur. Iam uerò quia alia Dei, alia proximi dilectio est, dicam primò de dilectione Dei, deinde de dilectione proximi. In his duobus *Dilectio gemina.*

mandatis, ait Dominus, pendent lex & prophetæ.

Dilectio Dei.

Dilectione Dei Deum amamus, Deo tanquam unico summo & æterno bono adhæremus, in ipso nos oblectamus & acquiescimus, nosq; ad uoluntatem eius componimus, in omnibus dilectum respicientes atque desiderantes. Plurima hîc simul sunt proposita, quæ sigillatim & per partes copiosius paulò exponemus.

Dilectione Dei uniuntur Deo.

Amamus dilectione Deum. Amamus autem chara & quæ uidentur nobis esse expetibilia, & amamus quidem illa non tam propter bonum nostrum, quàm quòd nos ipsos totos adamatis coniungere, & quasi perpetuò consecrare dedicareq; desideramus. Ita certè cupimus cum Deo æternùm coniungi, adeoq; & charitate coniungimur cum Deo: iuxta illud Apostoli, Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Sic autem adhæremus Deo tanquam unico, summo & æterno bono, in quo etiam nos oblectamur non uulgariter. In eo acquiescimus, sentientes extra hunc non esse bonum ullum: & in hoc rursus inueniri bona omnia. Proinde non aliud bonum extra Deum amamus. Ac præ dilecto facilè fastidimus & calcamus alia in orbe quæ uidentur bona omnia: imò superat in nobis Dei dilectio ea quoq; mala quæ alioquin uidentur inuicta. Paulum audiamus hæc magno spiritu perorantem atq; dicentem, Quis nos separabit à dilectione Dei? num afflictio? num angustia? nũ persequutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Quemadmodum scriptũ est, Propter te tradimur morti tota die: habiti sumus ueluti oues destinatæ mactationi. Verùm in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum habeo, quòd neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neque futura, neque altitudo, neq; profunditas, neq; ulla creatura alia poterit nos separare à Dilectione Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Hactenus recensuimus uerba Pauli.

1. Ioan. 4.

Dilectione Dei superantur mala omnia.

Rom. 8.

Dilectio Dei conformat nos uoluntati Dei.

Dilectio Dei efficit ut nos totos componamus ad eius uoluntatem & instituta, quem diligimus ex animo. Imò iucundum & suauissimum est diligenti Deum, facere quod intelligit gratum esse Deo si fiat. Reueretur dilectum animus diligentis. Nuspiam amouet oculos à dilecto. Desiderat semper & in omnibus dilectum. Gaudet omnino frequenter colloqui cum Deo, & uicissim audire uerba loquentis in scriptura Dei. Dominus enim in Euangelio dicit, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Item, Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione. Rursus, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum: & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Modus dilectionis Dei.

Deut. 6.

Matth. 22.

Sed audiamus porrò ipsum Mosen Dei seruum, explicantem atque tradentem nobis modum & rationẽ dilectionis Dei, quanta scilicet esse debeat in electis. Diliges Dominum Deum tuum, ait, toto corde tuo, & tota anima tua, ac tota uirtute tua. Eadẽ propè uerba repetijt in Euãgelio Dominus noster, ac dixit, Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis uiribus tuis, & ex tota mente tua. Intelligimus ex his omnium maximam à nobis requiri dilectionem Dei: quippe quæ sibi totum hominem quantus quantus est, & omnes partes eius uindicat. Mente homo intelligit. In corde est sedes affectuum & uoluntatis. Vires hominis sunt omnes facultates hominis, ipsa inquam dicta, facta, consilia, opes, & tota substantia. Anima deniq; uita est. Hæc autem omnia ad diligendum Deum cõuertere iubemur, dum præcipitur Deus diligendus esse ex tota anima, ex totis uiribus, ex tota mente, ex toto corde Nihil in his omittitur quod non compre-

comprehendatur. Toti sumus Dei, toti ergo diligamus deum. Nihil sit in toto hoc orbe quod deo sit charius, nihil sit in omnibus rebus nostris uel charissimis & præstantissimis, cui parcamus propter deum, quod non propter deum & iuxta os domini relinquamus, expendamus, aut disponamus. Sic enim diligimus deum ante & super omnia. Soli autē adhærere, solum complecti iubemur. Cui enim omnia nostra eaq; tota debemus, ei omnia nostra & tota quidem syncerè, simpliciter & plenè sunt præstanda. Damnantur hic quicunq; & Deum amare, simul & mundum quoq; uolunt diligere. Totum requirit cor Dominus, totam mentem, totam animam, & omnes uires, denique quicquid sumus & possidemus: nihil relinquit ergo tibi quod impendas alijs. Quo ergo iure dabis carni, diabolo, dijs alijs uel mundo, quod solius Dei est peculium? Ac solus quidem Deus summus, æternus, maximus, potentissimus, creator, liberator, conseruator, clementissimus, iustissimus & optimus est. Solus præstat, præstitit, & præstare potest hominibus quæcunque ad incolumitatem corporis & animæ pertinent. Solus sufficit homini ad beatè & benè uiuendum Deus: solus ergo diligi meretur Deus, & diligi quidem ante & supra omnia. Hæc dilectio Dei benedicit omnibus hominum casibus & euentibus, ut eis prosint, iuxta illud, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Hæc dilectio Dei cōprehendit & hoc, ne quem adoremus, colamus, ueneremur, timeamus, inuocemus, ne cui fidamus, obediamus, & adhæreamus, nisi uni & soli Deo, cui debetur omnis gloria.

Diligamus Deum super omnia.

Solus diligendus deus.

Rom. 8.

Priusquam uerò dicamus de dilectione proximi, præmittere necesse est quis sit proximus, de quo uideo quosdam addubitare & hærere ancipites. Sunt enim qui arbitrentur proximos esse consanguineos. Alij putant benefactores suos esse proximos, alienos iudicant quicunq; malefaciunt. At dominus noster Iesus Christus ostendit quemlibet etiam inimicum nostrū, qui nostro consilio & auxilio indiget, proximum esse. Fingit enim hominem Iudæum incidisse in latrones, semiuiuumq; & uulneribus tuberibusq; oppletum iacuisse in itinere, & neglectum quidem fuisse à suæ gentis hominibus, Leuita ac sacerdote prætereuntibus, tandē uerò receptum in curam à Samaritano. Erat autem odium maximū inter Iudæos & Samaritanos: nihilominus tamen benefacit hic isti, quòd uideret ita res & necessitatem afflicti postulare. Ea uerò applicans suo instituto dominus interrogat illum, qui cupiebat erudiri quisnam esset proximus suus, & ait, Quis horū trium uidetur tibi fuisse proximus illi? Respondit, Qui fecit misericordiā, Ait dominus, Vade & fac tu similiter. Quasi dicat, quemadmodum Samaritanus iudicauit etiā hostem suum esse proximum, & indigenti beneficio beneficium contulit: ita tu quoq; reputato quemlibet tua indigentem opera tuum esse proximum, & benefac illi. Ergo secundum scripturā iudicans Aurel. Augustinus dixit, Eum proximum esse intelligimus, cui uel exhibendum est officium misericordiæ si indiget, uel exhibendum esset si indigeret. Heluetij proprijssimè hoc exprimimus, cùm proximū nostrum appellamus den nächsten menschen / id est, quemlibet indiscriminatim quem nobis sors obtulerit. Præterea nuncupamus proximū in nostrate lingua der äbenmensch / namlich ein yeder der so wol ein mensch ist als wir. Significantes quemlibet hominem siue is sit amicus siue hostis. Huc pertinet illud Lactantij lib. 6. cap. 11. Quid personas eligis? Quid membra inspicis? Pro homine tibi habendus est quisquis precatur, ideo quia te hominem putet. Largire cæcis, debilibus, claudis, destitutis, quibus nisi largiare, moriendum est. Itē, Conseruanda est humanitas, si homines rectè dici uelimus. Conseruare autem humanitatem quid aliud est, quàm diligere hominem quia homo sit & idem quod nos sumus?

Quis sit proximus noster.

Augustinus De Do. Christ. lib. 1. cap. 30.

Lactantius

Math. 5. Certè dominus in Euangelio de dilectione proximi disputãs, Diligite, inquit, inimicos uestros, bene precemini deuouentibus uos, benefacite ijs qui uos odio prosequuntur, orate pro illis qui lædunt uos. Item, Omni exigenti à te tribue. Et si diligitis eos qui uos diligunt, quæ uobis est gratia? Nam & peccatores diligunt se diligentes. Proximus est ergo homo quilibet qui nostra indiget opera.

Ordo & modus est in dilectione. Hæc interim non efficiunt ne ullus sit in dilectione aut beneficentia ordo, modus aut ratio decens. Rectè enim dixit S. Augustinus de Doct. Christ. lib. 1. cap. 27. Nullus peccator in quantum peccator est, diligendus est. Et 28. cap. Omnes homines æquè diligendi sunt, sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, uel temporum, uel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictius tibi quasi quadam sorte iungũtur. Apostolus enim Paulus eadem nos ante augustinum docuit, dicens, Qui non operatur, non edat. Item, Dum tempus habemus operemur bonum, cùm erga omnes homines, tum uerò maximè erga domesticos fidei. Et alibi non iubet nos erogare alijs, & interim domi nostræ egere. Imò præcipit cuilibet piè curet domum propriam. Notus est locus in 1. ad Timoth. 5. cap.

2. Thess. 3. 2. Cor. 8. Galat. 6.

Quomodo diligendus sit proximus. Porrò explicato eo quis nam sit proximus noster, uideamus iam quomodo diligendus sit proximus. Diligendus est proximus syncerè & sine fuco, ea dilectione qua nosmetipsos diligimus, uel qua nos dilexit Christus. Nam inseruire oportet proximo in omnibus, præstareq; officia beneficẽtiæ & humanitatis. Quatuor in hac consignatione plenius consideranda ueniunt.

Dilectio proximi sit syncera. Principiò requiritur à nobis dilectio proximi syncera, quæ careat omni dolo fraude & fuco. Inuenias enim multos qui mellitis compellant uerbis proximos, ac simulant se diligere, quos reuera odiunt, aut blandiloquio decipere, resq; suas conficere cogitant. Apostoli ergo Christi Paulus & Ioannes acriter à dilectione remouent hypocrisim. Ille enim, Dilectio inquit, sit non simulata. Item, Finis præcepti est charitas ex puro corde, & conscientia bona, & fide non simulata. Hic uerò clamat, Filioli mei ne diligamus uerbo neq; lingua, sed opere & ueritate. Porrò in hac synceritate comprehendimus alacritatem spontaneam & hilarem, ne quid inuitè aut coactè fiat. Paulus enim dicit, Vnusquisq; agat secundum bonum animi propositum, non ex molestia aut necessitate. Nam hilarem datorem requirit Deus.

Rom. 12. 1 Timoth. 1 Joa. 4. 2 Corin. 9

Diligamus proximum tanquam nosipsos. Deinde requiritur à nobis ut proximum diligamus tanquam nosipsos. Dominus enim dixit, Dilige proximum tuum sicut teipsum: nimirum ardentissimè & modis omnibus maximè. Non enim uel ualidior uel uehementior est affectus, quàm amor sui. Neq; uerò uoluit Dominus priores partes dare philautiæ, posteriores dilectioni proximi: sed magis significauit dilectionem ardentissimam, nimirum ut eum affectum quo nos & res nostras prosequimur, eundem inquam alijs impendamus, ut eadem cura, fide, diligentia, eodem ardore & studio alijs benefacere aut mala ab eis arcere pergamus, quo nobis ipsis prouidemus. Vnde dominus alibi quoq;, Quod tibi, ait, uelis fieri, feceris alteri: & quod tibi nolis fieri, alteri non feceris. Et duo quidem requirit à nobis Dominus, innocentiam, & beneficentiam. Non enim satis est ne cui noceamus, sed oportet præterea benefacere quantum possumus. Nam & nobis ipsis bene esse cupimus, non tantùm mala à nobis arcemus.

Diligamus proximum sicut dilexit nos Christus. Quòd si nondum satis intelligit C. V. modum dilectionis proximi, expendite obsecro quid loco tertio posuerim, Diligẽdus est proximus ea dilectione qua nos dominus Christus dilexit. Nam in Euangelio Ioannis dicit dominus, Hoc est præ-

ceptum

ceptum meũ, ut diligatis uos inuicem, sicut dilexi uos. Habetis modum dilectionis nostræ, proximos diligere oportet sicut Christus dilexit nos. Quomodo autẽ dilexit nos Christus? Hic in euangelio rursus dicit, Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animã suam ponat pro amicis. Proinde modus dilectionis proximi erit, ut animam ponamus pro proximo. Quòd si uitam debemus proximo, certè nihil non debemus, cùm uita nihil sit homini præstantius. Omnium ille iacturam facit, priusquam uitam subijciat periculo. Proinde Ioannes Apostolus clamat, Per hoc cognouimus charitatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus animas ponere pro fratribus. Facilia sunt hæc intellectu propter exemplum clarissimum. Oremus ardenter & sedulò dominum ut opere perficiamus, quod ex uerbo Dei clarè iam intelleximus, ne ab eodẽ Apostolo damnemur dicente, Qui habuerit substantiam mundi, & uiderit fratrem suum egere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?

Joan 15

1 Joan 3.

ibidem

Agè explicemus quarto & ultimo loco, quomodo oporteat inseruire proximo in omnibus, præstareq́ officia beneficentiæ, dilectionis & humanitatis. Id eleganter exposuit Dominus illa ipsa parabola, qua docuit nos quis sit proximus noster. Eadem enim prosequitur breuiter, sed euidenter omnia dilectionis proximi officia. Principiò Samaritanus uiso saucio misericordia cõmotus est. Requiritur ergo à nobis affectus misericordiæ, quo aliorum calamitates existimemus etiam ad nos pertinere: requiritur cõdolentia animi, iuxta illud Apostoli, Memores este uinctorum tanquam unà cum illis uincti, eorũ qui affliguntur tanquam ipsi quoque uersantes in corpore. Deinde accedit Samaritanus, non præterit, non uerbis lugubribus imprecatur saucio sanitatem, & ad res proprias conficiendas properat. Nam Iacobus Apostolus, Quòd si frater aut soror nudi fuerint, inquit, & egentes quotidiano uictu, dicat autem nostrum aliquis illis, Abite in pace, calescite & saturamini, non tamen dederit illis quæ sunt necessaria corpori, quæ erit utilitas? Samaritanus ergo accedit, deniq́ admouet manum, & artem qualemcunq́ (quando meliorem non didicerat) profert medicaturus saucio. Nec abhorret à uulnerũ liuore, sanie, purulentia & fœtore, ipsius obligat, non reijcit ad alium. Non causatur se non esse medicum: quod poscit necessitas & quod potuit, facit, præsentibus utens medicaminibus, donec melioribus uti liceat. Vinum & oleum sumpserat secum in uiam, ijs utitur necessitate: & non admodum incommodis quidem illis, cùm uinum purget uulnera, oleum leniat. Hinc omnia quæ habet miseri usibus concedit, suum etiam geniũ defraudans. Descendit enim ex iumento cui inequitarat, & eius usum afflicto concedit. Quin sublatum è terra suis manibus deficientem, iumento imponit. Ipse deniq́ uiæ dux est, non alijs eius curam committit. Ducit enim cum in proprias ædes non posset, saltem in diuersoriũ publicum. Vbi rursus nullis neq́ impensis, neq́ laboribus parcit. Ipse enim miseri curam agit: quòd in diuersorijs publicis languentium res segnius ferè curentur. Cæterũ dum itineris urgeret necessitas, pecuniam depromit quantũ ad reditum usq́ eius sufficere putauit, & hanc annumerat hospiti meritorio. Nec eo contentus, cõmendat insuper diligenter miserum hospiti. Præterea obstringit se pro eo & ait, Si quid in eius curam & necessitatem impenderis ultra summam tibi creditam, nihil tibi peribit. Vbi enim rediero, reddam bona fide omnia. Ergo & reditũ pollicetur, & declarat se non quieturum donec saucium uideat incolumem. Habet c. v. in hac parabola domini pulcherrimum & plenissimum dilectionis modum. Totum enim sese Samaritanus proximo indigenti impendit liberalissimè promptissimeq́: totos ergo nos ipsos & omnia nostra debemus proximo, quæ cùm ei impendi-

Quomodo oporteat inseruire proximo.

Jaco. 2.

mus, officia dilectionis humanitatisque praestamus.

Charitatis ingenium.

His subiungemus adhuc aliquot scripturae testimonia, ex quibus ingenium dilectionis intelligatur plenius, si quid hactenus allatis deesse uideatur. Paulus ergo ad Corinth. scribens, Charitas patiens est, ait, benigna est, charitas nō inuidet, non est procax, non inflatur, non est fastidiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniustitia, sed congaudet ueritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Et iterum ad Romanos scribit idem Apostolus, Dilectio praeuenit alios honore, communicat necessitatibus sanctorum, sectatur hospitalitatem, bene loquitur de persecutoribus, persequentibus mala non imprecatur, gaudet cum gaudentibus, flet cum flentibus, accommodat se infirmis. Item, Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicē diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expleuit. Siquidem illa, Non cōmittes adulterium, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non cōcupisces, & si quod aliud praeceptum, in hoc sermone summatim cōprehenditur: nempe, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximo malum non operatur. Consummatio itaque legis est dilectio.

1 Corin. 13.

Rom. 12.

Charitas impletio legis.

Rom. 13.

Opera misericordiae.

Huc etiā pertinent opera misericordiae, quae ut manāt ex dilectione, ita cōmemorantur à domino in euangelio Matthaei, haec potissimū, Pascere esuriētes, potare sitientes, colligere uagos & hospites, operire uel uestire nudos, uisitare infirmos, uinctos inuisere & cōsolari. Ad haec respiciens Lactātius lib. Instit. 6. cap. 12. dicit, Praecipua uirtus est hospitalitas, & alere pauperes. Captiuorum redemptio, magnum quoque & praeclarum iustitiae opus est. Non minus magnū iustitiae opus est, pupillos & uiduas, destitutos & auxilio indigentes tueri atque defendere: quod ubique lex diuina praecipit. Aegros quoque quibus defuerint qui assistant, curandos fouendosque suscipere, summae humanitatis & magnae operationis est. Vltimum illud & maximum pietatis officium est, peregrinorum & pauperum sepultura. Haec hactenus de officio humanitatis, quod praestat uera proximi dilectio.

Adhortatio ad charitatem.

Caeterum non satis fuerit, fratres, quod creberrimè nobis repetendum est, intelligere quomodo diligamus proximum, quin potius diligendus est impensissimè. Audiēdus Apostolus qui mira orationis uirtute & pulcherrimo, exactissimo, sanctissimoque Christi exemplo nos omnes ad charitatem proximo praestandā adhortatur & dicit, Si qua igitur consolatio est in Christo, si quod solatium dilectionis, si qua communio spiritus, si qua uiscera ac miserationes, complete meum gaudium, ut similiter affecti sitis, eandem charitatē habentes, unanimes, idem sentientes, ne quid fiat per contentionem aut inanem gloriam, sed per humilitatem animi alium quisque se praestantiorem existimet, ne sua quisque spectetis, sed unusquisque quae sunt aliorum. Is enim affectus sit in uobis, qui fuit & in Christo Iesu, qui cûm esset in forma Dei, nō rapinam arbitratus est ut esset aequalis Deo, sed semetipsum inaniuit forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humiliauit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus illum in summā extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne se genu flectat, coelestium, terrestrium, ac infernorum, omnisque lingua confiteatur quòd Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei patris. Ei soli sit honor & imperium, in secula seculorum, Amen.

Philip. 2.

Finis primae Decadis Sermonum.

SERMO-

SERMONVM DECAS SECVNDA, AVTHORE HEINRYCHO BVLLINGERO.

De Legibus, & primùm quidem de lege naturæ, deinde uerò de legibus humanis.

SERMO I.



SVMMA omnium legum est dilectio Dei & proximi, de qua cum summatim dictum sit proximo sermone, consequens est ut porrò disseram sigillatim de Legibus & partibus atque speciebus earum. Inuocemus ergo legum authorem Deum, ut is nos spiritu suo semper dirigat in uia ueritatis ac iustitiæ, per Christum dominũ nostrum.

Legem definiuit quidam ex Gentilibus non obscurus author, rationem esse summam in natura insitam, quæ iubeat facienda, prohibeatq; contraria. Et certè Lex aliud non est quàm declaratio diuinæ uoluntatis, præscribens quid facias aut quid omittas. Origo & causa legum est ipse Deus, fons omnis boni, æqui, ueri & iusti. Ergo omnes leges æquæ & bonæ, sunt ex ipso Deo, licet ferè promulgentur proferanturq; per homines. De humanis legibus est consyderatio peculiaris. *Quid lex.*

Nam leges aliæ quidem sunt Diuinæ, aliæ Naturæ, aliæ Humanæ. De Lege diuina dicam in 2. Sermone, iam attingam primum quidem legem Naturæ, deinde legem Humanam. *Diuisio Legũ.*

Lex naturæ est dictamẽ conscientiæ, adeoq; directio quædam ab ipso Deo hominum animis & cordibus insita, admonẽs quid uel faciant uel omittant. Et Conscientia quidem cognitio est, iudicium & sensus hominis, quo apud semetipsum in animo suo sibi quisq; cuiuslibet rei peractæ uel non peractæ conscius semetipsum uel damnat uel absoluit. Et hic sensus proficiscitur ex Deo, dictante inscribenteq; iudicia sua hominum cordibus & animis. Natura uerò est ingenium cuiusq; rei proprium. Porrò ingenium hominis planè corruptũ per peccatum, ut cæcum, ita in omnibus est prauum. Deum non nouit, Deum non colit, sed & proximum non diligit, seipsum potius amat, & sua quærit. Vnde nimirũ Apostolus dixit nos esse natura filios iræ. Proinde lex naturæ dicta est non eo nomine, quòd in natura uel ingenio hominis ex semetipso sit illuminatio quædam, ratio deprecans ad optima & operatio sancta: sed quòd deus notiones quasdam & principia religionis æqui & boni generalia animis nostris impressit aut insculpsit, quæ quasi insertæ & nobiscum natæ, & idcirco ueluti naturales esse uidentur. *Lex Naturæ. Conscientia. Natura.*

Paulum Apostolum de his testificantem atq; dicentem audiamus. Cùm Gentes quæ legem non habent, ait, natura quæ legis sunt fecerint, eæ legem non habentes sibi ipsis sunt lex, quæ ostendunt opus legis scriptũ in cordibus suis: simul attestante illarum conscientia & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus, in eo die cùm iudicabit Dominus occulta hominũ iuxta euangeliũ meum per Iesum Christum. Duobus argumentis euincit Apostolus Gentes esse peccatores. Principiò enim ne excusarent se quòd non habent legem, ostendit ipsas habere legem, & quia hanc præuaricantur, esse peccatores. Licet enim legem Mosis scriptam non habuerint, fecerunt tamen natura quæ legis sunt. Legis est reuelare dei uoluntatem, quid agas aut quid omittas. Id habent à natura, id est, id norunt ex lege naturæ. Sequitur enim quod hoc exponat, Cùm non habent legem, *Locus Pauli Rom. 2. de lege naturæ.*

eæ sibiipsis sunt lex. Nimirum habēt in seipsis quod scriptum est in lege. Sed quomodo habent in seipsis? Sequitur iterum interpretatio, Quippe ostendūt opus legis inscriptum cordibus suis. Quis autem inscribit in corda, nisi solus Deus qui est cordium scrutator? Quid autem inscribit? Opus legis, ipsam inquam legem præcipientem bona & uetantem mala, ut sine lege scripta ex dictamine naturæ, id est, ex impressis à Deo naturæ notionibus intelligāt quid bonum sit, quid malū, quid appetendū, quid fugiendum. Intelligimus ex hisce Apostoli uerbis, quòd lex naturæ opponatur legi Dei scriptæ, & iccirco lex naturæ dicatur, quia ueluti naturæ insita uidetur. Intelligimus legem naturæ non scriptam, sed insitam, idem habere officium quod legem scriptam, dirigendi uidelicet homines & docēdi, imò & discernendi bonū à malo, iudicandiq; peccatum. Intelligimus originem illius legis non existere ex corrupto hominis ingenio, sed ex ipso Deo, qui digito suo cordibus inscribit & naturæ infigit inseritq; notiones & regulam iusti, æqui & boni. Deinde producit Apostolus secundum argumentum, quo Gentes peccati cōuincit, à testimonio conscientiæ. Hæc enim instructa à lege naturæ, malum commissum accusat & damnat; ac una & sola est loco mille testium. Eadem etiam excusat, id est, absoluit, si nihil commissum est contra legem. Quòd si in præsenti contemnamus iudiciū conscientiæ, certè non licebit tunc conscientiæ accusationes aspernari & præterire, cùm Dominus iusto iudicio iudicabit orbem. Ex his autem omnibus consequitur omnes Gentes esse peccatores, quas nisi à peccatis repurget filius Dei communis & unicus totius orbis saluator & liberator, necesse est omnes gentes perire in peccatis suis.

Duo præcipua capita legis naturæ.

Sed redimus iam ad legem naturæ, cuius duo potissimum commemorantur capita: Alterum, Deum agnoscito & colito: Alterum, societatem & amicitiam inter homines seruato. De priore hæc habemus Apostoli Christi uerba, Quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis (nimirū Gentibus) Deus enim illis patefecit. Siquidem quæ sunt inuisibilia illius ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur, ipsa nempe æterna eius potentia & diuinitas, in hoc ut sint inexcusabiles: propterea quòd cùm Deum cognouerint, nō ut deum glorificauerunt, neq; grati fuerunt, &c. Et Gentes cognouerunt Deum, imò quicquid cognosci potest de Deo cognouerūt. Sed quo authore aut præceptore? Deo. Quomodo is docuit, aut ex quo libro docuit? Non ex libris Mosis aut prophetarū manu scriptis, sed ex magno illo libro naturæ. Nam quæ alioqui nō uidentur in Deo, cuius generis sunt æternitas, perpetuitas, uirtus, potentia, maiestas, bonitas, diuinitasq;, ea uoluit æstimari ex rebus uisibilibus, nimirum ex rebus conditis. Nam diuinitas Dei æterna cognoscitur ex cōditione hominis, ex cœli motu perpetuo, ex fluminum perpetuitate. Potentissimū esse necesse est illum, qui ista omnia sustinet, qui mouet, uegetat, conseruat in esse omnia, qui nutu concutit orbē. Optimum uerò esse illum quis non uideat, qui Solem oriri sinit super bonos & malos? Sed in quem oro finem hæc reuelat Gentibus? Vt agnoscant Deum, glorificēt & colant Deum, ut gratæ sint tanto benefactori. Id quando nō faciunt, inexcusabiles sunt & merito pereunt suo, nimirum propter incredulitatem & ingratitudinem. Constat autem lege naturæ disertè doceri atq; tradi Deum esse, & hunc quidem agnoscendum atq; colendum.

Gentes cognouerunt Deum.

Seruanda amicitia & societas hominum.

De capite posteriore, nempe seruandam esse amicitiam & societatem inter homines, hæc tradit in Euangelio Dominus, Omnia quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Eam sententiam extulit Alexander Seuerus Imperator per contrarium, Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Quam usque-

adeò

adeò dilexit, ut in palatio & publicis operibus perscribi iuberet. Porrò ad generalem illam legem pertinent hæ quoque, Honestè uiuito, Alterum ne lædito, Suum cuique tribuito, Vitæ commoda tueto, incommoda propulsato. Quoniam uerò lex naturæ ab Apostolo opponitur legi Dei scriptæ, ideò necesse est ut illa huic respondeat: uideamus ergo quid proditum sit à Gentium sapientibus & legislatoribus, quod respondeat Decalogo, & quatenus respondeat.

Lex naturæ respondet legi scriptæ.

Pythagoras apud S. Cyrillum contra Iulianum libro 1. de Deo sic scribit, Deus quidem unus: & ipse non ut quidam suspicantur extra mundi gubernationem, sed in ipso totus in toto circulo omnes generationes cōsiderat, contemperatio existens omnium seculorum, & lux suarum uirtutum, & operum principium omnium, lumen in cœlo, & pater omnium, mens & animatio omnium, circulorum omnium motio. En confitetur Pythagoras unum esse Deum, eumque creatorem, conseruatorem, gubernatoremque omnium, patrem omnium, lumen & uitam omnium. Zaleucus in Procemio legum suarum hæc scripta reliquit, Omnes qui urbem ac regionem inhabitant, persuasos esse oportet deos esse: quod manifestum fit ex cœli & totius mundi inspectione, rerumque in ipsis dispositione pulcherrima & ordine. Haud enim fortuita aut humana huiusmodi opera putare cōuenit. Deinde colendi honorandique dij sunt, ut bonorum omnium nobis authores quæ aliqua ratione fiunt. Singulos igitur habere & comparare animā quemque suam oportet, ut ab omnibus malis pura sit. Nam ab improbo homine non honoratur Deus, neque sumptibus colitur, neque tragœdijs capitur instar hominis mali, sed uirtute ac instituto bonorum operum & iustorum. Quocirca opus est unumquenque pro uirili bonum esse tum factis tum uoluntate, qui modò futurus sit Deo charus, &c. Cicero de Natura deorum 2. lib. Cultus deorum is est optimus, inquit, idemque sanctissimus & castissimus pietatis, ut deos semper pura, integra, incorrupta, & mente & uoce ueneremur. Seneca autem lib. ad Lucill. 5. dicit, Quomodo sint dij colendi solet præcipi. Accendere aliquem lucernas sabbatis prohibeamus, quoniam nec lumine dij indigent, & ne homines quidem delectantur fuligine. Vetemus salutationibus matutinis fungi, & foribus assidere templorum. Humana ambitio istis officijs capitur. Deum colit qui nouit. Vetemus lintea & strigiles Ioui ferri, & speculum tenere Iunoni. Non quærit ministros Deus. Quid ni? Ipse generi humano ministrat. Vbique & omnibus præstò est. Audiat licet quemadmodū seruire in sacrificijs debeat, quàm procul resilire à molestis superstitionibus, nunquam satis perfectum erit, nisi qualem debet Deum mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem. Quæ causa est dijs benefaciendi? Natura. Errat quisquis putat illos nocere uelle uel posse: nec accipere iniuriā queunt nec facere. Lædere enim lædique coniunctum est. Summa illa ac pulcherrima omnium natura, quos periculo exemit, nec periculosos quidem fecit. Primus est Deorum cultus, deos credere: deinde reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem sine qua nulla maiestas est. Scire illos esse qui præsident mundo: qui uniuersa ut sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. Hi nec dant malum nec habent. Cæterum castigant quosdam & coërcent & irrogant pœnas, & aliquando spe boni puniunt. Vis deos propitiare? Bonus esto. Satis illos coluit, quisquis imitatus est.

1. De Deo. Pythagoras

Zaleucus

Cicero

De cultu diuino.

Seneca

In hisce Senecæ uerbis etsi egregijs & religioni ueræ congruis, desidero tamen duo. Prius quòd subinde deorum facit mentionem, cùm tamen alibi ingenuè fateatur unum modò substantia esse Deum. Nec ausim asseuerare illum more scripturæ usum. Illa uocat Deum Elohim, quasi tu dicas Deos, propter Trinitatis ado-

Sententiæ de Deo gentilium non sunt integræ.

randæ mysteriũ. Interim non nescio doctissimos religionis nostræ uiros ex Gentium testimonijs probare uoluisse, Gentes quoq; agnouisse Trinitatis mysterium. Posterius est, quòd non disertè (quantum ego quidem noui) exprimit & docet Seneca cum alijs Gentium sapientibus solidam in Deum fiduciam.

2 *Gentes contra idola.* Porrò non fuit apud Romanos ulla in ullis templis imago Dei, annis ab urbe condita plus minus 170. Plutarchus enim in uita Numæ Pompilij scribit, Quæ de Deorum immortalium simulachris etiam Numa statuit, quàm simillima sunt prorsus Pythagoræ documentis. Nam primum principium ille neq; sensui neq; perturbationi subiectum, sed mentem inuisibilem & increatam esse censuit. Hic autem Romanos prohibuit existimare imaginem Dei, aut hominis speciem aut animalis habere figuram uel formam. Nec fuit apud eos neq; picta neq; ficta Dei prius species, sed in prioribus 170. annis, templa quidem ædificabant sacraq; tuguria erigebant, simulachrum uerò nullum corporeum faciebant, perinde atque nephas esset deterioribus meliora assimilare, neq; aliter quàm intelligẽtia percipi possit Deus. Eadem testatur de Romanis M. Varro apud Augustinum lib. de Ciuitate Dei 4. cap. 31. Dicit enim Romanos coluisse Deos sine simulachris annos 170. & addit, Quod si adhuc mansisset, castius Dij obseruarentur. Nec dubitat eum locum sic cõcludere ut dicat, Qui primi simulachra populis posuerũt, eos ciuitatibus suis & metum dempsisse & errorem addidisse: prudenter existimans Deos facilè posse in simulachrorum stoliditate contemni, &c.

3 *Nomen Dei in summo precio.* Quanti uerò Gentiles æstimauerint nomen Dei, claret ex religione maxima sacramenti siue iuramenti. Historia extat elegans apud Gellium lib. 7. cap. 18. ubi & illud inter alia legitur, Iusiurandum apud Romanos inuiolatè sanctèq; habitũ seruatumq; est: id & moribus legibusq; multis ostenditur. Quòd si quis conuitium dixisset in Deum apud Gentiles, grauissimæ obnoxius pœnæ reddebatur.

4 *Sacrorum studiosæ Gentes.* Præterea fuerunt Gentibus sua sacra, suæ feriæ ceremoniæq;, & sacrorum antistites. Insignes fuerũt Gentium sacerdotes Melchizedek & Iethro. Et quanquam Paulus fateatur id quod Gentes obtulerũt, non Deo obtulisse, sed dæmonijs: quia tamen sacra & ceremonias sacras magni fecerunt, declarauerunt Deum notiones cultus & religionis indere animis hominum, quas deinde corrumpunt falsæ doctrinæ & opiniones conceptæ de Deo & sacrorum ritibus.

5 *De honorandis parentibus.* De honorandis parentibus & magistratibus, item de educandis liberis, deq; liberorum officio præcepta & sententiæ sunt apud Gentium sapientes illustrissimæ. Hierocles inter alia, Si quis, inquit, parentes, secũdos ac terrestres quosdam Deos dixerit, non errabit, cùm nobis propter uicinitatem, si dicere fas est, uel ipsis Dijs honorabiliores sint. Necessariũ autem est ita existimare, & perpetua animi promptitudine conandum, ut beneficijs eorum paria faciamus. Quantumuis uerò multa in eorum gratiam fecerimus, semper tamen inferiora erunt omnia quàm esse deberent. Et reliqua. Tempus enim me citius destituet, quàm hęc & alia huc pertinentia commemorem ex Gentibus: neq; hoc institui.

6 *Homicidium et adulterium.* Contra homicidium, uiolentiam & iniurias latæ sunt leges grauissimæ à Gentibus. Ab ijsdem profecta est lex Iulia contra adulteria & nephandos concubitus. Statuerunt egregia decreta de connubijs ritè contrahendis & colendis. Ac uer-
7 bum ueritatis disertè indicat Chananæos esse deletos propter incestas nuptias & nephandas libidines, Leuit. 8. Sed & Lycurgus, Solon & Romani contra omnem luxum promulgauere leges sumptuarias: ut iam non commemorem insitum esse naturaliter gignere & nutrire sobolem.

Furta. 8 Contra furta & dolos, contra usuram, de iusta rerum acquisitione & posses-

sione,

sione, item de rerum diuisione & contractibus, habēt Ethnici leges pulcherrimas. Celebre est illud Ausonij,

Si turpia lucra
Fœnoris & velox inopes vsura trucidat.

Veritatem quoq; celebrant gentiles omnes: mendacium, detractionem & his similia scelera damnant modis omnibus. Lex 12. tabularum iubet è Tarpeia rupe præcipitem dare testem falsum. Charondas uerò Catanæus inter alia egregia dicta, Quisq;, ait, honestatem ac ueritatem colat, turpitudinem atq; mendacium oderit. Nam hisce notis uirtus & malitia discernuntur. Quare statim à pueris assuefacere oportet castigando quidem mentiendi studiosos, ueritatis autem amando, ut quod in uirtute optimum & fœcundissimum est, animis singulorum innascatur, & quasi in naturam ipsorum conuertatur, &c. 9 *Mendacia. Falsi testes.*

Damnatur item concupiscentia, damnantur & affectus praui à sapientibus Ethnicorum. Hanc ueluti malorum radicem culpans Satyricus canit, 10 *Concupiscētia.*

Inde ferè scelerum causæ, nec plura venena
Miscuit aut ferro grassatur sæpius vllum
Humanæ mentis vitium, quàm sæua cupido.

Cæterum ex his omnibus facile est colligere gentiū animis inscriptas esse Dei notiones ac præcepta fugiendorum & appetendorum: quæ interim corruperunt & obscurarunt suis affectatis & uitiatis à carne iudicijs. Proinde Deus præter legē naturæ alias quoq; suæ uoluntatis expositiones dedit, nimirum uiuā traditionem patrum, angelorum responsa, oracula, prodigia, leges scriptas per homines sapientissimos & religiosissimos. His omnibus adiuuit Deus legem naturæ. Ergo quæcunque reperiuntur in Ethnicis uera & bona, ad authorem omnis boni Deum sunt referenda: falsa uerò, ad corruptam hominis naturam & ad affectus prauos.

In his omnibus inprimis illud obseruandum esse monemus, nos hîc loqui de cognitione, non de facultate. Clara utcunque est cognitio legis, sed assensus & uoluntas efficiendiq; potestas & infirma est & implicatissima. Quanquam ut intellectum illuminari oportere, ita & uires cœlitus concedi necessarium esse contendimus. Nihil hic efficit natura sine gratia. Quòd si qui ex Gentibus laudem habent iustitiæ, ut Melchizedek, Iob, Iethro, & alij multi, id quidem non habent ex suis uiribus, sed ex gratia Dei. Sicuti ex historia Iob clarissimis licet colligere argumētis. Ergo si qui ex Gentibus sunt saluati, non per opera naturæ aut merita propria sunt saluati, sed per misericordiam Dei in Christo Domino nostro. Neq; uero Lex naturæ insita est hominibus à Deo, ut saluet homines sine gratia & Christo, sed magis ut doceat quid bonum sit quid malum, ut euincat nos esse peccatores & inexcusabiles coram Domino. Paulus certè per legē naturæ Gentes non minus quàm per legem Mosis Iudæos peccati reuincens, demonstrat in solo Christo Dei filio esse iustificationem, uitam & omne bonum. Hæc de lege Naturæ. *Nihil efficit natura sine gratia.*

Humanæ leges sunt (nam secundo loco de his nos dicturos polliciti sumus) quæ ab hominibus ad conseruationem utilitatemq; uel reipub. uel ecclesiæ ordinantur ac promulgantur. Hæ enim diuersi sunt generis. Sunt enim politicæ leges, sunt ecclesiasticæ & Traditiones humanæ. Politicæ leges sunt, quas magistratus sancit pro ratione locorum, temporum ac hominum, ad conseruandam pacem & honestatem publicam. Huius generis sunt innumera exempla in Iure ciuili & Imperatorum Constitutionibus, maximè Iustiniani. Debent hæ omnes quàm proximè accedere ad leges Dei ac naturæ, nec cum his pugnare, aut habere quicquam impietatis, crudelitatis & tyrannidis. Huiusmodi legibus iubet parere S. Petrus *Humanæ leges. Leges Politicæ.*

1 Pet. 2. dicens, Subditi estote omni humanæ constitutioni, propter Dominum, siue regi tanquam præcellenti, siue præsidibus, ut qui per eum mittantur ad uindictam quidem nocentium, laudem uerò rectè agentium. Quanquam enim per ordinationẽ siue constitutionem intelligat ipsos reges ac magistratus, sicuti ipse altero orationis membro protinus exponit, quia tamen magistratus conditis legibus rempublicam gubernant, ideò æquis legibus nos parere iubet Apostolus. Porrò politicæ leges æquæ & sanctæ adiuuant charitatem, tranquillitatem, & hominum societatem conseruant, bonos defendunt, inordinatos redigunt in ordinem, religionem deniq; non mediocriter iuuant, sed & malas abrogant consuetudines, & proscribũt scelera. Exempla cernere licet in rebus gestis à Nabuchodonosore, Cyro, Dario, Artaxerxe, & ab alijs principibus. Verùm alio loco dicetur de Magistratu, eius legibus & officio.

Ecclesiasticæ leges. Ecclesiasticæ leges sunt, quæ ex uerbo Dei quidem petitæ, at pro ratione hominum, temporum, locorumq; accommodatæ, in ecclesia à populo Dei agnoscuntur & usurpantur. Has ecclesiasticas leges non traditiones humanas appello, quòd è scripturis diuinis petitæ non hominum ingenio inuentæ & proditæ, ab ea usurpantur, quæ solius pastoris uocem audit, alienorum non agnoscit. Coit ecclesia ad audiendũ uerbum Dei, & ad preces publicas matutinis ac uespertinis adeoq; statis horis, prout cuiq; loco & populo commodum est, idq; legis uice est. Habet ecclesia supplicationes, ferias, & ieiunia sub legibus certis. Celebrat ecclesia certis temporibus, certo loco & modo præscripto sacramenta, idq; secundum leges & ritum ecclesiæ receptum. Baptizat ecclesia infantes. A cœna Dominica nõ remouet mulieres: idq; pro lege habet. Iudicat ecclesia per deputatos iudices in causis matrimonij, & habet in his leges certas. Atqui has omnes & his similes alias deducit ex scripturis, & applicat pro ædificatione locis temporibus & hominibus: ut aliquam quidem in uarijs ecclesijs diuersitatem, nullam discordiam uidere liceat.

Cæterum habent leges ecclesiasticæ modum certum & metas certas, nimirum ne quid fiat aut recipiatur contra uerbũ Dei aut alienum à uerbo Dei, contra charitatem & decorum, ne quid nimis aut ne quid minus: deniq; ut per omnia ualeat hæc D. Apostoli regula, Omnia decenter, secundum ordinem & ad ædificationem ecclesiæ fiant. Proinde si quis superstitiosas, operosas, & indecoras hominum traditiones à scripturis quoq; alienas, sub prætextu ecclesiasticarũ legum proferens pijs obtrudere conatus fuerit, probabunt illi ad regulam uerbi Dei imposturam illam ac repellent.

Superstitiosæ leges. 1 Corin. 14

Traditiones humanæ. Restant Traditiones humanæ, quæ sunt ab hominibus electione propria, ex intentione stulta aut alio ex affectu humano, contra aut citra scripturam diuinam natæ, conditæ atq; inuentæ. Cuius quidem generis innumera inuenias exempla, sectas uidelicet, regnum & cœlibatum spiritualium, ritus & consuetudines in ecclesia horum multifarias. De his omnibus simpliciter pronunciauit Dominus in Euangelio ex Isaia propheta, & dixit, Quare transgredimini præceptũ Dei propter traditionem uestram? Hypocritæ, rectè uaticinans de uobis Isaias dixit, Appropinquat mihi populus hic, ore suo & labijs me honorat, cæterum cor eorum procul abest à me: sed frustra me colunt, docentes doctrinas præcepta hominum. Ad ea uerò uerba alludens beatus Christi martyr Cyprianus Epistolarũ lib. 1. epist. 8. Adulterum est, ait, impium est, sacrilegum est, quodcunq; humano furore instituitur, ut dispositio diuina uioletur. Procul ab huiusmodi hominũ contagione discedite, & sermones eorum ueluti cancrum & pestem fugiendo uitate, præmonente Domino, & dicente, Cæci sunt & duces cæcorum. Nam & D. Paulus in epist. ad

Titum

Titum, Redarguito illos seueriter, inquit, ut sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis & præceptis hominum auersantium ueritatem. Studiò omitto locum Pauli ad Coloss. 2. cap. quòd is omnibus sit cognitissimus.

Nolo charitati uestræ operosiore & copiosiore expositione molestus esse. Paucula enim hæc de legibus naturæ & humanis, politicis inquam, ecclesiasticis & merè humanis traditionibus sufficere arbitror diligentibus & fidelibus, qui domum redeuntes singula apud se diligentius expendunt, lectis etiam scripturarum locis quos frequenter citamus ac religiosè excussis. Dominus concedat nobis omnibus, ne unquam admonitiones legis naturalis in animis nostris contemnamus, néue humanis traditionibus implicemur, sed in legibus politicis æquis, & in ecclesiasticis legibus sanctis, legitimè ambulantes, seruiamus Domino. Cui gloria, honor, & imperium, in secula seculorum, Amen. *Epilogus.*

De Lege Diuina, ac duobus primis primæ tabulæ seu Decalogi præceptis.

SERMO II.

LEX diuina ab ipso Domino Deo nostro promulgata, quid faciamus aut omittamus præscribit, requirens obedientiam, ac inobsequentibus interminans interitum. Diuiditur in legem Moralem, Ceremonialem, & Iudicialem. Omnium istarum partium diligentissimus scriptor & expositor est Moses. Moralis informat mores, adeoq; uirtutum formas tradit, demonstrans quantam à nobis Deus iustitiam, sanctimoniam, obedientiam, & perfectionem requirat. Ceremoniales leges sunt, quæ præcipiunt de ritibus sacris seu ecclesiasticis, deniq; de personis & rebus ministrantibus & destinatis sacris. Leges autem Iudiciales præcipiunt de rebus ciuilibus seu forensibus, de pace publica, æquitate & honestate. Et de his quidem postremis dicetur suo loco. De Morali lege in præsenti disseremus. *Lex Dei quid.* *Moralis.* *Ceremonialis.* *Iudicialis.*

Nemo tamen putauerit nullam ante Mosen fuisse legem, ac à Mose primùm proditam. Nam eadem illa Moralis legis capita quæ Moses exponit Decalogo, patribus ab ipso mundi initio fuerunt cognitissima. Nam unum illum uerum Deum coluerunt unicè pro Deo suo, hunc adorauerunt & inuocauerunt. Idola Syriaca Labani aufert è sua familia Iacob, & defodit in Bethel, subter quercum uel terebinthum quæ erat prope Sichem. Sacrosancta erat iurisiurandi religio Abrahamo, unde consequens est sanctum & celebre ipsi fuisse nomen Domini. Sacra celebrarunt patres sancti omnes & diligentissimè & religiosissimè. Cham maledictionem à patre accipit, quòd irreuerenter sese gessisset erga patrem. Damnatur propter parricidium Cain. Sanguini parcere iubet Noe. Laudatur Ioseph quòd respuit amplexus coniugis alienæ, nempe uxoris domini sui. Vituperatur Ruben quòd incestuoso concubitu polluisset thorum paternum. Irascitur non immeritò Iacob Labano socero, quòd ipsum furti suspectum habuisset. Mendaces & falsos testes damnauerunt omnes patres, quemadmodum & cupiditates prauas. Proinde non caruerunt ipsis Decalogi præceptis patres ab ipso mundi exordio, ad usque Mosis tempora: interim non habuerunt illa tabulis incisa aut membranis inscripta. Inscripserat quidem illa Dominus digito suo in corda ipsorũ, eademq; excolebat uiua patrum traditio uel doctrina. Eadem tamen est lex utrobique, eadem semper Dei uoluntas, quia unus modò Deus est, qui non mutatur. Sub Mose primùm tamen illa sunt relata authore & scriptore ipso Deo in tabulas, & scripta in libros per Mosen. *Fuit lex etiam ante Mosen.*

Veteres habuerūt ceremonias & iudicia.

Similiter non caruerunt ueteres & sancti ante Mosen patres ceremonijs & iudicialibus. Habuerunt enim suos sacerdotes, ipsos inquam patresfamiliâs, habuerunt sua sacra, suas aras & hostias, habuerunt suos cœtus sacros, & suas purificationes. Habuerunt leges de hæreditatibus rerum, de diuisione & possessione, de contractibus, de puniendis sontibus. Cæterum Moses illa omnia in certas redegit leges: multa etiam diligentius exposuit: multa instituit quibus ueteres uel caruerunt, uel paulò diuersa ratione usi sunt. Cuius quidem generis sunt, Tabernaculum, Vasa sacra, Arca fœderis, Mensa, Candelabrum, Ara holocausti & thymiamatis, Sacerdotium Leuiticum, Vestes sacræ, Feriæ & Festa: & si quid aliud est huius generis: quæ quidem omnia abrogantur per Christum, sicuti suo loco dicemus. Mores quoniam constare non possunt nisi saluo decalogo, ideò Moralis lex ut propriè legis nomen obtinuit, ita nunquam abrogatur. Est enim Decalogus uera & absoluta æternaq; ueræ iustitiæ & omnium uirtutum regula, omnibus præscripta locis, hominibus, temporibus. Summa enim Decalogi est, ut Deum diligamus & nos mutuò: id quod semper ab omnibus ubiq; hominibus requirit Dominus. Porrò Decalogus significat librum seu expositionem & uolumen decem capitum præceptorum uel articulorum.

Moralis lex perpetua.

Decalogus.

Maiestas & dignitas Decalogi.

Illud uerò singulare habet Decalogus legis, quòd Ceremonialia & Iudicialia omnia à Deo per angelos Mosi & per hunc populo Dei reuelata, & quòd à Mose, Deo iubente, conscripta sunt. Decalogus uerò non ab homine neq; per hominem, sed ab ipso Deo optimo maximo ad montē Sina inter prodigia maxima & stupenda, in concione publicà & maxima hominū & angelorum recitatus est. Idem non manu Mosis, sed digito Dei scriptus est in tabulas non cereas, sed lapideas durabilesq;. Seruatæ sunt illæ tabulæ tanquam thesaurus præstantissimus in Arca, quæ à tabulis fœderis (fœderis enim æterni capita continebant) nomen indepta ac appellata est Arca fœderis. Reposita est hæc in ipsum Sanctum sanctorum. Quæ omnia modis omnibus commendant nobis Decalogi præstantiam, admonentq; ut illum Deum reuereamur qui legem promulgauit, quippe qui Dominus sit cœli & terræ, elementisq; omnibus utatur pro sua uoluntate contra rebelles suos: admonent præterea ut Decalogum uel hodie loco thesauri in mundo omnium præstantissimi habeamus. Diuinæ enim in ecclesia Christi reliquiæ sunt Decalogus, Symbolum Apostolorū & Oratio Dominica, adeoq; tota Biblia. De Decalogi promulgatione mirifica & copiosiora habemus apud Mosen Exo. 19. & Deut. 4. & 5. cap.

Duæ tabulæ diuinæ legis.

Duæ autem sunt tabulæ diuinæ, in quas digesta sunt decem diuinæ legis capita. Prior tabula continet capita quatuor, posterior sex. Nam ultimum mandatum quod nonnulli diuidunt in duo, reuera unicum & indiuisum est. Nam in genere primùm præcipit Dominus, Ne concupiscas: deinde per specierum enumerationem recenset quid non concupiscamus, nempe uxorem proximi, ædes eius, agros, iumenta & opes. Præterea unus est duntaxat uersus in Hebraica ueritate, non duo diuisi. Cum nostra diuisione faciunt Iosephus lib. Antiq. 6. cap. 3. Origenes in Exodum Homelia 8. Ambrosius in 6. cap. Epistolæ ad Ephes. Porrò Magister in sententijs ultimum mandatum dissecuit in duo, idcirco in primam tabulam tria duntaxat præcepta collocat. Sequutus est fortassis S. Augustinum, qui quæstio. in Exodum. 71. & Epistola ad Ianuarium 119. etiam tria tantùm primæ tabulæ præcepta numerat, idq; propter mysteriū Trinitatis. Idem tamen non omittit mandatum de non habendis colendisq; idolis, memor haud dubiè illorum in Euangelio uerborū Domini, Amen dico uobis, donec prætereat cœlum & terra, iota unum aut apex non præterierit ex lege, quoad omnia facta fuerint. Quisquis igitur

Math. 5.

igitur soluerit unum ex mādatis illis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum. Idem rursus in Quæstionibus ueteris & noui testamenti lib.1.cap.7. ponit primæ tabulæ præcepta 4.secundæ sex. Nec multum ab ea sententia abludit lib.3.ad Bonifacium,&c.

Diuisit autem Dominus præcepta illa sua in duos ordines uel in duas tabulas, propter rerum quæ tractantur differentiam. Prima enim tabula pertinet ad Deū, secunda ad homines. Prima docet quid de deo & cultu eius sentiamus, id est, tradit pietatem, quomodo uidelicet piè uiuamus. Secunda docet quid debeamus proximo, id est, tradit humanitatem, quomodo uidelicet tranquillè humaniterq; uiuamus. In his autem continentur omnia officia uitæ, ut nihil omnino dici possit ab ullis totius mundi sapientibus de pietate & humanitate, quod non comprehendatur in Decalogo. *Quid contineant duæ tabulæ legis.*

PRIMVM Decalogi præceptum hisce uerbis pronunciauit ipse Dominus, EGO DOMINVS DEVS TVVS, QVI EDVXI TE EX TERRA AEGYPTI, DE DOMO SERVITVTIS: NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME. Duo habet membra hoc præceptum. Prius & ipsum uaria continet. Principiò enim offert se nobis deus, & exponit nobis qualis sit erga homines, imò qualis erga nos esse uelit. Vnde nos secundo loco colligimus, quid uicissim à nobis requirat, & quodnam sit officium nostrum. Tertio & ultimo loco appendit euidentem demonstrationem eius quod dixit se esse Deum nostrum. *Præceptum Dei 1.*

Ab initio pronunciat & dicit, Ego Dominus Deus tuus. Quibus uerbis exponit qualis sit, qualisq; esse uelit erga omnes homines. Congruunt hæc uerba cum uerbis fœderis domini cum Abrahamo adeoq; omnibus credentibus icti, Ego, inquit dominus, sum deus fortis & Schaddai, quasi tu dicas Saturnus à saturando. Est enim Deus copiæ cornu, qui exaturat omnes & omnia, fons inexhaustus & perennis bonorum omnium. Id quod & Ieremias copiosius enarrat in cap.2. sermonum suorum. Et certè hæc omnia cōprehendit his paucis uocibus, Ego dominus Deus tuus. Ego inquā qui iam loquor tibi ex medio ignis. Ego & nō alius. Significatur hic unitas Dei. Docemur hic unum agnoscere deum, non plures, uni adhærere, non corda pluribus diuidere. Ego dominus tuus, ego Deus tuus. Dominus est, quia merum habet imperium in omnes creaturas, domino subiecta sunt omnia, domino obtemperant ad nutum omnia. Dominus omnia gubernat & sustinet. Est enim cœli & terræ & omnium quæ in eis sunt conditor, rector, conseruator, rex & princeps summus & maximus. Proinde in unica hac uoce comprehenditur Dei sapientia, uirtus, potestas & maiestas immensa. Deus fortè deriuatur à Daij uoce Hebraica, quæ sufficientiam significat. Solus enim Deus sufficit sibi ad beatitudinem & felicitatē plenissimam modisq; omnibus absolutissimam: prætereà sufficit deus omnibus requirentibus ipsum in ueritate, ditissimus in omnes inuocantes nomē ipsius. Qua parte notatur Dei omnisufficientia, liberalitas, bonitas & misericordia: maximè cum additur, Ego dominus Deus tuus, Tuus inquam. Deus enim nō sibi modò bonus est, sed nobis quoq;. Totum se cupit effundere cum omni sua bonitate, cum omnibus suis dotibus in fideles. Nō est parcus, non est malignus, gaudet distrahi & impartiri se nobis fruendum abundantissimè, adq; satietatem iucundissimam, idq; omni tempore, necessitatis maximè. Et significanter quidem TVVS ait, non uester, ut intelligamus singuli deum æternum, optimum, beatissimum, singulorum fore esseq; deum & dominū, id est, seruatorem, liberatorem, redemptorem, aceruum & mare bonorum omnium, ani- *Qualis Deus erga homines.*

mæ & corporis præsentium & futurorum.

Quid exigat à nobis hoc præceptum.

Ex istis colligimus secundo loco quid uicissim à nobis requirat bonus dominus, & quodnam sit nostrum officium. Apertam relationem etenim habet Tuus. Si enim ille uuit esse meus, ego uicissim debeo esse suus. Ille uult esse Dominus, & est deus meus, ego itaq; illum pro domino & deo meo habere & uenerari debeo. Ideoq; requiritur hoc mandato à nobis, ut non tantū deum uerum pro deo uero, sed pro deo nostro, pro domino, pro rege, pro cōditore, pro seruatore & patre nostro agnoscamus, utq; illi suas tribuamus proprietates, quòd unus est, solus bonorum omnium fons & largitor, quôd uiuus est, æternus, iustus, uerax, beatus, felix, clemens, potens, optimus, maximus. Huic itaq; adhæreamus, huic obediamus in omnibus, in illum credamus, illum inuocemus solum, omnia ad ipsum bona referentes, omnia bona ab ipso petentes, & pro omnibus beneficijs gratias agētes, hunc adoremus, hunc colamus timore synero & dilectione ardentissima, spe pertinacissima. Huc enim pertinent illæ ex sancto Mose & euangelio sententiæ, Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et iterum, Dominum deum uestrum sequimini, illum timete, illius præcepta custodite, illius uocē audite, illi seruite, & illi adhærete. Quid quod ipse Dominus in Psal. clamat, Sacrifica deo laudem, & persolue altissimo uota tua. Et inuoca me in die tribulationis, &c.

Deut. 13.

Psalm. 50.

Demonstratio quòd Deus uerus Deus noster est.

Iam uerò demonstratio qua ostendit se fuisse, esse & fore deum & dominum omnium nostrum, & patrum nostrorum liberorumq; nos insequentium, euidentissima est, nimirum liberatio ex Ægypto. Continet ea omnes uirtutes diuinas, sapientiam, bonitatem, iustitiam, ueritatē, potentiam, & quid non? Declarat se esse dominum in cœlo & in terra, in omnibus elementis, in omnibus creaturis. Liberat benignè suos Israelitas, tuetur, ornat uarijs muneribus, & seruat uel inuito & fremente toto regno Ægypti. Ægyptios autem uariè, horribiliter, sed iustè tamen punit, tandem & cum rege suo submergit in mari rubro. Potuerunt Israelitæ ex hoc unico dei facto colligere Deum, ut potentissimum esse, ita futurum ipsorum deum, sicuti fuerat deus patrum ipsorum. Facto enim declarauit qualis fuerit, & quantæ potentiæ & bonitatis sit uel hodie omnibusq; in finem usq; seculis. Nobis quidem recentior est liberatio quæ obtigit per Iesum Christum dominum nostrum, qui nos non ex Ægypto aliqua, aut ex manibus Pharaonis asseruit, sed ex potestate tenebrarum peccati, mortis & diaboli liberauit. Vnde colligimus deum æternum, uerum, optimum, maximum, beatissimumq;, ut potentissimum, sic nostrum esse Deum, & hunc nobis bene uelle, nos curare & amare, iuxta illud Apostoli, Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illū, qui fieri posset ut non cum eodem omnia nobis donet? Equidem mysterium redemptionis nostræ per Christum dominum nostrum, comprehensum est manifestissimè in primo Decalogi præcepto. Nam clarum est liberationem populi Israelitici ex Ægypto, typum fuisse futuræ liberationis totius orbis terrarum & omnium regnorum mundi per Christum dominum, qui totum orbem liberauit ex seruitute peccati & diaboli. Quod si quis dubitat, inspiciat ceremoniā siue sacramentum huius corporalis liberationis, ipsum inquam Pascha. Quis uerò nesciat agnum illum typum prætulisse Christo liberatori? An obscura est hæc Pauli uox, Pascha nostrum immolatus est Christus? An non omnes Apostoli cum Ioanne Baptista appellarunt dominum nostrum Dei agnum qui tollat peccata mundi? Præterea clara sunt Isaiæ prophetæ uerba in cap. 52. ubi disertè inter se confert liberationem Israelis ex Ægypto, & liberationem totius orbis ex seruitute peccati per Christū. Proinde continetur mysterium Christi domini & redemptionis nostræ in primo

Mysteriū Christi comprehensum est in primo præcepto.

Decalogi

Decalogi præcepto: ut iam recitantibus nobis uerba Dei, non tam uetus illa liberatio Israelis ex Ægypto, quàm noua illa quæ obtigit per Christum, oculis & animis nostris obuersari debeat, excitareque spem nostram, ne quid diffidamus, Deum illum optimum maximum & fore & esse Deum nostrum.

Posterius membrum primi præcepti uetat nobis, ne quis nostrum habeat Deos alienos, id est, excludit extra Deum omnia præsidia uitæ, quæcunque tandem præter deum uel fingi uel eligi possunt. Ac utitur Dominus uehementissimo loquendi genere. Nam dicit, Non habebis deos alienos coram me. En nõ habebis, & non habebis quidem coram me, uel ante faciem meam, uel mecum, uel apud me. Germanicè, Zů mir / oder näbend mir. Oder laß michs nit sähen vor minen ougen. Ita enim loquuntur irati patres, quando prohibent rem uehementer turpem & abominandam, Vide ne ante oculos meos, & me quidem spectantè hoc facias. Atqui ubique adest Deus, omnia inspicit Deus, etiam corda & cordiũ abscondita. Proinde nullo pacto uel palàm uel occultè habendi sunt nobis dij alieni: id est, nemo nostrum habeat ullam creaturam, siue ea in cœlis siue in terris sit, pro Deo nostro: nemo nostrum tribuat creaturis proprietates Dei, eaque quæ ex officio debemus Deo. Proprietates dei sunt ubique esse, omnia uidere, omnisciũ & omnipotentem esse, uiuificare, liberare, à peccatis purgare, seruare uel saluare, iustificare, sanctificare, & si quæ aliæ huius generis sunt. Officia nostra sunt Deum adorare, inuocare, timere, colere, sperare in Deum, adhærere Deo, audire Deum, credere Deo, obedire Deo. *Prohibentur dij alieni.*

Ideoque alienus Deus erit quod propriè & naturaliter non est Deus, imò quicquid nobis præter deum hunc uerum, uiuum & æternum confingimus, cui confidimus, in quod speramus, quod inuocamus, quod amamus & metuimus, in quod animũ nostrum intendentes defigimus, à quo dependemus, quod pro thesauro, auxilio & præsidio nostro in prosperis & aduersis habemus agnoscimusque. Dum Rahel à Iacobo sobolem postularet, audit, Num pro deo tibi sum, qui reddidi te sterilem? Rursus cum Ioram rex Israeliticus à rege Syrorum Benhadad, per Naamanũ accepisset literas, in quibus postulabatur purgatio lepræ, scidit uestes suas iratus atque exclamauit, Egóne Deus sum, ut interficiam & rursus uitæ restituam? Solus ergo Deus sit Deus noster, id est, uita & salus nostra, auxilium, refugium, protectio, liberatio, spes, amor, terror & tremor noster. Si hæc tribuamus alijs & non soli Deo, alienos constituemus deos. Et alienum nõ raròdicitur, quod nõ est institutum à Deo. Sic alienus ignis dicitur illatus esse tabernaculo, diuersus nimirum ab eo quem accendere iusserat Dominus. Aliena dicitur mulier in Prouerbijs, quam non concessit dominus. Alieni ergo dij sunt quos nobis ipsi fingimus, quos Deus nobis non constituit tutelares, à quibus pendentes auxilia poscamus. Proinde erunt alieni dij, diui ipsi, nunc quidẽ triumphantes cum rege Christo in cœlis, non ipsi quidem per se, sed nobis erunt dij alieni, qui perperam de ipsis iudicamus, & honorem deo debitum ipsis impendimus, colentes eos pro tutelaribus inuocantesque. Erunt dij alieni ipsi diaboli & homines diabolici, si ipsis timorem deo debitum, ita impendamus, ut hos præferamus deo. Dij alieni erunt astra, planetæ signaque cœlestia, si à mathematicis decepti, ab ipsis pependerimus, respicientes in omnibus ad signa cœli, & totam uitam nostram dirigentes ad astrorum cursum. Ita si pecuniam, si homines diuino honore & amore prosequamur, erunt pecuniæ & homines nostri nobis dij alieni. Ad eundem modum damnatur in rege Asa 2. Paralip. 7. nimia fiducia in medicos. Herbę ergo & medici fiunt dij alieni. Damnantur Isaiæ 30. cap. Iudæi, quòd Ægyptijs confœderatis nimirum fide- *Alieni dij qui.*

rent: fiunt ergo confœderati dij alieni. Multò magis damnantur hic fœdera & pacta propter magicam cum dæmonibus facta. Damnantur benedictiones illæ quæ rectius dicerentur maledictiones, superstitiosi inquam exorcismi, in quibus præterea accusandus est abusus diuini nominis. Verùm quis exactè omnia recenseat, quæ fiunt contra hoc primum mandatum, quo uera traditur pietas, internus dei cultus, ut agnoscamus Deum, credamus ei, rectè sentiamus de eo, ipsum inuocemus, ipsi adhæreamus, ei in omnibus obediamus?

Præceptum Dei 2.

Secundum Decalogi præceptum hoc est, NON FACIES TIBI SCVLPTILE, NEQVE SIMILITVDINEM VLLAM EORVM QVE IN COELIS SVNT SVRSVM, VEL IN TERRA DEORSVM, VEL IN AQVIS QVAE SVB TERRA SVNT: NON ADORABIS EA NEQVE COLES. EGO SVM DOMINVS DEVS TVVS FORTIS, ZELOTES, VISITANS INIQVITATEM PATRVM IN FILIIS IN TERTIAM ET QVARTAM GENERATIONEM, EORVM QVI ODERVNT ME, ET FACIENS MISERICORDIAM IN MILLIA HIS QVI DILIGVNT ME, ET CVSTODIVNT PRAECEPTA MEA. Primo præcepto internam religionem formauit tradiditq; dominus: secũdo corrigit externam. Si rectè iudicaremus de Deo, seruaremusq; ritè ac religiosè præceptum primum, nihil opus fuerat præcepto secũdo: sed quia nouit ingenia nostra dominus, ideo prohibet quod alioqui fueramus facturi. Videtur enim plerisque deum exprimendũ esse imagine aliqua, & uenerandum corporali uisibiliq; cultu aliquo, oblatis ipsi auro, argento, gemmis, ebore, ac rebus preciosis. Proinde finis generalis huius præcepti est, retrahere nos à carnalibus imaginationibus cultus Dei, qui ut potentia est immensa & spiritus æternus, ita non potest ulla exprimi imagine corruptibili: spiritu & sanctitate uult coli. Idolum uerò seu simulachrum continet omnem externum cultum: ergo cùm idola prohibentur, simul prohibetur omnis cultus Dei externus & peregrinus. Nam ubi idolum est, ibi basim ei oportet statuere, sedem collocare, aram extruere, templum ædificare. Hæc protinus custodes, curatores, ministros seu sacerdotes requirunt, hostias & oblationes, anathemata, ornamenta, ferias & sumptus atq; labores nunquã exantlandos & finiendos. Eo nomine prophetæ appellarunt simulachra labores & dolores. Nam semel receptis idolis, nullus est neq; finis neq; modus sumptuum atque laborum. Experientia id uerum esse docet.

Finis huius præcepti retrahere à peregrinis cultibus.

Deus prohibet sculptile.

Porrò præceptum hoc secundum habet partes tres. Principiò enim prohibet Deus facere sculptile uel simulachrum: hoc est, Deus uetat sibi ullam cuiuscunque tandem formæ aut materiæ sit, imaginem ponere aut consecrare. Nam ut Deus nõ uult, ita non potest repræsentari ulla imagine. Species uerò omnes ferè enumerat quibus solemus effigiare res. Non affinges Deo, ait, speciem aut formam earum rerum quæ supra nos sunt, in ipso cœlo. Sunt autem in cœlo corpora cœlestia, ueluti, sol, luna, planetæ, astra, ipsæ deniq; aues uariæ speciei. Sub quibus quidẽ speciebus ferè omnibus, non pauci apud gentes deum adorarunt & coluerunt. Nec affinges deo speciem aut formam earum rerum quæ sunt in terra. In terra sunt homines, animantia, herbę, frutices, arbores, &c. Ac constat gentes Deum ueneratas esse sub imagine hominum & animalium. Cornel. Tacitus de Germanis, Cæterum nec deos cohibere parietibus, ait, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur, lucos ac nemora consecrant, deorumq; nominibus appellant secretũ illud, quod sola reuerentia uident. En co

luerunt

luerunt maiores nostri Deum sub specie arborum uel syluarum. Quod tamen hic prohibetur hominibus, quemadmodum ne sub specie earum rerum, quæ in aquis aut sub aquis sunt, effigiantes Deum nostrum ueneremur. Coluerunt Palæstini Deum sub imagine piscis. Dagon Deus Palestinus præ se ferebat piscis figuram. Ægyptus coluit serpentes. Imò Paulus hæc omnia cõprehendens ad Rom.1.cap. contra gentiles disputans, Obtenebratum est, inquit, insciẽs cor eorum: cum se crederẽt sapientes, stulti facti sunt, mutaueruntq́ gloriam immortalis Dei, in imaginem non solùm mortalis hominis, uerumetiam uolatilium & quadrupedum, & reptilium. Contra hanc insaniam pugnat prima legis pars.

Cur autem Deus nolit ulla exprimi imagine sensibili aut uisibili, in promptu causa est. Deus spiritus est, Deus immensus est, incircumscriptibilis, ineffabilis, ubique præsens, cœlum & terram implens, æternus, uiuus & uiuificans atq́ conseruans omnia, gloriæ & maiestatis supra cœlos exaltatæ. Quis autem exprimat ulla uel imagine uel materia spiritum? Deus est immensa potentia, omnia uiuificans atq́ conseruans. Sed imagines Dauid describit ac dicit, Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Aures habent & non audiunt, nares habent & non odorantur. Manus habent nec palpant, pedes habent nec ambulant, neque sonus ullus est in gutture eorum. Quid obsecro hæc cum Deo collata similitudinis habent? Proinde uelle Deum exprimere simulachro uisibili, est Deum probro exponere facereq́ contemptibilem. Dei oculus omnia uidet, idola nihil uident. Dei aures omnia audiunt, idola nihil audiunt. Per Deum uiuunt & mouentur conseruanturq́ omnia: Idola nec uiuunt nec mouentur, & nisi retineantur ab hominibus fabricantibus, concidunt & pereunt. Simulachrum non spirat: Deus dat omnibus halitum spiritúmue. Vbi ergo & in quo est similitudo? In materia ne, an in forma? Si in materia, ergóne deus aureus, argẽteus, ligneus? Si in forma, ergóne inuisibilis uirtus caduca habet membra? Quid ergo peccarunt Anthropomorphitæ? Quòd si nulla est similitudo, cur quæso dicuntur imagines aut simulachra, Dei similitudines ac icones? Si quis nostrum alterum appellitet idolum aut simulachrum, uidetur magna affecisse contumelia. Scimus enim idola speciem falsam hominis referre, non hominem: proinde idolum appellamus hominem ineptũ, fungum, torpidum, inertem, & in quo nihil cerebri, qui nihil minus sit quàm quod audit. Cur ergo posthac appellaremus simulachra, Dei similitudines? Deus uiuus est: simulachra sunt hominum mortuorum signa, sicut dicit author libri Sapientiæ. Deus gloriosus est, ac pleni sunt cœli & terra gloria maiestatis eius: simulachra uerò carent omni gloria, & exposita sunt hominum probris & ludibrio. Simulachra absentium signa sunt. Deus autẽ semper & ubiq́ præsens est. Ac signa quæ quondã instituit & dedit populo suo Deus, nõ fuerunt simpliciter signa uel imagines dei, sed signa præsentiæ Dei, significantia deum, qui natura spiritus & inuisibilis est, incomprehensibilis & immensus, præsentem esse. Tale signũ fuit nubes, fumus, ignis, ipsa deniq́ arca fœderis, quam interim adoperiebant alis suis Cherubim, significantes in ipsam Dei faciem neminem mortalium posse aspicere: animas ergo, mentes & spiritum esse eleuandum contemplatione in cœlos. Nam Moses, qui tamen dicitur Deum facie ad faciem aspexisse, audit, Nemo uidebit me ac uiuet. Vbi hinc soluerimus, uidebimus eum sicuti est, uti ait beatus Ioannes. Hæc inquam causæ sunt, cur nolit ulla materia ulláue forma se exprimi & effigiari Dominus.

Cur Deus nolit exprimi imagine.

Huc iam pertinent loca scripturæ, & testimonia maximorum in religione ac pietate uera uirorum, Mosis, Isaiæ, & Pauli. Moses in Deuter. Loquutus est nobis *Deut. 4.*

dominus, ait, de medio ignis: & quidem uocem uerborum audistis, at simulachrũ nullum uidebatis, ultra uocem. Cauete ergo accuratè quàm chara uobis est anima uestra (quandoquidem nullum omnino eodem die simulachrum uidistis) ne fortè corrumpatis uos, faciendo scilicet uobis sculptile, simulachrum cuiuscunque figuræ, formam maris aut fœminæ, formam cuiuscunque animantis quod est in terra, formam cuiuscunque uolucris uolantis sub cœlo, formam cuiuscunque reptantis super terram, formam cuiuscunque piscis qui est in aquis sub terra. Et ne fortè attollas oculos tuos in cœlos, & uisis sole & luna stellisque & exercitu cœlorum, prosternaris & adores colasque ea quæ distribuit dominus deus tuus omnibus populis sub uniuerso cœlo. Cauete ergo ne quando obliuiscamini fœderis domini Dei uestri, quod pepigit uobiscum, ita ut faciatis uobis sculptile aut simulachrũ cuiuscunque rei, quod prohibuit tibi Dominus Deus tuus. Hæc Moses hactenus.

Isaias uerò in cap. 40. dicit, Ecce gentes (nimirum collatæ deo) tanquam gutta situlæ, & ut puluis adhærẽs bilanci reputantur. Ecce insulæ quasi puluis exiguus. Libanus non satis esset excitando igni, neque feræ eius sufficerent holocausto. Omnes Gentes coram Deo quasi nihil sunt, & res inanes atque friuolæ reputantur erga ipsum. Cui ergo similem facietis Deum? aut quodnam simulachrum adornabitis ei? Simulachrum fudit artifex, & auri fusor diducit illud, & laminis argẽteis obducit. Qui opibus destitutus est, ut & ipse offerat, eligit imputrescibile lignũ, & quærit sibi artificem peritum, qui sculptile præparet, ne moueatur loco. An hæc ignoratis? an non illa audistis? Et mox, Qui sedet super globum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ. Qui extendit cœlos ut cortinam, ac uelut tentoriũ ad habitandum. Qui redigit potentes in nihilum, & redigit iudices terræ ad nihilũ. Cui ergo me assimilabitis, aut cui similis ero, ait sanctus? Attollite in sublime oculos uestros, & cõtemplamini quis creauerit ista, producens in numero exercitum eorum, singula suis nominibus uocans. Et cætera. Tantum enim Isaias.

Acto. 17. Paulus uerò Apostolus Christi apud Athenienses disserens de uera religione, dicit, Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cùm sit dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo: cùm ipse det omnibus uitam & halitum per omnia, fecitque ex uno sanguine omne genus hominum, ut inhabitaret super uniuersam faciem terræ, præfinijtque præstituta tempora, præfixitque terminos habitationis eorum, ut quærerent deum, si fortè palpent eum & inueniant, quamuis nõ longè absit ab unoquouis nostrum. Per ipsum enim uiuimus, mouemur & sumus: sicut & quidam uestratium poëtarum dixerunt, Nam huius progenies etiam sumus. Genus ergo cùm simus Dei, non debemus existimare auro aut argento, aut lapidi arte sculpto & inuento hominis numen esse simile. Hæc testimonia tam sunt illustria & simplicia illustrantia institutum nostrum, ut nihil necesse sit expositionis gratia quicquam adijcere amplius. Proinde maximis ex causis iudicauit beatus Augustinus magnum esse sacrilegium, si quis in templo ponat dei patris imaginem flexis poplitibus in solio sedentem. Nepharium enim esse si quis tale in animo suo concipiat. Verba authoris recensui Sermone 8. Decad. 1. ubi disserui de Dextra patris, docens quid sit sedere ad dextram patris.

Prohibitæ & aliæ imagines ad cultum. Iam uerò quòd alias attinet imagines, quas homines erigunt creaturis siue dijs, non minus hæ, quàm Dei icones prohibitæ sunt. Si enim Deo uero non licet consecrare statuam, minus licebit alieno Deo statuere imaginem. Animus hominis deligit sibi deum, mox imaginatione affingit ei speciẽ aliquam, postremò manibus perficit: ut uerè dictum sit mentem concipere idolum, manum uerò parere.

Atqui

Atqui prohibuit primo præcepto Dominus ne habeamus deos alienos. Qui uerò deos alienos nō habet aut sibi deligit, nullas certè ijs affingit imagines, nullas itaq; ponit statuas. Nam nephas esse ducit Deo uero constituere imaginem, impium esse credit sibi deligere deum alienum, ergo & dei alieni figuram in templo Dei erigere. Ea de causa non legis in ueteri ecclesia ullas imagines ullis diuis, quorum tum magna erat copia (patriarcharum, iudicum, regum, sacerdotum, prophetarum & martyrum, matronarum & uiduarum agmina puto) esse positas. Ecclesia item Christi Apostolorum primitiua, nullas habuit imagines uel Christi uel diuorum in oratorijs uel templis suis. Notissimum est S. Epiphanij factū in Syria designatum Anablachæ, descriptum Græcè in Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum, & in Latinum sermonem conuersum à S. Hieronymo. Scidit ille uelum pendens in templo imaginem Christi uel sancti alicuius exhibens, testificatus contra Christianam religionem, in templo Dei hominis pendere imaginē. Nam D. Augustinus in Catalogo hæreseῶν commemorat etiam Marcellam quandam fuisse sociam sectæ Carpocratianæ, quæ imagines Iesu, Pauli, Homeri & Pythagoræ coluerit, adorando incensumq; ponendo. Verè ergo & prudenter in ueterum ecclesiasticorum scriptorum lucubrationibus probè uersatus Erasmus Roterod. ubi multa de Vsu imaginum in templis disseruisset acutè, tandem subijciens dixit, Vt imagines sint in templis, nulla præcipit uel humana constitutio. Et ut facilius, ita tutius quoq; est omnes imagines è templis amouere, quàm impetrare ut nec modus prætereatur nec admisceatur superstitio. Iam ut animus sit ab omni superstitione purus, tamen non caret superstitionis specie, orantem ad ligneum simulachrum procumbere, in hoc intentos habere oculos, ad hoc uerba facere, huic oscula figere, nec orare prorsus nisi coram imagine. Illud addam, Quicunque sibi aliusmodi fingunt deum quàm est, contra præceptū hoc colunt sculptilia. Et idem in eadem sua Catechesi, Vsq; ad ætatem Hieronymi erant probatæ religionis uiri, qui in templis nullam ferebant imaginem, neq; pictam neq; sculptam, nec textam, ac ne Christi quidem, ut opinor propter Anthropomorphitas. Paulatim autē imaginum usus irrepsit in templa. Hæc ille.

Porrò Christo Domino & Deo uero nostro, propter assumptam naturā humanam non ponendum est simulachrum. Nam non in hunc finem assumpsit hominem. Præterea humanam naturam subuexit in cœlum, iubens orantes in cœlum & animi & corporis oculos attollere. Spiritum suum uim uicariam misit ecclesiæ, ac regnum in hac habet spirituale, non egens ullis rebus corporalibus. Iussit enim pauperibus, non imaginibus suis conferre si quid in ipsum eramus collaturi. Iam cùm citra controuersiam Christus noster sit Deus uerus: & Deus uerus prohibeat sibi cōsecrare hominis imaginē, id est, Deū repræsentare humana specie, cōsequēs est, quòd Christo nulla sit consecranda imago, quia est Deus uerus & uita æterna. *Christo Domino nulla ponenda imago.*

Secunda parte huius præcepti docetur, quatenus non liceat facere imagines Dei & deorum, & si quis fecerit, quomodo nos geramus. Simulachra non sunt facienda ad cultum aut ut sint religionis instrumenta. Quòd si quis illa fecerit & religioni miscuerit, pijs Dei cultoribus contemnenda & negligenda, neq; adoranda neq; colenda sunt, nulloq; modo ijs seruiendum est. Duo autem in præcepto ponuntur obseruanda. Prius, Non adorabis. Adorare est caput nudare, geniculari seu flectere aut inclinare caput uel corpus, procumbere, honorem exhibere, & uenerari reuererique. Adorarunt (id est, genu flexerunt, caput nudarunt, & procubuerunt sancti) magistratus & prophetas, principes & doctores populi, uirosq; uenerabiles. Quia Deus hoc præcepit, qui & operatur per illos salutem hominum: *Quatenus non liceat fabricare imagines.* *Adorare.*

& homines sunt uiua Dei imago. At idola muta, cæca, surda, lignum & lapides sunt, quæ adorare prohibemur, etiam cùm speciem Dei præ se ferunt. Posterius est, Neque coles, siue Non seruies eis. Eo membro prohibetur omnis externus & illegitimus cultus, qui exhibetur Deo uel Dijs religione, id est, superstitione & cultu templorum, sacrorum, feriarum, omniumque rerum similium. Seruire enim est colere, uenerari, maiestatem aliquam & diuinum aliquid ei quod colimus tribuere, magni pendere, incensum ponere, donaria afferre, præstareque seruitia. Notum est omnibus quid sit seruire, & seruire in negotio religionis. Prohibemur ergo cursitare ad idola etiã Dei. Prohibemur illis seruire, donando eis munera aut tribuendo eis aliquid diuini, unde eis obstringamur quò retineamus dignemúrue ullo honore, miscentes ea rebus religionis nostræ sanctissimæ. Ergo non uideo cùm cultum latriæ imaginibus minimè tribuamus, quomodo his quod spiritus Dei ac uerbi Dei officium ac beneficium est, tribuere possimus, munus docendi, admonendi adhortandique: cùm clarissimus & Apostolico testimonio commendatissimus propheta Abacuk, scripta nobis reliquerit hæc diuinissima certè uerba, Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, fusile quod annunciat mendaciũ: & tamen fiduciam habet in eo, fictor scilicet in figmento suo, ut faceret simulachra muta? Væ qui dicit ligno, euigila, & lapidi insensibili, excitare. Ipse ne doceret? Ecce opertus est auro & argento, & non est ullus spiritus in eo. At Dominus in templo sanctitatis suæ: taceat à cõspectu eius uniuersa terra. Quid poterat dici clarius simul & uerius? simulachra sunt mendacia. Quomodo autem doceat ueritatem quod manifestè est mendacium? Nullus est motus, nulla uita, nullus spiritus in pictura & in imaginibus. Dominus autem sedet in templo sanctitatis suæ, regnans & docens spiritu & uerbo suo omnem pietatem, uiuensque in cordibus sanctorum suorum. Taceant ergo omnes omnium in orbe terrarum linguæ uolentium tueri idololatriam.

Seruire. *Simulachra non docent.* *Abacuk 2.*

Tertia parte præcepti rursus agit Dominus uaria. Principiò enim ostendit homines non habere causam iustam ullã, ob quam auersi à Deo, alienos sibi deos deligant aut Deũ illegitimo cultu uenerentur. Ego, inquit, sum Dominus Deus tuus fortis. Si Dominus sum, meritò mihi seruis, me colis, mihi obedis, & ita me colis sicuti coli uelle & delectari intelligis. Si Deus sum, omnisufficientia sum: ergo quid desideres quod in me non inuenias? Cur ergo ad alienos diuertas? Nullam certè causam diuertendi habes. Præterea fortis sum, potens, imò omnipotens. Non est quòd tibi quæras potentiorem & opulentiorem principem, cuius manu libereris ex meis manibus, aut cuius munificentia abundantius locupleteris, quàm ex meis opibus facultatibusque. Ego enim sum uerus ille æternus, inuictus, omnipotens, princeps orbis, uerus & unicus auxiliator & liberator, liberalis & munificus omnium bonorum largitor. Sum autem tuus Dominus, tuus Deus. Mea illa bona, tua sunt. Nam ego tuus sum: ergo & contra omnia mala auxiliator & liberator tuus sum. Meus es. Ego te creaui. In te uiuo, te conseruo. Quid ergo diuerteres ad alienum? quid tibi opus erit posthac ullis idolis? Templum Dei es. An non sentis me inhabitare cor tuum? Quid oro templo Dei negotij cum simulachris?

Nulla causa ob quam deos alienos nobis deligamus.

Deinde addit minas ut iustissimas ita sæuissimas. Ego, inquit, sum Deus Zelotes. Id quod duplici, sed non cõtrario sibi sensu, exponere licet. Vel enim tale quid dicit, Nolo alios tibi quæras deos, aut illegitimos cultus recipias. Causa. Sum Deus Zelotes, æmulator inquam, consortis impatientissimus, imò qui corriualem nullo modo ferat. Solus diligi & coli uolo, nec alio modo, quàm eo quem ipse præscripsi. Nam nemo ignorat Deum in sacris literis coniunctionem & uinculum quo fide religamur

Deus consortis impatiens.

religamur Deo (unde et religionis nomē est) adumbrare p parabolam humani con iugij. Deus enim est maritus & sponsus noster: nos sumus eius uxor uel sponsa. Casta uxor & fidelis, solius mariti uocem audit, solū amat, soli obedit, post maritum non desiderat ullos alios uiros. Impudica aūt & perfida, adultera & meretrix potius quàm uxor, adhæret quidē uiro suo, sed sui copiam etiā alijs facit, alios quoq; amat, & ferè ardentius quàm maritū propriū. Atqui Deus est zelotypus, qui uult solus & citra consortem amari & coli. Adulteriū & scortatio spiritualis est, quoties homines diligunt quidē & colunt Deum, sed simul etiā uenerantur deos alienos. Contra hoc perfidū nephas impatientissimis & planè tragicis uocibus cōclamant omnes prophetæ. Est enim scelus longè nephandisimū. Vtinā uerò non habeatur hodie à multis pro cultu Dei gratissimo. Vel certè tale quid dixit Dñs, Nolo alios tibi quæras Deos: nolo ipse tibi cōminiscaris cultū. Causa, Sum Deus Zelotes, nimirū irritabilis, qui non patior impunè præteriri me meaq; legitima. Atq; ad hunc sensum porrò exponit multis quomodo sit Zelotes, uisitans utiq; iniquitatē patrū in filijs, in tertiā & quartam generationē, eorū qui oderunt me. Deus ergo uindex est seuerissimus & ultor iustissimus cōtra eos primùm qui alienos sequuntur deos, prohibitisue cultibus Deo seruiunt, deinde contra omnes qui præuaricant̄ legem Dei. Nam præcipuè quidē minat̄ idololatris pœnam grauisimā, simul autē & illis minatur, qui uiolāt leges Dei alias quoq;. Generale est enim quod hîc profert Dñs, ualens contra omnē impietatē & contra omnem iniustitiam hominū. Quia tamen humanis diuina longè præstant, grauius peccant, qui cōtra primam tabulā, quàm qui contra secundā peccāt: sed & grauioribus sese pœnis aut supplicijs subijciunt. *Deus ultor & uindex.*

Cæterum dicit Dominus iniquitatem patrum se uisitaturum aut inquisiturū in filijs in tertiam & quartam generationem: non quòd iniustus sit Deus & puniat alienum peccatum in innocentibus, hoc est, in ijs qui peccatum non cōmiserunt: sicuti impiè calumniabantur Deum in Ezechiele Iudæi, hoc proferentes dicterij, Patres comederunt uuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Non ita habet res. Quisq; enim suum portabit peccatum, nec filius patris, neq; pater filij iniquitatem feret dependetq;. Ita sanè constanter docet apud Ezechielem & in tota scriptura ueracissimus Deus. Proinde si liberi aut nepotes uestigijs patrū obliquis insistant, ac ipsi sicuti & patres eorum idolis seruiant: idcirco autē se securos impunesq; futuros arbitrentur, quòd idololatriā acceperunt à maioribus, quòd maiores licet fuerint idololatræ, bona tamen usi sint fortuna: tunc inquam iniquitatē patrum in filijs castigabo, id est, peccatum hoc quod à patribus didicerunt filij & iam pertinaciter propter exemplum & bonam fortunam patrū exercent, puniam grauissimè, etiamsi in patribus non puniuerim. Ideoq; significanter appenditur, Eorum qui oderunt me. Exempla plurima eaq; pulcherrima suppeditabunt libri Regum. Ieroboami enim domus funditus est excisa, eò quòd Ieroboam & idololatriam & peregrinos cultus erexit in Israele. Mox interit etiam tota familia Baasa regis: ita radicitus euellitur domus Achab. Tandem captiui abducuntur Israelitæ in Assyriorum regna. Solomon rex Iuda potētissimus, opulentisimus, & sapientissimus felicissimusq;, propter idololatriam & peregrinos cultus repentè fit miserrimus. Quid acciderit filio eius Roboam, Ioramo quoq; filio Iosaphat, Achas, Manassi, Iehoiachimo & Zedechiæ propter idololatriā & peregrinos cultus, nemo ignorat, nisi qui sacras historias nescit. Teneamus ergo firmiter minas Dei esse ueras, Deum esse uindicem & ultorem in idololatras & impios superstitiososq; homines, deniq; contra scelera hominū uniuersa, ut seuerissimū, ita iustissimū. Licet uideatur Deus aliquādo dormire hominibus impijs, euigilat tamē iusto tēpore,

Quomodo patrum peccata uisitet Deus in filijs.

4 Regum 14.

Ezech. 28.

Ierem. 44.

Longanimitas Dei.

& rependit impijs semper pro sua impietate. Longanimis non negligit pios & oppressos, non fauet impietati & fouet impios iustus Dominus: sed spacium concedit pœnitentiæ, quod quicunq; negligunt, grauiorem tandem sentiunt pœnam: iuxta illud Apostoli, An diuitias bonitatis, tolerantiæ & lenitatis Dei contemnis, ignorans quòd bonitas Dei te inuitat ad pœnitentiam? Sed iuxta duritiam tuam & cor pœnitere nescium colligis tibi ipsi iram in die iræ, quo patefiet iustum iudicium Dei, qui redditurus est unicuiq; iuxta facta sua, &c.

Amplißima promißio fit pijs Dei cultoribus.

Rursus promittit maxima quæq; suis cultoribus & perseuerantibus in uera pietate religioneq; munificus Dominus. Deus sum, inquit, faciens misericordiam seu beneficentiã præstans in millia. Qua parte excellere uidetur. Animaduertit enim iratus in tertiam & quartam generationem: sed beneficus est in multa millia. Bonitatis enim beneficiorumq; eius nullus modus, nullus finis: & misericordia Domini super omnia opera eius. Hîc tamen rursus duo appendit, His qui diligunt me & custodiunt præcepta mea. Duo inquam requirit à suis. Primum, ut diligant Deum & hunc habeant pro Deo suo: quod cùm fit, nullus erit in pijs deus alienus. Secundum, ut obediant Deo, ambulent in præceptis Dei: quod cùm fit, conciderunt omnia idola cum cultibus peregrinis, & regnat solus Deus per uerbum suum in animo religiosi hominis, quem omni benedictione impinguat benignus Dominus. Et hoc quidem membrum pertinet præcipuè ad præsens mandatũ, sed simul etiam ad alia omnia, ut ex ipsis uerbis Dei colligere licet. Teneamus ergo ambulantibus in lege Domini parata esse immensa Dei præmia.

Hæc habui in duo illa Decalogi seu primæ tabulæ mandata: quæ iam non licet recolligere, cùm & sesquihora lapsa sit, ac sperem me singula in eum redegisse ordinem, & tam perspicuè ac simpliciter tradidisse, ut omnia sint uobis & perspectissima & præsentissima in animis uestris. Laudemus iam Dominum, & agamus gratias bonitati eius, qua ostendit nobis uias suas, orantes ut in his rectà incedentes, perueniamus ad cœlestia gaudia, Amen.

De tertio primæ tabulæ seu Decalogi præcepto: & de Iureiurando. SERMO III.

Præceptum Dei 3.

TERTIVM mandatum primæ tabulæ siue Decalogi ad uerbum sic habet, NON ASSVMES NOMEN DOMINI DEI TVI IN VANVM. QVONIAM NEVTIQVAM IMPVNITVM DIMITTET DOMINVS EVM, QVI ASSVMPSERIT NOMEN DOMINI DEI SVI FRVSTRA. Exposuit Dominus mandato secundo quem nolit, auersetur ac prohibeat cultum, mundanum uidelicet, carnalem & terrenum, protritum & uulgarem illum, cum spiritu & diuina natura atq; maiestate pugnantẽ per omnia & ex diametro, nempe Deum uelle assimilare speciẽ hominis aut alterius creaturæ, ex materia terrena & corruptibili, & eundẽ deinceps sub illis speciebus colere rebus corruptibilibus usui & conseruationi hominum institutis. Deus enim spiritus est æternus, omnia permeans atq; omnia conseruans, quem totius mundi creaturæ, & præstantissimæ quidẽ illæ, simul coniunctæ, non possunt referre, imò ne minimum quidem in Deo assimilare atq; exprimere. Non eget Deus ullis rebus corruptibilibus: nobis potius sufficit omnia. Stultum est ergo datori luminis uelle lumen & cereum quidẽ illud aut fumantẽ tædam incendere. Stultum est pecuinas carnes offerre spiritui æterno, qui in Psalmis dicit, Meæ sunt omnes feræ syluarũ, pecudes in mille montibus. Noui cunctas in montibus uolucres, penes me sunt animantes agrestes. Si esuriero non est ut tibi indicẽ, cùm meus sit orbis & quicquid ille continet. Iam itaq; præcepto

tertio diligentissimè describit Dominus, licet utatur paucis uerbis, quomodo coli uelit, nimirum sanctificatione nominis diuini. Nomen Dei ipse Deus est, Dei maiestas, ueritas, potentia, iustitia. Præcipitur ne nomine diuino abutamur, ne usurpemus hoc ad res inanes & leues: sed sentiamus, loquamur, & iudicemus de Deo & rebus diuinis magnificè, reuerènter, sanctè & purè. Pondus autem habet quod dicit, Nomen Domini Dei tui, supremi uidelicet boni, creatoris, assertoris & patris tui. Cæterum non uetat simpliciter Dominus usurpare nomen suum, sed ne utamur ipso in uanum, uanè uel frustra, id est, citra usum salutarem ac necessarium, citra honorem & gloriam Dei. Videamus ergo quomodo sanctificemus nomen Domini, & quomodo religiosè usurpemus nomen Dei, adeoq; legitimè ipsum Deum colamus.

Nomen Dei.

Frustra.

Principiò sentiendum est de Deo ueluti de summo bono & thesauro bonorũ inexhausto, cuius uoluntas erga nos bona sit & planè paterna, utpote qui uelit & cupiat homines saluos fieri, & ad cognitionem ueritatis uenire: cuius iudicia omnia æqua sunt & iusta, cuius opera præstantissima, cuius uerba ueracissima. Deinde inuocandum est hoc nomen Domini sanctum in omnibus uotis & necessitatibus. Petenda ab ipso solo quæcunq; animæ & corpori necessaria sunt. Agendæ semper gratiæ pro exhibitis beneficijs. Quicquid enim bonorum homines accipiunt & habent, non ex alio fonte quàm diuino hauriunt. Hæc gloria semper Deo danda est. Si premimur aduersis, ne obmurmuremus bonę Dei uoluntati & iustissimis eius iudicijs, patientes potius & humiliati sub manu potenti & paterna, cum Dauide clamemus, Bonum est mihi Domine quòd humiliaueris me. Neq; præscribamus hîc Deo quicquã, sed subijciamus nos totos & semper bonæ, sanctæ, & iustæ eius uoluntati. Demus item Deo gloriã in omnibus, confitentes nomen & doctrinam eius coram regibus & principibus, imò coram omnibus mundi hominibus, quoties uidelicet res & gloria Dei exposcit. Ne pudeat nos Dei patris nostri, ueritatis eius, & ueræ religionis. Ne pudeat nos Christi redẽptoris & crucis eius. Pudeat errorum, idololatriæ, mundi, uanitatis, mendaciorũ & iniquitatis. Loquamur item & sentiamus de operibus & uerbis Dei sanctè, honorificè & religiosè. Sancta sit nobis lex Dei, sacrosanctum sit nobis Euangelium, sanctissima sit nobis doctrina patriarcharum, prophetarum & Apostolorum. Nunquam accipiamus nomen Domini Dei nostri in os nostrum, nisi magna sit causa: ne blasphememus, ne execremur, aut mẽtiamur sub nomine Dei: ne abutamur nomine & uerbo Dei ad res magicas, ad circulatoriã, ad incantamenta. His enim maximè prophanatur nomen Dei. Seruemus etiã sanctissimè quæ iurauimus per nomen æterni Dei. Simus ueraces & fideles in omnibus, ut hic cæcus mundus uidens in nobis tantam nominis Dei reuerentiam & sanctificationem, glorificet patrem nostrum qui est in cœlis. Atq; hic erit religiosus usus diuini nominis, & beneplacens Deo cultus.

Quomodo sanctificemus nomen Domini.

1 Abutimur uerò nomine Dei uariè, & initiò quidem, dum corda nostra nulla imbuta sunt reuerentia erga ipsum Deum, quando de Deo, de iudicijs Dei, de uerbis & legibus Dei irreuerenter, petulanter, impiè & blasphemè loquimur: quando uerba Domini rebus leuibus & nihili scurriliter applicamus, scripturas in prophanum & impudicum sensum conuertimus abripimusq;. Deinde prophanamus nomen Domini Dei nostri, quãdo non inuocamus nomẽ Domini, sed conuertimur 2
potius ad deos, nescio quos, ad hominum artes & præsidia, ad res prohibitas, ad idola, ad magicas artes. Id quod tunc maximè fieri solet, quãdo malis, propter peccata nostra, uel ut probemur à Domino, inuoluti, obmurmuramus Deo, accusamusq; eius iudicia, impatientissimè nec sine blasphemia perferentes quod merito

Quomodo abutamur nomine diuino.

nostro maximo patimur. Huc pertinet quod impuri homines sanctissimo Dei nomine utuntur ad conciliandos amores turpes, item ad res perditas furtóue sublatas rursus recuperandas & indagandas. Prophanamus nomẽ Domini Dei nostri,
3 quando non omnem gloriam Deo tribuimus. Perfectum est per nos aliquid boni operis, est in nobis aliquid laude dignum: id si nobis arrogemus, uel saltem decidamus nobis partem aliquam, reliquum Deo consecrantes, non autem in solidũ omnia bona referentes ad authorem omnis boni Deum, polluimus nomẽ Dei, quod solum confitendum & laudandum est in secula. Præterea si negemus Dominum,
4 & pudeat nos doctrinæ Euangelicæ, idq; propter scelestissimum hunc mundum & immundissimos huius seculi homines: si turpia aut impura uita polluamur, quod cedit in ignominiam nominis Dei & scandalũ proximi, certè usurpauimus nomen Domini in uanum, imò ad dedecus & opprobrium. Abutimur præterea
5 nomine Dei etiam in solenni iuramento, uel cùm iuramus ob res leues, uel iurata non præstamus seruamusq;. In colloquijs quotidianis, frequenter & quaslibet ferè ob res prophanas uocamus & obtestamur tremendum nomen Dei, uel assuetudine mala sic docti, uel animi commotione excitati: addimus deierationes alias innumeras, uulnera, crucem, passionem Domini, ipsum cœlum terramq;, sacramenta, diuos superos & inferos uocantes. Porrò mentiendo uariè prophanatur nomen
6 Domini. Mentitur in negotio religionis concionator & doctor ecclesiæ, quando clamat, Sic dixit Dominus, cùm Dominus nihil tale loquutus sit. Prætexit hic suæ imposturæ nomen Dei, & sub nomine Dei decipit simplices. Clamat magistratus, Omnis potestas est à Deo, & prætextu diuini nominis uim facit subditis, tyrannũ agens non magistratum. Populus sub nomine Domini decipit in contractibus & stipulationibus. Quid quòd mendicus ualidus & beneficentia indignus nomen Dei habet in quæstu? Sed quis omnes prophanationis diuini nominis species enumeret? Cauendum nobis omnibus ne prophanemus nomen Dei, sed sanctificemus potius & sanctè colamus.

Pœna abutentiũ nomine dei.

Sequitur enim in uerbis Domini quæ nam pœna maneat prophanatores diuini nominis, Quoniam neutiquam, inquit, impunitũ dimittet Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei sui frustra. Et quanquam hæc comminatio Dei, certè horribilis & per se satis efficax sit deterrendi pios à prophanatione diuini nominis, adijciam tamen his unum & alterum exemplũ supplicij sumpti per Deum à temeratoribus diuini nominis. Clamat Dauid, Non persistent iniusti ante oculos tuos Domine: odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quantò uerò similius est Dominum perditurum omnes qui loquuntur blasphemiam, & abutuntur sanctissimo Dei nomine? Saul certè quia in extrema sua necessitate Dominum non inuocauit, sed pythonissam consuluit, propria manu consciuit sibi ipsi necem, ubi prius uidisset populũ suum cædi à Palæstinis, atq; in populo quoq; proprios occumbere filios. Mentitur Ananias spiritui sancto, prophanatq; nomẽ Domini, ac repentina morte collapsus, summa cum ignominia migrat ad inferos. Sanherib ante mœnia Hierosolymorum blasphemat nomen dei æterni, sed mox immenso exuitur exercitu, deinde sagittis configitur in templo dei sui à proprijs suis filijs. Iehoiachim cum Zedechia reges Iuda nomen Domini prophanant, unde capiuntur & cæduntur à Nabuchodonosore rege Babylonio. Achab, Iesebel & sacerdotes Baalis funditus extirpātur à Iehu rege, quia sub prætextu Dei & religionis ueræ, nomen dei blasphemarunt & persequuti sunt. Leuit. 24. lapidibus obruitur qui blasphemauerat nomen domini.

Pœna ab imperatore contra blasphemos decreta.

Ideoq; Iustinianus Imperator in Nouellis Constit. 77. Constantinopolitanis ciuibus

ciuibus scribens, Insuper, inquit, quia supra infandas libidines quidam execrabilia etiam uerba & iuramenta de deo proferunt, deum prouocãtes ad iracundiam, adhortamur hos, ut tam execrabilibus uerbis, & item per capillum & caput adiurationibus, & id genus uerbis alijs abstineant. Nam si conuitia hominibus ingesta, saltem inulta non relinquuntur, multo magis qui diuinum numen conuitijs incessit, dignus est qui supplicium sustineat. Et propter huiusmodi delicta & fames, & terræmotus & pestilentiæ oboriuntur. Admonemus ergo ut abstineant à sceleribus illis, quòd si post hanc nostram admonitionem in illis deprehendantur sceleribus, principiò quidem indignos sese præbebunt dei erga homines amore, deinde legitimas etiam sustinebunt pœnas. Dedimus enim gloriosissimo regię urbis Præfecto negotium ut reos comprehendat, & ultimo submittat supplicio: ne quando ex talium peccatorum contemptu, per tam impia facinora, tam hæc urbs quàm tota respublica à diuina opprimatur uindicta. Hæc ille. Colligimus ex his, non minimam calamitatum nostri seculi portionem deberi nephandis exexcrationibus & blasphemijs, quas pauci aut nulli ferè magistratus coërcent, ac pro merito puniunt. Blasphematur nomen Dei benedicti in secula, omnium ordinum sexuum & ætatum exquisitis & execrandis deierationibus, adeò ut putem nullum à mundi exordio tam blasphemum fuisse populum, quàm est seculũ hoc nostrum maledictum. Ideoq́ infandis & nunquam terminandis premimur calamitatibus. Nam uerax est deus, qui dicit non impunè laturos si qui nomen domini in uanum usurpauerint. Isti non modò frustra assumunt, sed malitiosè & blasphemè cõspurcant. Vtinam uerò syncerius promoueant cultum dei in populo magistratus: aut si hoc ab eis impetrari non potest, saltem Caiapha ne peiores & impientiores sint, qui cum audisset, uti ipse putabat, diuini nominis blasphemiam, disrupit uestem & clamabat, blasphemum cõmeruisse mortem. Nisi enim seueriores fuerint contra blasphemos Christiani magistratus, non uideo quomodo non sint sceleratiores ipso impio nebulone Caiapha. Certè uerax est Dominus (id quod singuli uestrum altissimis reponetis animis) qui certò puniet in omnibus hominibus sui nominis prophanationem, magis autem blasphemiam.

Exigit hic locus ut nonnihil dicamus de Iuramento siue Iureiurando, quod fit sub inuocatione & obtestatione diuini nominis. Multa uerò in tractatione huius negotij ueniunt consideranda & expendenda. Video enim primùm dubitari à quibusdam, iurare liceat an non liceat: eò quod apud Matthæum dixerit dominus, Audistis dictum antiquis, Non peierabis, sed persolues domino iuramenta tua: at ego dico uobis ne iuretis omnino, &c. Cæterum dominus apud Matthæum non uult è medio auferre ueram & antiquã legem, sed interpretari & ad sensum sanum reducere, corruptam prius uarijs & adulterinis glossis pharisæorum. Horum doctrina institutus cauebat sibi populus à periurijs, de superuacaneis & inutilibus aut frustraneis iuramentis alijs non erat admodum solicitus, non dedecere arbitrans si iuraret per cœlum & per terram: proinde dominus legem patris sui exponens dicit, Iuramenta in uniuersum omnia esse prohibita, nimirum quibus nomen domini in uanum assumitur, & quibus superuacuè iuratur. Interea solenne iuramentum nec damnauit nec sustulit. Multum uerò interest inter Iuramentum solenne, & inter iuramenta quotidiana, quæ nihil aliud sunt quàm deierationes, non tantùm superuacaneę, sed noxiæ quoq́. Solenne uerò iuramentum utile est & necessarium. Atqui lex Dei & sermo Christi nõ prohibẽt res utiles & necessarias, ergo non damnant iuramentum solenne. Imò in lege permittitur iusiurandum, prohibetur duntaxat inutilis usurpatio diuini nominis. Ac Christus domi-

De Iureiurando.

An iurare liceat.

Math. 5.

Iuramentum solenne & quotidianum.

nus non uenit legem soluere, sed adimplere. Proinde iusiurandũ in Matthæo non damnauit: nisi quis contendat filium doctrina sua impugnare doctrinam patris sui cœlestis: quæ quidem esset blasphemia in patrem & filium intoleranda. Quid quod ipse Deus iurat, quod non faceret si iusiurandum fieri non posset sine scelere. Dicit enim, post longã legis expositionem, Sancti estote, nam & ego sanctus sum. Sitis perfecti, quemadmodum pater uester cœlestis perfectus est. Vnde legimus præstantissimos utriusque testamenti uiros sub inuocatione & obtestatione diuini nominis in rebus grauibus iurasse, & sine peccato quidẽ iurasse. Iuramentum itaque lege Christi minimè est prohibitum, licetq; hominibus Christianis iuramenta & exigere & præstare. Imò non uideo quomodo Christiano dignus sit nomine, quisquis legitimè requisitus iurare detrectauerit. Sed de hac re alibi contra Anabaptistas plenius disputauimus.

Matth. 5

Quas ob res iurandum sit.

Secundo loco considerandum est, quas ob res iurandum sit. Apud multas respublicas receptum est quamlibet leuem ob causam interponere religionem iurisiurandi, atq; ea de causa uidemus ualde uilescere iuramentum. Quid enim hoc aliud est quàm nomen dei assumere in uanum? Discant ergo & sciant magistratus, iuramentum nõ esse requirendum quàm in rebus serijs, dum agitur de gloria dei, de proximi incolumitate, & utilitate publica. Obseruandũ ergo quando & quas ob res iurauerit populus domini in scripturis sanctis. Iurat beatus Abraham in fœdere sanciendo cum rege Abimelech. Iurat populus domini perfrequenter sub regibus, fœdere sese constringens cum deo ad obseruationem puræ religionis. Purgarunt sese iuramentis ueteres à grauibus suspicionibus. In Exodo legimus, Si quis dederit proximo suo iumentum ad custodiendũ, atq; illud fuerit mortuum, aut ui abactum, nemine uidente, iuramentum domini inter utrosq; intercedat, quòd non extenderit manum in rem proximi sui: quod recipiet dominus eius, & alter nihil restituet. Nam Paulus quoq; ad Hebræos 6. cap. Homines quidem, ait, per eum iurant qui sit maior: atq; ijsdem omnis controuersiæ finis ad confirmationem est iusiurandum. In hunc ergo finem applicet magistratus iusiurandũ: ac curet per cætera quoq; ut religiosè uersetur in iuramentis dandis & recipiendis: sanctè quoq; seruent iurata proceres populi, neq; admittant unquam ut uel leuibus hominibus credant iurisiurandi religionem, uel quicquam conferant cum iureiurando aut æquent iuramento, sed magna cum obseruatione, ultimo semper loco, tanquam ad supremum recurrant remedium, periurosq; grauiter puniant. Ita minus uilescet in popularium animis iuramenti religio. Væ autem populi proceribus, si propter ipsorum impiam negligentiam uilipendatur iusiurandum. Supplicium graue de his accipiet proculdubiò, qui dixit, Quoniam neutiquam impunitum dimittam eum, qui assumpserit nomen Domini in uanum.

Quid sit iuramentum.

Tertio dicemus quid sit Iuramentum seu iusiurandum. Est inuocatio & attestatio diuini nominis ad ueritatem sermonis nostri cõfirmandam. Separatur ergo iuramentum à deierationibus, probra dei continentibus. Separatur item ab execrationibus mala precantibus proximis nostris. Hæ prorsus indignæ sunt quæ appellentur iuramenta. Quoniam uerò uocabulum iuramenti latè patet, nõ imprudenter legitima & diuina iuramenta denotata sunt uocabulo Iurisiurandi. Apponitur enim ius, admonens iuramentum hoc iuris esse ac iustitiæ. Cæterum attestatio diuini nominis mixtam habet deuotionem & inuocationem. Forma enim iurisiurandi est, Dicam aut faciã hoc uerè, sanctè, & sine dolo malo, Sic me deus adiuuet. Obijcimus ergo capita nostra diuinæ iræ & uindictæ, nisi uerè & sanctè agamus & dicamus quod nos uel dicturos uel facturos promittimus. Grauis est

ergo obtestatio illa qua non inuenitur ulla in orbe grauior. Ad hanc considerationem pertinet & ritus iuramenti. Ab antiquo enim iurarunt patres nostri per nomen domini sublata manu in cœlũ. In cœlis habitat dominus Deus noster. Testamur animis nos ascendere in cœlum, & inspiciente deo, ac in cõspectu dei nos iurare, sicuti in oculis iudicum exaltamus manum ad cœlos. Imò quasi data dextra fidem nostram obstringimus Deo, iurantes in nomen Dei. Ad hunc modũ iurauit singularis Dei amicus Abraham pater fidei. *Ritus iuramenti.*

Igitur non est quòd porrò disputemus multis, per nomen ne Dei solius, an & per nomina diuorum, an etiam ad sacrosanctum Euangelium attestatio iurisiurandi fieri debeat? Constat enim iurandum esse fidelibus per solius Dei æterni & altissimi nomen. Habemus ea de re manifesta præcepta iubentia iurare per nomen domini, & prohibentia rursus iurare per nomina deorum. Prioris generis sunt hæc, Timebis dominum deum tuum, illi seruies, iurabisq́ per nomen eius, Deut. 6. & 10. cap. Dominus item ipse apud Isaiam, Mihi, inquit, incuruabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Nam & in 65. cap. idem propheta dicit, Qui benedicere seuolet, in deo benedicet: & qui iurauerit, iurabit per deum uerum. Posterioris generis sunt hæc sanctæ scripturæ testimonia, Exodi. 23. Omnia quæ dixi seruate, & nomina aliorum deorum ne cogitetis, neq́ audiãtur ex ore uestro. Iosue quoq́ dicit cap. 23. Cum ueneritis inter gentes istas, ne iuraueritis per nomen deorum earum, & ne colatis aut adoretis eos. Apud Ierem. in 5. cap. dicit dominus, Filij tui deseruerunt me, & iurauerunt per deos, qui dij non sunt: saturaui eos, & mœchati sunt, &c. Iam & Sophonias inducit loquentem dominum & dicẽtem, Excindam eos qui adorant ac iurant per dominum, iurantq́ per Malchom, id est, regem uel patronum suum. Nec mirum est quod dominus excidiũ minatur iurantibus per nomina creaturarum. Est enim iuramentum præcipuus cultus qui debetur Deo, ideoq́ alijs non potest communicari. Iuramus enim per supremum, quem uidelicet credimus summum esse bonum, largitorem omnis boni & uindicem mali. Quòd si per nomina deorum iurauerimus, certè deo ipsi æquauerimus diuos, diuinosq́ honores ipsis tribuerimus. Ideoq́ maluit beatus Christi martyr Polycarpus flammas subire ignis, quàm iurare fortunam Cæsaris. Historia extat apud Eusebium lib. 4. cap. 15. *Formula iuramenti.* *Iuramentũ cultus Dei.*

Quarto loco inspiciendum quomodo iurare conueniat, & quæ sint conditiones iusti, æqui & boni iurisiurandi. Ieremias ergo, Iurabis, inquit, uiuit Dominus, in ueritate, in iudicio, in iustitia. Et benedicent se gentes in eo, atq́ in eo gloriabuntur. Quatuor ponuntur iusti iuramenti cõditiones. Prima est, Iurabis, Viuit dominus. Repetitur quod iam inculcatum est toties, iurandum esse per nomen uiuentis Dei. Formula autem iuramenti patribus nostris talis erat, Viuit dominus, ut claret ex scriptis prophetarum. Ne ergo iuremus per alium, quàm per Deum. Secunda conditio est, Iurabis in ueritate. Requiritur itaq́ ut non lingua solum, sed & mens iuret, ne postea dicamus, iurauit lingua, mens est iniurata. Fideles ergo simus, sine dolo malo, ne mentiamur neue deludamus iuramentum artibus. Id exprimunt Germani, On alle gfärd. Vel, On gfärd/ id est, non utar ullo dolo malo, sed simpliciter & uerè hoc præstabo. Exemplum mendacis & dolosi iuramenti egregium habes apud Aul. Gel. lib. noct. Att. 7. cap. 18. Tertia conditio est, Iurabis in iudicio: cum discretione utiq́, non temere, non leuiter, sed expensis rebus omnibus: sed in magna necessitate & utilitate. Quarta cõditio est, Iurabis in iustitia, ne uidelicet sit iuramentum nostrum contra ius & fas, hoc est, ne peccemus contra iustitiã, quæ Deo & hominibus sua tribuit: ne tendat rectà contra dilectionem *Cõditiones iuramenti sancti.*

dei proximiq;. Habet c.v. paucis hisce uerbis comprehensum, & à deo nobis traditum, quomodo iuremus, qualia esse debeant sancta iuramenta, quibus circumscripta conditionibus. Porrò si iurauerimus contra has à deo nobis præscriptas conditiones, illegitima erunt nostra sacramenta uel iuraměta: quæ si præterea pręstare perrexerimus, incurremus grauem iram Domini.

An iuramenta impia sint præstanda.

Proinde interrogari solet in præsenti, an iuramenta & uota impia uel iniqua, iniusta & mala seruare uel præstare oporteat, nempe si iuramentum aut uotum tuum tendat contra deum, contra ueram religionem, contra uerbum Dei, & contra salutem proximi?

Adducam & recitabo hic responsionem uulgarem, sed ueram & exemplis sanctæ scripturæ subnixam ueritatiq; per omnia consentaneam. Sic ergo respondetur, Si quis aliquid iurauerit contra fidem & charitatem, quod obseruatum peiorem uergat in exitum, iuramentum potius est mutandum quàm adimplendum. Vnde Ambrosius, Est contra officiũ aliquando promissum soluere iuramentum, ut Herodes fecit. Item Isidorus, In malis promissis rescinde fidem: in turpi uoto muta decretum. Quod incautè uouisti, ne feceris. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Idem, Non est obseruandum sacramentum, quo malum incautè promittitur. Vt si quis adulteræ perpetuam fidem cum ea permanendi polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacraměntum, quàm permanere in stupro. Item Beda, Si quid nos incautius iurare contigerit, quod obseruatum peiorem uergat in exitum, liberè illud salubriori consilio mutandum nouerimus: ac magis instante necessitate peierandum esse nobis, quàm pro uitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertědũ. Deniq; iurauit Dauid per deum occidere Nabal uirum stultum: sed ad primam intercessionem Abigail fœminæ prudětis, remisit minas, reuocauit ensem in uaginam, nec aliquid culpæ se tali periurio contraxisse doluit. Item Augustinus ait, Quòd Dauid iuramentũ per sanguinis effusionem non adimpleuit, maior pietas fuit. Iurauit Dauid temere, sed non impleuit iuramentum maiori pietate. Ex his alijsq; multis ostenditur quædam iuramenta non obseruanda esse. Qui autem sic iurat, peccat. Cum autem mutat, bene facit. Qui non mutat, dupliciter peccat, & quia iniustè iurauit, & quia facit quod non debet. Hæc hactenus aliorum uerbis recensui, quæ nemo non recipit proculdubio pro ueris & iustis. Ex ijs uerò facilè intelligit charitas uestra, quid præterea sentiendum sit de uotis illis monasticis, & iuramento sacerdotum, castitatem, quantum uidelicet humana permittit fragilitas, promittentium. Nam melius est nubere, inquit Apostolus, quàm uri. Et satius est promissa stulta & noxia atq; impura, id est, quæ ad immunditiam perpellunt nõ præstare, quàm sub prætextu sacramenti ueritatisq; & mentiri & parum pudicè uiuere.

Soluere præstare.

1 Reg. 25.

Vota monastica.

Quãta religione oporteat seruare iuraměta.

Quinto & ultimo loco, paucis admonědi estis ut magna religione iuramentũ seruare modis omnibus contendatis: indicandũ præterea paucis, quod pręmiũ paratum sit sanctis iuramentũ sanctũ sanctè colentibus obseruantibusq;. Si deũ diligimus, & nomen eius sanctificare cupimus, si deũ uerũ habemus pro deo uero, & pro deo nostro, si uolumus ut is nobis sit clemẽs, propitius & auxiliator pręsentissimus, & perpetuus, etiã atq; etiã curabimus & religiosè iurare, & quòd religiosè iurauimus, sanctissimè seruare atq; præstare. Nisi uerò hoc faciamus, minę cœlitus & iudicia seuerissima, sed iustissima, contra nos sunt pronunciata. Gentiles in die iudicij condemnabunt nos. Nam Saguntini, Numantini, & Petilini maluerunt flamma & fame interire, quàm fidem sacramento confirmatam infringere dissoluereq;. Ac leges quidem sapientissimorum & iustissimorum quorumuis principum

pum & populorum, periuros damnant capitis. Quanta uerò scandala, quantæ corruptiones, & quanta quæso damna existunt ex periurijs? Implicant illa, affligunt, uexant, cōficiunt & subuertunt res Ecclesiasticas & politicas. Quisquis ergo amauerit rempublicam & incolumitatē patriæ: quisquis amauerit Ecclesiam & incolumitatem Ecclesiæ, curabit ante omnia ut religiosè custodiat iurisiurandi sacramentum. Porrò amplissimum uberrimumq; præmiū sanctè colentibus iuramentum à deo promissum est. Ieremias enim, Et benedicent se gentes in eo, inquit, atq; gloriabuntur. Tanta, inquit, felicitas & ubertas optimarum rerum à domino effundetur in populum Iudaicum sanctè iurantem, ut quicunq; posthac uoluerit alteri bene precari, dicturus sit, Benedicat tibi dominus quemadmodū olim benedixit Iudæis. Quisquis uoluerit aliquem laudare, dicet esse similem Israelitis. Relinquitur ergo certissimum, omnigenis locupletandos bonis, deniq; omni laude dignissimos fore, quotquot sacramentum iurisiurandi sanctè coluerint. *Præmium amplum seruantibus iuramenta promissum.*

Studeamus oro fratres nomen domini sanctificare, & huic pręcepto tertio coniungere ardentes perpetuasq; preces, iuxta domini Iesu doctrinam orantes, O pater cœlestis sanctificetur, seu sanctè colatur nomen tuum. Cui gloria in secula seculorum, Amen.

De quarto primæ tabulæ seu Decalogi præcepto, nempe de ratione & obseruatione sabbati. SERMO IIII.

QVARTVM primæ tabulæ præceptum de uerbo ad uerbum sic habet, MEMENTO VT DIEM SABBATI SANCTIFICES, SEX DIEBVS OPERABERIS ET FACIES OMNIA OPERA TVA, SEPTIMO AVTEM DIE EST SABBATVM DOMINI DEI TVI, IN QVO NON FACIES VLLVM OPVS, NEQVE TV, NEQVE FILIVS TVVS, NEQVE FILIA TVA, NEQVE SERVVS TVVS, NEQVE ANCILLA TVA, NEQVE IVMENTVM TVVM, NEQVE ADVENA TVVS QVI EST INTRA PORTAS TVAS. QVONIAM SEX DIEBVS FECIT DOMINVS COELVM ET TERRAM, MARE ET OMNIA QVE IN EIS SVNT, SEPTIMO AVTEM DIE QVIEVIT. IDEO BENEDIXIT DOMINVS DIEI SABBATI, ET SANCTIFICAVIT EVM. *Preceptum Dei 4.*

Naturalis & ualde elegans est ordo præceptorum domini. Primo mandato docuit dominus fidem & amorem erga deum. Secundo remouit idola & omnem peregrinum cultum. Tertio præcepto cœpit de uero & legitimo cultu dei homines instruere. Consistit is in sanctificatione nominis diuini, ut hoc inuocemus, & sanctè ac ingenuè confiteamur, deq; ipso iudicemus & loquamur religiosissimè. Quartum pręceptum instruit & ipsum dei cultum, nominisq; diuini sanctificationem, sed deflectitur iam nonnihil etiam ad externum cultum, licet quartum hoc mandatum & internum formet. Sabbatum enim uersatur & in interno & externo Dei cultu. Inquiramus ergo quid sentiamus de sabbato, & quàm latè sabbati usus pateat, ac quomodo in obseruatione sabbati colamus deum nostrum. Sabbatum significat requiem & uacationem ab opere seruili. Ac obseruandum censeo quòd dominus nō ait, Sanctifica sabbatum, sed Memento ut diem sabbati sanctifices. Significat autem uetustissimam esse sabbati institutionē, iam olim patribus traditam, nunc uerò per dominum esse in populo Israelis repetitā & renouatam, *Ordo præceptorum domini.* *Sabbatum.*

Cæterum summa totius mandati est, Sanctifica sabbatum. Hanc summā mox fusius exponit ipsis etiam diebus annumeratis, recensita item uniuersa familia, cui imponitur sabbati religio. Postremò adijcitur exemplum quoq; ipsius Dei quiescentis & sanctificantis sabbatum.

Sabbatum spirituale est.

Sabbatum ipsum patet latißimè. Nam principiò meminit scriptura sabbati cuiusdam spiritualis & perpetui. Eo cessamus ab opere seruili, abstinentes utique à peccatis, curantes ne in nobisipsis inueniatur nostra uoluntas, ne ipsi operemur opera nostra, sed cessantes ab his, sinamus deum operari in nobis, subijciamusq; gubernationi spiritus corpora nostra. Hoc sabbatū spirituale, sequitur sabbatum siue requies æterna. De quibus plura Isaias in cap. 58. & 66. Paulus item ad Heb. 4. cap. Verè autem Deum colimus, quando à malis quiescentes sanctoq; dei spiritui obedientes, studio bonorum operum exercemur. Non uacat autem neq; admodum utile fore existimamus, copiosius & subtilius de sabbati allegoria siue sabbato spirituali disputare. Conemur potius fratres in mortalibus hisce corporibus nostris Deo bene placens sabbatum indefesso sanctimoniæ studio sanctificare.

Sabbatum ordinatio religionis externa.

Deinde sabbatum est ordinatio religionis externa. Voluit enim dominus hoc præcepto tradere externam religionem & cultum in quo exerceremur omnes. Ac dei cultus nequit esse sine tempore. Instituit ergo tempus dominus, in quo ab externis uel corporalibus abstineremus operibus, sed interea uacaremus spiritualibus. Ideo enim externa quies præcipitur, ut operatio spiritualis corporali opere non interturbetur. Porrò uersabatur spiritualis illa operatio apud patres nostros circa quatuor, nempe circa lectionem & interpretationem scripturæ publicam adeoq; circa auscultationem, circa orationem & preces publicas, circa sacrificia siue celebrationem sacramentorū, & circa collectam ac beneficentiam. In his erat religio externa sabbati. Ferias enim agebat populus, coibat in cœtum sanctum. In hoc prælegebant prophetæ uerbum domini, interpretabantur hoc & instituebant auditores in uera pietate. Deinde orabant communibus uotis & precibus coniunctis fideles pro omnibus necessitatibus. Laudabant nomen domini, & agebāt gratias pro beneficijs acceptis. Præterea sacrificabant secundum uerbū domini, mysteria & sacramenta redemptoris Christi celebrantes & fidem suam exercentes, consociabantur insuper sacris, sed & sui admonebantur officij ut & semetipsos offerrent deo hostiam uiuam. Postremò conferebant in cœtibus liberaliter munera sua Ecclesiæ usibus. Munera cedebant necessarijs Ecclesiæ usibus, ministris & egentibus. Hæc autem erant sancta dei opera, quæ dum fide & dilectione instructi perficiebant, sanctificabant certè sabbatum & nomen domini: id est, in sabbato ea operabantur opera, quæ & nomen Dei sanctificant, & cultores ornant, uereq; sancta & deo placentia opera sunt. Exemplum si quis requirat apertū & elegans sabbati aut festi sanctè celebrati, inueniet apud Nehemiam in cap. 8. Ibidem enim sacerdotes legunt & interpretantur uerbum dei, laudant nomen dei, precantur cū populo, sacrificant, liberalem munificentiam exercent, & per omnia sese gerunt sanctè & religiosè.

Sat temporis laboribus concessum est.

Iam ne quis obijceret, Otia dant uitia. Præterea laborandum est manibus, ut suppetat uictus, ne peream fame & perdam meam familiam: respondet, Sat temporis concessum est tibi à domino laboribus, quibus quisq; uictum suæ paret familiæ. Nam sex dies operari licet, septimam demum diem deus cupit sibi & sancto consecrari otio. Septimana quælibet septem completur diebus. Ex his autem septem diebus unam modò sibi postulat dari dominus. Quis iure quæso iniuriam sibi fieri clamitet? Plus certè temporis laboribus quàm sacro tribuitur otio. Et qui

hco

hoc otium postulat, Deus est, hominis conditor, pater & Dominus.

Præterea iubet Dominus hoc sacrum otium, hanc disciplinam & hunc cultum externum in totam transferre domum. Vnde etiam colligimus quodnam sit officium boni patrisfamiliâs, curare ut tota familia sabbatum sanctificet, id est, opera sancta faciat in sabbato, quæ prius recensuimus. Ac quoniam nouit Dominus ingenium hominis, quod euectum imperitat ferè insolentius, ideoq; ne durius aut inclementius patres siue domini tractarent familiam, aut impedirent eam in cultu sabbati, disertis uerbis & diligenti enumeratione præcipit, ut familiæ & singulis in familia cōcedant otium ad negotium sanctum. Imò non liberat aut excipit uel aduenam. Non uult apud eos segnium quorundam ualere regulam, Fides & religio libera sit, nemo compellatur ad religionem. Nam aduenam, intra portas populi Dei, id est, in iurisditione agentem, astringere iubet religioni sabbati. Otium uerò præcipitur non propter se quidē (Otium enim semper fuit illaudabile) sed propter istas præcipuè causas. Vult esse locum & tempus reseruatum religioni. Ea præclusa sunt externis laboribus addictis. Non coniungitur cœtui sacro, nō audit sermonem Dei, non precatur cum ecclesia, non astat sacris, qui iubente hero suo uel proficiscit̄ peregrè, aut uendit res domini sui in foro, aut in area purgat frumentū, in agro exercet opera rustica, uel domi stat ad incudē, aut consuit calceos aut caligas. Fides ergo & pietas iubet te concedere otium seruis tuis & familiæ tuæ: imò præcipit segnes alioqui instigare & propellere ad negotiū utile & sanctum. Vult præterea Dominus laborantes respirare. *Quod caret alterna requie, durabile non est.* Ergo benignus Dominus qui uult conseruare creaturas suas, modum præcipit, & cauet ne auaritia & duritia dominorū nimis affligant creaturā Dei. In Deuteronomio addit Moses affectum commiserationis, dicens. Memento quòd & tu aliquando fueris seruus in Ægypto. Charitas ergo humanitasq; requirunt modum, ne nimijs laboribus atteramus familiam. Præterea constat patresfamiliâs plantatione pietatis in famulitio, priuatam & domesticam utilitatem promouere plurimùm. Seruuli enim impij, sunt ferè furaces & infideles: pij, fidi & œconomici. Quid quòd in enumeratione familiæ pecoris quoq; uel iumentorū fit mentio: non tam quòd iumenti dominus sit homo, ac idcirco benignè & moderatè eo uti debeat, quàm quòd sine ministerio hominum iumenta exerceri non possunt. Abducuntur ergo à religione sabbati per iumenta homines: unde ne abstrahantur, præcipitur disertè ut quietem concedamus iumentis.

Paterfamiliâs transferat religionem sabbati in domum suam.

Otium.

Postremò adhibet suum exemplum Dominus, eo ipso docens religiosè colere sabbatum. Quoniam, ait, sex diebus fecit Dominus cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, septimo autem die quieuit. Ideò benedixit Dominus diei sabbati & sanctificauit eum. Operatus est Dominus Deus sex diebus creando cœlū, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, septimo autem die quieuit & consecrauit certam diem quieti. Consideranda sunt septimo die opera Dei quæ condidit sex diebus, recolligendum est filijs Dei quæ & quāta beneficia tota illa septimana acceperint, deinde agendæ gratiæ, laudandus est Deus, & ex operibus eius discendus. Consecrandum illi totum corpus cum anima: consecranda sunt ipsi dicta & facta nostra omnia. Quieuit quidem Dominus à creando, sed non quieuit à conseruando. Quiescendum ergo à manuarijs & corporalibus operibus, sed non cessandum ab ijs quæ beneficentiæ sunt & cultus diuini. Proinde non nocuit rebus conditis quies diuina. Non damno afficiet & affliget res & negotia nostra, feriata & rebus diuinis impensa dies. Nam Dominus benedixit sabbato, benedicet ergo & tibi & domui, rebus & negotiationibus tuis omnibus, si curaueris sanctificare

Sabbatum egit Dominus.

Benedixit sabbato Dominus.

sabbatum Domini, id est, ea facere opera quæ præcepit fieri in sabbato. Errant ergo toto cœlo quicunq; religionem & sanctam sabbati quietem contemnunt, iners otium appellant, ac sabbatis perinde ut prophanis diebus laborant, prætexentes curam familiæ ac necessitatem.

Sabbatũ Christianorum.

Hæc enim omnia nobis quoque & nostris ecclesijs applicare oportet. Certissimum est, spirituale sabbatum Christianis ante omnia & per omnia esse mãdatum. Nec dubium est, quin bonus Dominus uelit in nostris quoque, ut quondam in Iudæorum ecclesijs, iustum seruari ordinem, in exercenda religione externa maximè. Scimus sabbatum esse ceremoniale quatenus coniunctum est cum sacrificijs & reliquis Iudaicis ceremonijs, & quatenus alligatur est tempori: cæterum quatenus sabbato religio & pietas propagatur, & iustus ordo retinetur in ecclesia, ipsaq; charitas proximi seruatur, perpetuum & non ceremoniale est. Oportet certè & hodie parci familiæ, oportet & hodie familias institui in religione. Cœtus sacros nullibi dissipauit Christus Dominus, sed recollegit maximè. Oportet autem ut locum certum ita definitum tempus consecratum esse exercitio religionis, ergo & otium sanctum. Vetus ergo ecclesia diem mutauit sabbati, ne uideretur Iudaizare & ceremonijs affixa hærere: & cœtus otiaq; sacra celebrauit prima sabbati, quam Ioannes appellat Dominicam, haud dubiè propter gloriosam Domini resurrectionem Et quamuis nullibi legatur præcepta in Apostolicis literis Dominica dies, quia tamen quarto hoc præcepto primæ tabulæ præcipitur cura religionis & exercitium externi cultus diligenter, alienum à pietate & charitate Christiana foret nolle Dominicam sanctificare: præsertim cùm sine tempore stato & citra otium sanctum, cultus ille externus constare non possit. Idem sentiendum arbitror de pauculis quibusdam Christi Domini ferijs aut festis, quibus peragimus memoriam natiuitatis, incarnationis, circuncisionis, passionis, resurrectionis, ascensionis in cœlum, & missionis sancti spiritus in discipulos Domini nostri Iesu Christi. Libertas enim Christiana, non est licentia & dissolutio ecclesiasticæ piæq; obseruationis, iuuantis & prouehentis gloriam Dei & charitatem proximi. Quonam uerò Dominus uult sibi soli festa celebrari, non probo festa creaturis instituta. Hæc gloria, hic cultus est solius Dei. Clamauit Paulus, Nolo quisquam uos iudicet in parte diei festi aut sabbatorum, quæ sunt umbra rerum futurarum. Item, Dies obseruatis & menses, tempora & annos, metuo ne frustra in uobis laborauerim. Et proinde nihil nobis hodie cum obseruatione Iudaica in ecclesia Christi, Christianam modò uolumus obseruationem, seu exercitium religionis Christianæ custodiri liberè.

Dies Dominica.

Sanctificatio sabbati Christianorum.

Versabitur tamen sanctificatio & exercitium Dominicæ diei nostræ etiam circa quatuor, quæ in sancto Christianorũ cœtu inueniantur oporret, siquidem fuerit uerè sancta.
1 Principiò ingrediantur in cœtum sanctorum pij omnes. In cœtu exponatur uerbum Dei, annuncieturq; sermo Euangelicus, ex quo discant auditores quid sentiant de Deo, quod nam sit officium cultorum Dei, quomodo sanctificent nomen Domini.
2 Deinde fiant in cœtu orationes & obsecrationes ꝓ omnibus omnium necessitatibus. Laudetur bonitas Domini, & agantur gratiæ pro beneficijs Dei quotidianis & inæstimabilibus.
3 Si uerò tempus, occasio & consuetudo ecclesiæ poscat, religiosè celebrentur sacramenta ecclesiæ. Requiritur enim potissimùm hoc præcepto quarto, ut sacramenta & ritus ecclesiæ sanctos, legitimos & utiles ac necessarios, & obseruemus sanctè, & exerceamus religiosè.
4 Postremò habeat in cœtu sanctorum summa locum humanitas & beneficentia, discant omnes priuatim largiri eleemosynã & benefacere quotidie, liberalissimè autẽ ac publicè, quoties

quoties temporis necessitas & rerum opportunitas poposcerit. His autem officijs sanctificabitur sabbatum Domini etiam in ecclesia Christianorum, maximè si accedat his tota die studium innocentiæ diligens.

Est autem hæc disciplina in singulas domos nostras transferenda ab omnibus patribusfamiliâs, non minus quàm in domos Iudaicas. De qua re nō est quòd plura dicamus, cùm hoc caput superius ita tractauerim, ut ecclesiæ Christianæ etiam congruat. Hoc adijciam in præsenti, Christiani magistratus aut saltem boni patris officium esse, uiolatores & contemptores sabbati aut cultus diuini redigere in ordinem. Principes populi Iudaici ac totus populus Dei, hominem cōtumaciter colligentem ligna in die sabbati, lapidibus, Deo mandante, obruerunt. Cur ergo non liceret Christiano magistratui punire in corpore, fortunis, & uita contemptores religionis, ueri & legitimi cultus sabbatiq́? Certè si cesset corrupto hoc seculo demens & ebrius magistratus, cuiq; patrifamiliâs opera danda ne impia sit familia. Puniat suos sibi licitis puniendi modis. Potest enim quilibet paterfamiliâs, si habitet inter idololatras, qui nec habent, nec habere cupiunt legitimos & Christianos cœtus, in ædibus proprijs cœtum sanctum colligere, sicuti fecisse constat Lotum in Sodomis, Abrahamum, Isaacum & Iacobū in terra Chanaan & Ægypti. Grande uerò & peccatum & schisma est detestandum, si celebrentur in ciuitatibus & pagis legitimi cœtus, tu uerò quæras diuerticula, & spernas ecclesiam Dei siue cœtum sanctorum. Id quod solent Anabaptistæ. *Officium patrumfamiliâs.* *Num. 15.*

Veniunt ergo hic quoq; paucis recensendi abusus sabbati, siue peccata contra hoc mandatum commissa. Peccant qui non quiescunt à malis operibus, imò otio sancto abutuntur ad irritamentum carnis & uoluptatum. Nam hi sabbatum agunt Deo, operantur autem diabolo, alea ludendo, potando, choros ducendo & alijs mundi uanitatibus indulgendo, quibus non tam abducimur à cœtu sancto, quàm polluimus corpora nostra, quæ sanctificare debueramus. Peccant qui uel operas manuarias exercent in sabbato, uel lectis implicati dormiunt in multam lucem, negligentes cœtū Dei. Peccant qui urgent seruos, & negotijs eis impositis abstrahunt à cultu diuino, qui alias res putidas præferunt cultui Dei. Peccant præ alijs quicunq; sabbatum non modò non sanctificant, sed etiam alijs sacra contemnendi suis impuris dicterijs & malo exemplo authores sunt: qui ritus sacros, ministerium, ministros, scholas sacras, & studia pia, & fastidiunt & suggillant. Peccant hic maximè patres & matresfamiliâs, si negligant sanctificationem sabbati in domibus suis urgere & obtinere. Quicunq; spernunt religionem sabbati, apertum de se præbent testimonium impietatis uel contemptus numinis. Proinde magnas habet promissiones & minas obseruatio & contemptus uel neglectus sabbati. Ad quam rem demōstrandam recitabo charitati uestræ Ieremiæ uerba ex cap. 17. Sic dixit Dominus ad me, inquit, Vade & sta in porta filiorum populi per quam ingrediuntur & egrediuntur reges Iuda, atq; in omnibus portis Ierusalem, & dices ad eos, Cauete quàm charæ sunt uobis animæ uestræ, ne tollatis onus die sabbati ut inferatis per portas Ierusalem, neq; efferatis onus è domibus uestris in die sabbati, imò nihil operis faciatis, sed sanctificate diem sabbati, quemadmodum præcepi patribus uestris. At illi non audierunt neq; inclinarunt aurem suam, sed indurarunt ceruicem ne reciperent disciplinam: uos autem si me diligenter audieritis, ait Dominus, nulla inferetis onera die sabbati, sed sanctificabitis sabbatum, neque quicquam operis in eo facietis. Tunc enim transibunt per portas huius urbis reges & principes sedētes in solio Dauidis uecti curribus & equis, sedebitq; ciuitas ista in perpetuum: & ferent de ciuitatibus Iuda & Beniamin sacrificia, thus & laudem *Abusus sabbati.* *Promißiones & minæ addite sabbato.*

in domum Domini. Si uerò me non audieritis sanctificando diem sabbati, sed tuleritis onus, ieritisque per portas in die sabbati, incendam ignem in portis eius qui deuorabit magnificas ædes eius, neque extinguetur. Hæc Ieremias.

Lex imperatoria de obseruando sabbato.

Proinde iustis de causis religiosi principes Leo & Anthemius. A. A. Armasio P. P. scribentes mandant in hæc uerba, Dies festos maiestati altissimæ dicatos, nullis uoluptatibus occupari, neque ullis exactionum uexationibus prophanari. Dominicum itaque diem semper honorabilem decernimus uenerandum, ut à cunctis exequutionibus excusetur, nulla quenquam urgeat admonitio, nulla fideiussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio delitescat, sit ille dies à cognitionibus alienus, &c. Et mox, Nec huius tamen religiosi diei otia relaxantes obscœnis quibuslibet patimur uoluptatibus detineri. Nihil eodem die uindicet sibi scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarũ lachrymosa spectacula: etiamsi in nostro ortu aut natali celebranda solennitas inciderit, differatur. Amissionem militiæ proscriptionemque patrimonij sustinebit, si quis unquam hoc die festo spectaculis interesse, uel cuiuscunque iudicis apparitor prætextu negotij publici seu priuati, hæc, quæ lege hac statuta sunt, crediderit temeranda.

Sabbatum propter hominem, non homo propter sabbatum.

Interea uerò non obliuiscuntur Christiani horum in Euangelio uerborũ Christi, Sabbatum propter hominem conditum est, non homo propter sabbatum: proinde filius hominis est Dominus etiam sabbati. Intelligũt pij sabbatum institutum esse diuinitus ad conseruandum non perdendum hominem, ideoque sabbatum admittere dispensationem, quoties uel necessitas ineuitabilis, aut salus hominis requirit. De qua re disputatum est ab ipso saluatore nostro Christo apud Matthæũ in 12. & apud Lucã in 6. & 13. cap. Certè in his uersatur libertas Christiana. Cumque excusantur sacerdotes & Leuitæ in templo propalàm mactantes, excoriantes, incendentes & coquentes, hoc est, sacrificia perficientes, ita ut minimè teneantur rei sabbati uiolati, licet utique sabbatis ea parare citra peccatum quæ externo cultui deseruiunt. Pari ratione licebit præparare cibũ, & pro necessitate curare corpus. Licebit & medicari ægrotis, inuisere decumbentes, iuuare inopes, ut creaturam Dei conseruemus. Instruit nos in his exemplum saluatoris nostri, sabbato operantis opera charitatis & humanitatis. Exemplum non unum extat in historia Euangelica, præsertim Luc. 6. 13. Ioan. 5. cap. Quòd si licet demersum pecus aut iumentum sabbato extrahere ex fouea, cur non liceat domum ruinosam & iamiam in lapsum propendentem, sabbato fulcris sustentare? Cur non liceat sabbato fœnum aut frumentum iniuria cœli æquo diutius per agros dispersum & imbribus expositum, recolligere, & ab interitu, ne in uniuersum computrescat, uindicare? Diuus Con-

Arare in sabbato.

stantinus Imperator in legibus suis Elpidio scribens, Omnes iudices, inquit, urbanæque plebes, & cunctarum artium officia, uenerabili die Solis quiescant. Ruri tamen positi agrorum culturæ liberè licenterque inseruiant. Quoniam frequenter uenit ut non alio die aptius frumenta sulcis & uineæ scrobibus commendentur: & ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti prouisione concessa. Hæc Imp. A. Non concedit rusticis omnimodam & perennem sabbati prophanationẽ. Requiritur enim à rusticis quoque perinde ut ab oppidanis cultus Dei & quarti præcepti cultus, sed libertas permittitur in necessitate. Cæterum pietas & charitas in his erit optima dispẽsatrix & magistra, ne uidelicet sub prætextu libertatis aut necessitatis exerceamus impietatem, & agamus auarorum nõ religiosorum opera. Hæc hactenus de altero sabbati usu.

Sanctificat Dominus.

Tertiò sabbatum significationem habet augustissimam. Signum enim perpetuum est, quòd deus solus is est qui sanctificat suos cultores. Sic enim loquitur Do-

minus

minus Mosi, Obseruabitis sabbata mea: quoniam signum est inter me & inter uos in posteritates uestras, ut sciatis quia ego Dominus qui sanctifico uos. Et reliqua quæ habentur Exodi 31. cap. & repetuntur Ezech. 20. cap. Ad hunc autem usum mutuã operam confert, quod modò præcessit in declaratione secundi usus. Deus enim sanctificat homines suos fideles per spiritum sanctum: id quod annunciat ecclesiæ per uerbum Euangelij, testatur autem & obsignat sacramentis, sed & iugibus precibus ab ipso sanctificationem nos postulare iubet. Quæ quidem omnia maximè in sabbatis exercentur, in hoc ut sanctificationem à Deo unicè sancto consequamur.

Hactenus enarraui charitati uestræ breui compendio primam præceptorum Dei tabulam, quæ nobis cultum diuini nominis descripsit diligentissimè. Quoniã uerò filij Dei sunt non illi quidẽ qui uoluntatem Dei intelligũt, sed faciunt etiam, oremus patrem nostrum qui in cœlis est, animos nostos illuminet, ut opere fideli ac Deo grato colamus benedictum in secula.

De primo secundæ tabulæ præcepto, quod ordine in Decalogo quintum est, de honorandis parentibus. SERMO V.

SEQVITVR tabula legis diuinæ secunda, quam Deo inspirante & iuuante ea exponam breuitate, qua enarraui primam. Et ut prima docuit dilectionem Dei, ita secunda tradit dilectionem proximi, erudiens omnes homines quæ nam sint officia proximo debita, & quomodo uiuamus in hoc seculo honestè, humaniter & tranquillè. Bonus enim Dominus uult nos uiuere commodè & suauiter. Nos quoniam id nolumus agnoscere, neque mandatis eius bonis obtemperare, nostris uitijs & malis aceruamus in capita nostra cumulum malorum. Continet tabula hæc sex præcepta, quorum primum est tale, HONORA PATREM TVVM ET MATREM TVAM, VT SIS LONGAEVVS SVPER TERRAM, QVAM DOMINVS DEVS TVVS DABIT TIBI. Rectè orditur secundam tabulam ab honorandis parentibus. Nam post pietatẽ in Deum, proxima est pietas in parentes, à quibus post Deum habemus uitam, & qui inæstimandis uigilijs & laboribus immensis nos educarunt ab infantia. Ac naturalis quidem ordo requirit ut semper præcedant præstantiora. *Præceptum Dei 5.*

Distinguemus hoc mandatum perspicuitatis gratia in tres partes. Primò explicabimus qui gradus & quæ genera hominum cõprehendantur sub uocabulo parentũ. Secundò inuestigabimus quis nam sit ille honor, & quàm latè pateat, quem iubet Dominus impendere parentibus. Postremò attingemus & promissionẽ pijs factam liberis, & inde colligemus pœnam impijs destinatam. 1 2 3

Parentes qui sint nemo ignorat. Dedit hos nobis Dominus Deus noster ut ab ipsis acciperemus initium uitæ, qui nutrirent & educarent nos, qui deniq; ex barbaris & semibrutis uerè homines facerent. Maius est beneficiũ quod liberis conferunt parentes, maior labor & sumptus quem faciunt, maior cura, dolor & ærumna, quàm quisquam uel eloquentissimus enumerauerit. Significanter autem non patris tantùm, sed & matris nomen exprimitur in lege, ne propter sexus imbecillitatem uideretur citra grauem noxam contemni. Plus laboris dolorisq; sustinent & sentiunt piæ matres in partu, èducatione & nutritione liberorum quàm patres. Magna ergo de causa & matris nomen in præcepto disertè est expressum. Comprehendimus autem hîc quoq; auum & auiam, abauum & abauiam, omniaq; hu- *Quid parentũ nomine intelligendum.*

Patria. ius generis alia. Comprehendimus secundo loco patriam cuiusque in qua natus est quisque, quæ aluit, fouit, ornauit atque defendit. Comprehendimus tertio loco principes seu magistratus. *Magistratus.* Senatores enim seu principes, & patres & pastores populi in sacris nuncupantur. Xenophon putauit bonum principem nihil distare à bono patre. *Tutores & Magistri.* Quarto loco recenseantur parentum nomine Tutores, quos appellant aduocatos pupillorum aut orphanorum. Succedunt enim in locum demortuorum parentum, sumpta cura & tutela liberorum, quos ueluti proprios & ex se genitos (hic enim affectus in eis sit oportet) educant, tuentur & prouehunt. Quibus accensendi sunt magistri artium, opifices. Hi enim docent iuuenes seu adolescentes honestum aliquod artificium, quo quisque sibi honestè uictum paret, erudiunt in bonis moribus, & quodammodo hominem adhuc rudem expoliunt perficiuntque. *Doctores Ecclesiæ.* Quinto reputantur pro parentibus ministri, doctores, & pastores ecclesiarum, quos ipse Paulus patres uocauit, non tam propter curam & amorem quibus affecti sunt erga discipulos ac ouiculas, quàm quòd per Euangelium generamur Christo. *Consanguinei & affines.* Sexto loco ueniunt numerandi cõsanguinei & affines, frater & soror, nepotes & neptes, socrus & nurus, socer & gener: qui inter se necessitudine ceu neruis membra connectuntur & conseruantur. *Senes.* Vltimo uerò loco senes, uiduæ, pupilli, imbecilles & infirmi parentibus nostris coniunguntur: quorum causam non uno loco commendauit nobis scriptura diuina. Habetis fratres quos intelligamus in hoc primo mandato secundæ tabulæ esse parentes, & parentum nomine comprehensos & commendatos: iam audite quem his debeamus honorem, & quis uel quid sit honor ille quem debemus parentibus.

Honorare quid. Honorare significat in scripturis uaria, & in præsenti quidem magnificare, reuereri, plurimi facere, ceu rem à Deo institutam uenerari & pro diuino beneficio, pro re diuina, sancta, utili & necessaria agnoscere, amare & laudare. Honorare est morem gerere aut obedire, & obedire quidem, tanquam ipsi Deo, à quo præceptũ ac cui acceptam esse nouimus nostram obedientiam. *Præcedit semper honor Dei.* Alioqui parentibus & maioribus iniqua uel facientibus uel præcipientibus, non est aut imitatione aut obedientia obtemperandũ. Nam posteriora præcepta referuntur ad priora. At in secundo didicimus Deum iniquitatem patrum requirere in filijs, idcirco minimè parendum parentibus præcipientibus contra Deum & contra legem Dei. Non obediebat Ionathan patri suo Saulo persecutionẽ mandanti contra Dauidem: ac laudem inde adeptus est in sacris literis maximam. Tres Danielis socij Nabuchodonosori obtemperabant per omnia, & amabant ipsum, ac obseruabant ceu maximum & potentissimum, imò & munificentissimum regẽ, cæterum præcipientem idololatriam tantùm non contempserunt. Et S. Petrus qui docuit obedientiam & honorẽ quem debemus parentibus & magistratui exhibere, præcipientibus principibus & patribus populi ne porrò annunciaret populo Christum crucifixũ, respondit, Oportere Deo plus obedire quàm hominibus. Sed quid multis hæc enumero, cùm Dominus hæc & alia similia in hanc breuem concluserit sententiã? Si quis uenit ad me, nec odit patrem suum, aut matrem suam, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, præterea autẽ & animam suam, non potest meus esse discipulus. Præterea honoras parentes, cùm non cõtemnis, non negligis, cùm te ipsorũ nec piget nec pudet propter afflictã fortunam. Honoras parentes, cùm iuuas consilio & auxilio, confectos uidelicet diuturna ætate, uel subleuas inopia oppressos, uel iuuas alioqui laborantes. Hoc enim uerè & propriè est parentes honorare, teste & interprete ipso Domino apud Matth. in cap. 15. consulere inquã parentibus & opitulari, eos tueri uel defendere, imò te totum adeoque ipsam uitam eis impendere.

Iam quò plus lucis & euidentiæ habeant ista omnia, conferemus aut applicabimus hunc honorem septem illis gradibus uel membris, ex quibus intelligat quisque, quomodo debitum honorem parentibus, patriæ, magistratui, & alijs suprà memoratis impendat. Parentibus quia honorem debemus, certè magnificè de eis est sentiendum, quòd à deo nobis dati sunt, ut eos reuereamur, amemus, & modis omnibus suspiciamus, idq; propter dominum: qui certò contemnetur si pergamus parentes aspernari, & de ipsis sentire uulgariter. Nec interest digni ne an indigni sint, quibus honorem deferre iubet dominus. Nam qualescunq; tandem sint, non tamē sine dei prouidentia hunc locum assecuti sunt, cuius ratione ipse legislator eos honorari uoluit. Reuerentiam itaq; & affectum filialem sonet, quicquid lingua liberorum dixerit. Ex affectu & reuerentia tali obediant parentibus liberi. Si morosiores aut iniquiores uideantur, dissimulemus prudenter, & declinemus interim à malo in quod nos uidebantur impulsuri, & ita rem temperemus, ut quàm minimum fieri potest, offendamus parentes. Ionathas filius Saulis religiosissimus & pijssimus, sit nobis exemplum. Vidit is magno cum dolore & molestia furores contra Dauidem & iniuriam patris contra seipsum, tolerauit tamē dissimulauitq; prudenter, alicubi etiam & in loco reprehendit, nullibi iniquitatem patris adiuuit, semper iusto & bonis adhæsit, pertinaciam patris deplorauit, uim uerò inferre paranti patri, audacius non restitit, sed fuga sibi consuluit, interea nihilominus dilexit patrem, orauit pro eius salute, ac in reliquis filium præstitit obsequentissimum. Hoc scilicet officium est pij filij. Hoc exemplum quilibet nostrum in obseruandis parentibus etiam duris & iniquis, studiosè imitari conabitur. Nemo asperius responset, imò prorsus nullo modo responset parentibus: nemo maledicat patri aut matri: nisi suppremi & iustissimi dei maledictionem certò reportare cupiat. Si pauperes sunt parentes, si deformes, si laborent uitijs, ne illuserit his quisquam, nemo nostrum contemnat. Ne simus ingrati erga optimè meritos. Nutriamus, foueamus, iuuemus eos in omnibus, imò impendamus illis & nos ipsos & nostra omnia. Omnia enim nostra illorum sunt: omnia nostra ab illis habemus, sine quibus non uiueremus. Meminerimus quantopere hanc legem commendarit nobis apud Matthæum dominus. Inspiciatur cap. 15. Meminerimus quid gentibus fuerit ἀντιπελαργεῖν, nimirum mutuam officij uicem rependere, maximè nutricandi fouendiq; eos à quibus aliquando fueris enutritus: ut cum liberi parentes ætate fessos uicissim alunt fouentq;. Et extat lex apud gentes pietatis magistra, quæ edicit, ut liberi parentes alant, aut uinciantur. Hanc legem quam multi mortales negligunt, sola Ciconia inter omnia animantium genera exprimit. Siquidem reliqua tantisper amant agnoscuntq; parentes, dum egent illorum ad nutricationem opera: una ciconia parentes senecta defectos, uicissim alit, & uolandi impotētes, humeris gestat.

De honore parentum.

Ciconia pietatis symbolum.

Extant apud Gentiles piæ & elegantes sententiæ de honorandis parentibus. Isocrates, Talem erga parentes te præsta, ait, quales se tibi tuos liberos exhibere optares. Anaximenes dixit, Ille sui genitoris apprimè amator est, qui operam dat, ut patrem sine ulla molestia plurimū exhilaret. Plato quoq; in Legibus putat eum ingentem domi tenere thesaurum, quicunq; patrem uel matrem, aut horum parentes senio confectos domi alit, nec alio simulachro in ædibus opus esse existimat, cùm omne studium conuertere iubeat ad ritè colendos parentes. Idem, Parentibus, inquit, uiuentibus debita omnium antiquissima, prima, & maxima persoluamus. Putare enim quisq; debet omnia quæ possidet eorum esse, qui genuerunt & educarunt, ita ut hæc illis omnia pro uiribus ministrare debeat: primùm

Gentilium sententiæ de honorandis parentibus.

quidem externa bona: deinde corporis: postremò quæ ad animum pertinent, hæc omnia uidelicet mutuò data persoluens, & pro curis doloribusq; priscis parentū in senecta recentes reddens, quando maximè indigent. In uerbis quinetiam per totam uitam parentes uenerari maximè decet. Leuium enim uolatiliumq; uerborum grauissima imminet pœna. Nam omnibus proposita est Nemesis iudicij angelus horum omnium consideratrix. Oportet ergo iratis animumq; explentibus cedere, seu uerbis siue rebus id faciant, non ignorantes patrem iure admodum filio succensere, si quando iniuriam sibi ab eo fieri arbitretur. Mortuis uerò parentibus monumenta decentissima, sed temperanter tamen construamus. Hæc si seruabimus, præmia à dijs reportabimus maxima. Hæc Plato. Sanctus Hieronymus dicit, Matribus debitam impendite reuerentiam, quæ uobis uteri labore seruientes, pondus uestri corporis tolerant, atq; ignotam portãtes infantiam, famulatum quendam exhibent nascituris. Illo tempore non sibi tantùm mater esurit, nec acceptos sola digerit cibos. Materno uictu alitur & ille qui latet, eiusq; membra alterius comestione pascuntur, ut homo futurus alienis morsibus saturetur. Quid ipsa memorem nutrimenta, & teneræ infantiæ dulces iniurias, quas nutritoris affectus de suis paruulis sumit? Quid cibos in matre confectos, qui fœmineis manantes ex membris lacteum soluuntur in succum, & fauces inualidas liquido sapore perfundunt? Cogente natura sumunt infantes de matre quod bibãt, & dente non nato hoc sibi currentibus labris eliciunt quod nō sit necesse mordere. Seruiunt materna posteris pectora, seruiunt ipsis incunabilis, manus & terga membris deuota lactentium gratos artus accipiunt. Optat mater paruulum crescere, optat citò uidere maiorem. His tot tantisq; præcedentibus factis, matri debet tota alacritate seruiri. Reddatur naturæ debitum, reddatur & posteris quod debetur. Exolue fili quod debes, & officia debita qualicunq; exhibe famulatu. Quia parentibus nemo potest reddere quod debetur. Hæc ille.

Matris labores

De honoranda patria.

Porrò patriam quisq; suam meritò magnificat, amat, prouehere cupit, ornatq; suis uirtutibus, iuuat omnigenis beneficijs, defendit ipsam strenuè & pugnat pro ea fortissimè, siquidem necesse sit ipsam asserere à latronibus. Quid est obsecro ciuitatis forma, ut ille dicebat, iucundius, in qua rectè constituta est Ecclesia, in qua legitimè colitur deus, & obeditur (fide & dilectione, quantum scilicet gratiæ concesserit deus) uerbo dei? in qua magistratus tuetur disciplinam & bonas & æquas leges, ciues obtemperant, sunt concordes, habent suos cœtus ueræ religionis & iudiciorum causa, habent congressus honestissimos, in templis, in curia, in scholis, colunt uirtutem & literarum studia, quærūt uictum honestis artibus, quibus uita opus habet, cultura agrorum, mercatura, opificijs, educant liberos, beneficijs prosequuntur parentes, pauperes, peregrinos. Sunt ergo in hac republica uirgines, nuptæ, pueri, senes, matronæ, uiduæ, pupilli. Si qui pro ingenio humano peccant contra leges, puniuntur, defenduntur innoxij, floret pax, iustitia, & humanitas. Quis autem æquis & patientibus oculis uideat talem rempublicam, patriam scilicet suam, uel à seditiosis ciuibus, uel ab externo milite turbari, uexari, subuerti atq; discerpi? Seditionibus uel bellis subuertuntur cum studijs omnes uirtutes, constuprantur uirgines & matronæ, afficiuntur contumelia senes, perit religio & omnis pietas. Ergo fortissimus militiæ imperator Ioab contra Syros pugnaturus pro patria, ad Abisai fratrem suum dixit, Si fuerint Syri me ualidiores, opem mihi feres: sin filij Ammon tibi præualuerint, adero tibi auxilium laturus. Sis ergo fortis, & pugnemus fortiter pro populo nostro & pro ciuitatibus dei nostri. Dominus autem faciat quod bonum est in oculis suis. Iudas quoq; Machabæus uir in

Pugnandū pro patria.

2 Regu. 10.

Israelitica

Israelitica gente clarissimus bellator, & in patriam suam pijssimus, milites seu ciues suos ad pugnam contra hostes animans, Illi nos aggrediuntur, ait, copia, per iniuriam, ut nos cum uxoribus & liberis nostris deleant & deprædentur, nos autem pugnamus pro uita legibusque nostris: ac deus illos in conspectu nostro conficiet. Sed & ipsi ciues se mutuò adhortantes, clamãt, Submoueamus à populo nostro afflictionẽ hanc, & pro gente sacrisque nostris dimicemus. Nec est quòd quisquam nostrum dicat hæc esse opera legalia, quæ nihil ad nos qui in Ecclesia Christi sumus, pertineant. Nam Apostolus Paulus de fide Christiana loquens ad Heb. Isti per fidem, inquit, expugnauerunt regna, operati sunt iustitiam, effecti sunt robusti in bello, incursiones auerterunt exterorum. Proinde cum eadem utrisque sit fides, licet nobis quoque iusto bello tueri patriam, religionẽ, uirgines, senes, uxores, liberos, libertatem & facultates. Impij sunt in patriam, & peccant contra hoc præceptum, qui prætextu fidei deserunt bello afflictam patriã, nec asserunt à barbaris exterisque nationibus aut militibus, uita in ipsum mortis præsentissimum periculum profusa. Beatus Ioannes, Per hoc cognouimus charitatem, ait, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Milites mercenarij, qui iniquam pro stipendio militiam sequuntur, uenalia habentes corpora sua, iudicabunt ciues desertores patriæ. Nam animas suas deponunt propter pauculos aliquot coronatos: quas ciues molliculi & effœminati uel periclitari nolũt pro religione, magistratu, uxoribus, liberis, & uniuersa facultate sua. Quid oro dicent patriæ desertores in die illa, qua rependet dominus & pijs & impijs in patriam, cum uiderint se longè uinci à Gentilibus uirtute? Curtius Romanus adolescens nobilissimus, in hiatum fori ingẽtem sese præcipitem dedit, ut sua morte spontanea seruaret patriam. P. Decius pater & P. Decius filius deuouerunt capita sua pro salute reipublicæ, ac fortiter occubuerunt amore patriæ. Codrus rex Atheniensium pijssimus, cum ex oraculo Apollinis intellexisset Athenas non posse seruari, nisi morte regis, ac hostes ea de caussa præcepissent, ne quis corpus regis uulneraret, deposuit Codrus cultum regium, & uulgariter uestitus irruit in hostes, atque quendam ex ijs in cædem suam compulit. Phileni fratres patriæ quàm uitæ suæ longiores terminos esse maluerunt, ideoque uiuos se terra obrui passi sunt. Quid uerò nos pro salute & incolumitate patriæ sustinemus? Hierocles, Est patria, ait, uelut alter quidam deus & primus maximusque parens. Quare qui nomen ei imposuit, à reipsa non temere patriam appellauit, uocabulo quidem à patre deducto, pronunciato tamen fœminina terminatione, ut ex utroque parente mixtum esset. Atque hæc ratio insinuat patriam unam ex æquo duobus parentibus colendam esse: & cum præferat honorem patriæ, ne simul quidem parentes ambos maioris fieri concedit, sed æquali honore dignatur.

Hebr. 11. *2. Cor. 4.* *1. Ioan. 4.* *Pij in patriam.*

Orandum est præterea sedulò pro incolumitate patriæ. Babylon non erat Iudæorum patria, sed quia ad spacium septuaginta annorũ, propter peccata, à Deo in Babylonem relegati erãt Iudæi, Babylon reputabatur iam pro patria. Ideoque Ieremias, Ædificate domos, ait, & inhabitate, plantate hortos, & comedite fructus eorũ. Ducite uxores, & generate filios & filias, ac ipsis filijs & filiabus dabitis coniuges, ut generent liberos. Quærite pacem eius ciuitatis, ad quam ego uos transtuli, & orate dominum pro ea, quoniam uestra pax & incolumitas coniuncta est cum illius pace, cap. 29. Grauissimè ergo peccant patriæ proditores, quos leges propter sceleris atrocem enormitatem in partes dissecant.

Orandum pro patria.

De Magistratu dicemus aliàs: quantum uerò præsenti loco satis fuerit, dicit sanctus Petrus, Deum timete, regem honorate. Agnoscamus ergo magistratum

De honorando magistratu.

à deo ad utilitatem hominum esse ordinatum, ac deum per magistratũ nobis conferre maxima beneficia. Vigilant pro repub. principes, si functioni suæ uerè respondent ac non sint tyranni, iudicant populum, dirimunt lites, iustitiam conseruant, plectunt noxios, tuentur innocentes, pugnant pro populo. Et propter excellentiam sui muneris & summi & maximè necessarij, deus ipse suũ nomen magistratui communicat, appellans principes aut senatores deos, ut uel ipsa appellatione ipsi admoneantur sui officij, & subditi discant ipsos reuereri. Deus bonus est, iustus, æquus, personam non accipit nec munera. Talis sit oportet & bonus iudex aut magistratus. Anachoretæ & Monachi laudarunt institutum suum, ac tantum non supra astra hoc extulerunt: ego uerò iudico plus esse uerarum uirtutum in uno uiro politico magistratum gerente ac ritè suo defungente officio, quàm in multis chiliadibus Monachorũ & Anachoretarũ, qui præterea suæ uocationis & instituti nullum habent expressum dei uerbum: ut pigeat me sanctissimum magistratum contulisse cum his qui nihil habent cum illis conferendũ: imò labores & ordinationem dei utilem fugiunt. Certè si princeps ex fide suum faciat officium in repub. ingentem sibi coaceruat uerè bonorum operum cumulum, & laudẽ sempiternam. Ergo obediendum est magistratui & legibus eius æquis & bonis. Nulla est cõmouenda contra ipsum seditio. Magistratui non maledicendum: uel ipso deo in lege sua mandante & dicente, Dijs nõ maledices, & principem populi tui non execraberis. Sicubi peccauerit, geramus nos erga ipsum tanquam erga patrem. De quo superius dixi.

Contra seditiosos.

Fit perfrequenter ut Senatores bene uelint religioni, iustitiã promoueant publicam, leges defendant, honestati faueant, interim laborent suis uitijs, imò sceleribus. Propter hæc autem non erunt à populo contemnendi aut è gradu deijciendi. Habuit Dauid sua uitia, alioqui optimus princeps. Suo adulterio plurimum incommodauit regno. Peccauit tamen grauiter Absolon, qui ipsum solio deturbare uoluit. Ita sunt in alijs principibus non pauca scelera, quæ tamen ad seditionem non commouent neq; commouere debent populum religiosum, modò ualeat nihilominus iustitia, bonæq; leges & pax publica defendantur. Orandum est sedulò & ardenter pro magistratu. Iuuandus est à nobis consilio & auxilio, quoties ipsa poposcerit res. Non parcendum uel facultatibus uel nostrorum ipsorum corporibus. Contulerunt in commune sancti opes suas, magistratum iuuantes, quoties incolumitas publica poposcit. Pugnarunt omnibus seculis pro iudicibus & regibus atq; magistratibus suis Israelitæ, & omnes populi sano utentes sensu ac iudicio. Pugnarunt & principes pro populo uicissim. Illa itaq; pietatis officia ualeant & uigeant etiam hodie in omnibus regnis, ciuitatibus & rebuspublicis. Tribuat quæq; gens suo magistratui, quod uel lege, uel ex consuetudine, aut propter necessitatem debet. Paulus enim Apostolus, Reddite, inquit, omnibus quod debetis, cui tributum tributum, cui uectigal uectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem. Rom. 13.

De honorandis Tutoribus ac magistris artiũ.

Tutores quoniam successerunt in locum parentum, & officia parentum defunctorum præstant liberis, merentur certè debitam parentibus gratiam, uidelicet amorem, reuerentiam, gratitudinem & obedientiam. Ita ferè iudico de opificibus & artificiorum magistris, qui ut patris animum, amorem, studium, fidem & diligentiam erga discipulum suscipere debent, ita hic meritò magistrum suspicit, ueneratur, metuit & audit ut patrem. Cæterum est hic detestanda in magistris negligentia, sed & non ferenda in discipulis proteruia & barbaries. Discant ergo in præsentiarũ magistri patres esse, nec aliter erga discipulos affecti, quàm erga suos

Officium magistrorum & discipulorum.

ipsorum

ipsorum filios. Doceant artificium, instruant in moribus & omnibus uitæ partibus discipulos, ea diligentia & fide, qua uterentur erga filios proprios. Rursus discant iuuenes infringere ingenitam barbariem, ac frænum inijcere iuuenilibus cupiditatibus: discant humiliari, subesse, silere, revereri, timere, amare, & obedire. Agnoscãt sibi magistros à deo esse datos, ideoq; deum cõtemni in magistris. Sint ergo diligẽtes, seduli & fideles in opere. Experiatur magister studium & propensam uoluntatem erga ipsum, erga artificium & erga præcepta artis. Meditetur quisq; & exerceat opere diligenter, quod ore traditum est à magistro. Non parcatur uigilijs & laboribus. Sit gratus fideliter docẽti magistro, ut sæpius roganti de modo agendi, dignetur fideliter indicare omnia. Ingratitudo & indiligentia discipuli, reddit nonnunquam segnem magistrum. Per cætera time Deum, & sis religiosus. Foris ne misceare blasphemorũ & luxuriosorum consortio, honestè te gerito, neminem lacessito, neminem contemnito, nulli maledicito, paci studeto, omnes honorato, omnibus prodesse contendito. Domi promoueto domini tui utilitatẽ, nihil damni uel ipsi uel rebus ipsius inserto, si quis uel intulit uel inferre uoluerit, maturè admoneto: occasiones rixarum aut malorum pro tua facultate sopito: quod domi audieris ne efferto, rursus quod foris audieris ne in domũ importato. Sis taciturnus, pacificus, iustus, castus, abstinens, temperans, uerax & facilis ad quælibet honesta & domestica seruitia. Caue tibi ab ijs ex quibus exoriuntur suspiciones malæ & noxiæ. Ne audacius contrectaueris magistri uel uxorẽ uel filias, aut etiam ancillas, ne colloquaris uel liberius uel secretò. Arbitrare, uti reuera res est, uxorem magistri tui matrẽ esse tuã, filias sorores. Has polluere est scelus grande & enorme. Sit iuuenũ quisq; mundus non sordidus, facilis, iustus, ac cibi uulgaris, nõ palato delicato & moroso. Sed quid multis? Imo pectore quisq; adolescentum recondat retineat'q; iuuenũ officium esse, castum se seruare ab omni immũditia, subesse nõ dominari, seruire omnibus, semper discere, pauca loqui, nunquam quicq; insolentius iactare, non responsare, multa uerò pati & dissimulare.

De honorandis Ecclesiarũ ministris qui sunt pastores, doctores, & patres populi Christiani, multa solent ab illis adferri, quibus gratius est dominiũ quàm ministeriũ. Nos agnoscere debemus illos nobis esse datos à domino, & per illos nobis loqui dominum. De ijs loquor, qui non sua nobis adferunt somnia, sed uerbũ ueritatis. De his enim dixit in Euangelio Dominus: Qui uos audit, me audit: qui uos spernit, me spernit. Proinde ministerium quoq; ipsum est à domino, per quod salutem nostram operatur dominus. Ideoq; obediẽdum est ministris rectè suo utentibus ministerio, bene de his sentiendum, amandi sunt, & pro eis assiduè orandum est. Et cùm ij nobis seminent spiritualia, ijsdem non neganda est messis corporea ac tẽporalis. Nam dignus est operarius mercede sua. Et si Romanorũ præses apud Iudæos, Apostolo Paulo non negauit auxilium contra Iudæorũ latrocinium conceptum & contra manifestam uim, certè Christianus magistratus nunquam negabit pijs Christi & Ecclesiarum ministris defensionem. Huc iam pertinent S. Pauli testimonia. In 1. ad Thessal. cap. ult. Rogamus, inquit, uos fratres, ut agnoscatis eos qui laborãt inter uos, & qui præsunt uobis in domino & admonẽt uos, ut habeatis illos in summo pretio per charitatẽ, propter opus illorum, pacem habete cum illis. Idem ad Heb. Parete ijs qui præsunt uobis, ait, & cõcedite: siquidem illi uigilant pro animabus uestris, tanquã rationẽ reddituri, ut cũ gaudio hoc faciant, & nõ gemẽtes. Nã id est inutile uobis. Etenim quanta calamitas & regnis & populis exoriatur ex contemptu uerbi Dei ac ministrorum, multa nos docere possunt exẽpla, illud inprimis quod hisce uerbis describitur in ult. cap. 2. lib. Para.

De honorandis ministris ecclesiarum.

1. Cor. 9.
Matth. 10.
Acto. 23. 24. 25.

Cõtemptus ministrorũ uerbi.

Misit dominus Deus patrum eorum ad eos manè surgendo, & nuncios suos mittendo, quoniam parcere cupiebat populo suo atq; habitaculo suo. At illi subsannabant nuncios Dei, & contemnebant uerba eius, illudentes prophetis eius, donec ascenderet furor domini contra populum suum, & donec nullum esset remedium. His congruunt per omnia, uerba saluatoris nostri in euangelio dicentis, Mitto ad uos prophetas & sapientes, quorum aliquot flagellabitis & occidetis, ut ueniat super uos omnis sanguis iustus qui effusus est super terrã à sanguine Abel iusti, usq; ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Et reliqua. Notus est enim charitati uestræ locus, qui extat Matth. 23. Cauendum ergo modis omnibus, ne contemnamus deum loquentẽ nobis in uerbo suo per seruos suos prophetas.

De honorandis consanguineis & affinibus.

Consanguineis & affinibus debemus iuxta hoc præceptũ amorem, reuerentiam, auxilium, consolationem, & omnem deniq; humanitatem. Damnantur hoc præcepto sicut & Apostolicis scriptis ἄστοργοι, qui uidelicet nullo erga suos naturali affectu commouentur. Est naturalis quædam affectio, beneuolentia, amor & commiseratio (quæ scriptura uiscera uocat) in patre & matre erga liberos, in fratre erga fratrẽ, in consanguineo aut affine erga consanguineũ & affinem. Egregia sunt nobis in scripturis exempla proposita in Abrahamo paternis uisceribus amante filium Isaac, in Iosepho item diligente patrem Iacob & fratres suos, præsertim autem uterinũ fratrem Beniamin. Habent egregium, quod socrus & nurus imitentur, exemplum, in Noemi & Ruth. Ferè odiunt se mutuò socrus & nurus, unde multa mala deriuantur in familias. Discant ergo ex lepido illo exemplo, quomodo se gerant utraq; ex parte. Reputet socrus nurum esse filiam, uti reuera est: nurus socrum colat, & reuereatur ueluti matrem. Vtrinq; permulta dissimulanda, multa boni consulenda & benignè perferenda. Condonanda multa, nec cedendus locus garrulis obtrectatoribus atq; suspicionibus prauis. Eximius thesaurus est familiæ concordia: malum inexplicabile & perniciosissimũ discordia domus. De beneficijs & honore exhibendo nepotibus, notus est locus Pauli 1. Timot. 5.

De honorandis senibus.

Postremò extat etiam peculiaris lex in uerbo dei de senibus honorandis, præcipiens surgere coram cano capite. Honorandi ergo sunt senes, quos meritò magnifacimus, agnoscentes in ipsis dei beneficium non uulgare, longæuitatem, & quòd diuturna omnium rerum experientia multam sibi sapientiã & prudentiam compararunt, unde nos suis possunt iuuare consilijs. Laudandi sunt itaq;, ut omnes intelligant & prædicent canos esse coronam gloriæ. Præterea si desint senio confectis facultates, nostra copia ipsorum debet subleuare inopiam. Breuiter non negabimus ulla senibus officia humanitatis. Simili ratione cõmendantur hic nobis uiduæ, orphani, pupilli, pauperes, peregrini, ægrotantes & calamitosi. Ideo autem quondam contulere opes liberaliter homines pij & benefici, ne quid rerum necessariarum deesset senibus, uiduis, pupillis & pauperibus. Appellantur ea bona hodie Facultates ecclesiasticæ: quæ haud dubiè rectè dispensantur, si cesserint his quibus donatæ sunt. In legibus Cæsarum uidere licet quondam publicas ædes & opes, singulis hominum egentium generibus, fuisse extructas atq; destinatas. Nam mentio fit Orphanotrophiorum, Gerontocomiorum, Ptochotrophiorum, Nosocomiorum, & Brephotrophiorum. Hodie supersunt nobis Cœnobia & Hospitalia, quorum pleraq; singulis illis, nempe orphanis, senibus, pauperibus languentibus seu ægrotantibus & infantibus peculiaria habent destinata loca. Inexpiabile peccatum committunt, quicunq; opes & loca senibus & pauperibus consecrata, alijs usibus dedicant, atque algentibus esurientibusq; senibus & pauperibus,

Bona ecclesiastica.

ribus, luxu opes pauperum prodigunt. Et hactenus quidem docuimus quomodo parentes, & illi qui sub parentum nomine comprehenduntur, honorandi sint.

Restat tertium & ultimũ, ut inspiciamus quid promittat Dominus cultoribus pijs parentum, unde mox colligamus quid mali immineat impijs parentum contemptoribus. Dominus ergo in lege dicit, Ut sis longæuus super terrã, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Sensus est, Honora patrẽ & matrem, quò per longum uitæ spacium frui tibi diu liceat ea terræ possessione, quæ tibi futura est in gratiæ meæ testimonium. Hæc propriè ad Iudæos pertinent. Cæterum optimè & uerissimè scribitur in hunc locum à pijssimo quodam Christi seruo, Quia tota terra fidelibus benedicta est, præsentem uitam inter Dei benedictiones meritò reponimus: quare ad nos similiter spectat ista promissio, quatenus scilicet diuinæ beneuolentiæ documentum nobis est præsentis uitæ duratio. Certè promittit pijs parentum cultoribus in quauis terra habitantibus omnimodam benedictionẽ & felicitatem copiamq; rerũ temporaliũ, cum uitæ iucunda diuturnitate. Apostolus enim Paulus hæc interpretans Ephes. 5. cap. Ut bene tibi sit, inquit, & sis longæuus in terra: quamlibet utiq; significans, & benedictionem Domini temporalem promittens. Colligimus ergo diuersa minari & irrogari impijs parentum contemptoribus. Exemplis & alijs scripturæ locis hæc reddentur illustriora. Cham maledictionem accepit à patre Noe, quòd parum reuerenter sese gessisset erga patrem ebrium licet. Ioseph fit princeps Ægypti, quòd à puero in Deum pius, magnificaret & magno honore prosequeretur patrem suum Iacob. Solomon Prouerbiorum 17. clamat, Non recedet malum à domo ingrati. Item, Contumelijs afficiens patrem & contemnens senectam matris suæ, confundetur & in opprobrijs erit. Filius derelinquens custodire disciplinam patris, meditabitur sermones malitiæ. Maledicenti patri & matri extinguetur lumen, & pupillæ oculorum eius uidebunt tenebras. Nam monstra non homines sunt, qui impij sunt in parentes, præsertim illi qui non modò negligunt aut contemnunt, sed etiam feriunt aut alioqui malè tractant parentes. Hos trucidari iubet Dominus, ut beneficio lucis indignos, qui nõ recognoscunt quorum opera in illam peruenerint. Qui maledixerit patri aut matri, ait Dominus, morte moriatur. Et iterum, Qui percusserit patrem suum aut matrem suam, morte moriatř. Notissima est omnibus lex Pompeia lata contra parricidas. Præstat hîc quoq; audire Gentilium iudicia. Homerus,

Promissio facta pijs parentum cultoribus, & minæ cõtra impios parentum contemptores.

Nec nutricandi officium genitoribus unquam
Persoluit charis, breue at illi contigit æuum.

Et antiquissimus Poëta Orpheus canit,

Iuppiter inspicit illos qui colunt iura parentum,
Et qui negligunt præ animi impudentia.
Ac illis quidem benignus & mitis bona largitur,
His uerò infensus indignatur per furias.
Sunt enim uehementes in terra parentum furiæ.

Iam & Euripides tragicus dicit,

Quisquis in uita sua parentes colit,
Hic & uiuus & defunctus dijs charus est.

Sed & Menander Comicus dixit,

Cum parentibus causam agens aut litigans insanis ô miser.
Parentes magnum sunt numen prudentibus.

Vergilius inter immania scelera quæ apud inferos horrendùm puniuntur æternis & infandis pœnis, & hæc commemorat.

Hic quibus inuisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatus'ue parens. Et mox,
Vendidit hic auro patriam dominumq́ potentem
Imposuit, fixit leges pretio atq; refixit, &c. Cecinit in Odis Flaccus,
Dulce & decorum est pro patria mori. Silius Italicus,
Iamq́ hoc ne dubites longæui nate parentis
Accipe, & æterno fixum sub pectore serua,
Succensere nephas patriæ, nec fœdior ulla
Culpa sub extremas fertur mortalibus vmbras.
Sic docuere senes, &c.

Hæc testimonia non frustra commemoro, ut ex his colligat C. V. sceleris huius atrocitatem, quod usqueadeò grauiter ipsæ etiam Gentes accusauerunt atq; condemnarunt. Occidit Cain fratrem suum Abelum, sed perpetuam sibi ineluibilemq; ea re ignominiam contraxit adeoq; inussit. Conuitia intoleranda coniecit in Dauidem ordinarium suum magistratum Semei, sed commeritas pendit pœnas. Seditiosus & impius est Absolom in patrem Dauidem, sed crinibus implicitus arbori, confoditur horribiliter pendens inter cœlum & terram. Occisores prophetarū nuncupauit Dominus progeniem uiperarū ac diaboli filios. Si qui uerò unquam contumelia senes affecerunt & conturbarunt uiduas, non impunè tulerunt. Clamat enim in lege Dominus, Viduam & pupillum non affliges. Si uerò affligere eos pergatis, indubiè ad me clamabunt, & ego certissimè exaudiam eos: & indignabitur furor meus, percutiamq; uos gladio, & erunt uxores uestræ uiduæ, & filij uestri pupilli. Sed hæc hactenus.

Gen. 4. 2 Reg. 16 3 Reg. 2 2 Reg. 18.

Exod. 22.

S. Paulus hanc Domini legem producens in Epist. ad Ephes. pulchrè accommodat nostræ eruditioni. Dicit enim, Filij obedite parentibus uestris in Domino. Nam id est iustum. Honora patrem & matrem: quod est præceptum primum in promissione, ut bene tibi sit, & sis longæuus in terra. Patres ne prouocetis ad iram liberos uestros, sed educetis eos per eruditionem & correptionem Domini. His præscribit tam parentibus quàm liberis suum officium. Tria requirit à parentibus, ut educent liberos, erudiant & corripiant. Parentum est enim liberos nutrire & alere, siue educare, ac ad iustam usq; prouehere ætatem, qua iam non sumptibus & cura parentum, sed absoluti iam ex proprijs uiuant laboribus. Parentum est erudire & rectè instituere liberos. Eruditio seu institutio illa uersat in tribus, in religione, in moribus, & in artificio.

Ephes. 5.

Officia parentum quæ debēt liberis.

Institutio in religione.

Iam quod religionem attinet, habet ipsa initia quædam, rudimenta inquam seu Catechesin: habet deinde scripturas tradentes uerbum Dei, & pleniorem omniū rerum diuinarum expositionem: habet item mysteria, signa sacra seu sacramenta. Si paterfamiliâs uersatur in populo, qui ueram religionem colit, & cultum Dei legitimum & ueros fideles & religiosos Christi ministros doctoresq; habet, curet ut liberi eant in cœtus sacros, & discant ex doctore ecclesiastico religionem. Nihilominus requirat domi à liberis quid didicerint in concione sacra. Addant patres & matres domi priuatam suam operam, doceant liberos præcepta Dei, doceant Symbolum Apostolorum, doceant orationem Dominicam, tradant breuem & certam ex scripturis rationem de sacramentis. Exerceant frequenter cum liberis catechismum, inserant sententias maximè necessarias de fide & officijs uitæ. Cæterum si paterfamiliâs in populo uersetur, qui persequitur fidem & doctrinam Christianā & cultus Dei legitimos odit, nec cœtus sacros, nec ministros Christi ueros agnoscit: ut fit in captiuitatibus Turcicis ac persecutionibus nostri seculi grauibus,

Consilium pro patribusfamiliâs in captiuitate detentis.

cauebit

cauebit sibi ab idololatria, neque accedet ipse ad prophanos cœtus, neque familiam suam accedere sinat, sed domi suæ potius in uera religione instituat: primùm quidem in Catechesi, deinde in perfectiore theologia. Præter hæc quoties res & usus postulauerit, palàm & liberè confiteatur Christum & Euangelium. Tales enim ecclesias in domibus magnarum urbium tempore Apostolorum, & in grauibus illis persecutionibus antiquis fuisse, apparet ex Epistolis Apostoli Pauli & historijs. Nec uerisimile est Iudæos in captiuitate Babylonica, ut maximè externum sacrificium non habuerint, omni prorsus cultu caruisse. Daniel tametsi non sacrificauit, adorauit tamē certis horis interdiu in ædibus suis proprijs. Domus Cornelij apud Cæsareā ecclesia erat in qua Petrus prædicabat in cœtu uerè ecclesiastico: ac ipsus dum Ioppe templū non haberet in quo oraret, ascendit in superiora domus. Neque dubium est quin ecclesiam instituerit in Æthiopia princeps ille eunuchus Candaces reginæ, cuius mentio fit in Actis Apostol. Meminerint qui usu publico legitimoque sacramentorum carent, sibi non esse fraudi aut reputari pro culpa, quod non proprio, sed alieno delicto committitur. Quanquam & in hac causa possit Dominus suis salubre inspirare consilium. Cæterum ubi per Domini gratiam licet publicos cœtus sacros celebrare, & liberam, apertam & ueram prædicationem Eangelij audire, denique sacramentis Christi participare, tùm desinunt priuatæ illæ ac domesticæ ecclesiæ: non quòd domus pij patrisfamiliâs non sit ac maneat semper ecclesia, sed quòd auscultatio uerbi Dei, preces, & celebratio sacramentorum publica & omnibus sanctis communis esse debeat. Meritò enim damnantur Anabaptistarum & omnium sectariorum furtiua conuenticula.

Audiamus nunc etiam scripturarum testimonia, quæ præcipiunt omnibus patribusfamiliâs, familiam suam sanctè instituant in uera religione, adde & explanent liberis sacramentorum rationem. Deut. 6. dicit Moses, Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est. Diliges itaque Dominum Deum tuum toto corde tuo, & tota anima tua, & tota uirtute tua. Sintque uerba ista quæ ego tibi hodie præcipio in corde tuo. Et inculcabis ea filijs tuis: & loqueris de eis cùm domi tuæ resides, & cùm in uia incedis, cùm cubitū uadis, & cùm surgis. Ligabis denique ea in signum ad manum tuam, eruntque monumēta inter oculos tuos. Scribes quoque ea super postes domus tuæ & in portis tuis. Et iterū. Cùm interrogauerit te posterioribus temporibus filius tuus, & dixerit, Quid sibi uolunt hæc testimonia, ritus & iudicia quæ præcepit nobis Dominus Deus noster? respōdebis filio tuo, Serui fuimus Pharaonis in Ægypto: & eduxit nos Dominus ex Ægypto manu ualida, ediditque signa & portenta magna, idque nobis spectantibus, nosque eduxit illinc, & dedit nobis omnia præcepta & statuta hæc ut faceremus, & timeremus Dominū Deum nostrum. Huc pertinent multa Psal. 78. Exod. 13. iterū dicit Dominus, Sanctifica mihi omne primogenitū. Cumque interrogarit te posteris seculis filius tuus, dicens, Quid hoc? dices ad eū, Dominus interfecit omne primogenitū Ægypti, & idcirco ego sacrifico Domino omne primogenitū masculinū. Rursus in 12. cap. exponēs Dominus uel Moses Domini nomine mysteriū uel sacramentū Pæse inter alia dicit, Cùm dixerint uobis filij uestri, Quæ est ista religio? dicetis, Victima trāsitus Dñi est, quando transiuit super domos filiorū Israel, &c. Testimonia hæc clara sunt, nec ulla indigent expositione operosiore. Addamus ergo his alia quæ parens doceat liberos. *Præcepta Dei de erudiendis liberis.*

Erudiat in moribus. Agrestes ferè nascimur, & barbaris siue incultis sunt moribus pueri omnes: quod malum conduplicatur assuetudine & consortio rustico. Maturè itaque formet parens pueri mores, qui ipsum domi & foris ornent. Tradat quomodo se incessu, corporis motu ac habitu, quomodo se in templo, in foro, *Erudiat pater in moribus.*

ad mensam, in hominum frequentia omnibusq; locis decenter gerat. Extant ea de re elegantes libelli, ut nihil uobis opus sit meis præceptionibus.

Doceat pater artificium.

Postremò tradat parens liberos fidis & peritis artificibus aut opificibus, qui ipsos doceant artem aliquam manuariam, qua sibi uictum aliquando quærant ac parent. Prius tamen exploranda sunt ingenia, quæ quibus idonea sint artibus ac delectentur. Nam inuita Minerua nihil feliciter perfeceris. Si quos habeas literarum studijs idoneos, pijssimè facies consecrando tales ministerijs ecclesiæ seu scholæ. Illi uerò uituperandi sunt parentes, qui liberos educant in otio altissimo. Tametsi enim auri aceruos ingentes ipsis relinquant, perire tamen & diripi possunt opes amplissimæ pauculis horis. Quò tunc confugiet miser tellurisq; inutile pondus? Massilienses non recipiebant in ciuium numerum, qui non didicisset artificium. Nam ciue perdito nihil est urbibus pestilentius. Quis autem magis perditus ciuis censeatur, quàm is qui otio assuetus delicijsq;, modò autem his per repentinum aut inopinatum casum aut per luxum destitutus, ac in summa constitutus inopia, iniustissimas planeq; seditiosas animo suo rationes alias opes acquirendi uersat? Præterea usurpata est apud ueteres parœmia omnibus parentibus obseruatu dignissima, Artem quæuis alit terra. Ea sententia significatum est, certissimũ uiaticum esse eruditionem aut artificium aliquod. Nam hæc neq; eripi possunt à latronibus, & quocunq; terrarum abeas, te comitantur, nihil adferentia sarcinæ. Ergo si fortuna auferat liberis tuis opes relictas, si docuisti eos artificium, tenent quo sibi uictum parent. Deijciuntur reges ex opibus maximis & dignitate regia, ut mirum non sit si inferiores regibus spolientur facultatibus suis, aut iubeantur ire in exilium. Dionysius Syracusanus propter tyrannidem legitur exutus imperio. Sed qui rex fuerat Corinthum abijt, Corinthi ludum aperuit, ac pueros literas ac musicam docuit: qua re uictum sibi parauit. Miserrimus autem & deploratus fuisset, si nihil unquam didicisset, sed in regias duntaxat opes sperasset. Vana spes perdidisset illum. Nam perijsset inedia. Hæc de eruditione.

De correptione.

Restat ut dicamus de Correptione. Consistit hæc partim in uerbis, partim in uerberibus. Vtraque suum modum & rationem certam habeant, ne quid nimis. Admonitio quæ uerbis fit, non sit acerbior delicti merito. Sit grauis, sed non perpetua. Perpetua obiurgatio abit in contemptum. Inuenias item pueros apud quos plus efficias lenitate. Ac nisi laudem admisceas aliquando, boniq; consulas res diligenter, etsi non plenè aut feliciter expeditas, uidebis hos certò animos despondere. Neq; uerò nimium oneris imponendum arbitror humeris iuuenũ, & spontè onera ferentium. Verbera non infligantur nisi maximis de causis, neque infligantur unquam ab irato patre, & infligantur moderatè, ad emendationem nõ defectionem. Semper insideat animis parentum illud aureum Pauli dictum, Patres ne prouocetis ad iram liberos uestros. Sæuitia enim pereunt & optima ingenia. De moderata correctione loquens Solomon, Virga, inquit, & obiurgatio dat sapientiam, & puer sibi dimissus confundit matrem suam. Item, Castiga filium tuum

Indulgentia.

& quietus eris, dabitq; delicias animæ tuæ. Indulgentiam hæc uel paternã uel maternam condemnant, quæ multos corrumpit liberos. Non minus autẽ à patribus indulgentia peccatur quàm sæuitia. Heli in scripturis pessimè audit propter indulgentiam nimiam, perit miserè, & perdit secum perditos nebulones filios audacissimos atq; impijssimos. Quid quod Deut. 21. iubentur ipsi parentes filios rebelles protrahere ad tribunal, & ibi accusare capitaliter? Exemplo hoc aliâs seuero uoluit Deus alios in officio retinere filios. Nã Deus est Deus salutis, nõ perditionis, adeò ut cùm rebelles sua culpa pereunt, perditionem eam ipse conuertat ad salutem

tem obedientium. Teneant ergo pectoribus suis patres hanc ex Euangelio infixam sententiam, Non est uoluntas coram patre uestro cœlesti, ut pereat unus de pusillis illis. Qui offenderit tales, expedit ei ut suspẽdatur mola asinaria in collum eius, ac demergatur in profundum maris.

Porrò de officio filiorum disputauimus iam ante, ubi docuimus quomodo honorandi sint parentes. Paulus uno uerbo multa complexus, dicit, Filij obedite parentibus uestris in Domino. Causam addit: Nam id iustum est. Rationem iterum subiungit: Nam Deus hoc præcepit. Agnoscant ergo liberi parentum uigilias & labores educationi insumptos, ac grati rebusꝗ præsentibus contenti sint. Cùm erudiuntur à parentibus, discant sedulò, & sint religiosi Iacob, non prophani Esau. Discant assuescere bonis moribus. Discant artes libenter. Subijciant se correctioni. Ne irritent aut ad irã prouocent parentes. Eligant sua sponte magis quàm uerberibus & iurgijs adacti sapere & parere. Si paucula relinquant liberis parentes decedentes, ne obloquantur defunctis. Docuit te artificiũ aut artem aliquam parens, satis amplum reliquit patrimoniũ. Sed & frugalitas ac parsimonia magnum est uectigal. Instituit te sanctè & pulchrè in moribus, in uera sapientia & religione pater, hæreditatem legauit longè opulentissimam. Quid enim sunt opes amplissimæ in manibus stulti & irreligiosi uiri relictæ, quàm gladius in manibus furiosi? Abundè opulentus es ex parentũ hæreditate relicta, si pius es, laboriosus, diligens & probus. Diuturniores & beatiores sunt ferè opes nostro labore partæ, quàm ab alijs relictæ.

De officio liberorum.

Rursus sesquihoram in explicando hoc argumento de colendis parentibus insumpsimus, diutius quàm par erat charitatem uestram detinentes. Sed dabitis hoc studio & amori. Non nescio quàm necessarium sit multis hoc argumentum. Diutius ergo his inhæsi. Vtilia enim & necessaria charitati uestræ non modò tradere, sed etiam inculcare modis omnibus satago. Dominus concedat uobis omnibus uberrimam iacti seminis in corda uestra uerbi sui segetem. Oremus, &c.

De secundo secundæ tabulæ præcepto, quod ordine in Decalogo sextum est, Non occides. Item de Magistratu. SERMO VI.

RECTE subiungitur authoritati & imperio iustitia & innocentia, muniturꝗ hac lege sexta, pax & trãquillitas publica & priuata. Cumꝗ uita hominis excellentissimum illud sit in orbe, cui omnia alia, licet præstantissima, ancillantur, denique cùm corpus hominis præcellat omnes alias dotes, naturali ordine sequitur præceptum sextum, duabus duntaxat uocibus ab ipso Deo sic proditum, NON OCCIDES. Hoc enim mandato præcipitur iustitia & innocentia, & cauetur ne quis alterius uel corpus uel uitam lædat: itaque mandatur omnibus pax & tranquillitas.

Præceptum Dei 6.

Cæterum considerandi hîc ueniunt gradus quibus peruenitur ad cædem, considerandæ & læsionis species atque causæ. Dominus enim non prohibet duntaxat ipsam cædem, sed omnia ea ex quibus existit cædes. Proinde prohibetur omnis prouocatio, prohibentur conuitia & iurgia, prohibetur contentio, ira & inuidia. Atꝗ hîc habemus ipsum Christum Dominum huius legis interpretem, dicentem apud Matthæum, Audistis dictum esse antiquis, Non occides. Quisquis autẽ occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, quisquis irascitur fratri suo temerè, obnoxius erit iudicio. Quicunque uerò dixerit fratri suo Rhaca, obnoxius erit consilio. Quisquis autem dixerit Fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Audis

Quæ prohibeantur hoc præcepto.

prohiberi iram, simul etiam conuitia & iurgia, imò omnes significationes animi commoti ad probra. Quid ergo faciendum? Redeundum cum eo quem offenderis in gratiam, ponendaque simul omnis ira animi inuidiaque, nisi malis omnẽ tuum cultum quem Deo exhibes tibi in peccatum aut ad nihilum reputari, imò nisi malis condemnari. Sequitur enim in Euangelio secundum Matthæum, Itaque si obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris fratrem tuum habere aliquid aduersum te, relinque illic munus tuum ante altare (loquitur illis quibus adhuc erat templum, ara, & holocaustum: nobis hodie alius est cultus) & abi, priusque reconciliare fratri tuo, & tum ueniens offer munus tuum. Et iterum, Habeto beneuolentiam cum aduersario tuo citò, dum es in uia cum illo, ne quãdo te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerem coniiciaris. Amen dico tibi, non exibis inde donec persolueris extremum quadrantem. Quoniam uerò huic sanæ Domini doctrinæ pauci obtemperamus, ideoque magnæ sunt inter homines turbæ. Minus quidem opum est obsequentibus uerbo Dei, sed plus quietis & tranquillitatis Quid uerò iucunditatis homini afferunt immensæ opes, cum quibus animi curas graues, turbas ingentes & impexas, nec quietem ullam unquam habeas? Proinde lex quæ suauem & tranquillam homini uitam tradere contendit, huiusmodi affectiones immodicas eius animo eximit, præsertim iram inuidiamque, duo pestilentissima in rebus humanis mala.

De Ira. *Seneca.* De Ira non statui operosius in præsenti disserere, sicuti ne de Inuidia quidem. De ira disputarunt multi utilissimè. Est tamen ira quam non improbat scriptura sancta, adeò ut nisi quis irascatur, non sit futurus uir bonus. Bonus enim uir habet zelum Dei. Zelo diuino irascitur impietati & sceleribus hominum. Cuius quidem rei plurima habemus in sacris exempla. Et tendit hæc quidem ira magis in ipsum scelus, quàm in personam scelus perpetrantem. Nihil enim in scelerati persona odit uir bonus, quàm ipsum scelus: quo sublato, sublata sunt simul & odium & ira. Hæc damnatur cùm ex corruptis oritur affectibus, neque ullas habet caussas iustas, sed iratus uel explet affectum, uel nocet aut nocere instituit ei cui iratus est. Grande est hoc malum, & uberrima inexplicabilium malorum seges. Idcirco Apostolus Christi suadet omnibus, ne ullum cedant iræ locum: quòd si subierit animum & hæserit aliquantisper, ne adhærescere & radices agere sinamus. Irascimini & ne peccetis, ait, Sol ne occidat super iram uestram, & ne cedatis locum diabolo Hoc enim sentit Apostolus, Si contigerit irasci, tamen ne peccetis, id est, compescite iram. Neque enim iubet Apostolus nos irasci, sed iram non uult esse diuturnam, neque ad iniuriam usque progredi. Ac παροργισμὸς (quo uocabulo usus est Paulus) iram quidem significat, sed magis commotionem & irritationem, ut intelligamus ei qui lacessitus est iniuria, etiamsi quid doleat, tamen eum dolorem breuem esse oportere: neque admittendum ullo modo ut pedẽ figat calumniator siue diabolus, qui hoc modo per iram sensim irrepit in animos, & ex ira diuturna format inuidiam, per quàm totum hominem, omnes sensus, & omnia dicta & facta occupat atque peruertit.

De inuidia. Inuidia enim est inueterata ira, quæ iam inuidentem ferè torquet, urit & excarnificat magis quàm eum cui inuidetur. Quanquam nunquam cesset ei cui inuidet machinare malum. Ingens est & implacabile malum. Ideoque Gentes id exagitarunt miris modis. Nec pigebit proferre quædam ex his, ut erubescant pseudochristiani tantùm non inuidiæ addicti: si fortè discant erubescere ab ipsis redargutu ethnicis, Clamat Maro,

Liuor tabificum malis uenenum

Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem. Ergo Flaccus cecinit,
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum. Exclamat Silius,
O dirum exitium mortalibus, ô nihil unquam
Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes
Inuidia. Hanc describens Naso ait,
Videt intus edentem
Vipereas carnes vitiorum alimenta suorum.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa ueneno.
Risus abest, nisi quem uisi mouere dolores.
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos intabescitq́ videndo
Successus hominum, carpitq́ & carpitur vnà,
Suppliciumq́ suum est.
Quacunq progreditur florentia proterit arua
Exuritq́ herbas, & summa papauera carpit.
Afflatuq́ suo populos vrbesq́ domosq́
Polluit.

Ergo cùm tantum malum sit inuidia, quam nobis prohibet dominus, certè apparet ea in re, quàm bonus sit dominus, quàm bona & utilis sit lex eius, quę cupit nos liberare à tantis malis. Videmus obiter & illud, nostram esse culpam non Dei morositatem, quòd multi in hoc seculo nihil pacis aut quietis sentiunt, sed magis exercentur tormentis perpetuis. Nam ut inuidere aliis non desinunt, ita ira sua omnia conturbant, sceleris[q] sui commeritas luunt pœnas.

Prohibetur lege constringitur[q] non tantùm commotio animi per indignationem, iram & inuidiam, sed & læsio quæ ex illis oritur. Læsio perficitur uariis modis, uerberando, impellendo, prosternendo, trahendo diuexādo[q], tametsi ea afflictione proximo nullum infligas uulnus. Grauius autem peccaueris, si uulnus inflixeris, quouis id modo instrumentóue inflixeris. Enormius adhuc peccaueris, si resecaris aut infregeris membrum aliquod corporis, si effoderis oculos, si excusseris dentem. Ac increscit quidem peccatum pro nobilitate membri amputati aut luxati. Vnde haud dubie Lex talionis originem trahit, præcipiens ei amputare manum, qui alteri resecuit manum: ei eruere oculū, qui alteri effodit oculum. *Omnis læsio prohibetur.*

Modus quo[q] cædis non est omnino hic transeundus. Dicit dominus, Ne occideris. Cædimus uel ipsimet uel per alios, palàm uel occultè. Et huius quidē modi sunt uariæ rationes. Occidimus enim silentio, dissimulatione, consilio, approbatione seu consensu & auxilio, instigatione deni[q]. Non faceret alius quod facit, nisi te haberet approbatorem, nisi sciret se facere rem tibi gratam, nisi tuo fulciretur auxilio. Tametsi ergo tua ipsius manu non occidas, perinde tamē alterius homicidium instigati à te reputabitur, ac si manu tua occidisses. Nec mirū cùm Ioannes Apostolus & Euangelista odium appellauerit homicidium. *Quouis modo occidere prohibitum.*

Sed & caussæ cædis uel damni dati perstringendæ sunt. Nam ex his increscit malum & sceleris enormitas. Homicidia fiunt, & datur malum proximo uel imprudentia quadam, uel malitia. Imprudentia fiunt, cùm aliud instituenti, fortuna quadam, aut potius diuina prouidentia, prouenit cædes. Veluti cum exonero in *Caussæ cædis.*

ceruum, feram consecturus, bombardam, ac interim perfodio hominem quem ignoraui in eadem sylua ligna diffindere: uel cùm per errorem amico uenenũ porrigo, cui statueram salutarem propinare medicinam. Huiusmodi casibus parauit dominus asyla in lege & apud omnes gentes. Malitia proueniunt cædes, quando cupiditate priuata cæcatus alteri suas facultates eripere pergo, ac renitentem occido. Eius generis sunt pleraq; bella, præcipuè autem latrocinia & parricidia. Vel certè cùm propter acceptum ab altero damnum, cæde me uindico. Vel ira mihi ipsi ereptus, aut ebrietate captus cædo, quem alioqui & extra hunc affectum corruptissimum fouerem atq; amarem.

Asylum.

Quantum scelus sit homicidium.

Quantum uerò scelus sit homicidium ex malitia profectũ, præstat consequenter inspicere & expendere. Hæc enim consideratio ritè pensiculata efficiet proculdubiò, ut minus crebra sint homicidia, & magis studeant singuli coërcita ira conseruare sanctam Dei imaginem. Pugnat rectà & contumaciter cum ipso Deo æterno, qui salus & uita est mũdi, ipsum homicidiũ. Homicidium enim ipsam dei imaginẽ extinguit. Nam homo cõditus est ad similitudinẽ & imaginẽ Dei. Quòd si quis euerteret in foro statuam regis aut principis, accusaretur læsæ maiestatis: quanto ergo crimine obnoxius fuerit, quisquis rationalem, animalẽ, & uiuam Dei imaginem, ipsum hominem perdiderit? Legimus Theodosium Imperatorem statuisse ciuium Antiochenorum plurimos perimere, non aliam ob causam quàm quòd subuertissent Placillæ Augustæ statuam in foro. Cæterum Macedonium quendam eremitam Imperatoris accessisse legatos ac dixisse, O amici, dicite imperatori, Non es imperator solummodo, sed etiam homo. Noli crudeliter Dei delere imaginem. Irritas creatorem, cùm illius deles imaginẽ. Considera illud etiam, quòd tu æneæ duntaxat statuæ gratia contristaris. Quantum uerò differat res inanimata ab animata, uiuente & rationali, omnibus est apertissimum. Sed & facile erit pro una statua ærea plures reparare statuas æreas: impossibile autem fuerit unum peremptis capillum restituere. Deinde repugnat cædes naturæ humanæ. Homo enim sese fouet, & caro seipsam non destruit, sed conseruat potius & nutrit. Sumus autem unius massæ ac carnis, quotquot uiuimus homines: hominem ergo cædere repugnat naturæ humanæ. Præterea sunt omnes homines unius patris filij, eiusdem generis & propaginis: pugnat ergo cum ipsa humanitate homicidium, estq; pestis generis humani. Quid quod Dominus & redemptor noster ab omnibus requirit charitatem, & talem quidem quæ sustineat mori pro proximo? Occidere itaq; proximum ex diametro pugnat cum religione Christiana. His accedit, quòd sanguis humanus per cędem effusus, ex terra in cœlũ clamat pro uindicta. Cain enim homicida audit, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Reuera enim sanguis effusus ipsam terrã in quã effusus est polluit redditq; maledictam, nec repurgatur & placatur facilè, nisi prius noxium eorũ bibat sanguinem qui effuderunt sanguinem innoxium. Postremò pariunt cædes inuruntq; patratoribus maculam aut ignominiam perpetuam, adde & perditionem sempiternam. Ideoq; Solomon in Prouerbijs suis, Fili mi, ait, si te lactauerint peccatores, ne consentias. Si dixerint, Veni nobiscum, insidias struemus sanguini: absconditi latitabimus contra insontem absq; causa. Deuorabimus eos uiuos instar inferorum, & integros quidem ut qui descendunt in foueam. Omnis generis preciosas opes reperiemus, & implebimus præda domos nostras. Sortire tu nobiscũ: unum erit omnibus nobis marsupium. Tu autem fili mi ne abeas cum eis in uiam: quin potius retrahito pedem tuum à semitis ipsorum. Pedes enim eorum ad malũ currunt, ac festinant ut effundant sanguinem. At Dauid, Virum sanguinarium, ait,

Voces militares.

ait,& hypocritam abominatur Dominus.

Excipitur ab hac lege magistratus à deo ordinatus, quē ipse deus occidere iubet,pœnamq; intentat grauissimam, nisi occiderit quos iubet cædere. Lex ergo hæc sexta prohibet,ne quis priuata authoritate cædat. Cæterum occidit magistratus deo iubente,uel cum iure damnatos propter maleficia cædit, uel cum pro defensione suorum iustum & necessarium bellum suscipit. Vtrobiq; tamen peccare possunt,idq; modis duobus. Aut enim iure,id est, iuris prætextu occidunt innoxios,nimirum ut libidini suæ,odio aut auaritiæ faciant satis: sicuti legitur Iesabel occidisse cum prophetis domini iustissimum uirorum Naboth. Aut certè dimittunt peruersa quadam clementia indulgentiaq;, quos deus cædere iusserat: sicuti peccasse leguntur Saul & Achab,dimittendo sanguinarios reges,quos iusserat occidere dominus. Ac Solomon Prouerb.17.est testis dominum ex æquo abominari tam eum qui scelestū absoluit,quàm qui insontem damnat. In bellis uel inferendis uel depellendis peccant dupliciter hoc modo. Aut enim ipsi alijs inferunt bellum iniustū ac simul eidem suos implicant: Aut certè sinunt exteros hostes grassari in populum suæ fidei creditum,nec pro uirili sua apertam & iniustissimam uim depellunt. Vtrunq; peccatum est multijugum & inexpiabile. Legis itaq; sanctos Israelis reges nullū bellum intulisse cuiquam, nisi iussisset dominus. Illi idem pugnauerunt pro suo populo, neq; passi sunt abduci in captiuitatem miseros. Sic enim beatus pater Abraham persequitur quatuor illos reges, imò deprædatores orientis,recuperans manu armata Lotum, res Loti, & populum Sodomæ abductum. Ac suscipiuntur quidem huiusmodi bella propter pacem, uel recuperandam,uel confirmandam:ut huiusmodi magistratus hac de causa bellum gerentes reuera sint filij Dei,quia sunt pacifici. Omnes enim pacifici sunt filij Dei.

Magistratus occidit.

Quomodo peccat occidendo magistratus.

Gen. 14.

Postulat autem hic locus & hoc argumentū ut dicamus de magistratu: id quod deo iuuante faciemus, non omnia quidem quæ de ipso dici possunt proferentes, sed quæ uidebuntur propriè eius rationem explanare, & maximè necessaria esse.

De magistratu.

Vocabulum Magistratus inde est,quòd designat nobis magistros populi, duces & imperatores. Potestas appellatur ob potestatem à Deo acceptā. Dominatio nuncupatur propter dominium concessum à Domino in terra. Dominium exercentes dicuntur principes: præeminent enim in populo: & Consules à consulendo: & reges ab imperando,gubernando siue regendo. Officium est ergo Magistratus & actio. Aristoteles finijt magistratum esse custodem legu[m]. Plutarchus in eo libello quo ostendit in principe requiri doctrinam, inter alia, Principes ministri dei sunt,inquit,ad curam & salutem hominum, uti bona quæ illis largitur partim distribuant,partim seruent. Ex scripturis definiri potest Magistratus esse ordinatio seu actio diuina, qua procerum opera defensis bonis, coërcitis autem malis, pietas,iustitia, honestas, pax & tranquillitas publica & priuata conseruatur. Vnde colligimus cultum esse dei præesse reipub. & munia exercere magistratus. Placet hoc Deo. Nam magistra[t]us est res optima & feracissima multum bonorum operum,sicuti ostendi sermone proximo.

Magistratus, quid.

lib. 5 Ethi. cap. 5

Species magistratus tres sunt, Monarchia, Aristocratia & Democratia. Monarchiam possumus appellare regnum, in quo unus omnia moderatur iustis & æquis legibus. Nam si neglecta iustitia & æquitate, pro sua libidine contra phas & ius omnia moderetur, Tyrannus est, & potestas eius Tyrannis, uis inquam siue uiolentia, regni morbus ac uitium regno uelut oppositum. Aristocra[t]ia optimatum potentatus est, ubi optimi quiq; sanctissimi & iustissimi certo numero electi, populo præsunt. Nata est hæc ex tyrannide. Dum enim homines uiderent non

Species magistratus.

Monarchia.

Tyrannis.

Aristocratia.

satis tutum esse uni uiro committere omnia, pluribus & ijs quidē præstantissimis ea credidere. Cæterum dum optimates malis artibus emergūt ad imperium, posthabitaq; repub. sua compendia sequuntur & quærunt, horum gubernatio oligarchia non aristocratia dicenda est, nimirum paucorum uiolenta libido, non optimatum administratio æqua. Ita oligarchæ opponuntur optimatibus. Democratia respublica dici potest, cùm imperium siue potestas est apud uniuersum populum. Enata est hæc ex oligarchia. Cum enim uideret populus etiam optimates sua abuti potestate, ac degenerare in oligarchas, deiectis his, ipse sibi retinuit imperium, per suffragia omnia moderaturus. Erumpit hæc in Systremma, hoc est, in seditionem & conspirationem: dum uidelicet nemo se patitur cogi in ordinem, quolibet sibi omnem potestatem uindicante ex integro, eò quod sit portio populi, apud quem est summa potestas. Porrò quænam ex illis speciebus uel generibus sit præferenda ut excellentissima, non est meum pronunciare. Prætulere multi monarchiam: sed addiderunt si princeps sit optimus. Id quod tamen rarum est. Præterea qui sic pronunciarunt, uixerunt sub principibus. Atqui difficile est loqui contra Iouem. Certè paucos inuenies inter multos Iudæ & Israelis reges bonos uel mediocres, ut appareat nō frustra suasisse dominum populo per Samuelem, retineat aristocratiam olim authore deo per Mosen & Iethro uiros in orbe sapientissimos institutam. Interim nemo negauerit maxima cùm pericula tum incommoda esse ex aristocratia quoq;, plura ex Democratia. Sed tales sunt res hominū in hac corrupta carne, ut nihil sit omni parte beatum, uideaturq; illud esse pręstantissimum & optimum, quod etsi non alienum sit prorsus ab incommodis uitijsq;, reliquis tamen collatum, minora pericula & pauciora mala habeat. Vtcunq; uerò id habeat, Apostoli Christi obtemperare nos iubent magistratui, siue is rex sit, siue senatus præstantissimorum uirorum. Paulus enim 3. cap. in epistola ad Titum, Admoneto illos, inquit, ut principatibus & potestatibus sint subditi, ut magistratibus pareant. Nam ad Romanos dicit, Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Non enim est potestas nisi à Deo: quæ uerò sunt potestates, à deo ordinatæ sunt. Rursus ad Timotheum, Adhortor, ait, ut deprecationes fiant pro regibus, & omnibus in eminentia constitutis. Proinde si quis uiuat sub regno, regi obediat: si sub republica, consulibus, tribunis & magistris tribuum senatoribusq; pareat. Obediendum est enim magis ordinationi dei, quàm curiosius disputandum de speciebus magistratus, quæ nam ex his sit præstantior.

Oligarchia. *Democratia.* *Systremma.* *Obediendū magistratui.* Rom. 13. 1. Timo. 2.

Et necessarius est per omnia magistratus hominibus, atq; adeo necessarius, ut citra magistratus operam, res mortalium feliciter subsistere nequeant. Nec legis res Israelitarum unquam æque malis fuisse obnoxias, atq; cum ante Heli & post Samsonis gubernationem nullo regerentur magistratu, sed quisq; faceret quod sibi bonum esse uidebatur. Nascuntur enim omnes homines in philautia, ideo suas res quærunt, placent quæ ipsi faciunt, aliorum dicta & facta displicent, imò eò procedit cupiditas nostra praua, & amor nostri pertinax, ut causis nostris licet pessimis ius prætexamus & iustitiam. Hoc qui negare pergat, hominis ingenium nunquam cognouit. Populus Israeliticus ex Ægypto liberatus uiderat prodigia stupenda, alebatur mirabiliter è cœlo in deserto, uidebat in diem noua miracula. Sed audite fratres quid de populo sancto, de populo hoc Dei, quem deus appellat suum peculium, pronunciet mitissimus, & patientissimus hominum Moses. Quomodo feram solus, ait ad populum, molestiam uestram & onus uestrum atq; lites uestras? Quid quod in sodalitio ueteris ac apostolicæ ecclesiæ cōiunctissimo, inq; renatis ipsis sese carnis ingenium exeruit? Murmur enim Græcorum exortum est aduersus

Causæ & origo magistratus. Acto. 6.

aduersus Hebræos, quòd in ministerio quotidiano uiderentur negligentius curari ipsorũ uiduæ. Corinthij etiam coram ethnicis iudicibus litigant, & eam ob rem acriter obiurgantur ab Apostolo, iubente fideles deligere arbitros qui dirimant litigantes. Nemo ergo obijciat ueterem Israelis populum, populum fuisse carnalẽ, nondum renatum. Videmus enim & in renatis remanere carnis reliquias, quæ se nunquam non, oblatis occasionibus, exerunt & res pacatas implicant atq; conturbant. Non enim iam dicam maiorem partem hominum carnem magis sectari quàm spiritũ. Proinde deus amator hominũ, & fautor conseruatorq; humanitatis & tranquillitatis societatisq; humanæ, medelam morbis illis hominum grauibus adhibuit instituitq;, ipsum inquam magistratum, qui se medium iure & iustitia interponat inter litigantes, qui iudicet & dirimat litigantes, coërceat uim & affectiones, defendatq; innoxios. Quisquis hanc diuinam ordinationem, priusquam homines angelicum recipiant ingenium, è medio sustulerit, confusionem rerum pariter omnium inducit, uiolentisq; hominibus uires sufficit opprimendi & extirpandi optimos quosq;. Certè ex his quæ hactenus adduximus, liquidò claret magistratũ à deo esse institutum ad tuitionem boni, & punitionem mali, id est, ad bonum incolumitatemq; hominum. Quo iam illud pertinet quod ab initio rerum legitur magistratus fuisse in orbe. Ad ea quoq; pertinent hæc scripturæ testimonia. Moses in lege ipsos iudices appellat deos: & Iudiciũ hoc, inquit, Dei est. Vnde & Iosaphat desumpsit quod iudicibus dicit, Dispicite quid agatis: non enim homini iudicabitis, sed domino, qui uobiscum est in causis quas iudicatis: sit ergo metus domini in uobis, &c. S. Petrus dicit obtemperandum esse magistratui propter dominum à quo ille ordinatus sit ad laudem bonorum, metum uerò malorum. Sic & doctor Gentium Paulus, Non est potestas, inquit, nisi à deo: & quæ potestates sunt, à Deo ordinatæ sunt. Et quisquis restiterit potestati, dei ordinationi resistit: & qui restiterit, iudicium sibi consciscit. Nam principes non sunt terrori bene agentibus, sed male. Dei enim minister est tibi in bonũ, ultor ad iram ei qui quod malum est fecerit. Ideoq; magistratus à Deo est, & actio eius bona, sancta, deo bene placens, iusta, utilis & necessaria hominibus, ipsi uerò optimates hoc munere rectè fungentes sunt amici cultoresq; dei & electa organa dei, per quę deus salutem hominum operatur. Exempla sunt. Adam, Patriarchæ omnes, ipse etiam pater noster Noe, Ioseph, Moses, Iosue, Gedeon, Samuel, Dauid, Iosaphat, Ezechias, Iosias, Daniel & multi alij post tempora Christi magistratus munere fungentes.

1 Corin 6. 1 Pet. 2. Rom 13

Magistratus à Deo ad bonum hominum.

Porrò duplicis generis faciunt pleriq; magistratum, bonum uidelicet & malum. Bonus est qui legitimè ordinatus legitimè suum facit officium. Malus est qui malis artibus parauit sibi imperium, idq; pro sua libidine administrat. Interrogari autem solet, An magistratus malus, hoc est tyrãnicus, sit à deo? Respondeo Deum esse boni authorem, non mali. Deus enim natura sua bonus est, & omnia Dei instituta sunt bona, ordinata ad incolumitatem & salutem hominum, non ad perniciem. Ita magistratus bona & salutaris ordinatio haud dubiè à deo est, qui est author omnis boni.

Magistratus bonus et malus.

An magistratus malus à Deo.

Atqui hic oportet secernere ab officio & instituto Dei optimo, personã bono officio non respondentem. Ergo si in magistratu reperitur malum, non bonum, propter quod institutus est, id alijs oritur causis, culpaq; hæret in personis uel hominibus deum negligentibus, & institutum bonum corrumpentibus, non in deo aut in instituto Dei: uel enim princeps malus à diabolo seductus uias dei corrumpit, & suo uitio & malo præuaricatur ut mereatur nomen satanicæ non diuinæ potestatis. Videre hoc licet in magistratu Hierosolymitano. Quãquam enim

principium suæ potestatis ad Mosen usque ascendendo, adeoque ad ipsum deum authorē referre potuisset, quia tamen saluatorem capit & uinculis in horto innodat, audiunt ministri, Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus, cùm quotidie uobiscum fuerim in templo, nec extēdistis manus uestras in me. Sed hæc est hora illa uestra, & potestas tenebrarum. En uocat ordinarium magistratum, sed potestate sua abutentem, potestatem diabolicam. Quid dici poterat clarius? Hæsit autem conuitium in personis, non in officio. Ita Romanum regnum ordinatum fuit à deo, sicuti ex Danielis uisionibus manifestè apparet. Interim cùm in hoc regno nō sine deo regnaret Nero, nō tamen ex deo, sed ex diabolo facit quod rex & imperator, attamē contra boni regis officium facit. Ex diabolo enim erat quod apostolos Christi suspendit ac obtruncauit, & cruentam in Ecclesiam Christi persecutionem mouit. Ita sanè nunquam oportet tyrannicam potestatem defendere pro diuina. Nam tyrannica administratio diabolica est administratio non diuina, & tyranni diaboli propriè non dei serui sunt. Vel certè populus aliquis meretur impijs suis factis habere non regē, sed tyrannum. Sic iterum culpa reuoluitur in hominem peccantem. Interim concepit regem dominus, ac facit regnare hypocritam. Ita magistratús malus à deo est, sicuti & seditiones & bella, pestes, grādo, pruina & aliæ hominum calamitates sunt à domino, uelut pœnæ peccatorum scelerumque, irrogatæ à iusto domino, dicente, Dabo pueros principes eorum, & infantes imperitabunt eis. Quoniam lingua & studium eorum contra dominum. Ad eum modum excitauit dominus reges Assyriorum & Babyloniorum crudelissimos, contra urbem & gentem suam parum respondentem professioni suæ.

Luc. 22

Consilium pro oppressis.

Cæterum quali animo oporteat esse affectos subditos erga duros hosce & sæuos principes aut tyrannos, discimus partim ex Dauidis, partim ex doctrina Ieremiæ & Apostolorum. Dauid nō ignorabat qualis erat Saul, impius & crudelis latro, fugit tamen: & cum semel & iterum oblata esset occasio cædendi ipsum, non occidit, sed pepercit tyranno, imò coluit ut patrem. Ieremias orauit pro Ioakim & Zedechia regibus nequam, & obtemperauit eis usque ad religionem. Cum enim disseruimus de Honorandis parentibus, per scripturas ostendimus impijs impiorum mandatis nō oportere obedire. Neque uerò licet magistratibus quicquam statuere & facere contra legem naturæ ac diuinam. Iam quomodo Apostoli se gesserint erga magistratum tyrannicum, docent Acta Apostolorū. Qui tyrannide premuntur, sed & opprimuntur à magistratu impio & scelerato contra ius & phas, hoc habeant pro se consilium. Cogitent primò qualia & quanta sint peccata idololatriæ & impuritatis, quæ iram dei punientem iam meruerunt. Deinde cogitent Deum flagella non retracturum, nisi emendatis religionibus moribusque corruptis. In primis est ergo instituenda & perficienda religionis iusta reformatio, & morum sancta emendatio. Præterea orandum est assiduè ut oppressos dignetur dominus eripere & extrahere ex cœno malorum. Hoc enim consilij dedit oppressis ipse dominus apud Lucam in cap. 18. promittens etiam certum auxilium & liberationem præsentissimam. Quid autem & quomodo orent oppressi, exempla & formulæ extant Danielis 9. & Act. cap. 4. Inter hæc occurrat animis laborantibus, quod Apostolorū primarij Petrus & Paulus docuerunt. Ille dicit, Nouit dominus suos è tētatione eripere, sicuti & Lotum eripuit. Hic ait, Fidelis est Deus qui non sinet suos tentari supra id quod ferre possunt, imò tentationibus etiam felicem concedet euentum. Subeat in animum captiuitas illa populi Dei, qua in Babylone detenti sunt annis septuaginta: & pulcherrima captiuorum consolatio, quam contexit Isaias à cap. 40. usque ad cap. 49. Cogitemus dominum esse & bonum,

1. Cor. 10.
2. Pet. 2.

num, clementem, & omnipotentem, unde facilè nos liberare queat. Habet is uarias liberandi rationes. Curemus nos modò, ne impœnitens & turpis ac impia uita nostra uires addat tyrannis. Dominus potest principum animos (sunt enim regum corda in manibus Domini, ueluti riui aquæ, quocunque uoluerit inclinabit illa) derepente mutare, ut qui hactenus contra nos fuerunt crudelissimi, fiant protinus benigni & clementes: & qui ueram religionem persecuti sunt hactenus truculentissimè, iam eandem amplectantur ardentissimè & prouehant diligentissimè. Aperta huius rei exempla habemus in historia Regum & Esdræ atque Nehemiæ libris, item in prophetia Danielis. Nabuchodonosor qui igni fideles & constantes Dei martyres torrere delereque statuerat propter ueram religionem, idem laudat mox Deum, quòd seruatos uideret martyres, ac ipsus Deum & ueram religionem edictis promulgatis prædicat atque propagat. Darius Assueri filius sinit proijci Danielem in lacum leonum: sed protinus extracto hoc, omnes Danielis hostes in eandem leonum caueam discerpendos concludit. Cyrus rex Persarum potentissimus iuuat ueram religionem: ita Darius Hystaspis, Artaxerxes cognominatus, modis omnibus populi Dei conatus religiosos in extruenda æde sacra & urbe adiuuat. Ne ergo dubitemus de Dei auxilio. Idem Deus tollit aut castigat aliquando tyrannos horribili & repentino aliquo morbo: quod Antiocho, Herodi magno & nepoti eius Herodi Agrippæ, Maxentio item & alijs hostibus Dei hominumque euenisse constat. Excitat aliquando heroas ac uiros fortes qui extinguant tyrannos & liberent Dei populum. Id quod frequens est in libris Iudicum & Regũ. Porrò ne quis ijs abutatur exemplis, obseruanda est in eis uocatio diuina. Eam si quis non habeat aut præuertat, planè nihil efficiet suo tyrannicidio, imò metuendum est ne malum conduplicet. Hæc hactenus. Redimus iam ad intermissa.

Prouer. 21.

Tyrannicida.

Dicendum hîc erit de Magistratus electione: principiò quorum sit eligere & ordinare magistratum: deinde quos uel quales eligere conueniat: postremò quæ electos inaugurandi ratio. De eo autem quorum intersit eligere magistratum, nulla potest præscribi lex unica & certa. Alibi enim tota plebs eligit optimates. Alibi optimates deligunt optimates. Alibi etiam nascuntur principes. Neque hîc censeo ullam esse turbam commouendam. Cuilibet enim regno & urbi meritò relinquitur suus mos patrius, nisi omnino corruptissimus & intolerabilis sit. Vbi uerò nascuntur principes, orandus est sedulò Dominus, ut det optimos.

De electione magistratus. 1 2 3

Quorum sit deligere.

Cæterum quos uel quales eligere conueniat, ipse Dominus hisce uerbis exposuit. Ex omni populo prospice, & diligenter considerando delige uiros uirtutis, timentes Deum, uiros ueraces, odientesque auaritiam, & hos fac tribunos, centuriones, quinquagenarios & decuriones, qui iudicent populum omni tempore. Quatuor requirit Dominus à senatore bono. Principiò sit uir uirtutis, roboris uel fortitudinis, id est, qui facultates habeat ad efficiendum hoc, cuius rei gratia deligitur. Facultates illæ in animo potius quàm corpore sitæ sunt. Requiritur enim ne sit fatuus, sed sapiens & rerum peritus. Ducis enim ædilis & aurigæ interest scire quomodo instruat aciem, quomodo extruat publica ædificia, aut regat currum. Deinde requiritur etiam animi fortitudo, ut quod nouit ausit. Vbi constantia & tolerantia opus est multa. Secundo loco ponitur quod reuera primum est omnium, Timeat Deum, sit religiosus, non superstitiosus, Nullus idololatra seruat rempublicã: perdit magis, & impij non propagant ueritatem & religionem, sed persequuntur & exterminant. Sit ergo noster ille uir orthodoxus, sanæ fidei, qui credat uerbo Dei, ac sciat Deum semper hominibus præsentem esse atque adeò cuilibet rependere pro meritis. Ideoque Imperator Iustinianus in Nouellis Constit. 109. ingenuè fa-

Exod. 18.

Quales eligendi: & forma boni magistratus. 1

2

Magistratus sit orthodoxus.

tetur omne suum præsidium esse à Deo, ideoq; conuenire ut legislationes ex eodem pendeant. Deinde subiungit, Omnes nouerunt, quòd qui ante nos imperia rexerunt, & maximè Leo piæ memoriæ & sacratissimus princeps Iustinus pater noster, in Constitutionibus suis in uniuersum omnibus hæreticis interdixerint, ne quam ipsi uel militiam capesserent, uel in publicis curis ullam communionem haberent, quò minus occasione tum militiæ, tum tractatione publicorum negotiorũ, sanctæ, catholicæ & Apostolicæ Dei Ecclesiæ partes uiderentur corrumpere. Et nos quoq; hoc ipsum fecimus. Hæc Imp. Aug. Certè qui pius est, Deum inuocat ac sapientiam accipit à Domino. Et si amici Dei sint principes & frequenter colloquantur cum Deo, spes est felices fore respub. Ex aduerso metuenda infelicitas, si præsint hostes Dei. Tertiò requiritur à deligendo accensendoq; magistratui, ut sit uerax, ne sit hypocrita, mendax, fallax, uersipellis, subdolus aut qui ex eodem ore frigidum & calidum efflet: sed fidelis sit, expositus, simplex & candidus. Ne sit in promittendo liberalior quàm in præstando. Ne sit irreligiosus erga iuramentum, ne sit perfidus & periurus. Quartò quoniam multi in magistratus functione quærunt opes & rei familiaris incrementum, remouet tales Dominus & auaritiã prohibet bonis magistratibus: imò poscit ut auaritiam oderint. Sicuti alibi non tantùm prohibet accipere munus, sed iubet præterea à muneribus excutere manus. Auaritia & munerum cupiditas est ipsissima pestis boni magistratus. Auaris & munerum cupidis uenalia sunt iura, sententiæ, libertas, iustitia adeoq; patria ipsa. Ac nominauit quidem in præsenti pestilentissimum scelus, interea uerò nihil dubium est, quin uitia & scelera alia quoque eius generis proscribat ac à bono magistratu iubeat esse aliena. Ea sunt haud dubiè, Superbia, Inuidia, Ira, Alea, Crapula, Ebrietas, Scortatio, Adulterium, & si quid aliud est huius notæ.

Deut. 1. Hunc locum illustrant alij ex lege Dei huic collati. In Deuteronomio ait Moses ad populum, Date ex uobis uiros sapientes & intelligentes, & spectatæ probitatis secundum tribus uestras. Tria iterum his uerbis requirit ab ordinandis Moses sapientissimus. Primò sapientes sint ait. Cæterum initium sapientiæ est timor Domini. Sint ergo ordinandi amici Dei & ueræ religionis, qui itẽ sapiant non sint fatui. Secundò sint intelligentes, prudentes nimirum, qui exercitati longo rerum usu, usum rerum sibi parauerint, ac possint res præsentes applicare legibus. Præterea sint spectatæ probitatis uiri, quorum uita & integritas morum ex anteactis iam olim sit nobis perspecta atq; testificata: denique qui sint præditi authoritate, non contemnantur ceu leues & uiles nebulones.

Num. 27. In libro Numerorum iterum dicit Moses, Vtinam Deus spirituum uniuersæ carnis constituat uirum super synagogam, qui ingrediatur & egrediatur ante eos, & qui introducat & educat eos, ne sit cœtus Domini ueluti oues absq; pastore. Discimus ex his etiam uerbis diuini prophetæ, qui & quomodo in magistratum eligendi sint. Orauit Moses ad Dominum pro idoneo uiro: orandus erit itaq; & nobis Deus cordium scrutator, ut det uiros omnibus numeris absolutos. Sæpe quidem fallit nos species externa, iudicamusq; uirum bonum & pium esse, qui insignis est hypocrita. Deus solus nouit mentes, hic ergo orandus est ne sinat nos in delectu aberrare & impingere. Optimus fuerit, qui instructus erit spiritu Dei sancto. Præterea decet hunc esse primum & ultimum in rebus gerendis & exequendis. Inertes agunt alios, ipsi sibi cauent post principia. Iniqui præscribunt alijs, ipsi nunquam quicquam faciunt æqui & boni. Pastor sit oportet uir delectus in magistratum, qui dies atque noctes curet ne dissipetur aut periclitetur pereatq; grex Domini. Tales autem sint qui populo Domini præficiendi sunt.

Postremò

Postremò quod attinet ad rationem inaugurandi magistratum, dissimiles sunt urbibus & regionibus consuetudines. Liberum autem sit cuiq; genti suis uti moribus. Eum ego ritum maximè probo, qui minimum habet pompæ, rationis uerò plurimum. Vtilissimum est autem certa & moderata ceremonia inaugurare delectos, idq; coram uniuersa plebe, ut quisque non nesciat qui sint patres populi, & quibus debeat honorem, deniq; quibus obediat & pro quorum salute supplicet. Certa fuit populo Dei ceremonia, qua usi leguntur in inaugurandis regibus & magistratibus: & certum est id à Deo utiliter & certis ex causis esse inuentum atq; traditum. Reliqua quæ de magistratu dicenda restant differemus in crastinum. Iam uerò laudate Dominum, &c. *Ratio inaugurandi.*

De officio magistratus, quæ ordinet, an cura religionis ad ipsum pertineat: an de religione constituat, & de legibus eius. SERMO VII.

QVOD primum & maximum est in magistratu, perspicitur in explicatione officiorum eius. Diximus heri quid magistratus, quæ magistratus species, quo authore profectus, & quas ob causas institutus sit, quomodo proceres eligendi, aut qui ad hanc functionem sint uocandi. Addamus illis quæ nam sint propria magistratus officia.

Omne magistratus officium uidetur redigi posse in tria capita. Ordinet enim Iudicet & Puniat. De singulis ordine dicetur. Ordinatio magistratus est constitutio pro conseruatione religionis ac honestatis, iustitiæ & pacis publicæ: uersaturq; in duobus capitibus, in rectè constituenda religione, & in rectè cõstituenda publica honestate, iustitia & pace. Priusquàm uerò dicamus de religionis constitutione seu ordinatione, tractabimus paucis quæstionem, An cura religionis ad magistratum pertineat? Video enim multos in ea esse sententia, quòd cura & ordinatio religionis ad solos pertineat Episcopos, non etiam ad reges, principes ac senatores. *Magistratus officia.*

Veritas autem catholica docet curam religionis maximè pertinere ad magistratum, & hunc non tantùm posse, sed debere etiam disponere & prouehere religionem. Nam apud ueteres, reges simul erant sacerdotes, religionis utiq; magistri. Laudatur in sacris ualde pijssimus ille, & sapientissimus princeps Chananaicæ gentis, qui & Christo Domino typũ prætulit, Melchizedek: is uerò fuit rex pariter & sacerdos. Sed & in Numeris traduntur nuper ordinato & inaugurato Iosue leges ad religionem pertinentes. Ac reges Iuda & electi populi Dei, ex ordinatione religionis, uti mox pluribus exemplis monstrabo, maximã indepti sunt laudem: ignominiam sustinent perpetuam, qui segnes fuerunt in curanda religione. Quis uerò ignorat magistratus primam esse curam, incolumem & felicem seruare rempublicam? Id uerò non potest, nisi uerbũ Dei curet annunciari populo suo, ac cultum Dei uerũ applicet eidem, adeoq; fiat ueluti minister ueræ religionis. In Leuitico & Deut. multis exponit Dominus bona uerè religiosis parata hominibus, rursus enumerat mala contemptoribus ueræ religionis irroganda. Atqui felicitatem in populo suo retinere, infelicitatem propellere iubetur bonus magistratus. Audiamus etiam sapientissimum Solomonem in Prouerbijs dicentem, Pietas & ueritas custodiunt regem, & solium eius sustentatur in pietate. Quando multiplicantur iusti, gaudet populus, & quãdo impius dominatur, ingemiscit populus. Rex per iudicium firmat ditionẽ, uir exactionũ euertit eam. Quando multiplicantur impij multiplicatur iniquitas, & ruinã eorũ uidebunt iusti. Quãdo nõ est uisio dissoluitur populus: & qui obseruat legẽ, est beatus. Ex quibus & illud colligimus *An cura religionis ad magistratum pertineat.* *Leuit. 26. Deut. 28.*

confusionem omnium rerum, principumq; & populi dissolutionem illos quærere aut inducere, deniq; pauperum neglectum & oppressionem, quicunq; contendunt religionis curam nihil pertinere ad principes. Præterea præcipit Deus magistratui examen habeat doctrinarum, ac pertinaciter contra scripturas docentes & abstrahentes à Deo feriat. Locus extat Deut. 13. Vetuit item magistratui ne lucos plantet aut statuas erigat. Locus extat Deut. 17. Per species uerò insinuauit genus, ne superstitionem aut idololatriam instituat, foueat, propaget, præcepit ergo ut ueram religionem prouehat: unde consequens est religionis curam pertinere ad magistratum. Quid quod Deo dilectissimi optimiq; in populo Dei principes curã religionis, ut maximè ad se pertinentem, in se susceperunt adeoq; & exercuerunt procurarunt q; ueluti sacrorum antistites? Iosue in monte Hebal extrui curauit aram, totumq; cultum uti à Deo per Mosen præceptus fuerat expleuit. Dauid in deducenda arca & collocanda, inq; ordinando Dei cultu fuit usq; ad miraculũ diligens. Ita filius Dauidis Solomon. Nec obscurum cuiquam esse puto, quid in reformanda religione corrupta & collapsa præstiterint Abia, Iosaphat, Ezechias & Iosias. Laudatur in ethnicis regibus & principibus, quòd post cognitam ueritatem edicta uulgarunt pro uera religione contra blasphemias. Nabuchodonosor Chaldæus potentissimus orbis monarcha, quo an unquam maior & potentior in mundo regnauerit, dubito, promulgat decretum ut in partes dissecetur, & domus eius redigatur in latrinam, quisquis conuitium dixerit contra uerum Deum conditorem cœli & terræ. Locus extat Daniel. 3. Darius Medus Assueri filius, Cyri regis auunculus, A me positum est decretum, ait, ut omnes in omni imperio regni mei metuant Deum Danielis. Locus extat Daniel. 6. Cyrus rex Persarũ soluit Iudæos captiuitate, præcipitq; templum reparent & sacra restituant. Darius Persa Hystaspis filius, A me positum est decretum, ait, ut omnis uir qui mutauerit quicquam in sententia mea de reparando templo & restituendo Dei cultu, excerpatur lignum de domo eius, erigatur, atq; is in eo suspendatur, ac domus eius fiat sterquilinium. Idem ille & Artaxerxes appellatus, Quicunq; noluerit, inquit, facere legem Dei tui (Esdra) & legem regis, absq; mora fiat iudicium de eo, siue in mortem, siue in eradicationem, siue in mulctationem facultatum, siue in uincula. Leguntur hæc omnia in libro Esdræ.

Responsio ad obiecta.

Obijciunt, quibus animo sedet curam & ordinationem religionis ad Episcopos duntaxat pertinere, ista exempla quæ adduximus nihil ad nos pertinere, qui sumus Christiani. Nam illa esse Iudaica exempla. Respondemus. Isti probarent Dominum Iesum & Apostolos eius curam religionis à magistratu transtulisse ad solos Episcopos. Id nunquã poterunt: nos autem ostendemus paucis priscos illos populi Dei principes Iosue, Dauidẽ & alios reuera fuisse Christianos, idcirco ualere exempla quæ ab illis ducuntur & aptantur Christianis principibus. Adijciam & Isaiæ uaticinium, ex quo appareat idem esse adhuc in ecclesia regum officium, quod fuit priscorum regum in ecclesia quam appellant illi Iudaicam. Dubiũ non est quin illi censendi sint ueri Christiani, qui uncti spiritu Christi, in Christum credunt & sacramentis participant Christi. Christus enim perinde sonat, ac si tu dicas, unctus. Christiani ergo uncti sunt. Vnctio illa, iuxta Apostolicam interpretationem, est spiritus Dei uel donum sancti spiritus. Ceterum spiritum Christi fuisse in prophetis & regibus, locupletissimus est testis sanctus Petrus. Sanctus Paulus manifestè ait nos eundem fidei spiritum habere cum ueteribus. Idem communicat illis sacramenta nostra, dum dicit illos baptisatos esse sub nube, omnesq; bibisse de spirituali & consequente eos petra, Christo. Quæ cùm ita habeant, ualent

1. Ioan. 2.

certè

certè exempla quæ pro fide & dilectione à dictis & factis priscorum regum ducuntur. Scio interim non quodlibet consequi ex collectione exemplorum. Sed habemus hîc præterea manifestum pro nostra causa uaticinium Isaiæ, uaticinantis reges & principes post tempora Christi & post reuelatum Euangelium diligenter curaturos ecclesiam, adeoq; futuros fidelium alumnos & nutrices. Atqui palàm est quid sit alere & nutrire: perinde enim est ac si dixisset, illos patres & matres ecclesiæ futuros. Hoc autem non uerè dicitur, si cura religionis ad principes non pertinet, sed ad solos Episcopos. Verba Isaiæ hæc sunt, Ecce tollam ad gentes manum meam, ait, & ad populos signum meum erigam, & afferent tibi filios in gremio, & filiæ tuæ in humeris portabuntur. Et erunt reges nutritij uel alumni tui, & reginæ eorum nutrices tuæ, uultu ad terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent, &c. An non abundè impleta hæc esse dicemus in quibusdã Christianis principibus? Quorum primus beatus Constantinus Synodo indicta, ueram & synceram Christi in ecclesia doctrinam instituere, falsam & hæreticam uoluit exterminare. Cumq; Episcopi non recto pede incederent ad regulã Euangelij charitatisq;, increpauit ipsos, tyrannorum eis crudelitatem rememorans, & quæ iam per ipsum diuinitus pax ecclesijs concessa sit exponens. Indignum esse adijciens, si Episcopi pergant Deo ingrati, sese mutuis lacerare conuitijs & dentatis libellis, ac eo modo impijs idololatris delectationem & risum præbere: cùm potius ex scripturis diuinis res sacras tractarent. Euangelici enim libri sunt, ait, & Apostolici antiquorumq; prophetarum oracula, quæ nos erudiunt quid de sacra lege sapiamus. Expellentes ergo hostile certamen, ex uerbis diuinitus inspiratis, solutionem quæstionum mente percipiamus.

Isaie.49.

Constantinus Magnus.

Huc accedit quòd sacri imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodosius sic & in hæc uerba decernunt, Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali uolumus religione uersari, quam diuinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque ad hunc ab ipso insinuata, declarat. Et reliqua. Cernit charitas uestra, quomodo reges & principes in populo noui Testamenti alumni & nutritij ecclesiæ fuerint, ac arbitrati sint curam religionis ad se in primis pertinere.

Gratianus, Valentinianus, & Theodosius.

Obijciunt rursus lepram Osiæ regis Iuda, ex eo contractam, quòd sacerdotis munus sibi uendicans usurpare præsumpsisset in adolendo suffitum in ara thymiamatis. Obijciunt præceptum Domini iubentis Iosue stare ante Eleazarum sacerdotem: mandantis deniq; regi librum legis accipiat à Leuitis. Cæterum nostra disputatio non huc tendit, ut munia siue officia magistratus atq; ministrorum ecclesiæ confundantur, ut rex cõcionetur, baptizet, & administret cœnam Domini: sacerdos autem pro tribunali sedens pronunciet sententiam contra homicidam, litigantesue sententia lata dirimat. Habet & retinet Christi ecclesia officia distincta, & Deus est ordinis Deus, non confusionis. Huc tendit nostra demonstratio, ut omnibus probemus magistratum ex officio curare religionem, uel ut collapsa reparetur, uel ut integra conseruetur, procedatq; iuxta regulam uerbi Domini. Ideò enim lex Dei dabatur in manus regis per sacerdotes, ne ignoraret uoluntatẽ Dei circa res ecclesiasticas atq; politicas, adeoq; iuxta hanc legem gubernaret uniuersa. Statuitur quidem ante Eleazarum dux populi Dei Iosue, sed hic uicissim præcipit sacerdotibus, coniungiturq; uelut in unum corpus uir politicus & ecclesiasticus. Iubetur uir politicus audire ecclesiasticum, & hic rursus obedire debet politico in omnibus quæ lege præcepta sunt. Idcirco magistratus nõ est subiectus sacerdotibus, à Deo, tanquã dominis, sed tanquam Domini Dei ministris, & idcirco

Osias leprosus. 2. Paralip. 26.

Officia magistratus & ministrorum nõ confundenda sunt.

magis ipsi Domino & legi eius, cui & sacerdotes perinde ut principes, subiecti sunt. Si sacerdotis labia non loquantur uerbum Dei, non est quòd quisquam ex plebe nedum princeps audiat aut reuereatur titulotenus sacerdotem. Labia sacerdotis, inquit Malachias, custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est. Huiusmodi sacerdotes nolle audire, est ipsum Deum repellere. Et tales sacerdotes adiuuarunt pij principes Israelis, pseudosacerdotes deiecerunt ex gradu, negligentius facientes officium suum increparunt, atque de officijs obeundis & ritè administrandis decreta tulere.

De religione decreuerunt principes. *3 Reg. 2.*

De Solomone scriptum legimus, Solomon eiecit Abiathar ne esset sacerdos Domini, ut impleret uerbum Domini quod dictum erat super Heli in Silo, & posuit Zadok sacerdotem pro Abiathar. Et in lib. Paralip. 2. legis, Et constituit rex Solomon iuxta ordinationem Dauidis patris sui diuisiones sacerdotum super ministerijs suis & Leuitas in custodijs suis, ad laudandum & ministrandum corā sacerdotibus iuxta exigentiam cuiusq; diei. In eodem libro inungit quidem Ioiada sacerdos regem Ioas, sed hic uicissim uocat sacerdotem, & tradit mandatū de colligenda pecunia & reparando templo. Iam & Ezechias princeps religiosissimus & optimus uocat sacerdotes ac Leuitas, & ait, Sanctificamini & sanctificate domum Domini Dei nostri, & efferte immunditiam è sanctuario. Filij mei ne sitis modò socordes, quia uos elegit Dominus ut ministretis ei. Idem rex mox iubet sacerdotes sacrificare Domino. Constituit itē cantores in domo Domini, qui canerent in templo musicis instrumentis. Præterea constituit Ezechias rex diuersas turmas sacerdotū & Leuitarum, iuxta uaria officia eorum, unumquenq; secundum ministerium suum. Quid quòd ipsas quoque portiones, ipsa stipendia sacerdotibus, per sacerdotū distribuit? Idem rex pascha toti populo celebrandum indixit, adde & sacerdotales planè Epistolas de religione & uera pœnitentia agenda, ad omnē populum scripsit. Quibus omnibus tandem subijcitur, Et operatus est rex quod bonum & rectum atq; uerum erat corā Domino Deo suo. Ergo cum principes ordinant religionem secundum uerbum Dei, rem placitam Deo faciunt. Hoc ipsum recolligitur & de Iosia principe pijssimo. Quis ergo dixerit posthac curā religionis ad solos pertinere Episcopos?

Pfründen ordnen.

Christiani principes ordinarunt religionē.

Certè Imperatores Christiani principum priscorum ueluti patrum suorum exempla imitantes, diligentissimè procurarunt res religionis ueræ in ecclesia Christi. Rectè censent Arcadius & Honorius, Quoties de religione agitur, Episcopos conuenit agitare. Atqui ante hos Gratianus, Valentinianus & Theodosius, legē tulere sacratissimam, qua orbi exposuerunt quam religionem & fidem uelint recipi tenerię; ab omnibus, nempe doctrinam & fidem S. Petri. Declararunt in eodem edicto omnes eos esse hæreticos qui diuersum sentiunt & docent: catholicos autem quicunq; in fide S. Petri perseuerant. Colligimus ex his sacerdotum proprium officium esse de religione ex uerbo Dei constituere, principum autem esse iuuare sacerdotes, & prouehere tuerię; ueram religionem. Quòd si cessent sacerdotes, principum officium proprium est sacerdotes redigere in ordinem, & iuxta uerbum Domini constituere de religione. Certè Iustinianus Imperator in Nouellis Constit. 3. ad Epiphanium regiæ urbis archiepiscopum, Communi & generali lege, ait, ad beatitudinem tuam, ô patriarcha, de ordinatione sanctissimorū Episcoporum & reuerendissimorum clericorū disposuimus quæcunq; honesta & decora sacrisq; regulis conformia esse uidebantur. Et Constit. 7. Mandamus, inquit ne quis Episcoporum per omnis ditionis nostræ terras, licentiam habeat alienandi rem immobilem, aut in domibus aut in agris ecclesiarum. Item Constit. 57. prohibet

habet in priuatis domibus sacra celebrare mysteria. Addit pœnã, Alioqui domus in quibus peraguntur publicæ fient, & sub ærarium imperatoris deducentur. Constit. 67. præcipit omnibus Episcopis ne absint à suis Ecclesijs: si uerò abfuerint, nihil emolumenti aut stipendij accipiant à prouinciarum œconomis, sed in usus Ecclesiæ pios conferatur. Constit. 123. præcipit prouinciarum præsidibus, ut episcopis cessantibus ipsi cõuocent Synodum, ac leges exerceant tueanturq; Ecclesiasticas. Mox, Interdicimus, ait, Episcopis & presbyteris omnibusq; cuiuscunque gradus clericis, ne ad tabulam ludant, aut tali ludo utentibus se associent, aut spectatores sint, aut ad quodcunq; spectaculum spectandi gratia accedant. Hæc non proferimus tanquam scripturas canonicas, sed duntaxat ueluti indicia quæ declarant in Ecclesia quondam fuisse principibus potestatem, officium, consuetudinemq;, nimirum à Deo concessam (iuxta Isaiæ uaticinium) & ex ueteri desumptam exemplo, præcipiendi Episcopis, constituendiq; de religione in Ecclesia Christi.

Qui uerò hic obijciunt priuilegia Ecclesiastica, sciant nulli principi, imò nulli mortalium permissum esse dare priuilegia pugnantia cum mandatis & cum ueritate uerbi Dei. S. Paulus dixit sibi datã esse potestatem ad ædificationem non ad destructionem. Non enim iam commemoro, priuilegijs æquis indignos esse qui non sunt hoc quod audiunt sacerdotes & ministri Christi, sed milites potius & multis corrupti sceleribus. Legũtur in iure Canonico Distinct. 40. hæc inter alia, Videte fratres quomodo sedetis super cathedram: quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum sanctificat. Non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus est sacerdos. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit cathedræ: qui male sederit, iniuriam facit cathedræ. Itaq; malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit non dignitatem. Sed illa hactenus. *Priuilegia ecclesiastica.*

Postquam demonstrauimus c. v. ad magistratum quoq; non ad Episcopos tantùm pertinere religionis curam, & magistratum etiam leges constituere de religione, inquiramus modò quas constituat de religione leges. Non est autẽ quòd rex uel magistratus arbitretur sibi potestatem datam esse constituendi nouas leges de Deo, de cultu dei, de mysterijs: de uero & bono. Nam omnis magistratus ut à deo ordinatus, ac dei minister est, ita Deo obedire & legi uel uerbo Dei obtemperare, ac in hoc unicè respicere, & ab hoc solo pendere debet. Scriptura, quæ uerbum Dei est, abundè satis exponit quæcunq; ueræ religionis sunt: imò uetat Dominus uerbo suo quicquam uel addere uel subtrahere: magistratus ergo nullas condit leges nouas de Deo & cultu Dei, sed ueteres illas religiosè suscipit atq; custodit, applicat & propagat in regno sibi diuinitus concesso. Huc enim pertinet quòd regibus Israeliticis dabatur liber Legis diuinæ, ex quo regulam sumerent agendi quæ ex officio agenda erant. Ad Iosue dicit Dominus, Vide ut custodias & agas secundum uniuersam legem, quam præcepit tibi seruus meus Moses. Nõ recedes ab ea, uel ad dextram uel ad sinistram. Nec recedet liber legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo die & nocte, ut custodias & agas iuxta totum illud quod scriptum est in eo. Tunc enim prosperũ reddes iter tuum, & tunc ages prudenter. Principes ergo religiosi & sancti summa fide & diligentia contenderunt prædicationem uerbi Dei, leges, ritus & statuta Dei tradere populo, retinere conseruareq; in populo, imò & quàm latissimè per omnes propagare, pro loco item & tempore sanctè accommodare: falsam doctrinam, prophanos cultus & blasphemias proscribere, adde & eradicare. Sic inquam religiosas leges de religione con- *Quas leges constituat de religione magistratus.* *Josue 1*

stituerunt aut ordinarunt pij magistratus, Sic curauerunt sanctè & religiosè religionis negotium.

Scholæ. Scholæ erant quondam urbes Leuitarum in Israele. At has urbes studiorum causa & pietatis ergò diligenter constituit Iosue. Ezechias rex non minus solicitus est de stipendijs ministrorum ritè constituendis & reparandis, quàm de officijs restituendis formãdisq;. Honos enim alit artes: & inopia uarias excogitat exactiones: uenalia fiunt ipsa etiam sacra, nedum uana hominis lingua. Iosaphat unà cum sacerdotibus siue doctoribus senatores & tribunos mittit in totum regnum. Cupiebat enim modis omnibus uerbum dei prædicari cum authoritate & dignitate quadam, prædicatum aũt defendi ac in ipsa opera produci sancta. Iosias rex unà cum idololatria & prophanis cultibus tollit è medio pseudosacerdotes: restituit ueros uerbi dei doctores, restituit sacra: sicuti & Ioas rex ædificia sacra collapsa (obiurgatis Leuitis) restaurat. Non possum omnia recensendo prosequi: discat ex his pauculis pius princeps aut magistratus, quid & quo modo de religione constituat.

Nouorum cultuũ inuentores à Deo maledicti. Ex aduerso Ieroboam quidem audierat ab Ahia Silonita, Sic dicit Dominus, Regnabis iuxta id quod desiderat anima tua, & eris rex supra Israelem. Quòd si audieris omnia quæ præcepero tibi, & ambulaueris in uijs meis, feceris q; quod rectum est in oculis meis, ut custodias statuta & præcepta mea, quemadmodum fecit Dauid seruus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum firmam. Sed contempsit miser amplissimas illas promissiones, ac reiecto uerbo dei, tẽplo Dei Hierosolymitano & cultu legitimo, ipsis quoq; Leuitis repudiatis, ex fæce plebis creauit sibi sacerdotes, templa sibi noua extruxit, idolis ornauit seu deformauit potius, sacrificia non tradita uerbo Dei instituit & obtulit, adeoq; nouum quendam Dei cultũ, religionem nouam adinuenit. Et quamuis Deum colere uelle uideri cuperet, tamen diuinitus pro impio damnatur. Audite obsecro quid contra ipsum pronunciarit os domini, Tu (inquit Ahia ex sententia domini) malum designasti super omnes qui fuerũt ante te. Iuisti enim ac fecisti Deos alios, ac fusiles quidem illos, ut irritares me, & proiecisti me post tergum tuum. Ob id adducam malum super domum Ieroboam, excindamq; ipsi Ieroboam, mingentẽ ad parietem, clausum & derelictum in Israele, & expurgabo posteritatem Ieroboam, ceu stercus expurgatur, donec consumetur. Ac ad uerbum hæc omnia completa esse testatur scriptura hisce uerbis, Cum regnaret Baasa, percussit uniuersam domum Ieroboam, ita ut nihil spirans de Ieroboam faceret reliquum. Ac idem ille rex Baasa nihilo melior & prudentior factus alieno & miserabili sui prædecessoris exemplo, pergit religionem exoticam & uerbo Dei contrariam, à Ieroboamo cœptam, continuare, populo tradere, in hoc propagare & defendere, Audit itaq; & ipse à domino per prædicationem Hanani prophetæ, Quando euexi te de cœno, & posui te principem super populum meum Israel, tu autem ambulasti in uia Ieroboam, & fecisti peccare populum meum Israel, ut prouocares me in peccatis eorum, en ego excindam posteros Baasa, & ponam domum tuam sicut domum Ieroboam. Id quod factum exponit scriptura per Simri principem militiæ. Hic enim & Hela regem filium Baasa probè potum, & omnem eius posteritatem deleuit. Successit in regno Amri pater Achabi perditissimi nebulonis, quem in acie cæciderunt Syri. Regnarunt post ipsum filij Ochosias & Ioram. Verùm quando traditam uerbo Dei religionem reliquerant, & Ieroboami regiam sed nouam traditionem sequebantur, adde & Baalis pudendi idoli cultum adiecerant, excindũtur tandem funditus opera sæuissimi sed iustissimi principis Iehu. Regnarat propago Amri plus

3 Reg. 14.

minus

minus annis 40. multo cum innoxiorum sanguine, sed perit postquam mensura impietatis esset impleta: & radicitus iusto dei iudicio tandem excinditur. Discant ex his stupendis sanè exemplis omnes principes & magistratus cauere sibi à nouandis religionibus, & mutandis à Deo institutis cultibus legitimis ueteribusq;. Bonus est fidelis Dominus noster, religionē uerā & cultum legitimū plenè, simpliciter & absolutè in uerbo suo instituit, hominibusq; unicè & semper custodiendum tradidit: hanc ergo retineant omnes, huic in moriantur qui æternùm uiuere uolunt. Puniuntur cœlitus quicunq; religioni & cultui à Deo instituto uel addunt uel adimunt aliquid. Obseruate hæc ô uiri principes. Maxima hinc prouenit felicitatis & infelicitatis seges. Ergo qui habet aures ad audiendum audiat. Nemo patiatur se seduci bonis, sed uanis reuera impijsq; intentionibus. Multò gratior est Deo obedientia quàm uictimæ. Neq; indigent Dei statuta nostris emblematis.

Sequitur iam alterum caput ordinationis magistratus, id quod uersatur in rectè constituenda honestate, iustitia & pace publica. Id quod iterum absoluitur æquis & bonis legibus. Atqui sunt quibus uideatur tyrannicum esse, liberis hominibus inijcere leges, ceu iugum in colla libera: suo potius quemlibet relinquendum arbitrio. Dixit sanè Apostolus, Lex iusto nō est posita, sed iniustis. Cæterum ideo iusto non est posita lex, quoniam iustus est: iustus autem operatur iustitiam ac facit sponte sua quod exigit lex à quolibet mortalium. Proinde iusto lex minimè difficilis est, utpote quæ animo & menti hominis iusti consentit, & hæc illam cupidè amplectitur. Iniustus uerò animū explere sitit, & à lege per omnia dissentit, lege interim nè sibi & alijs noceat coërcendus. Ita consequens est, cum leges bonis nō sint onerosæ, sed gratæ magis, propter iniustos autem necessariæ etiam, adeoq; ipsis iniustis quoq; coërcendis datæ, eas omnibus esse bonas & utiles minimeq; reijciendas. Quid quod ipse deus, qui prænouit quales sint futuri homines atq; ueræ libertati fauet, ipsamq; in populo suo conseruatam cupit, & qui nihil facit instituitq; inutiliter, legem tulit, nec ulla unquam secula sine legibus uiuere permisit? Ac felices fuerunt respublicæ, quæ receperunt leges ac legibus se gubernandas præbuere: infelices seditionibusq; & bellis discerptæ, quæ legibus repulsis, suam illam libertatem, suum arbitrium, suam licentiam, id est, belluinam libidinem & probrosam barbariem retinere contenderunt. Sunt itaq; leges bonæ, salutares, adeoq; necessariæ ad pacem incolumitatemq; regni uel reipublicæ. Ac mirum est ita desipere quosdam Christianorum, cum Ethnici de legibus pronunciarint honestissimè. Agnouerunt legislatores suos pro dijs, ea re testantes, se fateri bonas leges munus esse Dei. Nequit autem Dei munus esse inutile & superuacaneum. Plutarchus appellauit leges urbium uitas. Demosthenes disertè cōfessus est leges esse dona Dei. Cicero nuncupauit illas uincula ciuitatis (utpote quæ sine legibus dissoluta dispergitur) fundamenta libertatis, æquitatis, & honestatis fontes. Leges enim reuera sunt nerui reipub. ualidissimi, & animæ magistratuum: ut nec cōmodè uiuant & gubernent rempub. sine legibus, neq; leges uim suam exerant adeoq; & uiuant sine principibus. Itaq; magistratus est lex uiua, lex autem est magistratus mutus. Exequutione & applicatione redduntur leges uiuæ & uocales. Id non intelligunt principes qui dicunt, wir sind das rächt. Nos sumus ius & lex. Intelligunt enim se pro sua libidine quidlibet præcipere posse, atq; id protinus recipiendum esse ab omnibus pro lege. Cæterum hoc citra controuersiam est tyrannicum. Notissimum est illud ex poëta desumptum, planè tyrannicum,

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Est sanè princeps uiua lex, si animus eius obediat legibus scriptis, & nō dissentiat

Leges regnis aut rebuspub. bonas & necessarias esse.

1 Timo. 1.

Magistratus lex uiua.

à legibus naturæ. Ergo subijcitur legibus magistratus & dominatus. Nisi enim principis animus consentiat legi, legem habens scriptam in pectore, & legem dictis & factis exprimat, non est appellandus uir bonus nedum princeps. Rursus dominatur legi, & magister est legum princeps aut magistratus bonus: non quòd liceat ei illas calcare, abolere, dissoluere, figere & refigere: sed quòd illas & exercere in populo, & adhibere applicareq; pro rerum exigentia, atq; eo modo & hac ratione moderare siue interpretari potest.

Addere & adimere legibus.

Errant ergo toto cœlo, qui arbitrantur propter aliquot Imperatorum & regum priuilegia, concedentia magistratui, legibus alicubi adijcere aut adimere aliquid mutareq; illas, licere sibi bonas leges abolere in uniuersum, uiuereq; contra ius & decorum. Nam sicut nullis permissum est imperatoribus & regibus, priuilegia donare quæ pugnent cum æquo, bono, & honesto: ita si donēt tale quidpiam, nec recipiendum nec agnoscendum est ab honestis ciuibus tanquam donum aut beneficium, sed habendum magis pro pernicie, uti reuera est, & pro maleficio. Semper permanet apud omnes & omnibus seculis immota legum de honestate, iustitia & pace publica, mens & substantia, in circumstantijs fit mutatio, & adhibetur interpretatio pro rei exigentia, pro æquo & bono. Lex est, Nemo cædat alterum: si cæciderit, cædatur & ipse. Illa lex perpetua est, immutabilis, neque licet illam cuiquam abolere ullis tēporibus. Interim rigor legis imminui potest, & lex ipsa interpretari commodè: nempe si quis alterum cædat, qui sit ipsi eximiè charus, & cædat fortè fortuna, non dedita opera, non odio & malitia, ideoq; cædem redimere cupiat, si fieri posset, magno. Hic sanè minimè cædendus est, ac dispensat hac parte cum rigore legis magistratus. Est alius qui diutino & uatiniano quidem odio alterum prosecutus est, quem & cædit, sed prætextu fortunæ. Occasionem enim quæsiuit, ut speciem pro se habeat casus fortuiti. In huiusmodi causa nihil legis potest mutare magistratus, sed cædat oportet eum, quem legis mens iussit cædere. Huius generis & alia possem proferre exempla, sed caueo, quantum fieri licet, ne sim c. v. nimia copia & prolixitate onerosus. Satis claret ex disputatis, leges esse bonas & sempiternas, ac quatenus admittant principum, quam uocant ἐπιείκειαν, id est, moderationem, uel æquitatem, uel interpretationem, limitationem, dispensationémue, ne ipsis illud tritum & uulgare hæreat, Summum ius, summa iniuria.

Qualibus & quibus legibus utatur magistratus.

Demonstraui hactenus leges esse bonas, utiles, necessarias, æternas: cōsequens ergo est istis adijcere, qualibus uel quibus maximè legibus utatur magistratus, quibus honestatem, iustitiam & pacem publicam pro suo officio constituat atque conseruet. Visum est quibusdam magistratum nullis oportere uti legibus scriptis, sed pro naturali æquitate, pro temporis, loci, personarum & rerum exigentia, id quod ipsi uideatur optimum, pronunciare. Alij cōtendunt omnibus regnis & rebuspublicis leges Mosis iudiciales obtrudere. Sunt qui hac repudiata & proscripta, nihil agnoscant quàm quod petitum est ex legibus principum ethnicorum.

Legibus scriptis opus.

Atqui cum illi, qui in magistratu uersantur, uel boni sint uel mali uiri: cumq; in optimos uiros cadant cupiditates, ira, odium, fauor, dolor, metus & affectiones aliæ, cui quæso tradiderunt rempublicam gubernandam, quicunq; scriptis legibus ac certo iure repudiato, iubent hominem quemlibet in magistratu constitutum pro animi sui sententia pronunciare? An non belluæ subiecerunt rempublicam? Quid hic dicā de malis in magistratu hominibus? Furijs subdidit regnum, qui pessimorum hominum decretis subdidit. Sed uolumus, inquiunt, illos pronunciare ex naturali æquitate, non ex animi corrupti libidine. Pronunciabunt

ergo

ergo isti ex corrupta animi libidine, ac increpiti, dicent se pronunciasse ex naturali æquitate. Adijcient se non aliter posse iudicare, neq; aliter negotium posse intelligere. Id ipsis uideri optimum quod decreuerunt: nec hic quicquam actū contra conscientiam. Te autem in ius uocabunt qui ausus fueris ipsorum uituperare sententiam. Ita uerò peribit iustus, & dominabuntur barbarissimi affectus, & homines scelestissimi. Et ut maxime donemus omnes in magistratu constitutos esse uiros bonos, excitabit tamen inter ipsos sententiarum diuersitas iurgia & turbas perpetuas. Proinde expensis omnibus, longè præstabilius est scriptis uti legibus. Hoc ipsum doceat nos exemplū dei nostri æterni, sapientis, optimi, maximi, dantis populo illi suo peculiari leges scriptas. Sat relinquitur aliàs negotij magistratibus, iudicandi scilicet, id est, applicandi cōferendiq; causas legibus, quatenus conueniant aut discrepent, qui peccarit contra leges, qui minus. Porrò in lege Mosaica, iudiciali in primis, sunt multa genti Iudaicæ propria peculiariaq;, pro ratione loci, personarum & temporis sic constituta: ut si ea pergamus omnibus alijs imponere & aptare gentibus, cum ratione insanire uideamur. Quorsum uerò attinet iam olim eliminatas ethnicorum immunditias postliminio reducere in forum populi Dei? Apostoli itaq; domini nostri Iesu Christi, neminē obstrinxerunt aut grauarunt legibus Mosaicis, neq; bonas ethnicorum leges damnarunt, neque malas cuiquam commendauerunt, sed leges ipsarumq; usum uel delectum permisere sanctis liberum. Interim diligētissimè inculcarunt omnibus timorem Dei, fidem, charitatem, iustitiam & temperantiam, quòd imbuta his uirtutibus pectora, nullo negotio uel ipsi bonas leges condunt, uel ex aliorum legibus optimas deligunt. Nihil enim refert siue ex Iudaicis legibus Mosis, siue ex Ethnicorum legibus probatis, sibi magistratus leges, quantum satis est, colligat, uel ueteres illas & hactenus usurpatas, resecatis impijs, iniquis & turpibus duntaxat, si quæ in ipsis inueniantur, retineat. Censeo enim magistratibus æquis diligenter cauendam curiositatem & nouitatis studium. Raró sine motibus & turbis configuntur, quod Prouerbio dici consueuit, cornicum oculi: & quæ ordinantur à curiosulis, ferè abolitis sunt deteriora.

Lex Mosis non obtrudenda regnis.

Curiositas & nouandi studiū.

Porrò leges omnes uel de religione & cultu Dei externo præcipiunt, uel de externa uitæ conuersatione ciuilibusq; moribus. De religionis legibus dictum est superius. De ciuilibus uel politicis legibus hæc addimus, optimas uideri illas quæ pro cuiuslibet loci, personarum, rerum, temporisq; ratione, quàm proximè accedunt ad Decalogi præcepta & charitatis regulam, nec habent quicquam iniquitatis uel licentiæ & turpitudinis. Sint præterea breues succinctæq;, nō in immensum extensæ aut multis implicitæ expositionibus: sint directæ ad iustum scopum, ad rem facientes, non superuacuæ. Tribus autem comprehenduntur ferè capitibus leges politicæ, honestate, iustitia, & pace. Proinde huc spectent leges, ut in republica plantetur uel retineatur disciplina & honestas: nempe nequid fiat indecorè, libidinosè ac turpiter. Legibus proscribatur omnis obscœnitas, petulantia, leuitas, libido & luxuria, in uestibus, ædificijs, poculis, cibis. Sanctè colatur coniugium. Exulent fornices cum scortatione. Exulent adulteria, stupra, raptus, atque incestus. Exhibeantur conuiuia moderata. Colatur frugalitas, uectigal omnium maximum. Breuiter quicquid cū honore & decore pugnat, legibus explodatur. Muniatur legibus iustitia. Caueatur ne quis uel indigenarum uel peregrinorum lædatur, in fama, in fortunis, in corpore uel uita. Lædens alium uiolenter uel insidiosè, puniatur secundū leges. Sint leges iustæ de adeundis hæreditatibus, de contractibus, stipulationibus, fideiussionibus, emptionibus, de ponderibus & men-

Leges ciuiles quales.

Leges de honestate.

Leges de iustitia.

furis, de locationibus, mutuo, deposito, de mercede conductis, de usu fructibus & usura. Sit ordo inter patrem & liberos, inter coniuges, inter dominum & seruum, breuiter suũ cuiq; cedat ex integro. Neq; enim statui hic omnes iuris titulos commemorare. Præterea procuranda erit legibus pax, ut quisq; suis tranquille posit frui. Depellenda est omnis uiolentia & iniuria, sopiendæ simultates & insidiæ. Bella quoque sopienda sunt prudentia, uel excipienda finiendaq; fortitudine heroica.

Leges de pace.

Cæterum ut talis nobis & magistratus & uita obtingat, iussit Apostolus ualde precari dicens, Adhortor ut ante omnia fiant deprecationes & obsecrationes, interpellationes item, & gratiarumactiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus in eminentia constitutis, ut placidam ac quietã uitam degamus cum omni pietate & honestate. Rursus cogor nundum plenè absoluta hac causa uela colligere. Cras adijciam reliqua. Vos iam diligenter animis in cœlum sublatis orate, &c.

De iudicio & officio Iudicis. Iudicia non esse Christianis prohibita. De vindicta & pœna. An liceat magistratui cædere sontes. Quare, quando, quomodo, & quid puniat. An propter religionem punire posit. SERMO VIII.

DIXI heri de ordinatione magistratus, restant duo reliqua huius officia, Iudicium & Pœna siue ultio, de quibus, pro gratia à deo concessa, breuitate succincta dicam: uos intentis animis attendite, & domino pro gratia supplicate.

Iudicium quid.

Iudicium uariè accipitur, sed in præsenti est sententia iudicum interposita inter litigantes, desumpta autem ex legibus secundum æquum & bonum, prout causa proposita à partibus requisiuit, pronunciata in hoc, ut dirimat litigantes, & ut suum cuiq; cedat. Prodeunt enim in iudicium consessum partes, litigant de hæreditate aut possesione aliqua, quam partium quælibet ad se iure pertinere contendit, propositis in medium argumentis, quibus suum ius probant atq; demonstrant. Ea diligenter audiunt & colligunt iudices, deinde eadem conferunt inter se & cum legibus, postremò ferunt sententiam, qua possesionem alteræ parti decernunt, alteræ adimunt. Similis ratio est & in alijs causis. Hoc uerò iudicium est, ipsa inquam iustitiæ executio. Est autem hęc ratio dirimendi & componendi partes lenior, consequente nimirum pœna atq; uindicta, cum iam non tantùm uerbis res agitur & sententijs, sed uerberibus & gladio. Et sunt quidem caussæ diuersæ, quarum aliæ non possunt nisi gladio finiri, aliæ sententijs & mitius longè tran siguntur. Cæterum in his est salus & incolumitas regni uel reipub. Sunt itaq; iudicium & pœna in officijs magistratus longè præstantissima, etsi uideantur dura ac crudelia. Verùm nisi exerceatur hæc (ut uidetur) crudelitas, omnes ætates, ordines & sexus experientur longè crudeliora & reuera crudelissima. Nam crudelitas non est, quę iubente domino, ad seruandos innoxios, & ad tranquillitatem in regno seruandam, exercetur, iusta magis est seueritas. Finge autem rempublicam esse quæ absolutissimis instructa sit legibus, quod religionem attinet & mores politicos: finge præterea nullum esse in republica illa magistratum qui leges illas exerceat & tueatur, qui omnia dicta & facta hominum ad illas leges redigat atq; reducat: & iccirco quemlibet pro sua libidine perrumpere & quidlibet agere, quid oro leges illæ scriptæ prosunt ciuibus? Nihil prorsus. Præstantissima ergo officiorum pars in iudicio & ultione consistit. Et requirunt illa uirum siue iudicem præstantem

Iudiciũ et ultio præstantissima in officijs magistratus.

stantem & heroicum: quem ipse Dominus in lege sua, qualem esse cupit ac officiū quod agat graphicè describit: quam descriptionem recitabimus atque explicabimus, quando in hac re iudicis persona primas tenet.

Moses præcipiente Domino ad iudices ait, Audite causam fratrum uestrorū, & iudicate iustè inter uirum & fratrem eius & inter peregrinum eius. Non recipietis faciem in iudicio: tam paruum quàm magnum audietis: neq; timebitis ab ullo uiro, quia iudicium Domini est. Duo agit diuinus propheta in his uerbis. Indicat quodnam sit iudicis officium: & quæ uitia quiue morbi inficiant iudicem, quò minus suo officio satisfaciat. Et quantum attinet ad officium boni iudicis, primò requiritur ab eo ne quem repellat, sed audiat omnes, paruū, magnum, inquilinum, ciuem & peregrinum, notum & ignotum. Audiat autem partes beneuolè, diligenter, attentè. Excluditur his socordia & animus à dicente alienatus. Excluduntur præiudicia, quæ mentem iudicis alienant. Ipsa res clamat audiendum esse intelligendumq; sobriè priusquàm iudicandum. Et uulgare est illud, Audiatur & altera pars. Prudenter dicebat iudex ille accusatori se alteram præbuisse aurem, alteram reseruasse reo. Comprehendimus in his cognitionem iudicis diligentem, ne acceleret iudex in causis nondum plenè cognitis, quas uidelicet iudex ex re ipsa non ex delatione partium iudicare debet. Deinde iudicet, ait, & iustè quidem iudicet iudex. Iudicare est discernere & pronunciare secundum leges pro æquo & bono, quid bonum, quid malum, quid rectum, quid iniquum. Heluetij utimur uocabulo **vrteilen oder erteilen oder richten**, quasi quis dicat rem diligenter expensam discriminare, & incuruam complanare & rectam facere. Partes affectibus cæcatæ res rectas incuruas faciunt, iudex ad normam æquitatis & legū adhibens, rursus rectificat: ergo iudicare est rectificare. Præterea iudicare est defendendo & puniendo asserere. Iudex ergo iudicat cùm asserit innoxium, coërcet nocentem. Cæterum iudicandum est iustè, id est, secundum iustitiam & leges, quæ unicuiq; suum illud reddunt. Iniustè iudicat iudex, cùm contra leges & iustitiam, ex uitiata affectibus mente, pronunciat. Inspicienda ergo iam sunt uitia iudicum.

Iudicis officiū describitur. *Deu. 1.* *Audiat & cognoscat.* *Iudicet iustè.*

Et plurima quidem sunt iudicum uitia morbiq; animorum uarij: sed præcipui duo. Alter morborum corrumpentium animos iudicum, quò minus suum exequantur officium, est receptio facierum seu respectus personarum, nempe cùm iudex in iudicio non ipsas res, uel caussas quales reuera sunt causarumq; circunstantias, sed uel dignitatem excellentiámue, uel humilitatem sortémue afflictam, uel genus, uel clientelam, uel tale quidpiam spectat. Hoc malum excludens Dominus, Iustè, inquit, iudicabitis, non recipietis faciem in iudicio: tam paruū quàm magnum audietis. Alter morborum est metus, sanè uehemens affectus, omnia disturbans præclara consilia, omnesq; præfocans uirtutes. Sub metu intelligimus & spem, nimirum emolumenti, adeoq; & munerum corruptelam. Qui metuit uitæ suæ aut fortunis suis, aut ne quem offendat magnatum, néue iudicia & odia uulgi in se excitet: qui munera accipit, aut se accepturum ab altera partium sperat, impingit in iustitiam, & promouet iniquitatem. Dominus itaq;, Non timebitis, inquit, ab ullo mortalium: non sperabitis à quoquam quicquam munerum. Ratio, Non uestra res agitur, neq; huc uocati estis ut rem uestram conficiatis, sed Dei iudiciū est. Spectanda est ergo uoluntas & lex Dei. Ac Deus tueri potest iudices iustos contra iniqua quorumuis odia, & contra omnem uiolentiam. Præterea cùm dicitur iudicium esse Dei, admonent iudices Dei iudicis supremi exemplum ipsis esse imitandū. Quale uerò Dei exemplum sit, exponit idem Moses in 1. cap. Deut. & ait, Deus non suscipit nec personā nec munus, ipse facit iudicium pupillo & ui-

Iudicum uitia. *Respectus personarum.* *Vehemens affectus.* *Iudex Dei exemplum imitetur.*

duæ: & amat peregrinum, ut det illi panem & uestitum, diligetis ergo & uos peregrinũ. Ita agere oportet etiam iudices diuinos in iudicio Dei. Certè Iosaphat princeps religiosissimus constitutis à se iudicibus dicit, Videte quid agatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, qui uobiscũ est in causis quas iudicatis. Sit ergo timor Domini in uobis, obseruate & diligentes estote. Quoniã non est ulla peruersitas aut corruptio apud Dominum Deum nostrum, ut uel personas suscipiat uel munera recipiat.

2.Paralip.19.

His adijciam alios quoq; scripturæ locos qui superiores illustrent partim, partim officiũ iudicis significantius explicent & ornent. In Deuteronomio legimus, Iudices iudicabunt populum iusto iudicio. Non declinabis iudicium, nec agnosces personam, neq; accipies munus. Quoniam munus excæcat oculos sapientũ, & peruertit uerba iustorum. Iustitiam iustitia prosequaris, ut uiuas & possideas terram. Rursus in Exodo legimus, Non sequeris multitudinem in malo, neque respondebis in causa, ut declines post multos ad peruertendum. Pauperem non ornabis in causa sua: neq; peruertes causam pauperis tui in causa sua. A uerbo falso longè aberis: nec innocentem & iustum occides. Quoniam non iustifico impium. Munus ne acceperis, quia munus excæcat uidentes & peruertit uerba iustorum. Item in Leuitico sic legis, Non facietis peruersum quid in iudicio, nec suscipias faciem pauperis, neq; honorabis uultum magnifici, in iustitia iudicium proximi tui decernes. Item, Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere & in mensura. Bilanx iusta, lapides iusti, epha iustum, & hin iustũ sit uobis. Ego Dominus Deus uester, &c. Comprehensum in his Domini Dei nostri uerbis aut præceptis paucissimis, omne illud arbitror, quod philosophi & iurisprudentes uix multis absoluunt libris. Super hæc omnia sanctissimus Dei propheta Ieremias clamat, Facite iudicium & iustitiam, & liberate ui oppressum de manu calumniatoris: peregrinum quoq;, pupillum & uiduam ne contristetis, neq; iniuriam faciatis, & sanguinem innocentem ne effuderitis. Hæc de iudicum officio.

Exod.23.

Leuit.19.

Ierem.22.

Iudicia non esse abrogata inter Christianos.

Math.5.

Frustra uerò de his hucusq; apud quosdam disseruimus, nisi etiam ipsorum obiectiones diluamus, quibus contendunt demonstrare forum in uniuersum omne abrogatũ esse, in euangelio dicente Domino, Et qui te uelit in ius trahere ac tunicam tuam tollere, permitte illi & palliũ. Et iterum, Cùm abis cum aduersario tuo ad magistratum, da operam ut in itinere componas cum illo, ne fortè tradaris tortori. Addunt lites forenses ab Apostolo Paulo ad Corinth. scribere in cap 6, damnatas. Ad quæ sic respondemus. Sicut œconomiã non abolet & damnat doctrina Euangelij & Apostolorũ, ita neq; politiã. Obiurgat & repellit Dominus in Euangelio secundũ Lucam, adolescentem qui postulabat ut cum fratre suo ageret, quò is partẽ hæreditatis æquam cederet: non quòd damnaret si quis posceret diuisionem æquam, aut partẽ iure sibi debitam, sed quòd existimaret id nequaquam sui esse officij, sed iudicum. Quis, ait, constituit me iudicem aut diuisorem inter uos? Præterea sicut in Euangelio scriptum legimus, Si quis uelit te rapere in ius, & tunicam tuam à te tollere, cede illi & pallium: ita ex aduerso non requiritur aliud in tota euangelica doctrina maiore diligentia quàm charitas & beneficentia. Cæterũ confertur beneficentia si aliàs, per iudicium & iustitiã maximè. Cùm autẽ propter iudicium & iustitiã exercendam & conseruandam inuenta sint iudicia: claret ipsa per Euangelium minimè esse abrogata. Clamant insignes prophetæ Isaias & Zacharias: Ille, Cessate malefacere, discite benefacere, quærite iudiciũ, subuenite oppresso, agite in iudicio causam pupilli & uiduæ: Hic uerò, Iudicate iudicium ueritatis, & facite beneficentiã ac misericordiam unusquisq; cum fratre suo. Viduam

Isaie 1.
Zach.7.

& pu-

& pupillum, peregrinum & pauperem nolite calumniari. Peccant ergo qui iudicia perturbare, & iudices è subsellijs deturbare pergunt. Nam ut bonã ueri Dei cultus partem auferunt, sic iniurijs, rapinis & oppressioni pauperũ ianuam aperiunt. Præcepit Dominus, fateor, quæ recitata sunt ab aduersarijs Ea ratione uoluit consulere hominũ quieti: sed quoniam malitia hominum est insuperabilis, patientiaq; innocuorum animos addit iniquis nebulonibus, nequaquam damnauit dominus moderatum iudiciorum usum. Sed & Paulus Apostolus nõ semel iudicijs legitur usus in Actis Apostolorum, non propter pecuniam sanè aut peculium, sed propter uitam suam quam cupiebat seruatam defensamq; à latronibus. Nec consentit in iniquum Festi præsidis iudicium, sed appellat ad Cæsarem: & tamen non ignoramus Paulum actione hac sua nihil peccasse contra doctrinam Christi euangelicã. Idem Paulus ad Corinth. non damnat absolutè quòd in foro decertarent Corinthij super rebus ad uictum pertinentibus, sed quòd sub infidelibus litigarent iudicibus. Decebat quidem æquo animo iniurias ferre, indecens est ulli ullam inferre iniuriam: quoniam uerò Dominus iniuriam sustinentibus mederi subuenirique uoluit in iudicio, nihil peccat qui cupiat iniuriam à se propulsatam, non uindicta priuata, sed æqua iudicum sententia. Ideoq; præcipit Corinthijs Apostolus, sibi ex fidelibus deligant iudices, qui litigantes propter res temporales dirimant.

Exposita parte officiorum magistratus secunda, iudicio uidelicet, descendimus ad tertiam & postremam explicandam, ad uindictam & pœnam. Nam magistratus pro officio suo gerit gladium: ergo diuinitus iubetur uindicare bonos & cædere malos. Gladius enim diuina est uindicta seu instrumentum, quo Deus suas persequitur iniurias & hostes suos: ac usurpatur generaliter in scripturis pro ultione & uindicta. Apud Ieremiam clamat Dominus, Gladium uoco super omnes habitatores terræ. Item apud Ezechielem, Gladius acutus & politus est ut iugulet uictimam. Rursus, Dabo gladium meum in manus regis Babel. Certè Pharaones Ægyptijs dicti sunt reges ipsorum, quasi tu dicas uindices. Est autẽ duplex apud magistratum gladij usus. Vel enim sontes puniunt propter iniurias alijs illatas & propter maleficia uaria: Vel bello depellunt hostem grassantem, aut opprimunt rebelles uel seditiosos suos ciues. *De uindicta magistratus.* *Gladius.*

Verùm objicitur hic nobis iterum, secundum doctrinam Euangelij neminem posse uel occidi uel occidere, eò quòd dictum sit à Domino, Ne resistatis malo. Et ad Petrum, Converte gladium tuum in uaginam suam. Omnis qui gladiũ sumit, gladio interit. Respondemus in tota scriptura priuatam prohiberi uindictam, non publicam. Priuata autem erat uindicta & inordinaria, quam exercere parabat Apostolus Petrus, ad prædicationem uerbi Dei, non ad tribunal, ad arma aut militiam uocatus. Atq; contra priuatam & inordinariam uindictam rectè pronunciatur, Omnis qui sumpserit gladium, interibit gladio. Cæterum publicam uindictã & ordinarium gladij usum minime à Deo in ecclesia prohibitum esse, demonstro hoc diuini Apostoli testimonio. Docuit Paulus in 12. cap. ad Romanos quid à nobis exigat Euangelica perfectio, & inter alia profert & hæc, Ne ulciscamini uosipsos dilecti, quin potius date locum iræ. Scriptũ est enim, Mihi ultio, & ego rependam. Quoniam uerò obijci poterat, Atqui hac ratione Christiana patientia cædibus & parricidijs copiosissimã suppeditabit materiam, subijcit in mox insequente cap. 13. Magistratus Dei minister est, tibi in bonum, ad terrorem malè agentibus. Non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est, ultor ad iram, ei qui quod malum est, fecerit. Colligimus ergo ex hac Apostoli doctrina abs quolibet nostrum Deo permittendam ultionẽ, nec licitam esse uindictam priuatam. Licita est *An liceat occidere uel punire sontes.* *Math. 5.*

autem publica & ordinaria. Nam Deus qui dixit nobis, Mihi uindictam cedito, & ego retribuam, idem uindictam illam sibi permissam aut datam, concedit magistratui. Idcirco magistratus est gladio persequi hominum iniurias, idq; diuino nomine & iussu. Ergo quando punit magistratus, Deus ipse, cuius est uniuersa ultio, punit per magistratum, qui hoc nomine appellatur Deus. Præterea scriptum est, Maleficum non patieris uiuere. Item, Dissipat impios rex sapiens, & conuertit super eos rotam. Rursus, Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, uterque est abominatio Domini. Nec desunt exempla approbantia nobis quosdam incurrisse iram Domini grauissimã, quòd clementia præpostera pepercerunt illis, quos mandarat Deus gladio percutere. De Saule loquor & Achabo. Ex aduerso sunt innumera optimorum principum exempla, testantia maxima cum laude supplicium sumi de sceleratis. Neq; enim ullum peccatũ aut ulla culpa hæret in feriente & supplicium sumente principe de noxio & scelerato homine. Ideoq; in lege usq; ad fastidium repetitur, Sanguis eius super eum. Porrò sanguis noxij licet non effusus sit, imputatur magistratui pro culpa, quando sui negligens officij ueniam dat nulla uenia dignis, nec uindicat innoxiũ. Nam particeps efficitur iniuriæ & effusi sanguinis iusti, quem non uindicat, dum illi parcit cui iusserat Dominus in ceruicem deuergere gladium. Profectò non est crudelitas (uti falsò iudicatur) iusta magistratus seueritas, in puniendis maleficis hominibus. Præpostera autem clementia parcens facinorosis & indignis uita consortióue hominũ, reuera atrox est crudelitas. Nam cùm magistratus mortem meritos nephandis flagitijs dimittit impunitos ac incolumes, augetur principiò audacia simili scelere obnoxijs, progrediendi uidelicet in sceleribus. Vident enim parsum esse simili facinore diffamatis. Deinde qui nondum in profundum scelerum demersi sunt, tentantur autem à malo in horas, ut se totos demergant in nephanda flagitia, facilius manus dabunt. Vident enim clementer tractari facinorosos. Postremò nihilo meliores ferè redduntur impunè dimissi: imò conduplicant iam mala, eoq; recidit tandem res ut cogaris illum iam ferire propter parricidia multa, in quo noluisti punire unum homicidium, seruareq; innoxios quos interea latro sustulit. Lupos ergo & ursos emittunt in plebem, qui nebulones nepharios dimittunt.

Clementia præpostera.

Seueritas non est crudelitas.

Ostenso iure gladij, & quòd magistratus uindicare iniurias hominum, & facinorosos occidere possit, consideremus porrò quæ sint causæ, ob quas Deus iubet supplicium sumere de noxijs hominibus, item quando sit sumendum supplicium, deniq; quæ sint suppliciorum aut pœnarum irrogandarum à magistratu genera.

Quare deus iubeat punire facinorosos.

Causæ potissimæ propter quas noxios punire palàm præcipit Dominus, illæ ferè sunt. Vim ui repellit, & hominum salutem & incolumitatem operatur Dominus, uindicat iniuriam perpessos, & restituit quæ restitui possunt. Idem iustitiam suam declarat, quæ cuiq; rependit pro suo facto. Probrosa ergo facta, morte eluit probrosa. Admonet reos sui sceleris, & sensum ferè indit pœnitentiæ & salutis. Nã si facinorosus agnoscat scelus admissum, pœniteatq; ipsum delicti, & toto pectore credat in Christum, remittitur ipsi peccatum & saluatur: sicuti apertum habemus in latrone crucifixo testimonium. Cui certè supplicium fuit salutis occasio. Alteri latronum nihil salutis obuenit, quia non credidit in Christum, neque diuexatione illa sua admonitus sapere cœpit. Præterea exhibetur iudicijs publicis & uindicta, exemplum omnibus alijs hominibus, quò discant ipsi sibi ab huiusmodi cauere flagitijs, nisi simili malint perire supplicio.

Lucæ 23.

Non animaduertat autem magistratus in quenquam nisi constet prius puniendum, eam quam decernunt iudices pœnam commeruisse, ac Deum iussisse in

Quando animaduertat magistratus in noxios.

tale

tale delictum animaduertere, id est, iure Dei damnatum esse quod punitur. Illud uerò constabit ex propria liberaq; puniendi confessione, uel ex testimonijs probatis contra puniendum latis siue collectis, deniq; ex collatione legum cum ipsis puniendorum sceleribus. Ergo non licet magistratui animaduertere in uirtutes, in ueram religionem & in uiros probos, honestos, & religiosos. Magistratus enim ordinatus est à Deo ad terrorem non bonis sed facinorosis.

Ac de modo & ratione pœnarum non est curiosius disputandum. Seruet quælibet gens aut ciuitas sua supplicia & modum suppliciorum, nisi fortè mores patrij habeant aliquid truculenti & iniqui. Hoc enim ad æqui & boni regulam moderandum esse, nemo sanus negauerit. Species suppliciorum sunt deportatio siue exilium, diminutio capitis, mulctatio in fortunis, carcer ac uincula, uirgæ, stigmata, amputatio membrorum, ipsa denique mors perfecta gladio, igni, aqua, laqueo, aut modis alijs, cuilibet genti proprijs. Nec caret scriptura tristium huiusmodi titulorum catalogo. Legimus enim in libro Esdræ, Quicunque autem facere noluerit legem Dei tui atq; legem regis, de hoc illico fiat iudicium, siue ad mortem, siue in exilium, siue ut facultatibus mulctetur, siue ut conijciatur in uincula & carcerē. Hæc non temerè propter eos commemoro, quibus hæc uidentur inter fideles non esse uel nominanda. *Quæ suppliciorum genera.*

Cæterum modus in his discretioq; apud iudices sit oportet, certè ut enormia peccata grauiter puniantur, minora delicta mediocribus supplicijs coërceantur, in minima uerò seu leuia moderatius animaduertatur. Notissimum est illud è lege diuina, Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Vbi etiam locum habet consideratio clementiæ iudicis. Excusat reum non raro uel sexus uel ætas. Excusantur aliquando facta eius alioqui non bona circunstantijs ritè expensis. Consideratur item à iudice diligenter Rei anteacta uita, quæ cùm hactenus fuit honesta & proba, plus meretur reus clementiæ, nisi facinus ob quod modò tenetur uinctus tam sit enorme, ut nullam admittat clementiam. Verùm pietas siue timor Dei, preces quoq; effusæ ad Dominum, & diligens legitimaq; facti aut dicti, id est, facinoris examinatio, optima erunt regula quando iudex uel clementer uel seueriter agat. Alioqui decens clementia maximā habet laudem cùm apud Deum, tum apud homines. *Discretio et clementia iudicis.*

Demonstraui charitati uestræ quòd magistratus punire sontes & possit & debeat, deinde quare uoluerit Deus puniri palàm facinorosos, hinc quando, quomodo, & quantum sint puniendi. Restat ut dicamus propter quid, uel ob quæ delicta sint puniendi. Id autem uno uerbo exponi potest, omnia dicta & facta quæ legibus Dei & magistratus contraria sunt, id est, omnia quæ contra leges sceleratè fiunt, sunt punienda. Iam uerò leges latæ sunt uel de religione, uel de rebus ciuilibus. Ac hæ quidem uersantur circa honestatem, iustitiam, pacem. Proinde punire aut coërcere oportet omnes quotquot honestatem, iustitiam, & pacem publicam, & ciuium priuatam conturbant, affligunt, uexant, perdunt atq; subuertunt. Puniatur fœditas, obscœnitas, libido, stuprum, fornicatio, adulterium, incestus, sodomia, luxus, ebrietas, crapula, auaritia, impostura, usura atterens, proditio, cædes, parricidium, seditio, & si quid aliud est huius generis. Catalogum satis prolixum texit Dominus in lege sua apud Mosen Leuit. 18. & 20. Et ne quis hodie illa arbitretur esse abolita, audiat sanctum Paulum dicentem, Iustis non est lex posita, sed iniustis & inobsequentibus, impijs & peccatoribus, irreuerentibus & prophanis, patricidis & matricidis, homicidis, scortatoribus, masculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, periuris, & si quid aliud est quod sanæ doctrinæ ad- *Quæ nam sint punienda in noxijs.* 1 Timo 1.

uersetur. Sed contra religionis leges peccant apostatæ, idololatræ, blasphemi, hæretici & falsi doctores, religionis denique irrisores.

An magistratus punire possit propter religionem uiolatam.

Controuersum est autem & controuertitur hodie adhuc, an liceat magistratui suæ potestati subditos punire religionis uel contemptæ, uel contumelijs affectæ gratia? Manichæi & Donatistæ fuerunt in ea sententia, quòd nemo sit religionis gratia urgendus, nedum cædendus, sed quilibet suo relinquendus arbitrio. Verùm scriptura diuina disertè mandat magistratui, ne pseudoprophetis parcat: imò iubentur rebelles Deo, legibus & iudicibus sanctis, occidi sine misericordia. Loca sunt in scripturis illustrissima, & nemini non notissima. Alter habetur Deut. 13. alter in eodẽ lib. cap. 17. In exodo hæc ponitur lex, Qui immolat dijs præterquàm Domino soli, exterminetur. Occiditur ac lapidibus obruitur blasphemus in Leuitico. In Numeris cæditur qui uiolarat religionem sabbati. Et quot quæso illorum cadunt gladio ultore sternente, qui uitulum erexerant & coluerant in deserto? Helias celebri sacrificio mactauit aliquot centurias pseudoprophetarum ad montem Carmeli. Eliseus mandante Domino inungit Iehu in regẽ ad hoc, ut & domũ Achabi extirpet, & sacerdotes Baal immolet unà omnes. Ioiada sacerdos Athaliã cæcidit. Iosias rex Deo dilectissimus, sacerdotes excelsorum sacrilegos & pertinaces ad unum omnes sustulit. S. Augustinus Tractatu in Ioan. 11. contra Donatistas disputans, exemplo Nabuchodonosoris ostendit, Christianos principes iustè animaduertere in Donatistas, Christum & doctrinam eius uilipendentes. Inter alia, Si rex Nabuchodonosor, ait, gloriã Deo dedit, quia liberauit de igne tres pueros, & tantam gloriam dedit, ut decretum mitteret per regnum suum: quomodo isti (nostri) reges non moueantur, qui non tres pueros attendunt liberatos de flamma, sed seipsos liberatos de gehenna, quando uident Christum à quo liberati sunt exufflari in Christianis, quando audiunt dici Christiano, dic te non esse Christianum? Talia facere uolunt, & saltem talia pati nolunt. Nam uidete qualia faciunt, & qualia patiuntur. Occidunt animas: affliguntur in corpore. Sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur. Hæc ille. In nouo testamento habemus maximorum Christi Apostolorũ Petri & Pauli exempla clarissima. Horum alter Ananiã & Sapphyram sternit propter hypocrisin & mẽdacium siue fictam religionem, Alter Elymam magum, quasi erutis oculis, cæcum reddit. Neque admodum refert cædatur aliquis gladio, poculis, an uerbis. Occidere est occidere, quocunque fiat modo aut instrumento. Et Deus egit per Apostolos: idem ille agit per magistratum. Nam ultio est Dei, qui illam tradit magistratui uirisque primarijs exercendam uel sumendam de facinorosis. Extant leges multæ sanctissimorum principum Christianorum, in negotio religionis latæ, mandantes punire idololatras, apostatas, hæreticos & impios. Vnam ex multis S. Constantini Imperatoris charitati uestræ recitabo. Scribens enim ad Taurum P. P. Placuit omnibus locis atque urbibus uniuersis, ait, claudi protinus templa, & accessu uetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus etiam cunctos sacrificijs abstinere. Quòd si aliquid fortè huiusmodi perpetrauerint, gladio ultore sternantur, facultates etiam perempti fisco decernimus uindicari. Et similiter puniri rectores prouinciarum, si facinora uindicare neglexerint. Eadem propè mandant uulgatis edictis Theodosius & Valentiniamus in codice Theodosiano tit. 2. item Valentinianus & Martianus in codice Iustiniano tit. 11. lib. 1. His omnibus accedit illud, quòd citra controuersiam iure & religiosè puniuntur adulteri, homicidæ, seditiosi, impostores & blasphemi. Inde consequens est optimo iure occidi & pseudoprophetas aut hæreticos. Nam sunt impostores, blasphemi, & homicidæ.

Cæterum

Cæterum in puniendis his magna est seruanda habendaq; ratio: primò quidem personarum: deinde uerò errorum: postremò ipsarũ quoq; pœnarum. Nam in persona magna est diuersitas. Sunt enim antesignani & duces peruicaces in erroribus, qui audaces sunt, hypocritæ & loquaces, & idcirco ad seducendum apposititisimi, ipsi quidem citra emendationem in propriam ruentes perniciem, & alios secum pertrahentes. Et hi modis omnibus sunt coërcendi ueluti Ecclesiæ pestes, ne contagio ipsorum ceu cancer serpat latius. Sunt deinde seducti quidam ac dementati ab alijs, qui errant, sed non malitia neq; pertinaciter, sed resipiunt in tempore. Hos non oportet damnare protinus, sed sustinere ac orare Dominũ, errantesq; spiritu lenitatis & mansuetudinis erudire, donec redeant ad mentem meliorem. *Quæ moderatio adhibẽda sit in puniendo.*

Porrò in erroneis dogmatibus alia alijs sunt grauiora. Sunt quædam adeò impia, blasphema, & indigna, ut ne audiri quidem nedum ferri posint. Sunt quæ rectà & palàm tendant in subuersionem reipub. nisi in tempore sopiantur. Oportet autem scripturis & manifesta ueritate euincere illa quæ in accusationem ueniunt, esse talia, qualia dicuntur. Comperta ueritate, & productis apertis testimonijs scripturæ, licebit in blasphemos & euersores Ecclesię reipublicæq; grauisimè animaduertere. Sed leuior mitiorq; pœna decernatur contra errantes in leuibus, non capitalibus erroribus. Nam errant quidam, sed ita ut erroribus horum Deus non blasphemetur, & ecclesia consistat, deniq; ipsa non interturbetur respublica. Vbi rursus occurrat cuilibet illud Apostoli, Alter alterius onera portate. Item, Infirmos in fide suscipite, non ad dijudicationes disceptationum.

Iam & in supplicijs & pœnis insigne est discrimen. Pertinaciter errantes & alios secum in errorem abducere, inq; erroribus retinere contendentes, blasphemi & perturbatores, imò subuersores Ecclesiarum iure cædi possunt. Ideo tamen capitis supplicio non protinus afficiendus est omnis qui errat. Et quæ minis & increpationibus curari possunt, non debent acerbioribus elui & puniri. Modus in re qualibet optimus est. Est & mulcta pecuniaria. Sunt carceres in quos concludi possunt, ne alios inficiãt qui ueneno prauæ doctrinæ & fidei corrupti sunt. Sunt & aliæ corporum afflictiones quibus coërcentur errantes, & ut noceant minus alijs sanis, & ut ipsi seruentur, non toti pereant, sed resipiscãt. Sed timor Dei, æquitas & prudentia iudicis intelliget ex circunstantijs, quomodo punienda sint in seductoribus & seductis praua dogmata & peruicax rebellio, aut stolida & minimè malitiosa credulitas.

Admonitio seria & diligens locũ non habet in sceleribus nephandis iam perpetratis & gladio eluendis: curet ergo magistratus ut moneat in tempore monendos. Nam admonitio seria & diligens, diligenter commendata est omnibus proceribus exercenda erga subiectos, & iam aliqua in re periclitãtes. Sed & prudentes & pij magistratus non rarò pepercerunt peccantibus ignoranter, resipiscentibus autem ad seriam admonitionem. Dominus in Euangelio iubet admonere peccantem, & obsequenti parcere, rebelli grauiora inijcere. Et Iosue priusquã ad arma conclamaret, missa legatione iubet Rubenitas cum socijs demoliri arã, quam illi uidebantur extruxisse contra legem Domini. Et Iustinianus Cæsar resipiscentibus amplectentibusq; meliorem sententiam ueniã concesit, Constit. 109. Nam & Iosias non omnes erroribus implicitos occidit, sed incurabiles maximè. Moderatio ergo adhibenda magistratui in sontibus puniendis. *De admonitione præcedente pœnam.*

Non possum hic disimulare & transilire quod his hactenus de supplicio à me allatis obijcitur à quibusdam, nempe Apostolum Paulum non præcepisse, Hæreti- *Respõdetur ad obiectiones.*

Ad Titũ cap. 3.

cum hominem post unam aut alteram admonitionem occide aut mulctato, sed deuita. Fidem item esse donũ Dei, quod non possit ulli inseri aut dari gladio. Praeterea neminem esse cogendum. Qui cogit, hypocritam facere, religiosum facere non posse. Iam etiam Apostolos nulla à regibus subsidia uel ad tuendam religionẽ Christi, uel ad propagandam, aut ad puniendos hostes religionis atq; blasphemos postulasse. Ad quæ paucis sic respondeo. Scripsit Paulus ad Apostolum dum scripsit epistolam ad Titum. Apostolum ergo informat, quomodo se gerat in suo officio erga hæreticum deploratum. Si ad Sergium Paulum aut ad præsidem aliquẽ scripsisset, proculdubio & huic præscripsisset suum officium. Certè idem ille Paulus stans coram Sergio Paulo principe Cypri, suo facto demõstrauit Sergio quid deceat magistratum. Nam Elymam pseudoprophetam non tantùm obiurgat uerbis acerbissimis, deinde eius se abdicat consortio, ipsumq; deuitat & fugit, sicut Cerinthum Ioannes Apostolus, sed & corporali percutit cæcitate.

Fides est donum Dei.

Fateor fidem esse donũ Dei in corde hominis, cuius scrutator solus est Dominus. Cæterum ex dictis & factis iudicantur homines: ut ergo non sit punienda erronea animi opinio, neutiquam tamẽ ferenda est pestilens & impia professio siue doctrina. Nemo sanè punit in hoc seculo prophanas aut impias animi cogitationes: at si hæ in apertas erumpant blasphemias, puniuntur iam à bonis principibus blasphemæ uoces: interim pietas non confertur per magistratum. Iustitia ipsissimum Dei donũ est, quod à solo Deo hominibus cõceditur. Sed quis adeò ineptus ut inde colligat, ergo iniusti, raptores, parricidæ & uenefici non sunt puniendi? Nam puniendo magistratus non potest iustitiam conferre iniusto. Oportet itaq; discriminare inter fidem uti est donum Dei inhærens animo hominis, & uti est externa professio pronunciata & testificata coram hominibus. Dum enim fides falsa in animo sepulta latet, nec inficit quenquam nisi infidelem, puniri nõ potest infidelis: ubi autem fides latens erumpit in blasphemias, ac Deum palàm lacerat, & proximos quosq; inficit, protinus coërcendus est blasphemus & seductor, ne malum latius serpat. Hunc nolle coërcere, est gladiũ furioso dare in manus, ut conficiat imprudentes & imbelles. Fides est donũ Dei, sed confert hoc suũ donum Deus per media. Ea nõ uult negligi. Scit paterfamiliâs fidem esse donũ Dei, sed nihilominus erudit liberos suos in uerbo fidei, & præcipit ut abeant in cœtum sacrum, pro fide orent, ac fidem ex uerbo docentis discant. Indignissimè ferret, imò non ferret parens bonus, si filius diceret, Noli pater me erudire, noli me mittere in cœtum Ecclesiasticum, noli negligẽtem scutica excitare. Fides est donum Dei, quod non per scuticam incutitur. Quis ergo æquis auribus audiat clamantes fidem esse donũ Dei, ergo neminem propter fidem, id est, propter fidei corruptionem & propter blasphemiam esse castigandum?

An liceat quenquam cogere ad fidem.

Ac Petilianus quidem clamabat dicens, Absit absit à conscientia nostra, ut ad nostram fidem aliquem compellamus. Author August. lib. 2. contra Petiliani literas cap. 83. Ergóne pergemus paria proferre cum hæreticis? aut dicere dominum Deum in scripturis hypocrisin plantare, cùm minis & castigationibus perpellit ad bonum? Dauid dicit, Bonum est mihi domine quòd humiliaueris me. Et Ierem. Castigasti me domine, ait, & castigatus sum, ueluti uitulus indomitus. Quòd si nemo cõpellendus est ad bonum, cur quæso toties iubet mortalium sapientissimus Solomõ castigare liberos? Qui parcit uirgæ, odit filium, ait: tu quidem percutis eum, sed uirga liberas animam eius à morte. Quotidiana experientia rerumq; natura euincit uehementissimos in hominibus esse affectus, quibus nisi medeamur & frænum injiciamus, perdunt & se & alios, qui facilè & leui aliqua castigatione

poterant

poterant seruari. Dum insaniunt homines, uim & castigationem uituperant, ubi autem redierunt ad mentem, ac cernunt iam palàm à quantis per eos qui ipsos coegerunt, sint liberati malis, gaudent se salubriter esse castigatos, & laudant iam uiolentiam quam prius uituperarant. Audiamus quid in hac re exercitatus plurimum senserit & docuerit S. Augustinus. De ui coërcendis hæreticis ad Vincentium contra Donatistas epist. 48. scribit in hæc uerba, Mea primitus sententia erat neminem ad unitatem Christi esse cogendum, uerbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione uincendũ, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium uerbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primùm mihi opponebatur ciuitas mea (Hippone) quæ cum tota esset in parte Donati, ad unitatem catholicam timore legum imperialium conuersa est: quam nunc uidemus ita huius uestræ animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur. Ita aliæ multæ quæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem etiam in hac causa rectè intelligi posse quod scriptum est, Da sapienti occasionem, & sapientior erit. Rursus, Non omnis qui parcit amicus est, nec omnis qui uerberat inimicus. Meliora sunt uulnera amici, quàm uoluntaria oscula inimici. Melius est cum seueritate diligere, quàm cum lenitate decipere. Et qui phreneticũ ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat. Quis nos potest amplius amare quàm Deus? & tamen nos non solùm docere suauiter, uerumetiam salubriter terrere non cessat. Putas neminem cogi debere ad iustitiam, cùm legas patremfamilias dixisse seruis, Quoscunque inueneritis cogite intrare? cum legas ipsum primò Saulum, postea Paulum ad cognoscendam & tenendam ueritatẽ, magna uiolentia Christi cogentis esse compulsum? Nam idem in epist. ad Bonifacium comitem 59. Vbi est, inquit, quod isti clamare consueuerunt, liberum esse credere uel non credere? Cui uim Christus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulum Apostolũ, agnoscant in eo prius cogentem Christum, & postea docentem: prius ferientem, & postea consolantem. Mirum est autẽ, quomodo ille qui pœna corporis ad euangelium intrauit coactus, plus illis omnibus qui solo uerbo uocati sunt in Euangelio laborauit: & quem maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras mittit timorem. Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios ut redirent, si perditi filij coegerunt alios ut perirent?

Rursus in eadem epistola idem August. Quod dicunt, inquit, qui contra suas impietates leges iustas constitui nolunt, non petiisse à regibus terræ talia Apostolos, nõ considerant aliud tunc fuisse tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat imperator, qui ei pro pietate contra impietatẽ leges ferendo seruiret? Quando adhuc complebatur illud propheticum, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum, aduersus Dominũ & aduersus Christum eius. Nondum autem agebatur quod paulò post in eodem Psalmo dicitur, Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite ei in timore, & exultate cum tremore. Quomodo ergo reges seruiũt Deo in timore, nisi ea quæ contra iussa domini fiũt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim seruit quia homo est: aliter quia etiam & rex est. Quia homo est, ei seruit uiuendo fideliter: quia uerò etiam rex est, seruit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes conuenienti uigore sanciendo. Sicut seruiuit Ezechias lucos & templa idolorum, & illa excelsa quæ contra præceptũ Dei fuerant extructa destruendo. Sicut seruiuit Iosias talia & ipse faciendo. Sicut seruiuit rex Niniuitarum uniuersam ciuitatem ad

Apostoli nulla subsidia à magistratu pro religione cõtra hostes postularũt.

placandum dominum compellendo. Sicut seruiuit Darius idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut seruiuit Nabuchodonosor omnes in regno suo positos à blasphemando deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo seruirent domino reges in quantum sunt reges, cùm ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi reges. Cum igitur nondum reges domino seruirent temporibus Apostolorum, sed adhuc meditaretur inania aduersus Deum & aduersus Christum eius, ut prophetarũ prædicta omnia complerentur, nõ utiq; tunc potuerunt impietates legibus prohiberi, sed potius exerceri. Sic enim ordo temporũ uoluebatur, ut & Iudæi occiderent prædicatores Christi, putantes se officium præstare Deo, sicut prædixerat Christus: & gentes fremerent aduersus Christianos, & omnis potentia martyrum uinceret. Postea uerò quàm cœpit impleri quod scriptum est, Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei, quis mente sobrius regibus dicat, Nolite curare in regno uestro à quo tueatur uel oppugnetur Ecclesia domini uestri: non ad uos pertineat in regno uestro, quis uelit pudicus esse, quis impudicus? Cur enim cum datum sit diuinitus homini liberum arbitriũ, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? An fidem non seruare leuius est animam Deo quàm fœminam uiro? Aut si ea quæ non contemptu, sed ignorantia religionis cõmittuntur mitius uindicanda, nunquid ideo negligenda sunt? Melius est quidem, quis dubitauerit? ad Deum colendum doctrina homines duci, quàm pœnæ timore uel dolore cõpelli. Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit (quod experimentis constat) prius timore uel dolore cogi, ut postea posint doceri, aut quod iam uerbis didicerant opere sectari. Hactenus recensuimus S. Augustini uerba respondentis ad obiectiones eorum qui arbitrantur nullo iure animaduerti religionis causa in inobsequentes & rebelles, seductos & seductores.

Frustratum me spe mea uideo, qui existimaui posse me quæ de Magistratu dicere institui, plenè absoluere hoc sermone. Nam uideo hic mihi subsistendum, nisi pergam C. V. supra modum esse molestus. Cras ergo adjiciam his residua. Vos modò supplices ante Dominum prostrati, orate, deinde abite in pace.

De bello. An liceat magistratui gerere bellũ. Quid tradat de bello scriptura, An magistratum gerere posit homo Christianus, Et de officio subditorum. SERMO IX.

AD ius gladij dati à Deo magistratui pertinet Bellum. Nam sermone proximo docui usum gladij in manibus magistratus esse duplicem. Vel enim sontes punit. Vel hostem grassantem aut grassari uolentem repellit, aut ciues rebelles aut seditiosos obtruncat.

An licitũ bella gerere magistratui.

Dubitant autem multi an licitum sit magistratui bellum gerere. Atqui mirum est eos in re alioqui clarissima sic cæcutire. Si enim magistratus iure diuino plectit sontes, latrones seu noxios homines, neq; quicquam refert paucine numero an plures sint (quod hesterno in sermone demonstrauimus) eodem profectò iure ciues rebelles & seditiosos, barbarum item militem idem palàm prætextu militiæ tentantem, quod latrones clàm solent perficere, bello persequi, repellere & conterere potest. Dixit sanè diuinus uates de Christianis prophetans inter alia, Conflabunt gladios suos in ligones, & lanceas suas in falces. Nam Christiani pacē habent cum omnibus hominibus, & prorsus abstinent ab armis. Quisq; enim alteri præstat quod ab altero expectat. Quia uerò non omnes sic animati sunt, quin potius

potius turbatores multi sceleratiq; latrones & oppressores inter honestos & humanos ciues ceu feræ beluę inter animantia innoxia uersantur, Deus gladium in defensionem innocuorum è cœlis magistratui porrexit. Nullibi uerò prohibitum legitur, ne lupos, apros, ursos, huiusq; generis feras alias uel in homines uel pecudes grassantes, opprimamus cõficiamusq;. Quid ergo prohibeat bello iustè susceptо repellere iniustam uim latronum, quando latrones, raptores, barbari milites, seditiosi ciues parum aut nihil discrepent à feris beluis? Certè scriptura eos non alijs quàm bestiarum nominibus dignatur. His aspirat & sensus naturę communis. Cõgruit cum his doctrina religionis & fidei. Si fieri potest, ait Apostolus, quãtum in uobis est, cum omnibus hominibus in pace uiuite: non uosmetipsos ulciscentes. En quantum in uobis est, inquit, Et Si fieri potest. Alioqui subiungit mox, Magistratus non frustra gestat gladium, nimirum propter eos qui pacem habere cupientibus obstrepunt, omniaq; conturbant. Consentiunt exempla sanctissimorum in orbe heroum, qui bella susceperũt pro defensione patriæ & innoxiorum: sicuti exposui ex S. Paulo ad Hebręos, cum enarrarem in quinto pręcepto quem honorem debeat quisq; suę patrię. Adijciam his disputata quædam S. Augustini contra Faustum Manichæũ edita lib. 22. cap. 75. Nec bella, inquit, per Mosen gesta miretur aut horreat, quia & in illis diuina sequutus imperia non sęuiens, sed obediens fuit. Nec Deus cum iuberet ista sęuiebat, sed digna dignis retribuebat dignosq; terrebat. Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace uicturi? Hoc reprehendere timidorũ est non religiosorum. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur, ut etiam iure puniantur. Aduersus uiolentiam resistentium, siue Deo siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cùm in eo rerum humanarum ordine inueniuntur, ubi eos uel iubere tale aliquid, uel in talibus obedire iustè ordo ipse cõstringit. Alioqui Ioannes cum ad eum baptisandi milites uenirent, dicẽtes, Et nos quid faciemus? responderet eis, Arma abijcite, militiam istam deserite, neminẽ percutite, uulnerate, prosternite. Sed quia sciebat eos cum hæc militando facerent non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis, Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis: sufficiat uobis stipendium uestrum. Sed quia Manichæi apertè Ioannem blasphemare consueuerunt, ipsum Dominum Iesum Christum audiant, hoc stipendium iubentem reddi Cæsari, quod Ioannes dicit debere sufficere militi. Reddite, inquit, Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quę Dei sunt. Ad hoc enim tributa pręstãtur, ut propter bella necessariò militi stipendium præbeatur. Merito & illius Centurionis dicentis, Et ego homo sum, sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, Vade, & uadit: & alij, Veni, & uenit: & seruo meo, Fac hoc, & facit, fidem laudauit, non illius militiæ desertionem imperauit. Huc pertinet & sequens cap. 75. & 76. &c. Sed libenter parco uobis, neq; prolixis recitationibus sententiarum obturbo. Hæc hactenus dixi de eo quòd bellum liceat gerere magistratui. Vnde & illud colligimus iure & sine culpa subditos suscipere bella ac belligerari, quando ex præcepto magistratus id faciunt. Verũ si hic innoxios trucidare pergeret ostensum est superioribus sermonibus, impijs magistratus iussis non esse parendum.

Rom. 12.

Populus obediat magistratui bellum imperanti.

Videat ergo magistratus ne suo abutatur iure. Et quanquam ob causas iustas & necessarias liceat magistratui bella gerere, est tamẽ res periculosissima bellum, ac trahit secum agmẽ quoddam malorum inexplicabile. Puniuntur sanè ad eum

Bellum res periculosa.

modum iusto Dei iudicio, quos nulla potest paterna commouere admonitio: sed plerunq; implicantur & innoxij. Fit ferè ut iure suo abutantur milites, ac iram & ipsi incurrãt grauem Domini. Ac reuera locum in bello habent mala orbis ferè omnia. Oboritur ex bello caritas rerum protinus omnium, & fames funestissima, Nam obsidentur itinera, proteruntur segetes, ardent uillæ, dissipantur frumenta luxuriosissimè, cessant artificia & negotiationes omnes, perit cum diuite pauper. Fortissimi quiq; cadunt in acie, fuga sibi consulunt meticulosi, ac seruant seipsos maioribus & crudelioribus excarnificandos supplicijs: sustolluntur enim in fastigium pessimi, qui hominibus perinde ut pecudibus abutuntur. Gemunt hic uniuersi. Lugent uiduæ & pupilli. Diripiuntur in futuram necessitatem congestæ opes ac facultates, incendio conflagrant urbes, uirgines & innubiles puellæ constuprantur, uiolatur omnis pudor, absq; reuerentia tractantur senes, silent iura & leges, sacra simul cum studijs corruunt, regnant sacrilegi & nepharij. Idcirco nominatur in scripturis bellum flagellum Dei. Hoc enim incutit ferè incurabilibus & pertinaciter contemnentibus uerbũ Dei. Hanc enim ob causam excisa est Hierosolymorum urbs cum uniuersa Iudæorum gente. Non enim agnouit diem, ut in Euangelio ait Dominus, suæ uisitationis, quin potius effudit sanguinẽ Apostolorum Domini, quo in se deriuauit omnem effusum sanguinem à primo Abel iusto ad Zachariam usq;. Propter cædes, idololatriam, incestus & luxuriam detestandam, dicuntur excindi funditus Chananæi. Moabitæ, Isaia teste, pereunt propter crudelitatem, inhumanitatem, & contemptum pauperum. Niniuitæ iniustis bellis alias gentes diuexarunt, & auarè deprædati sunt: proinde eadem mensura ipsis alij mensurant, sicut legitur in propheta Nahum, qua ipsi alijs mensi fuerant. Micheas in 6. commemorat Deum bella immittere iniustis, propter auaritiam & dolum admissum. Apud Ieremiam dicitur arrogantia & superbia: apud Isaiam luxus & ebrietas, in causa esse belli. Porrò malum belli regnis & rebuspub. ita adhæret, ut non possit remoueri aut tolli excutiue quando nos uolumus, ulla humana sapientia, ullis fœderibus, ullis opibus, ulla munitione, fortitudine aut potentia, ut uidere licet in Abdia. Sola syncera ad Deum conuersio medetur: id quod Ieremias in cap. 5. testatur. Constat hæc agnitione & confessione peccatorũ ingenua, uera fide de peccatorum remissione per gratiam Dei ac meritum Iesu Christi: deinde odio & abnegatione iniustitiæ, studio iustitiæ, innocentiæ, charitatis & omnium uirtutum: postremò precibus & obsecrationibus perpetuis.

Bellum dei flagellum.

Bellum utile.

Rursus uideas bella alijs adferre emolumentum, utilitatem, & opes inæstimabiles, pauculo aut ferè nullo damno accepto partas. Tale erat Israelitis bellum Chananæis sub duce Iosue illatum. Nolo autem spes lucri quenquam abstrahat à iusto & æquo. Ac arbitrantur non rarò magistratus se habere ius, bellum iuste inferendi alijs & puniendi noxios, cum Deus iustus hac occasione ipsos protrahit in harenam, ut puniantur ipsorum peccata ab illis in quibus ipsi statuerant malum persequi. Exempla eius rei manifesta extant in scripturis. Vndecim tribus Israeliticæ bellum inferunt iustissimum Beniamitis, ulturæ scelus nepharium à nebulonibus quibusdam cõmissum, quibus adhærebat tota tribus, ac ita se sceleris reddebat participem. Sed funduntur & fugantur ab iniquis & sceleratis secundùm. Israelitæ uim Palæstinorum idololatrarum sub Heli repellere uolunt à patria, sed cadunt in acie, & capitur arca Domini, deportaturq; in urbes idololatrarum. Ita cadit à Chaldæis cæsus optimus princeps Iosias, quia dominus statuerat animaduertere in totum populum eiq; inferre mala, quæ noluit inspicere principem sanctissimum, meliora meritum. Ex quibus & illud discimus, religionis ueritatẽ non esse

Vincuntur iustam habentes causam ab iniustis.

esse æstimandam ex populi alicuius uictoria uel fuga, ut ea religio uera sit & orthodoxa, cuius cultores uincunt, falsa uerò cuius confessores terga dant. Separanda enim religio à personis siue hominibus, qui alijs de causis uisitantur à Domino.

Vniuersa autem illa admonent nos, magno & multo timore Dei opus esse magistratui, in suscipiendis & deponendis bellis, ne dum uitant carbonariã, incidant in calcariam, aut arbitrentur se deponere ex humeris malum unum, & ea ipsa depositione suscipiant imprudentes maiora uel multò plura mala. Causæ ergo bellorum penitius sunt à principibus inspiciendæ. Sunt hæ uariæ ac multiplices, potissimæ tamen illæ.

De bellorum causis

Vel enim cogitur magistratus præsidijs pro defensione collocatis alicubi in urbibus suis, iam autem obsidione cinctis suppetias ferre hostemq; depellere. 1
Nephas enim esset parricidale, & urbes & præsidia in extremo laborantes periculo perfidè deserere. Vel certè cogitur magistratus pro suo officio inferre 2
bellum hominibus incurabilibus, quos ipsa damnat sententia Domini, & cædere iubet absq; misericordia. Qualia fuère bella Madianitis à Mose, & Amalechitis à Saule illata. Eius generis bella sunt quibus opprimuntur, qui inuincibili malitia perire & alios secum in perniciem rapere uolunt, qui omnem iustitiam & æquitatem respuunt, in sceleribus contumaciter perseuerare pergunt. Tales erant Beniamitæ cùm uastarentur ferro & flamma ab undecim tribubus. Tales sunt hodie contumaces & seditiosi defectores & turbatores reipub. uel regnorum, qualis fuit quondam Absolom & Seba filius Bochri: quorum mentio fit in 2. lib. Samuelis. Huc pertinent bella contra idololatras & oppressores catholicæ & orthodoxæ fidei, pro uera religione suscepta.

Bella propter religionem suscepta.

Errant qui arbitrantur nulla propter religionem bella geri posse. Dominus Petrum gladio ferientem coërcuit, tanquam Apostolum, magistratum non iussit religionis esse negligentem, neq; prohibuit defendere puritatem fidei. Si enim licet magistratui tueri minora, cuiusmodi sunt libertas, facultates, pudor, corpora, &c. cur maiora imò maxima non defenderet aut uindicaret? Nihil autem religione uera & syncera habemus maius. Extat præterea apertum Dei super hac re mandatum in Deuteronomio. Iubet enim Dominus ciuitatẽ, quæ à Deo, & à Dei cultu (in iurisditione cuiusq; magistratus) desciuit, bello adoriri, ac pertinacem funditus eruere. Extat locus Deut. 13. cap. Porrò si iubetur magistratus animaduertere in apostatas bello, licet certè bello defendere ecclesiam, quam uolet princeps aliquis barbarus bello à uera religione ad falsam abstrahere. Iosue uoluit Rubenitas cum socijs debellare propter erectã aram contra uerbum Dei. Iudas Machabæus pugnat pro populo Dei cõtra gentes & milites regis Antiochi, cui animo sedebat religionem Iudaicam, quæ tum uera erat, cõculcare, gentilitiam autem superstitionem obtrudere omnibus. Ita à Paulo laudantur duces qui per fidem incursiones auerterunt exterorum. Ac Paulus ipse bellum gessit in Cypro contra Elymam pseudoprophetam, quem & cæcitate percussit. Rationem subiungit ex religionis obseruantia petitam, Non desinis subuertere uias Domini rectas, &c. Act. 13. Eidem Paulo insidiantur uiri quadraginta, qui arbitrabantur Paulo debellato & extincto, bonam Euangelicæ prædicationis partẽ esse extinctam, & Iudaicam (quæ tamen falsa erat) religionem assertam. Atqui Paulus hic non est segnis, nec obuertit alteram maxillam, sed solicitè & suppliciter postulat assertionem & defensionem: & postulat quidem illam non à Christiano magistratu, cùm nondum esset, sed à Centurione Romano: neq; uel uerbo reclamabat, dum ille delectis & quasi in aciem dispositis peditibus quadringentis & equitibus septuaginta, deduceret ipsum ex urbe Hierosolymorũ Antipatrida usq;. Sic autẽ seruabatur electionis uas Paulus armata Romanorũ militũ manu. De Arme

Si ab ethnicis postulat, magis postulasset à Christianis si tum fuissent.

nijs uim à Maximino Imp. sustinentibus hæc scripta reliquit Eusebius Ecclesi.hist. lib. 9. cap. 8. Armeniorũ gens olim & utilissima & amicissima populo Rom. dum à Cæsare Maximino Christianæ religionis ritum (cui deuotissimè uniuersa dedita est) in idolorum cultum mutare cogeretur, & dæmones uenerari pro Deo, inimici pro amicis & pro socijs aduersarij effecti, manu se aduersum nepharia eius edicta defendere parant ac sponte bella inferunt, & eum uehementer & acriter urgent. Hæc ille. Proinde licet magistratui suos subditos defendere contra idololatras, & armis ueram asserere religionem. Huic confinis est alia causa. Vel enim
3 irruit barbarus hostis aliquis in tuæ fidei creditos ciues, lacerat hos & grassatur ceu in grege lupus crudelissimè, cùm tamen tu non modò nõ prouocaris illos iniurijs prior, sed & pacis conditiones obtuleris æquas. In huiusmodi causa iubetur magistratus leonis instar prosilire, & tueri suos contra apertam uim, & contra truculentos latrones. Exemplum præbet Moses pugnans contra reges Amorrheorũ Aradeum, Seonem & Ogem. Exemplũ præbet rex Iosaphat pugnans contra Ammonitas & incolas montis Seir. Exemplum præbet Dauid quoque bellum propellens
4 sibi illatum à Syris. Vel suppetias fert magistratus confœderatis (fœdera enim cum uicinis gentibus iungere potest magistratus, modò nihil in his contra uerbũ Dei fiat) iniusta ui pressis. Sic enim Iosue Gabaonitas liberat obsidione, & Saul ciues urbis Iabes Galaad, pugnans contra Naas principem tyrannicissimum. Huiusmodi uerò ob causas rectè suscipiuntur à magistratibus & principibus bella, rectè obtemperant milites siue ciues magistratui, imò magna cũ gloria nec infeliciter occumbũt, cum in causa iusta pro religione, pro legibus Dei, & pro patria chara, uxoribus liberisque occumbunt. Ergo militiã ingredientes, & grauissimos belli suscipientes labores, non ad quæstum aut ad uoluptates spectabunt, quibus depulso periculo, immergantur: sed iustitia & pax publica, ueritatis & innocentiæ assertio sit scopus omnium: nimirũ ut debellatis impijs partaque uictoria, ac repulsis, cæsis uel redactis hostibus in ordinem, floreat religio, iudicium & iustitia, floreat ecclesia, floreant sacra, ritus, instituta & disciplina ecclesiæ, floreant studia & bonæ artes, curentur pauperes & beneficia conferantur uiduis & pupillis, uiuant & tranquillè uiuant, Deoque seruiant, Deum laudent, & Deũ colant uenerandi senes, castæ puellæ, & bonæ matresfamiliâs. Ad hunc scopum animi & corporis oculos intenderunt, hæc unicè in cordibus suis cogitarũt patres nostri fortissimi, quoties bella susceperunt ac in aciem progressi sunt contra nepharios, pro ecclesia & repub. Abrahamum puto, Mosen, Iosue, Dauidem & alios heroas, denique beatæ recordationis patres nostros. Quibus & omnibus alijs strenuis & religiosis militibus debetur æterna in ecclesia sanctorum gloria. Ignauis & timidis militibus, impijs, auaris, blasphemis, luxu perditissimis & leuissimis nebulonibus proditoribusque, quorum ignauia, gula, libidine & impietate pereunt hodie regna præclara & subuertuntur florentes respublicæ, debetur ignominia sempiterna, ac Deus maledixit huiusmodi profligatis nebulonibus in secula seculorum.

Militum & militiæ commendatio.

Iniusta bella.

Ergo non licet bella gerere nisi cõtra hostes ac sceleratissimos incurabilesque homines. Iniustissima bella sunt, quæ suscipiunt contra socios, & cõtra innocẽtes, aut apud quos spes est resipiscentiæ. Iniusta bella sunt etiã ea quæ non suscipiunt iusto modo, nec ob res grauissimas. Omnia prius tẽtanda sunt quàm experiendũ armis. Nõ sunt petendi termini alieni: nõ opprimenda libertas aliarũ gentiũ uel tibi subiectarũ. Non sequendus hîc est affectus ullus abripiens mentẽ & seducens, qualis est libido dominãdi, auaritia, munerũ cupido, inuidia, et si quis huius generis alius affectus est. Medela quidẽ est bellũ, sed periculosa & funesta, qualis est incisio aut

resectio

resectio membrorũ. Ardet manus, & periculũ est ne & brachium inardescat, atq; totus extinguatur homo: non resecas tamen manum, nisi prius expertus omnia, intellexeris, nulla alia ratione mederi posse morbo. Ita non nisi desperatis rebus tandẽ bella cõuenit suscipere, ut meminerint tamẽ principes, Ne quid serò nimis.

Adeò enim à iustis bellis non abhorret uerbum Dei, ut & leges belli dictet, & exempla bellorum prudentiumq; & fortium imperatorũ suppeditet plurima. Leges contexuntur Deut. 20. cap. utiles & necessariæ, sed & claræ, ut mea non indigeant expositione. Vulgares & ex scripturis petuntur hæ leges. Locũ habeat ante omnia religio in castris, & primum quidem. Nam ipse Dominus bellis adhibuit sacerdotes, religionis ueræ ministros. Valeant in castris perinde ut in urbibus æquæ leges: uiuant sub disciplina honestè, iustè & sanctè milites. Etenim nõ ex Deo sed diabolo exortum est quod uulgô iactatur, Sileant inter arma leges. Eligatur imperator & dux belli pius, iustus, sanctus, fortis, prudens & felix, quales apud ueteres fuerunt Iosue, Dauid, Iudas Machabæus, Constantinus, Theodosius, Mascelzer & multi alij. Huic addatur manus selecta. Nam militum habendus est delectus, ne exercitus sit turba imbellium & imperitorũ hominum, uel perfidorum et blasphemorum cõsceleratorumq; nequam, & ebriosorum, gulonum, porcorúmue grex. Nõ in multitudine hominum consistit uictoria, sed in gratia Dei & in manu delecta. Vulgare est, Vbi multitudo, ibi confusio. Magni & innumerabiles exercitus cõculcant semetipsos. Experientia magistra hoc ipsum discimus quotidie, & exempla omniũ seculorum id testantur. Porrò improbantur modis omnibus milites ignaui. Semper itaq; agat miles Christianus aliquid, sit strenuus, fidelis, laboriosus, centurionibus obsequens, nullam negligat occasionem, exerceatur in disciplina militari: non sit mollis, sed fortis: non sit crudelis & truculentus, sed seuerus & clemens, suis quibusq; temporibus. Quod seruare potest ne perdat. Præ omnibus autem rebus, non negligat & extra periculum & in ipso periculo preces ad Dominum iuges. Cum Deo auspicetur omnia, sine Deo nihil tentet prorsus: sinistram expertus fortunam, ne despondeat animum: fortuna usus feliciore, ne efferatur, sed agat Deo gratias, clementerq; utatur uictoria: à Deo pendeat prorsus, neq; aliud cupiat magis quàm defensam rempub. leges, religionẽ, iustitiam, innoxios. Mirum scio uidebitur multis hæc me postulare à milite, quæ alioqui uidentur, ut uulgò dici consueuit, postulari à religioso aliquo. Quasi uerò irreligiosi & impij soli queant esse milites. Sunt certè pleriq; tales. Sed quales oro fructus metimus hodie ex huiusmodi semente? Vincimur à Turcis, ludibrium sumus omnibus gentibus, pereunt & Mahumetismo subduntur regna, & inexplicabilibus in diem malis inuoluimur. Quales uerò olim fuerint milites qui ex ecclesia aut numero Christianorum sese dediderunt militiæ, uel ex unica, sed memorabili, colligere possumus historia, quam hisce uerbis perstringit ad Scapulam Tertullianus: Marcus quoq; Aurelius in Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetrauit. Quando non geniculationibus & ieiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ? Tunc & populus acclamans Deo deorum, & qui solus potens, in Iouis nomine, Deo nostro testimonium reddidit. Hæc ille. Copiosius autem & plenius eandem historiam retexit beatus Eusebius libro Eccles. histor. 5. cap. dicens, M. Aurelium fratrem Antonini Cæs. bella inferentem Germanis & Sarmatis, tradunt historiæ, cùm siti eius periclitaretur exercitus, æstuantem & quærentem quid facto opus esset, reperisse in legione quadam milites Christianos, quibus (sicut & nostris mos est) flexis genibus obsecrantibus exaudisse Deum supplicationes eorum, & subitò contra omnium

Leges belli dictauit uerbum Dei.

Milites pij non sunt impij.

Quales olim milites Christiani.

spem largissimis imbribus profusis, exercitus quidem periclitantis, pro quo orauerant Christiani, sitim sedatam: hostes uerò qui iam exitialiter imminebant, fulminibus crebris & cœlitus delapsis ignibus effugatos. Quod factum refertur quidem & ab historicis gentilium. Sed quòd nostrorum orationibus id impetratum sit non refertur. Quippe apud quos etiam cætera miracula quæ à nostris gesta sunt non habent fidem. Nostrorum uerò & Tertullianus hæc memorat, & apud Græcos Apollinaris, qui etiam ipsam legionem pro insignis facti miraculo, mutato nomine uocitatam dicit ab Imperatore Fulmineam. Tertullianus addit Marci imperatoris Epistolas etiam nunc haberi, quibus de his apertius indicatur. Hæc Euseb. Ex quibus colligimus milites Christianos non tantùm ad orandum fuisse quondam propensos, sed iustissimos quoq;, & uitæ sanctimonia claros. Quis enim ignorat Iacobum Apostolum dixisse: Multum ualet deprecatio iusti efficax. Helias homo erat similibus obnoxius affectibus ut nos sumus, & precatione precatus est, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. Manifestissimum est itaq; milites ueteres fuisse uiros religiosissimos. Nostri quia alieni sunt à religione, imò hostes religionis ueræ, pro uictorijs reportant clades & subuersiones urbium. Neq; immeritò hæc patiuntur ciues, quia confidunt in huiusmodi milites nepharios. Id enim perinde est, ac si fiduciam suam collocarent in ipsos diabolos, quos milites isti ferè superant fœditate, immunditia, crudelitate & artibus pessimis.

Exempla militie & imperatorum ex scripturis.

Exempla uerò militiæ sanctæ & iustæ, & optimorum imperatorũ siue ducum, exhibet nobis uerbum Dei innumera ferè. Abraham pater noster modico instructus exercitu, insequitur quatuor orbis potentissimos reges siue prædones, fundit & fugat hos, suos autem cum ipsorum facultatibus recuperat & restituit, gratias agens Deo authori insperatæ uictoriæ. Moses cum Iosue sternunt reges circiter triginta nouem, puniunt infanda scelera seueriter, & populum sibi creditum collocant in terram promissam à Deo. Iudices populi Israelitici memorabilia gesserunt bella contra ethnicos & infideles, ac his infregere tyrannidem impiorum, impiè exercitam in populo Dei, ac hunc suæ libertati & religioni restituerunt. Venit hic & Samuel propheta, commemorandus inter illustres populi Dei duces. Præstantissimus dux fuit Ionathas Saulis filius, singulare pietatis specimen. Dauide uerò nullus est præclarior. Debellauit hic Palæstinos, Idumæos, Syros, & bonam Orientis partem, bello prosequutus iniurias, bello item uindicans libertatem, & mala innumera à populo Dei propulsans. Et tamen qui hæc fecit, dicitur esse uir secundum cor Dei, imò & pater Domini nostri Iesu Christi secundum carnem. In posteritate Dauidis plurimos inuenias clarissimos bellatores & duces fortissimos, Abiam, Asam, Iosaphat, Amasiam, Osiam, Ezechiam, & alios multos. Iudas Machabæus inter hos non habet postremum locum, qui tam strenuè pro legibus Dei, pro cultu Dei, & pro populo Dei pugnauit, tandem & in acie pro religione & republica cecidit. Non adijciam his exempla Constantini, Gratiani, Theodosij, & aliorum insignium in hac re uirorum. Scripsere de his & alijs S. Augustin. in fine lib. 5. de Ciuitate Dei, & copiosè Orosius in historia sua lib. 7. à 28. cap. ad finem usq;. Sufficiunt hæc pijs magistratibus. Hactenus de Bello à magistratu gerendo, & de Vsu gladij disserui, de quo etiam quædam obiter sparsi in sermone quo quintum præceptum enarraui.

Christianus potest gerere magistratum.

His absolutis, demonstrabimus magistratum geri posse à Christianis hominibus. Eam autem demonstrationem idcirco illis attexam, quòd Anabaptistæ homines furiosi, & alij quidam Vtopianæ reipublicæ extructores, hæc à nobis allata hactenus oppugnantes, contendunt Christianum non posse fungi magistratus officio;

cio: eò quòd Christiani nec contendant in foro, nec occidant quenquam, neque bello res ablatas repetant, aut iniurias illatas uindicent. Et quanquam his suis quibusq; locis responsum sit, colligam tamē aliquot argumenta in compendium, ex quibus uir politicus & Christianus contra furores & somnia Anabaptistarum intelligat, si uocetur ad munus magistratus, & posse & debere ipsum in suscipiendo & gerendo magistratu seruire Deo. Quòd enim fingunt doctrinam Euangelij è medio tollere defensionē & quæ defensioni sunt confinia, toto errant cœlo. Nam ueritas aliud tradit.

Quæcunque enim diuinitus sunt ordinata ad hominum salutem ac incolumitatem, adeò non dedecent Christianum hominem, si ijs utatur & ijs se accommodet, ut si huiusmodi respuat, non sit futurus uerus Christianus. Nam Christiani cuiusque prima & maxima cura est, salutem & incolumitatem hominum summa promouere diligentia. Est autem magistratus non ab ullo homine, sed ipso Deo ordinatus ad salutem & incolumitatem hominum, quemadmodum disertis uerbis testatum est à prophetis & Apostolis, Paulo præsertim ad Romanos 13. Quis autem inde non colligat Christianum cum laude & gloria fungi posse magistratus munere?

Præterea nemo negauerit, scio, Christiani hominis esse fidem, non modò uerbis, sed ipsis operibus, iustitiæ in primis ac misericordiæ attestari, curare item modis omnibus quæ publicæ pacis & tranquillitatis sunt, insuper facere iudicium & iustitiam, tueri uiduas, pupillos, orphanos, ac asserere oppressos. Occasionē quoque, locum & rationem non spernit, non fugit, nec reijcit, per quæ illa opera beneficiáue exercere potest. Ideoq; Christianus nequaquam detrectat munus seu officium magistratus. Est enim magistratus officium, facere iudicium & iustitiam, & curare pacem publicam.

Iam uerò indubitatum & superius demonstratum est, Mosen, Samuelem, Iosue & Dauidem non excludi à Christiano nomine, Cùm autem isti gesserint magistratum, quid prohibebit obsecro uel hodie hominem uerè Christianum fungi officio magistratus? Quid quod in nouo testamento celebrantur uiri egregij, & ipsi constituti in magistratu, & non depositi propter ueram religionem ab officio? De Iosepho Arimathæo sic legimus apud Lucam, Ecce uir nomine Ioseph, decurio (Marcus habet, honestus senator) erat uir bonus & iustus, nec consenserat consilio & facto eorum, oriundus ab Arimathæa ciuitate Iudæorum, qui expectabat & ipse regnum Dei. Obseruate obsecro quàm illustre sit hoc testimonium. Ioseph est decurio uel senator, & senator quidem honestus. Idem sedit in eo senatu & inter illos iudices, qui condemnarant Christum, sed quia non consensit in ipsorum sententiam, non imputatur innoxio parricidium. Idem prædicatur esse bonus, iustus, & de eorum numero, qui expectant regnum Dei, id est, de numero Christianorum, interim decurio siue senator est & manet in urbe Hierosolymorum. Licet ergo Christiano fungi magistratus officio. Huc pertinent exempla de Æthiopico principe, Actorum 8. cap. de Cornelio Centurione, Act. 10. cap. & de Erasto quæstore ærario urbis Corinthiacæ, Rom. 16. 2. Timoth. 4. Cæterum cupimus Anabaptistas scripturis euincere aut demonstrare, quod obijciunt istos ad fidem conuersos deposuisse trabeam & gladium. Nos enim superius adductis S. Agustini uerbis ex responsione S. Ioannis Baptistæ, qui & ipse prædicauit Euangelium, demonstrauimus milites baptizatos nequaquam depositos esse ex officio, aut præceptum eis per Ioannem ut desererent militiam.

Obijciunt aliud, Dominum se abduxisse dum populus cogitaret ipsum creare *Fugit dominus dū uolūt ipsum creare regem.*

& salutare regem: id quod non fecisset, nisi uellet suo exemplo omnibus Christianis commendare humilitatem, ac ueluti præcipere ne unquam sibi patiantur gubernationem reipub. imponere. Adijciunt his illas Domini sententias, Regnum meum non est ex hoc mundo. Item, Reges gentium dominantur eis, uos autem non sic. Cæterum fugit Dominus populum non rationẽ sanam sequentem, & uoluntatem Dei facere parantem, sed affectibus cæcatum & quærentem ea perficere quæ uentris erant. Quia enim pauerat eos mirabiliter, ideò arbitrantur hunc sibi futurum regem cõmodum, qui possit suos subditos nullo sumptu facto cibare. Præterea non uenerat Dominus noster in terris regnaturus, more huius seculi, quemadmodum imaginabantur Iudæi, somniantes Messiam instar Solomonis regnaturum, & sicut metuebat Pilatus. Ideò rectè dicit Dominus, Regnum meum non est ex hoc mundo. Ascendit enim in cœlos, cõsedit ad dexteram patris, subiectis sibi regibus & toto mundo, in quo regnat per uerbum & spiritum, quem & iudicaturus ueniet in fine seculi. Et quanquam neget Christus regnum suum esse ex hoc mundo, nullibi tamen negauit è mundo reges & principes in ecclesiam uenturos, qui in ea Domino non tantùm ut homines, sed etiam ut reges essent seruituri. Non possunt autem reges ut reges Domino seruire aliter, quàm ea exercendo propter quæ uocantur reges. Et nisi reges Christiani facti in officio manerent, gubernarentq; regna secundum regulam & leges Christi, quomodo obsecro Christus diceretur Rex regum, & Dominus dominantium? Ergo quando dixit, Reges gentium dominantur eis, uos autem non sic, Apostolis suis de primatu concertantibus est loquutus. Quasi dicat, Principes in orbe dominantes per meam doctrinã non deijciuntur è subsellijs uel ex cathedra & throno: manet enim in mundo hoc adeoq; in ipsa ecclesia magistratus. Hic regnabit. Vos autem non sic: non regnabitis, non eritis principes, sed doctores orbis & ministri ecclesiarum. Hæc paucis ad Anabaptistarum obiecta respondimus, quæ aliàs sæpe copiosius dissoluimus. Istis autem omnibus demonstratum abundè existimo, Christianum nõ posse tantùm, sed debere etiam si legitimè offeratur, recipere magistratus munus.

Regnũ meum non est ex hoc mundo.

Vos autem non sic.

De officio subditorum.

Priusquàm uerò disputationem huius loci concludamus, subijciemus iam paucis quod nam sit officium subditorum, quod quiq; suo debent magistratui. Principiò subditorum est, sanctè, reuerenter, & honorificè, non abiectè & uulgariter sentire de principibus uel magistratibus suis. Reuereantur ac uenerentur hos ueluti legatos & ministros æterni Dei. Exhibeant eis etiam foris honorem cuiq; regno & patriæ cõsuetum. Turpissimum est, si subditi indecenter se gerant erga dominos suos. Cæterum opinio uel falsa uel leuis & protrita de rebus uel personis concepta, contemptum rerum & personarũ parit. Colligenda sunt ergo clara aliquot scripturæ testimonia, & omnium cordibus inserenda, ex quibus enascatur et conseruetur iusta existimatio seu authoritas magistratus. Caueant hîc principes & optimates, ne impura & indecenti uita contemnendos irridendosq; se præbeant, atq; ita sua culpa authoritatem amittant omnem in populo. Certè ipse Dominus Deus principes ac magistratus populi suo non dedignatur nomine, appellans ipsos deos. Loci extant Exodi 21. & Psal. 82. Apostoli nominarunt eos Dei legatos & ministros. Loci extant 1. Pet. 2. Rom. 13. Quis uerò non magnificiat deos, Deiq; legatos & ministros, per quos salutem populi operatur ipse Deus? Qui legatum spernit, spernit illum qui misit legatum. Qui honorat legatum, uidetur ipsum honorem exhibuisse leganti magis quàm legato. Præterea dicit Solomon Prouer. 16. Diuinatio in labijs regis, ideò in iudicio non præuaricatur cor eius. Et Eccles. 8. Meum est obseruare præceptum regis, & rationem habere iuramenti Dei. Item

Prouerb.24. Time Dominum fili mi & regem, & non immisceas te illis qui defectores sunt. Repente enim cõsurget perditio eorum. Nam & Paulus dixit, Quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem restiterint, iudicium sibi accipient. Huius generis contexui quædam & in 5. præceptum.

Deinde orent subditi pro principibus & magistratibus suis, ut Deus ipsis sapientiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, iustitiam, iustamq; seueritatem, clementiam & reliquas uirtutes heroicas dare, ducere item in uijs suis, & seruare ab omni malo dignetur: quò tranquillè & honestè uiuamus in hoc seculo. Id poscit à subditis S. Paulus ad Timotheum 1. cap. 2. & Ieremias in cap. 29. Verba aliàs recitauimus. Valde segnes & incurij sunt hic multorum animi, ideoq; experiuntur sæpe quod nolunt, & quod dolet. Sed meritò. Si enim officium suum faceret sedulò, ardenter orando pro magistratu, meliora experirentur. Quàm uerò feruidum fuerit studium precandi pro magistratu in ueteri ecclesia, colligere licet uel ex his Tertulliani uerbis, quæ in Apologetico eius cap. 30. sic legũtur: Precamur semper pro omnibus imperatoribus, uitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis & Cæsaris uota sunt. *Orandum pro magistratu.*

Obediat item populus æquis & bonis magistratus legibus: obediat autem sanctè, reuerenter, & ex animo religioso, iam non tantùm obediens legibus ipsius ut legibus hominum, sed ueluti legibus ministrorum & legatorum Dei. Nam Petrus iubet nos obedire propter dominum. Et Paulus, Oportet esse subditos non solùm propter iram, uerumetiam propter conscientiam. Id est, non modò obediendum est magistratui, ne contemptus & inobedientiæ pœnas demus, sed ne peccemus in ipsum Deum, nostraq; conscientia nos sceleris admissi accuset. Ostendimus autem in 5. præcepto scripturarum testimonijs & exemplis, non parendum esse impijs magistratibus, impia & pugnantia manifestè cum uerbo Dei mandantibus. Maluerunt Apostoli & primitiuæ ecclesiæ fideles homines cõcludi in carceres, relegari in exilium, spoliari facultatibus, proijci bestijs, feriri gladio, & ignibus cremari, ac laqueo præfocari, quàm impijs obedire mandatis. Proconsuli Romano respondens beatus martyr & episcopus Polycarpus, dixit, Docemur principibus & potestatibus his quæ à Deo sunt, honorem deferre, eum scilicet qui religioni nõ sit contrarius. Et diuus Ioannes Chrysostomus ad Gainam dixit, Non licet Imperatori pietatem custodienti aliquid contra diuina mandata tentare. *Obedientia.*

Postremò pendat populus magistratui tributa, impendat cum poscit necessitas, & ipsum corpus & uitam propriam pro incolumitate magistratus & patriæ, quemadmodum in 5. mandato faciendum ostendi. Dominus in Euangelio simpliciter dicit, Date Deo quæ Dei sunt, & Cæsari quæ sunt Cæsaris. Damnantur meritò qui hac parte sunt parci, maligni, & furaces. Debentur tributa magistratui ueluti merces laboris, & ueluti neruus publicę tranquillitatis & utilitatis. Quis enim suo militat stipendio? Viuit quisque ex eo labore, quem exercet. Laborat magistratus, laborat princeps in gubernanda republica & conseruanda hac in pace. Negligit sua priuata & domestica negotia, quæ alioqui uictum & necessaria uitæ suppeditarent: iniquissimum ergo foret nisi aleretur aut certè iuuaretur publicis sumptibus. Præterea necesse est regna & respublicas iustis instructas esse opibus, quibus in bello, in fame, in incendijs, alijsq; calamitatibus publicis utantur, uel ad reparationem collapsorum, uel ad depulsionem grauiorum calamitatum. Nihil nunc dico de publicis ædificijs conseruandis, utpote mœnijs, turribus, uallo, fossis, portis, pontibus, itineribus, fontibus, aquæductibus, prætorio & foro, alijsq; id *Publicæ opes.*

genus innumeris. Sunt etiã publicæ personæ, apparitores, uigiles, & similes aliæ plures, publico alendæ stipendio. Ac nisi in promptu sit pecunia, nullũ regnum, nulla respub. stabit incolumis diu. Ergo qui tributa negant, mercedem laboris negant, adde & rempublicam omnino subuersam & conculcatam uolunt. Qui in publicis operibus, sicuti quibusdam mos est, segnes & ignaui sunt, nõ peccant in unum aliquem Dominum, sed in totam rempublicam. Ac uideas ferè segnes huiusmodi operarios, nulla aut modica uti diuina benedictione. Admonendi tamen hîc sunt magistratus & principes, populum suæ fidei & suo imperio subditum diligant, eiq́ benignè parcant, nec immoderatis atterant exactionibus. Id fiet si sint frugales, & ab omni abstineant luxu & superbia. Cogitet princeps bonus quanta sit iniquitas aulam redundare luxu & crapula, ciuitates autem ac uillas cruciari & absumi inedia. Cogitent reipub. præsides tributa & uectigalia, publica, nõ priuata esse bona. Odit Deus expilatores. Odit Deus exactiones immoderatas. Maledicit Deus exactoribus tyrannis: benedicit commodis & moderatis optimatibus. Plus efficit in pace & bello concordia iusta, quàm pecunia iniusta. Et fortius quidem est regnum ualidiorq́ respublica, quæ amore & concordia principum & populi, non magno tamen thesauro reposito, commendatur, quàm quæ opes habet inæstimabiles, partas & extortas è uisceribus ciuium, interim simultate & odijs dissidentibus inter se magistratibus & ciuibus. Nihil hic fingo. Experientia omnium seculorum testis est.

Exactiones.

Hæc hactenus de magistratu ex occasione sexti mandati, Non occides, quanta potui breuitate complexus, proposui charitati uestræ, declarans ob quid ille institutus à Deo, quodnam eius erga subditos, & rursus subditorum erga ipsum officium sit. Oremus iam dominum, ut is benignè tam magistratui quàm subditis concedat cuiq́ dignè sua uocatione ambulare.

De tertio secundæ tabulæ præcepto, quod in Decalogo septimum est, Non mœchaberis. De Coniugio, contra adulterium & omnem intemperantiam, de Continentia.

SERMO X.

PROXIMVM uitæ & corporibus nostris coniunx est cuiusque hominis. Coniugio enim coniunguntur duo corpora, ut fiant unum corpus. Dominus enim dixit, Erunt duo in carne una. Tertio itaque mandato, & proximè quidem post prohibitum homicidium, præcipitur de coniugio sanctè colendo, item de sanctificatione uera corporis contra adulteria, contra uagas libidines & incontinentiam omnem. Muniuntur coniugia, ut floreat apud bonos honestas, castitas, sanctéq́ educentur liberi. Præceptum rursus duobus exprimitur uerbis, NON MOECHABERIS. Explicaturus hoc mandatum, Deo spirante, dicam primò de Coniugio sancto: deinde de Adulterio: hinc quæ sub nomine adulterij sint comprehensa atq́ prohibita: postremò de Continentia.

Præceptum Dei 7.

Coniugium, quod & matrimonium appellatur, fœdus & coniunctio est diuina uiri & mulieris, ex cõsensu mutuo sociata & adunata, in hoc ut omnibus utentes cõmuniter, castè uiuant, & educent in timore Dei liberos. Ac Euangelium quidem appellauit coniugiũ Coniunctionem diuinam. Dominus enim Iesus, Quod Deus coniunxit, ait, homo ne separet. Neq́ licet matrimoniũ ad alium referre authorem quàm Deum ipsissimũ. Instituit hic alias bonas & necessarias hominibus ordinationes per angelos suos & delectissimos homines, sed matrimonium absq́ ulla

Coniugiũ quid sit.

ulla interueniente persona media ipse deus instituit, legibus muniuit, primos coniuges ipse copulauit, ipse copulatis uerè summus sacerdos benedixit.

Ex his liquidò possumus colligere præstantiam seu excellentiam matrimonij. Deus enim hoc instituit, & in paradiso quidem instituit, tūc quando nullis adhuc miserijs obnoxius esset homo. Non uidebatur Adam in paradiso commodè & satis suauiter uicturus, nisi ipsi esset adunata coniunx. Non est bonum, ait Deus, ut homo sit solus, faciam illi adiutorium, quod ei cohabitet. Adduxerat enim Deus ad Adamum omnia animantia quæ condiderat, ut nomina imponeret singulis: sed in omnibus nihil erat quod concupisceret Adā, abhorrebat animus & genius eius à coniunctione ipsorum. Deus ergo sopore immisso ipsi Adamo, condit ex dormientis latere mulierem, quam ab ipso Deo conditore adductam protinus atque uidisset, exclamat, Hoc scilicet esse quale uelit, quod amare posit, consentiente per omnia genio suo. Hoc nunc os, ait, ex ossibus meis, & caro ex carne mea. Inueni, inquit, inueni adiutorium conueniens mihi, mecum carne & sanguine, ipsaq; substantia communicans. Vnde adhuc existit naturalis illa uirorum erga mulieres propensio: ac rursus igni aboletur naturæ humanæ repugnans cum bestijs execrabilium hominum cōmixtio & uenus præpostera. Inter alia adijcit dominus, Deseret uir patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, eruntq; in carnem unam. At dudum intelleximus quanti fiat amor & studium liberorum erga parentes apud dominum: quāta diligentia hos præcipiat honorare. Necesse est itaq; coniugium longè diuinissimū esse institutum, quod præfertur honori parentum. Interim uerò lege matrimonij non aboletur lex de honorandis parentibus, sed uia & ratio indicatur, si fortè parentes dissidia pergant excitare inter coniuges, quid hi agant, non patiantur se diuelli, interim in alijs & per cætera honorent parentes. Sancti patres nostri coniugij legem custodierunt, & coniugium ipsum coluerunt sanctissimè. Nec puduit sanctum Dei spiritum multis recensere & describere matrimonia ipsorum. Nam primus & præstantissimus in sacris literis liber, Genesis appellatus, in matrimonijs sanctorum describendis bona parte consumitur. Nec piget ipsum seruum Dei incomparabilē Mosen cōmemorare coniugij negotia & opera, ueluti pura & egregia, quæ hodie iudicantur à multis esse sordida & putida. Honorauit & commendauit ipse Christus (in cōiugio quidem, sed ex purissima uirgine natus naturalis Dei filius) nuptias, dum in nuptijs primū suorū signorū edere dignatur, & tale quidem signum quod ostendit, dominum posse amara coniugij reddere dulcia, & inopiam subleuare diuite copia. Apostoli ut mariti fuerunt ad exemplum patriarcharum, regum, principum, sacerdotum, & prophetarum, ita præcipuus inter eos Paulus clamat, Honorabile est inter omnes coniugium, & cubile impollutum. Scortatores autem & adulteros iudicabit Deus. Dicit coniugium esse honorabile apud omnes, nimirum gentes. Pauculas enim inuenias quæ non maximè laudarint nuptias. Xenophon arbitratur inter omnia Dei instituta uix aliud inueniri coniugio pulchrius & utilius. Musonius, Hierocles, & alij sapientes prisci, coniugium usqueadeo necessarium putant ad benè & commodè uiuendum, ut uita hominis extra matrimonium uideatur manca. Illi ipsi mala & incommoda matrimonij ex coniugibus non cōiugio deriuant. Bonum enim est coniugium, sed multi bono non benè utuntur, ideoq; abusus sui meritas luunt pœnas. Quis enim nesciat ebrietatis mala non referenda esse ad saluberrimam Dei creaturam uinum, sed ad ingurgitationē uerius atq; prauam cupiditatem hominis bona Dei creatura abutentis? Quod egreditur ex corde hominis, ait in Euangelio dominus, non quod ingreditur per os, coinquinat hominem.

De dignitate et præstantia coniugij.

Heb 13

Huc pertinet quod Apostolus Christi Paulus sanctificationem tribuit connubio. Cubile enim, inquit, impollutum est. Et alibi testatur sanctificari intercedente matrimonio incredulum maritũ per fidelem uxorem: asserit præterea liberos è coniugio natos esse sanctos siue mundos. Nam & Christum idem statuit exemplum coniugalis amoris: denicꝗ mysteria Christi & Ecclesiæ adumbrat per coniugium, rem uticꝗ diuinam per typum sanctissimum & Deo probatissimum. Vnde alio in loco idem Apostolus dicit eorum doctrinam planè dæmoniorum esse doctrinam, qui prohibent contrahere matrimonium. Inde rursus consequens est, eam doctrinam esse diuinam, quæ liberum permittit coniugium omnibus, ipsumcꝗ commendat & colit.

Causæ cõiugij.

Præstantia & dignitate matrimonij intellecta, inspiciamus iam causas, ob quas diuinitus institutum est matrimonium. Deus pro bona sua natura, omnia sua instituta dirigit ad bonum & utilitatem hominum uberrimam: ergo & matrimonium instituit ad conseruationem generis humani, denicꝗ ut commoda, ornata & suauis esset hominis uita. Verùm redigi possunt causæ omnes ad numerum ternarium. Principiò Deus ipse dicit, Non est bonum ut homo solus sit, faciamus ergo adiutorium quod coram ipso sit, uel ei cohabitet. Prima ergò causa instituti coniugij est hominis commoditas, nimirum ut uita eius sit suauior & cõmodior. Non enim uidebatur Adam satis feliciter & suauiter uicturus, nisi adiuncta coniuge. Ea appellatur non impedimentũ aut malum necessarium, ut poëtæ quidam mulierum osores & malæ bestiæ nugati sunt, sed adiutorium uel brachium uiri. Ac ex Gentilibus, quod tamen mirum uideri poterat, Antipater in Sermone de Nuptijs protulit, quod mirum in modum huc quadrat, & quale nam brachium, aut quale adiutorium coniunx sit, exponit. Quisquis uxorem, inquit, & liberos non expertus est, uerissimam & geminam beneuolentiam ignorat. Vndiquacꝗ commiscetur coniugalis amor, cùm non solùm opes & liberos & animam, sed etiam corpora soli coniuges cõmunia habeant. Ideo Euripides, deposito mulierum odio quo laborabat, hos uersus scripsit,

Mulier est uiri brachium.

Coniunx in ægritudinibus & sinistra fortuna, marito
Suauissima est, si domum honestè inhabitet,
Iram suauiter mitigans & molestias
Animi incanditate leuans ac fraudes amicorum.

Quemadmodùm enim si quis unam habens manum, alicunde & alteram indipiscatur, aut unico pede utens, etiam alium aliunde acquirat, facilius multò aliquid apprehendere, aut quo libuerit ire potest: ita qui uxorem duxit, facilius fruetur salubribus & utilibus uitæ commoditatibus. Nam coniuges pro duobus oculis quaternos habent, & pro duabus manibus totidem alias, quibus unà iunctis, facilius agent opus manuum. Proinde fessis alteris reliquæ suum officium præstabunt. Coniugium ergo quod unius membri uice ex geminis coalescit, felicius omnia administrare in uita poterit. Hæc omnia Antipatri sunt. Hierocles uerò in libro suo de Nuptijs, Vtilis est, inquit, cum muliere conuictus, etiam præter liberorum procreationem. Primùm enim externis laboribus attritos suscipit, officiose tractans, & omni cum studio recreans. Deinde animi tristitiæ obliuionẽ inducit. Tristiores enim uitæ casus & in uniuersum omnis solicitudinis aut negotij, agentibus nobis circa forum, rus, aut inter amicos, non facilè feruntur necessarijs occupationibus admixti: expeditis autem inde & domum regressis, animocꝗ in otium & libertatem suam restituto, leuiora fiunt omnia, & hac occasione nos angere desinunt. Nec profectò uxor molesta est, imò res molestias ipsa leuat. Nihil

enim usqueadeo onerosum est, quod maritus & uxor non facillimè ferant concordes, & communi opera quicquid est ferre uolentes. Et reliqua.

Secunda instituti matrimonij causa est procreatio sobolis, ad conseruandum genus humanū, & educatio liberorum in timore Domini. Nam benedixit dominus Adæ atq; Euæ, ac dixit, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Paulus item Apostolus ad Titum, Anus doceto, ait, ut honesta doceāt, quò intelligentes ac modestas reddant adolescentulas, ut maritos suos diligant, ut liberos ament, ut sobriæ sint, domus custodes, bonæ, subditæ suis uiris. Et iterum ad Timotheum, Adam non fuit deceptus, ait, sed mulier seducta fuit, salua tamen fiet per generationem liberorum, si manserint in fide & dilectione, & sanctificatione cum castitate. Cæterum inutilis foret generatio, nisi accederet & educatio liberorum. Præterea quæ uerè liberos diligit, educat ipsos in timore domini. Et hinc profluit maximus in rempub. & ecclesiam fructus. Accedit item perplurimum gloriæ ac cultui Dei, cum prouenit ex sancto coniugio maximus hominum numerus uerè Deum agnoscentium, inuocantium, colentiumq;.

Procreatio & educatio sobolis.

Tit. 2.

1. Timoth. 2.

Tertiam causam instituti matrimonij, huiusmodi uerbis commemorat Apostolus, Propter stupra uitanda suam quisq; uxorem habeat, & suū quæq; uirum habeat. Bonum quidem esset & cōmodum nullam contingere mulierem, cœlibemq; uiuere hominem, sed quia hoc non omnibus datum est, sicut in Euangelio ait dominus, ac urit quosdam aut plerosq; ferè carnis concupiscentia, dominus coniugium uelut medelam instituit, testante Apostolo rursus atq; dicente, Qui se non continent, contrahant matrimonium. Nam satius est matrimonium contrahere, quàm uri. Discimus hic concubitum naturalem cum propria coniuge non reputari à Deo pro culpa aut pro immunditia. Fornicationis opus est immūditia, quia pugnat cum lege diuina. Coniugium uerò permisit Deus & benedixit ei, ergo sanctificantur coniuges benedictione Dei, fide & obedientia. Nec desunt hic nobis argumenta & testimonia clarissima Pauli. Is enim ad Hebræos dixit, Honorabile est inter omnes coniugium, & cubile impollutum: scortatores autem & adulteros iudicabit Deus. Verecundè locutus est Apostolus, ac per cubile intellexit concubitum coniugalem, quem testatur esse impollutum. Quod autē mundauit Deus, quis oro immundum dixerit? Quis negauerit mundis omnia esse munda? Rectè ergo de his iudicans in Nicena Synodo Paphnutius confessor & episcopus dixit, castitatem esse concubitum cum uxore propria. Neq; uerò puduit uerecundissimum Christi Apostolum leges de his ferre. Scribit enim, Vxori uir debitam beneuolentiam reddat: similiter autem & uxor uiro. Vxor proprij corporis ius nō habet, sed maritus. Similiter & maritus proprij corporis ius non habet, sed uxor. Ne fraudetis uos inuicem, nisi quid fiat ex consensu mutuo & pro tempore, ut uacetis ieiunio & precationi: & rursum in unum conueniatis, ne tentet uos satanas propter intemperantiam uestram. Clara sunt hæc Apostoli uerba, nec ulla interpretatione nostra addita indigent. Idem Apostolus ad Corinthios, Si duxeris uxorem, ait, non peccasti. Item, Si uirgo nupserit, non peccauit. Quid autem uirginitate præstantius, purius, sanctius? At non peccat uirgo, si uirginitatē sancto commutet connubio. Bene ergo Chrysostomus in Homilia quadam, Primus, inquit, gradus castitatis est syncera uirginitas, secundus fidele coniugium. Sed & beatus Augustinus nuptias uocat castitatē siue continentiam. Locus extat de Bono coniugali cap. 19. & 20. item Epistola 198. Ex hoc fonte dimanat honestatis publicæ portio maxima. Approbat enim Deus coniugia, improbat fornicationem & omnem immunditiam. Sancto suo instituto uult omnem turpitudinem à suis exclu-

Cubile in coniugio impollutū.

1 Corin. 7.

Heb. 13

Acto. 10. Titum. 1.

1. Cor. 7.

Honestas.

dere fidelibus. Videant ergo sancti, magistratus inprimis, ne hîc sint segnes, sed alacres, sancta tueantur coniugia, persequantur seuerissime obscœnitates, fornicationes, & omnem immunditiam.

Nemini prohibitũ cõiugium. Hæc ex scriptura sancta recitaui hucusq; paulò copiosius, ut omnibus manifestum facerem coniugium esse sanctum, & idcirco eius moderato, sancto, legitimoq; usu neminem posse inquinari: ergo omnibus quoq; esse permissum. Apostolus enim, Episcopus, inquit, sit unius uxoris uir, qui suæ domui bene præsit, liberos habens fideles. Nam & Apostolos Christi, apostolicosq; uiros sanctissimos Ecclesiarum pastores, habuisse uxores, diuino & humano testimonio comprobatur. Neq; uerò aliud post prauam doctrinam magis inficit Ecclesiam, omnemq; disciplinam subuertit ecclesiasticam, quàm si ministri ecclesiarum, qui debuerant esse lumina, sint fornicarij & adulteri. Scandalum hoc præ cæteris honestatem omnem fatigat atq; conspurcat. Sed de his in præsentiarum non statui prolixius & plenè disputare. His adijcio uinculum coniugij esse indissolubile & sempiternum, id est, nunquam dissipandum. Fit enim ex duobus una caro, unum corpus. Hoc si disseces, perdis. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Ergo huius corporis cædem faciunt, qui adulterium perpetrant. Diuortium enim admittit lex euangelica & lex humana inter maritum & adulteram. Neq; sit minor & leuior causa, quæ inter coniuges uinculum hoc dirimit, quàm fornicatio. Alioqui maiores in Euangelio non prohibuit esse diuortij causas, qui minorem permisit. Ac in ecclesia ueteri non unam fornicationẽ separationis causam fuisse, testes sunt Christianorum principum epistolæ atq; constitutiones. De quibus aliàs.

1 Timoth. 3.

Vinculum coniugij indissolubile.

Quomodo contrahendum sit matrimonium. Vt autem uinculum hoc sanctum coalescat firmius, multum refert si sanctè, legitimè, cum timore Dei, & cum iudicio, coeant coniugia. Ne sint inuita aut coacta. Iungantur prius animorũ consentientium genij, quos postea coniungit professio consensus mutui & externa confœderatio. Iungantur qui non sunt propinquitate sanguinis aut affinitatis disiuncti. Iungantur qui per leges diuinas atque patrias, parentum consensu consilioq; accedente, coniugi possunt. Adsit in contrahentibus mens syncera, quæ quærat incolumitatem & felicitatem perennem, hoc est, quæ unicè spectet uoluntatem Dei: neq; admittat ulla parte prauos affectus in consilium. Hierocles in lib. de Nuptijs, Imprudentia omnino grauis est, inquit, ut quæ res etiam per se faciles, onerosas efficiat, & inter alias uxorẽ quoq;. Non paucis enim intolerabiles fuerunt nuptiæ: non quòd sua culpa aut suapte natura talis sit cum uxore societas, sed quando ducimus, quas non oportebat, inde usu uenit, ut fiat intolerabilis illa societas. Hoc sanè modo nuptiæ uulgo eueniunt. Nõ enim procreationis liberorum, aut uitæ societatis gratia ducunt uxores: sed alij propter magnitudinem dotis, alij excellentia formæ, alij uerò alijs istiusmodi causis ducti, ceu malis consiliarijs usi, de ingenio & moribus sponsæ nulla cura habita, in perniciem suam nuptias celebrant. Huc pertinet quod Plutarchus in libello De liberis educandis parẽtes admonet, ut eiusmodi liberis suis uxores despondeant, quæ non sint multò uel ditiores uel potentiores. Prudenter enim dici Prouerbio, Tuæ sortis uxorẽ ducito. Breuiter præluceat in his omnibus timor Dei, uerbum Dei, & ardens ad Deum effusa precatio.

Contra Polygamiam. Cæterum non conuenit in legitimo coniugio plures esse quàm duos, qui constringantur unum sub iugum. Polygamia enim usurpata patribus nostris citra culpam, nullam nobis constituit legem. Illuxerunt correctionis tempora, & uenit in orbem Messias omnia docens atq; reformans. Leges ergo coniugij idem ille reduxit ad primam regulã & legem. Erunt, ait Dominus, duo in carne una. Et Apostolus,

stolus, Habeat quisque suam uxorem, & quæque suum maritum. Nihil ergo ad nos pertinent greges concubinatum Solomonis. Nihil ad nos pertinet quod Iacob legitur duabus coniugatus sororibus. Interea secundas, tertias aut etiam plures nuptias non damnat uerbum ueritatis. Generale enim est illud Apostolicũ, adde & perpetuum, Qui se non continent, contrahant matrimonium. Satius est enim contrahere matrimoniũ, quàm uri. Desumpta est ea sententia ex illis Euangelicis uerbis, Non omnes capiunt uerbum hoc: sed ij quibus datum est. Sunt enim eunuchi de utero matris sic nati: sunt qui ita facti sunt ab hominibus: & sunt qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat. Ergo qui non potest capere, uxorem quoties necesse est, ducat.

1. corinth. 1

Secundæ nuptiæ.

Math. 19

In primis uerò scire refert quomodo colamus matrimonium, quo dirigant omnia sua coniuges, quid agant in coniugio, & quomodo animati esse debeant erga hoc sanctum Dei institutum. Ea de re paucula, sed maximè necessaria capita recensebo, singulis suppeditans occasionem plura & maiora cogitandi. Principiò teneant coniuges pro re certissima compertissimaque, se esse in opere Dei cùm uiuunt in coniugio, se placere Deo, & rem gratam Deo facere, idque propter uerbum Dei, quo benedixit huic uiuendi generi, ac sanctificauit omnes coniuges fide in hoc opere & instituto Dei uiuentes. Ergo cùm cõiugati molestias ex matrimonio consequentes perferũt patienter, dum laborant fideliter, dum ea faciunt decenter quæ opera uel officia sunt coniugum, ueluti dum uxor amat maritum, dum ei inseruit pro officio, dum parit cum dolore liberos, dum genitos fouet & magna diligentia multoque labore educat: dum maritus uxorem diligit, uxori mutuam præbet operam, ac in domo per omnia fidelem agit patremfamiliâs: non minus in his placent Deo, quàm cùm in sacrum prodeuntes cœtum, uerbum Dei audiunt & Dominum adorant. Nam opera illa cõiugij non minus reputantur pro bonis operibus, quàm ipsa eleemosyna, iustitia & pax. Opus itaque fuerit coniugibus ante omnia uera fide in Deum authorem coniugij. Ita enim per fidem placebunt Domino. Hæc non urserunt monachi, quæ tamẽ iubentur urgere in uerbo Dei, suam potius fictam sanctimoniam & sua uota supra astra extulerunt.

Quomodo colendum matrimonium.

Deinde requiritur à coniugibus, ut memores datæ & acceptæ fidei, se mutuò non fallant perfidè, sed fœdus initum & fidem datam sanctè seruent, & seruent quidem syncerè animo & corpore. Nemo admittat in animum concupiscentiam alienam aut odium fastidiúmue coniugis. Et corpus tuum, quisquis maritus es, non tuum, sed uxoris est: sicuti & uxoris corpus, non uxoris tuæ, sed tuum est. Rapinam committis & furtum, si alienum bonum sustuleris, aut ab hero proprio abalienaueris alterique communicaueris. Sit mens coniugum integra & corpus illibatum. Pollicetur quisque, dum sacra ceremonia initiat & dedicat coniugium sub obtestatione diuini nominis coram Deo & ecclesia, se fidem coniugi sanctè seruaturum, hac & non alia ulla usurum muliere, huic uni adhærere illamque diligere & fouere uelle. Hanc fidem datam quisquis uiolauerit, perfidus est, diuini uiolator fœderis & sanctæ ueritatis.

Fideles sint coniuges.

1 corin. 7

Nec satis est si sis fidelis, nisi etiam sis humanus & cohabites uxori cum scientia, ut ait S. Petrus. Sit maritus uxoris caput, mens uidelicet sapientiaque, commodus moderator, uiæ dux, conuictor iucundus, monitor in rebus omnibus opportunus, defensor fidus. Vxor sit obediens, ut uidemus membra parere capiti, præbeat se agendam & regendam uiro, non spernat æqua mariti dogmata aut imperia. Cogitent se esse unũ corpus uel membra unius corporis. Discant ergo ex gubernatione corporis humani quomodo sese gerant in connubio. Nobiliora mem

Cohabitandum cum scientia.

bra non contemnunt ignobiliora, sed eis deferunt magis ac laborem leniunt & auxilium conferunt. Ignobiliora suspiciunt nobiliora, nec istis inuident quicquam. Membrum non collidit aut affligit membrum, sed mutuò se fouent omnia, & defendunt se inuicem ab iniurijs. Talis sit inter coniuges mutua connexio, & operatio, & beneuolentia & charitas, tale studium & cōsortium. Ideò enim ex corpore uiri desumpta est mulier, ut suum corpus colere & amare pergeret maritus. Ideò etiam Apost. Sic debent uiri suas diligere uxores, ait, ut sua ipsorum corpora. Qui diligit suam uxorem, seipsum diligit. Nullus enim unquā suam ipsius carnem odio habuit: imò enutrit & fouet eam, sicut & Dominus ecclesiā. Quid quod Apost. eodem in loco ipsum Dei filium & sanctā ecclesiam, coniugatis exemplū statuit, requirens à marito ut diligat uxorem suam sicut Christus dilexit ecclesiam: uxor uerò ita obseruet maritum, eundemq; diligat sicut ecclesia Christū? Eo exemplo non est aliud in toto hoc orbe sanctius & uehemētius. Nullus enim amor Christi amore in ecclesiā maior: nec alia inuenitur obseruatio castior quàm ecclesiæ erga Christum. Requiritur ergo à coniugatis ut ardentissimè & sanctissimè se ament mutuùm. Omnibus utantur communiter, bonis simul & malis: idem trahant iugum, alter alterius onus portet. Breuiter, sint unius corporis mēbra. Alibi descripsimus hæc officia copiosius, dum conscripsimus institutionem Christiani matrimonij.

Ephes. 5.

Gignant & educent liberos.

Postremò educent liberos in sancta disciplina & timore Dei, ad salutē domus propriæ & totius reipublicæ. Paulus, Volo, inquit, iuniores nubere, liberos gignere, domum administrare. Hoc enim est honestum & acceptum coram Deo. Porrò de educatione liberorum dixi Sermone quinto huius Decadis. Vtilissimū est autem hac parte matrimonium cùm suæ cuiusque domui, tum uniuersæ reipublicæ: ut iam non commemorem & cultum, & gloriam Dei propagari quàm latissimè, si uidelicet liberi non tantùm generentur, sed & sanctè instituantur à parentibus in timore Domini & in omni pietate. Hierocles, Vtiles, inquit, esse nuptias assero. Primùm quidem quia diuinū reuera fructum producunt liberorum generationē, qui nobis & ualentibus adhuc, utpote consanguinei, in omnibus negotijs opem ferunt, & ætate confectis senioq; pressis boni sunt auxiliarij: familiares quidem in secunda fortuna lætitiæ socij, in aduersa uerò condolentes rerum tristium successores. Et reliqua. Antipater uerò, Hominem, ait, ingenio ciuili præditum, commune negotium patriæ oportet augere. Nam alia ratione ciuitates seruari non possent, nisi optimi quiq; ciues & generosorum filij, prioribus tanquam arboris pulchræ folijs marcescentibus & defluentibus, uxores tempestiuè ducerent, & liberos ceu generosa quædam germina patriæ successores relinquerent, ut ipsam florere semper & in uigore perpetuo durare efficerent, nunquam hostibus oppugnatu facilem fieri pro uirili sua molientes. Hoc igitur sibi scopo proposito ut & uiui & defuncti patriam tueantur & adiuuent, nuptias contrahere maximè necessarium, ac inprimis conueniens æstimant, cùm omnia quæ requiruntur à natura perficere cupientes, tum illud apprimè quod salutem & augmentum patriæ, ac multò magis diuinum cultum attinet, &c.

A religione auspicanda coniugia.

Cùm autem tanta ad beatè feliciterq; uiuendum momenta habeat iustum matrimonium, non præter causam auspicantur hoc à religione fideles. Certè primo parentum nostrorum coniugio protinus ab initio benedixit Dominus, qui & eos copulauit. Vnde receptus est in ecclesiam Dei mos, quòd qui matrimonium contraxerunt, priusquàm cohabitent, in templū Domini ueniant, ubi sub inuocatione diuini nominis & in medio interpellātis ecclesiæ, copulantur & benedicuntur à ministro Dei sub nomine Dei. Proinde locum primariū in coniugio habent assiduæ

duæ coniugum preces ad Deum,ut hic dignetur facere maritos sapientes,religiosos,modestos,benignos,probos,laboriosos & patientes amantesq; uxorũ: uxores uerò obsequentes,placidas,castas,fidas,diligẽtes maritos & liberos, œconomicas & fœcundas. Quanta enim uel ex unico matrimonio prauo & corrupto existant mala,nemo unus explicauerit. Conturbantur hoc familiæ, perit pudor & facultas omnis,corrumpuntur liberi, offenditur imò irritatur Deus, malum ingens datur uniuersæ reipub. Proinde sedulò orandus Deus ut benedicat omnibus coniugibus,quò nomen eius sanctum incolumitasq; reipublicæ incrementa accipiat.

Descendo iam ad adulterium, quod huiusmodi scelus est, quo ad alteram accedit maritus, uel uxor ad alterum diuertit, cui corporis sui imò maritalis corporis copiam facit. Blandiuntur sibi quidam existimantes nulla se teneri culpa adulterij, si consuetudinem habeant cum libera aliqua puella uel non maritata: rursus si mulier se prostituat homini nondum coniugato. Fornicationem hoc non adulterium esse contendunt. Sed scriptura diuersum iudicat. Accedis ad alteram, adulter es:fidem fallis,perfidus es:corpus tuum non tuum, sed uxoris corpus est, proinde alienæ corpus hoc impendens,adulterium committis. Si cõiugatus cum maritata concumbis,peccatum adulterij conduplicas. Grauissimis supplicijs hoc statim à rerum exordio punitum est. Pharao rex Ægypti Saram Abrahæ uxorem deduci iussit in aulam ut ipsa uteretur uxore, ratus illam Abrahæ sororem esse. Sed scriptura, Afflixit autem Dominus, ait, Pharaonem & domum eius plagis magnis propter Saram uxorem Abraham. En punitur rex Ægypti plagis grauissimis propter adulterium: interim ignorauit rex Saram esse uxorem Abrahæ: quantæ ergo plagæ illis paratæ sunt, qui scientes & uolentes impudenter cõmittunt adulteria? Ad Abimelechem regem Palæstinorũ dicit Dominus, En morieris propter mulierem quam tulisti à marito suo. Atqui abduxerat & hic rex Saram nesciens esse uxorem Abrahæ. Ioseph solicitatus ab uxore herili ad adulterium, simpliciter dicit, Quomodo designarem ingens hoc malum siue flagitiũ, quo & in Deum peccarem? Singula uerba suum pondus habent. Nam grande scelus est adulterium. In libro enim Iob, ipse Iob sic pronunciat, Si concupiscentiæ uxoris alienæ obnoxiũ fuit cor meum,& ad ostium sodalis mei sum insidiatus, nimirum ut corrumperem uxorem eius, scortum alterius sit uxor mea,& rem habeant alij cum ea. Hoc enim grande flagitium est & iniquitas capitali actione persequenda. Ignis enim est qui ad interitum usq; deuorat, ac omnem prouentum meum euellit. Dicit Iob se non modò non perpetrasse adulterium, sed ne tentasse quidem unquam alienam corrumpere uxorẽ. Profitetur nephas siue grande scelus esse adulterium, quod mereatur ut adulterio sua quoq; corrumpatur. Addit adulteriũ ignem esse funditus absumentẽ ac deuorantem omnia, deniq; iniquitatẽ esse capitali actione persequendam. Nam & Solomon mortalium sapientissimus, Num quispiam in sinu suo, inquit, ignem souet, ut uestimenta sua non adurantur? Aut incedet quis super prunas ut pedes eius non adurantur? Sic qui ingreditur ad coniugẽ proximi sui, culpa non uacabit quisquis tetigerit eam. Nõ reputant probro furari, si esuriens furetur ut uitam sustentet. Sed deprehensus septuplum rependit & uniuersam rem familiarem expendit. Qui autem adulterium committit cum muliere, excors est, & qui hoc facit, animã suam perdit. Verbera insuper & ignominiã inuenit, cuius opprobriũ nunquam poterit deleri. Maritus enim incẽsus zelotypia cùm ei offertur uindicandi occasio, non parcit: neq; ullius intercessoris faciẽ suscipit, nec munera quantumuis magna admittit. Plurima certè in his Solomonis uerbis consideranda ueniunt. Principiò ut fieri nequit quin adurat ignis uestem si in ueste gestetur:

Contra adulterium.

Genes. 12.

Genes. 20.

Genes. 39.

Iob. 31.

Prouerb. 6.

ita impunè nemo cōmiserit adulterium. Deinde collatio fit inter furem & adulterum: non quòd furtum defendatur, sed quòd fures licet sint ignominiosi, minus tamen peccare, quàm adulteri uideantur. Potest enim satisfacere fur restitutione ei cui suffuratus est aliquid: adulterium recompensari non potest. Et quis non malit sibi arcam funditus euacuari à furibus, quàm adamatam uitiari uxorem? Præterea appellatur à Solomone adulter excors & insanus. Adulterium iudicatur esse scelus morte dignum, & infamia ineluibilis. Nam Dominus ipse in lege non tantùm dicit, Ne committas adulterium: sed alibi quoque addit, Et uir qui adulterium committit cum uxore alicuius, qui adulterium inquam committit cum uxore proximi sui, omnino moriatur adulter & adultera, Leuit. 20. Ac pœna hæc capitalis, nō est uel sublata uel mutata à Gentibus. Notissima est enim lex Iulia Romanorum, quæ iubet adulteros plecti capite. Viguit ea lex Hieronymi adhuc seculo, sicuti colligere licet ex historia, quam is conscribit de muliere adultera septies icta. Nec certè mirum est adulteriū apud priscos fuisse, & esse uel hodie iuxta leges capitale. Nam scelus est multifarium. Principiò enim perfidus est adulter. Fidem enim coram Deo & ecclesia palàm datā sub diuinæ & adorādæ Trinitatis obtestatione, & ministro Christi manus uel dextras coniugum conserente, fefellit atque uiolauit. Deinde furtum & rapinam admisit. Nam cum adultera sui corporis copiam facit alteri, non suum quidem, sed mariti corpus prostituit, inquinat & perdit. Quibus accedit quòd spurij ex adulterio nati, non rarò hæreditates adeunt cum legitimis liberis æquis portionibus. Id quod fieri non potest citra maximam legitimorum liberorum iniuriam. Spoliantur enim iniustissimè debita hæreditate, diuiditurque ei cui nullo iure debetur. Præterea mala exoriuntur innumera ex adulterijs. Ergo cum hydra sit multorum capitum, lex diuina & humana, non præter rationem, adulteros supplicio capitis puniuit.

Dauid adulter.

Suaues uerò illi sunt homines, si dijs placet, quibus adulteria lusus esse uidentur. Illi ipsi pro se facere credunt Dauidis adulterium, & quod Dominus noster propitius fuisse legitur adulteræ in ipso scelere deprehensæ. Quare non animaduertunt illi ipsi quanta seueritate in Dauidem cœlitus animaduersum sit? Polluitur mox funesta domus Dauidis incestu fœdo. Amnon enim uitiat per uim sororem suam Thamarem. Protinus & parricidio infamatur crudelissimo, Absolone Amnonem fratrem iugulante in conuiuio. Idem ille Absolom Dauidis filius corrumpit aut uitiat patri uxores, idque in propatulo, omni posito pudore. Expellit patrem ex regno quem & trucidare festinat. Agnoscit hic meritò se tanta propter admissum adulterium & parricidium sustinere. Tandem in pugna occiduntur populi multa millia. Vix restituitur regno Dauid, ac restitutus perpetuam agit pœnitentiam. Mirum uerò si pergant adulteri porrò pro se Dauidis exemplum adducere. Saluator noster non uenit iudex sed saluator in mundum, neque usurpauit sibi alicubi ius gladij. Quis ergo miretur adulteram non esse ab eo damnatam ad lapides? Dicebat tamen, Nemo te condemnauit? quasi non impugnaturus, si lata fuisset condemnationis sententia. Non enim uenit patrocinatum adulteris, neque ut legem solueret, sed ut impleret. Quòd si adulteris adeò placet adulteram illam non esse condemnatam à Domino, placeat clausula qua terminatur historia, dicente Domino, Vade, & posthac ne peccaueris. Desināt ergo & ipsi adulterijs seipsos coinquinare & perdere.

Saluator absoluit adulteram.

Quæ amplius prohibeantur sub adulterij titulo.

Dominus in lege sua Adulterium quidem nominauit, sed omnes libidinis & luxus species, omniaque ea quæ ad libidinem incitant & fomenta præbent, intellexit, quæ non minore seueritate & iustitia quàm adulterium prohibuit. Dominus

in Euan-

in Euangelio prohibet nō modò opus adulterij externum, sed ipsam affectionem & cupiditatem animi libidinosam. Audistis, inquit, quòd dictum fuerit antiquis, Non committes adulterium. At ego dico uobis, quòd quicunq; aspexerit uxorem alterius ad concupiscendum eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo. Ibidem docet eruere oculos & amputare manus, nimirum extinguere in herba exurgentes affectiones immundas, ne in ipsum opus erumpant. Prohibetur ergo hoc mandato omnis affectio immunda, omnis immūditia & turpitudo oris & corporis totius. Prohibetur fornicatio seu scortatio, quæ dicitur esse congressus soluti cum soluta. Is putatur à multis uel modicum uel nullum esse peccatū. Sed diabolus huiusmodi homines sic animat, sic fascinat & impellit. Doctrina enim Euangelica & Apostolica longè aliud docet. Nam Apostoli in Synodali illa Epistola sua missa ex urbe Hierosolymorum ad omnes gentes, manifestissimè prohibent fornicationem. S. Petrus scortationem inter fœdissima numerat scelera, à quibus quàm alienissimos uult esse Christianos. S. Paulus, Fugite, inquit scortationē. Item, Ne fornicatione inquinemur, sicuti quidam illorū inquinati sunt, & conciderunt uno die uiginti tria millia. Pugnat fornicatio cum fœdere Dei, quo is nobis, & nos cū Deo cohæremus. Sed & Deum gloria sua spoliat scortatio, templumq; Dei polluit fœdissimè. Audiamus super ea re Apostolum testificantem atq; dicentem, An nescitis quòd corpora uestra membra sunt Christi? Num igitur tollens membra Christi, faciam scorti membra? Absit. An nescitis quòd qui adglutinatur scorto, unum corpus est? Redigentur enim duo, inquit, in carnem unam. At qui adglutinatur Domino, unus spiritus est. Fugite scortationem. Omne peccatum quod fecerit homo, extra corpus est: sed qui scortatur, in propriū corpus peccat. An nescitis quòd corpora uestra sint templa eius qui est in uobis spiritus sancti: quē habetis à Deo, & non estis ipsi uestri iuris? Nam empti estis precio. Ergo fornicatio excludit fornicatores ex regno Dei. Idem enim Apostolus, Neq; scortatores, ait, neque adulteri, regni Dei hæreditatem accipient. Ideoq; alibi ne nominari quidem inter Christianos sustinet fornicationē, tantùm abest ut fornices lupanariáue tulisset seruus Iesu Christi. Præterea opplet totum corpus uarijs morbis scortatio, exuit cultores suos omni facultate atq; substantia, redigit ad extremam paupertatem & miseriam, adigit demum ad desperationem. Adobruit autem omni ignominia: cuius rei uiuum exemplum statuitur in sacris literis fortissimus Israelitarum Samson. Proinde in loco & tempore omnes homines admonet Solomon sapientissimus, ut fugiant scortorum suauiloquia. Desinunt enim in uenena, & hominem præcipitem agunt in abyssum malorum.

Fornicatio. *Act. 15.* *1. Pet. 4.* *1. Cor. 10.* *1. Cor. 6.* *Ephes. 5.*

Prohibetur hac lege & stuprum siue uiolatio uirginum, item raptus quo liberi parentibus per uiolentiam corrumpuntur & abducuntur. Differunt inter se stuprum ui factum, & stuprum sine uiolentia factum. Dinam Iacobi filiam uitiat Sichem, & quamuis corruptam sibi matrimonio iungi cuperet mutareq; religionē, confoditur tamen à fratribus Dinæ Leui & Simeone, totaq; ciuitas subuersa & cruore cæsorum oppleta diripitur. Historia legitur Gen. 34. Propter stuprum Iuliani præfecti filiæ illatum à rege Roderycho Gottho Hispaniam tenente, uniuersa penè Hispania igni & cruore commixta est. Volaterranus enim Geograph. lib. 2. Roderychus tres annos regnauit, inquit, cuius fœda libido finem attulit Gotthorū non tam generi quàm pacifico imperio, Saracenis superuenientibus. Nam cùm filiam cuiusdam Iuliani præfecti, qui Tingitanā administrabat prouinciam, uitiasset, dolor domesticus patrem ad ultionem solicitauit, loci fretum commoditate. Quare Iulianus clàm ex Aphrica Saracenos euocat: qui anno salutis 714.

Stuprum.

duce Muzza, misso à Mirmomelino eorum tunc rege, per angustias Herculei freti ingresso, biennij spatio omnem ferè Hispaniã occupant præter Astures. In quo temporis spatio dicuntur ad septies centena hominum millia bello utrinque absumpta. Cecidit in eodem bello cum omni sua nobilitate rex uirginis constuprator. In Israele interierunt propter ui compressam Leuitæ concubinam à Gabaonitis ciuibus Beniamitarum 25000. ut iam non commemorem eos qui ceciderunt ex undecim tribubus, quorum numerus peruenit ad 40000. Neq; ullis obscurum est reges urbe eiectos Roma, & Troiam decennali bello (cui oriens & occidens inuoluebatur) fatigatam, tandem funditus euersam esse, quòd Tarquinius ui oppresisset Lucretiam, & Alexander Paris è Græcia abduxisset alienam coniugem Menelai Helenam. Exempla innumera suppeditant omnia ferè secula. Semper enim iustissimus Deus editis exemplis declarauit quàm irascatur uirginum constupratoribus ac raptoribus mulierum. Ideoq; leges & supplicia grauissima in huiusmodi nebulones sunt constituta. Raptum siue stuprum ui factum capitaliter puniunt leges. Non uiolento constupratori præcipit Deus, Ducas & dotes. Aliud aliæ leges statuunt. De quibus plura traduntur in Iure ciuili.

Incestus. In primis autem prohibetur Incestus. Incestum uocant illegitimam coniunctionem contra sanguinis honorẽ. Cestus enim zona est nuptialis quam gerebant sponsæ, significans iustas nuptias. Germani uocamus hoc scelus Blůtschand, uitium scilicet sanguini uel consanguineis illatum. In Leuitico post gradus inhibitos, subiungit Dominus, In his omnibus ne polluamini. Nam in hisce omnibus gentes polluuntur, quas ego eijcio ante uos. Et hinc contaminata est terra, & ego uisitaui iniquitatem eius super eam, & terra ipsa euomuit habitatores suos. Vos igitur custodite statuta & iudicia mea, & ex omnibus istis abominandis rebus nullam designabitis. Nam quicunq; sic fecerit, excindetur. Et in 20. cap. Leuit. statuit contra incestus supplicium capitis, quod non mutarunt leges ciuiles seu imperatoriæ.

Leui. 18.

Sodomia. Prohibetur item abominandum nephas Sodomia & commixtio cum brutis. Apertissimas habemus contra hæc in Leuit. cap. 18. & 20. expressasq; leges. Habemus item seuerissimum, sed iustissimum supplicium ab ipso iustissimo Deo sumptum de Sodomitis. Nam igne & sulphure fœtente cœlitus demisso fœdissimos homines in cineres redegit, ac cineres abluit maris mortui undis, ne superesset de nepharijs hominibus uel fauilla. Arserunt præterea integræ urbes & agri fertilissimi. Neq; enim oportebat uel tantillum superesse de rebus etiam scelestissimorum hominum. Locus nomen obtinuit Maris mortui. Vnde necessariò colligimus Deum iustissimum minimè parsurum gẽtibus simili scelere implicitis, tametsi dissimulet ad tempus. Abolebuntur incendio cùm ipsæ tum res ipsarum: ardebunt apud inferos æternũ, nec aliud de eis quàm infamis remanebit memoria. In Theologia enim Domini nostri Iesu Christi legimus, Et descendit ignis à Deo è cœlo, & deuorauit eos: & diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum. Apoc. 20.

Illecebræ prohibitæ. Prohibentur præter illa, etiam omnia quæcunque incitant & illiciunt ad libidinem prohibitam. Huius generis sunt cultus corporis immodicus, consortium prauum & luxuriosum, gula uel crapula & ebrietas. Nam Ezechiel inter alia, Hæc fuit iniquitas Sodomæ, inquit, fastus, copia ciborum, felicitas & otium. Ad libidinem incitant carmina spurca uel audita uel lecta, cantilenæ obscœnæ, chori uel choreæ lasciuæ, spectacula impura, exempla & colloquia fœda. Damnantur ergo

Ezech. 16

hæc

hac lege conniuentes & fouentes, aut etiam mediantes atq; copulantes fornicarios homines. Impio dicit Deus in Psalmis, Quare assumis testamentũ meum in os tuum, cum odio habeas disciplinam, & uerba mea post te reijcias? Si uidebas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionẽ tuam ponebas, &c. Punit ergo ista omnia in sceleratis iustus dominus, unumquodq; pro magnitudine sua. Sunt enim alia peccata alijs grauiora. Adulter est qui concupiscit in animo suo uxorem alterius: sed idem peccat grauius si etiam opere pergat complere scelus, grauius rursus si compleat, & adhuc grauius si repetat. Ita peccat quidem adulter, sed peccat is quoq; qui iuuat adulterum, qui defendit. Peccat grauiter scortator, sed grauius peccat qui se polluit incestu, grauißimè omnium qui communicat cum abominandis Sodomitis. Præcipitur itaq; hoc mandato septimo uerecundia, pudor, sobrietas, temperantia, castitas & honestas publica, deniq; uera animi & corporis sanctimonia. Restat iam ut aliquid dicamus de Continentia. *Psalm. 50.*

Abstinentia ab alienis abstinemus ne cui eripiamus suum. Temperantiam uolunt continentia patere latius. Nam hanc illius partẽ faciũt. Ego simpliciter Continentiam oppono intemperantiæ aut incontinentiæ. Est enim uirtus & animi uis à spiritu Dei accepta, quæ comprimit affectus, nec quicquam permittit uoluptatibus illicitis. Hæc exercet se & locum habet in sermone hominum, in uoluptate etiam cõcessa, in uestibus, in habitatione seu ædificijs, in cibo & potu, ac in rebus quoq; alijs. Nos enumerata duntaxat in præsenti excutiemus. *De continentia.*

Principiò requiritur à nobis ut linguam nostram contineamus, neq; laxemus ipsam in contumeliam gloriæ Dei, aut in proximi nostri detrimentum. Sit sermo hominis Christiani honestus, utilis & sale conditus, sit prorsus alienus à scurrilitate, leuitate, mendacio, à turpitudine & obscœnitate. De lingua multis egit beatus Iacobus in epistola sua cap. 3. In primo capite, Sit omnis homo, ait, uelox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram. Et Paulus, Omnis sermo spurcus, inquit, ex ore uestro ne procedat, sed si quis est bonus ad ædificationem, quoties opus est, ut det gratiam audientibus, & ne contristetis spiritum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis. Item, Scortatio & omnis immunditia aut auaritia ne nominetur quidem inter uos, sicut decet sanctos, aut obscœnitas, aut stultiloquium, aut urbanitas, quæ non conueniunt, sed magis gratiarum actio. Ne quisquam decipiat uos inanibus sermonibus. Propter hæc enim uenire solet ira Dei in filios inobedientes. Nam & alibi ex Menandro hanc protulit sententiam, Corrumpunt mores bonos colloquia praua. Sed & uiri animus inspicitur in sermone. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Ergo si alibi uspiam hic inprimis conuenit Christianos esse continentes & sobrios. *Continentia linguæ.* *ephe 4.*

Concessit quidem dominus homini uoluptates. Licet enim ad sobrietatem ornare uestibus corpora, & ijsdem ab eis depellere frigus. Concessit amplexus coniugales sanctos. Concessit contra intemperiem cœli habitationes commodas, nec flagitat ut pecudum aut belluarum instar per agros & syluas oberremus. Concessit ad necessitatem adeoq; ad iucundam satietatem cibos atq; potum. Concessit otium, quietem atq; somnum mirabiliter uires etiam deficientes reparantem. Pro inde cum illis fruitur, & illa percipit, illisq; cum honesta uoluptate delectatur uir pius, agat Deo gratias, moderatè & cum timore Dei illis utatur. Non enim peccat contra dominum. Abusu illarum rerum, ingratitudine & intemperãtia peccatur. *Concessa uoluptas.*

Nam quid permissum sit coniugibus, superius exposui in hoc eodem sermone, ut idem repetere non sit necessariũ. Solomon dicit, Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ; sit hæc amata cerua & caprea gratiosa: amores eius omni tempore

te reficiant, in amore eius delectare iugiter, &c. Interim contineat se quisq; ab omni abusu & intemperantia: ac sicubi postularit necessitas secubent coniuges, iuxta Pauli consilium: uel audiant Ioelem prophetam dicentem, Sanctificate ieiunium, congregate cœtum: egrediatur sponsus de cubiculo suo, & sponsa de uelo suo.

Continentia in uestitu. *1.Pet.3.* *1.Tim.2.* *Titum.2.*

Vestes sint mundæ & honestæ iuxta morem patrium, nisi is sit corruptissimus, tegant & ornent: nihil in his sit sordidum aut hypocriticum, nihil peregrinũ, leue, & indecorum. Non puduit Apostolos Christi primarios Petrum & Paulum bene longas leges ferre de ornatu & uestibus mulierum: quòd hoc hominum genus ferè insolentius se hic gerat. Cogitet quisq; fidelium quid se deceat, non tam ex conditione & statu, quàm ex religione. Luxus in re qualibet improbatur Christianis. Quorsum uerò attinet uestes, quæ ut contegant corpus consuuntur, discindere, nisi quòd anatomia ineptissima aperimus & omnium oculis exponimus quales simus apud nos ipsos domi nostræ in pectore, discissi uidelicet, laceri, uani, leues & integri parum? Ac uestis è lino uel lana parata, non minus contegit & ornat hominem, quàm Damascena aut holoserica, imò onerant & deformem te reddunt, quæ te non decent & luxuriosa sunt.

Continentia in ædificijs.

In ædificijs non prohibetur mundities & necessitas, sed splendor & excessus. Ac splendida illa ædificia raro construuntur sine pauperum oppressione aut iniustitia graui. Ieremias adducit dominum loquentem contra regem Iuda atq; dicentem, Væ qui ædificat domum suam in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio, qui utitur seruitio proximi sui gratis, & mercedem eius non reddit ei: qui dicit, Aedificabo mihi domum latam & cœnacula spaciosa: qui aperit sibi fenestras & facit laquearia arcuata ex cedro pingitq; synopide. Num regnaturum te putas quod cum cedris contendis? An non & pater tuus edit & bibit, & executus est iudicium & iustitiam: & bene illi erat tunc? Nemo ergo nostrum ex rapina & sudore pauperum extruat ædes magnificas. Inhabitet quisq; domum sua professione & sua conditione decentem. S. Hieronymus luxum etiã in templis damnat. Nec uideo quid splendida ædificia conferant homini quàm ingens malum. Aegerrime auellimur ex palatijs, his ergo metum mortis cõduplicamus. Patriarchæ certe inhabitarunt tentoria, testificantes se hic esse exules, patriam autem inquirere aliam, nempe cœlestem.

Continentia in cibo & potu.

Continentia in cibo & potu nõ requirit odium cibi & uini, sed ut illis utamur moderatè ad necessitatem, non ad ingurgitationem. Damnatur in scripturis gula, crapula, comessatio atq; ebrietas, & hæc in primis. Nam ex ebrietate seruntur mala inexplicabilia, nempe scelera innumera, morbi graues, egestas & miseria. Solomon, Apud quem est uæ, ait, apud quem est dolor? apud quem cõtentiones? apud quem nugæ? apud quem uulnera sine causa? apud quem rubedo oculorum? Apud eos nimirum qui uina sectãtur, apud eos qui ueniunt inquisitũ ubi miscetur. Noli contemplari uinum cum rubet, & cum splenduerit in uitro color eius: ingreditur blandè, & in nouissimo mordet ut coluber, & sicut regulus uenenum diffundet. Non commemorabo omnia quæ uel ex gentibus contra crapulã & ebrietatem proferre possem. Vnus Solomon pleraq; comprehendit modò recitata sententia. Præterea qui non audit Christum, quem putas alium in orbe terrarum auditurum? At hic in Euangelio sub parabola diuitis epulonis mirabili euidẽtia pingit, quem finem sortiantur epulones. Apud eundem Lucam taxans nostri seculi, hoc est, proximè diem iudicij præcedentis, crapulam & ebrietatem, Sicut accidit in diebus Noe (ait) & Lot, edebant & bibebant usq; ad diem quo ingrediebatur Noe in arcam, & Lot exiret è Sodomis: tunc uenit diluuium, & pluit igni & sulphure

Contra ebrietatem Christus. Luc. 17.

phure de cœlo & perdidit omnes. Addit idem, Cauete uobis ne quando grauetur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, subitusq; ingruat uobis dies ille. Tanquam laqueus enim superueniet super omnes qui sedent super faciem totius terræ. Vigilate itaque omni tempore, deprecantes, ut liceat uobis effugere ista omnia, & stare ante filium hominis. Atq; utinam plures hanc auream, cœlestē & diuinam admonitionem saluatoris scriberent non tantùm in omnibus aulis & hospitijs ubi exhibentur conuiuia, sed in cordibus singulorum. Quoniam enim ebrietas regnum nostro seculo apud omnes ferè gradus siue ordines, sexus & ætates obtinet, experimur in diem mala illa quæ ebrijs minatus est dominus apud Isaiam in capite 5. & 28. Ac metuendum est ualde, ne ebrios dies illa domini innumeros sit deprehensura ad suum ipsorum interitum. Ergo qui aures habet ad audiendum audiat.

Non possum hic mihi temperare quin recitem C.V. quæ S. Martinus non Turonensis ille, sed Dumiensis Episcopus, sub Iustiniano Cæsare florens, in libello ad Mironem Galliciæ regem de Continentia scripta reliquit, Continentiam, inquit, si diligis, circuncide superflua, & in arctum desyderia tua constringe. Considera tecum quantum natura poscat, & non quantum cupiditas expetat. Impone concupiscentiæ tuæ frenum & modum, omniaq; blandimenta quæ occultam uoluptatem trahunt reijce. Ede citra cruditatem, bibe citra ebrietatem. Nec præsentibus delicijs inhærebis, nec desiderabis absentes. Victus tibi ex facili sit, nec ad uoluptatem sed ad cibum accede. Palatum tuum fames excitet, non sapores. Desideria tua paruo redime, quia hoc tantùm curare debes ut desinant: atq; quasi ad exemplar compositus diuinum, à corpore ad spiritum, quantum potes te festina reducere. Si continentiæ studes, habita non amœnè sed salubriter, nec dominum esse uelis notum à domo, sed domum à Domino. Non tibi ascribas quod non eris, nec quod es, nec maior quàm es uideri uelis. Hoc magis obserua ne paupertas tibi immunda sit, nec parsimonia sordida, nec simplicitas neglecta, nec lenitas languida: & si tibi res exiguæ sunt, non tamen sint angustæ. Nec tua defleas, nec mireris aliena. Si continentiam diligis, turpia fugito, antequam accidant: nec quenquam alium uereberis plus quàm te. Omnia tolerabilia præter turpitudinem crede. A uerbis quoque turpibus abstineto, quia eorum licentia impudentiam nutrit. Sermones utiles magis quàm facetos & amabiles ama, rectos potius quàm obsecundantes. Miscebis interdum serijs iocos, sed temperatos & sine detrimento dignitatis ac uerecundiæ. Nam reprehensibilis risus est si immodicus, si pueriliter effusus, si muliebriter fractus. Non erit tibi scurrilitas sed urbanitas grata. Sales tui sint sine dente, ioci non sine utilitate, risus sine cachinno, uox sine clamore, incessus sine tumultu. Quies tibi non desidia erit. Et cum ab alijs luditur, tu sancti aliquid honestiq; tractabis. Si continens es, adulationes euita, sitq; tibi tam triste laudari à turpibus, quàm si laudaris ob turpia. Lætior esto quoties displices malis, & malorum de te existimationes malas ueram tui laudationem ascribe. Difficilimum cōtinentiæ opus est assentationes adulatorum repellere, quorum sermones animum uoluptate resoluunt. Non eris audax aut arrogans. Submittes te, non proijcies, grauitate seruata. Admoneberis libenter, & reprehenderis patienter. Si meritò obiurgabit aliquis, scito quia profuit. Si immeritò, scito quia prodesse uoluit. Non accerba, sed blanda timebis uerba. Esto uitiorum fugax ipse, aliorum uerò neq; curiosus scrutator, neq; acerbus reprehensor, sed sine exprobratione correptor, ita ut admonitionem hilaritate præuenias: & errori facilè ueniam dato. Nec extollas quenquam nec deijcias. Dicentium esto tacitus auditor, audien-

S. Martini doctrina de Continentia.

tium promptus receptor: requirenti facilè responde, contemnenti facilè cede, nec in iurgia execrationesq; discedas. Si cōtinens es, animi tui motus corporisq; obserua ne indecori sint: nec illos ideo contemnas quia latent. Nam nihil differt si nemo uideat, cum tu ipse illos uideas. Mobilis esto non leuis, constans non pertinax. Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Rumoribus, criminibus, suspicionibus minimè credulus uel malignus. Vanæ gloriæ contemptor, & bonorum quibus prædìtus es ne sis acerbus exactor. Rari sermonis ipse, sed loquentium patiens. Seuerus non sæuus, sed hilarem non aspernans. Sapientiæ cupidus & docilis, quæ nosti sine arrogantia postulanti impartìes: quæ nescis sine occultatione ignorantiæ tibi pōstula impartiri. Non conturbabit sapiens mores publicos, nec populum in se uitæ nouitate conuertet. Hæc de Continentia ex beato Martino episcopo recitaui hactenus. Orandus interim est dominus ut nobis spiritum suum largiatur, per quem coninentiæ uirtus apud nos in his omnibus floreat. Nisi enim hic nos animet atq; inspiret, frustra tot & tanta audiuimus præcepta, ac nisi temperanter & sobrie uiuamus, Christiano nomine sumus indigni.

De ieiunio.

Ad hunc locum pertinet etiam Ieiunij cōsyderatio, quam paucis attingemus. Ieiunium Christianum est disciplina, custodia, ac castigatio corporis, pro necessitate præsenti, sponte suscepta, qua humiliamur corā Deo, fomentaq; carnis corpori detrahimus, ut pareat spiritui. Nam quandiu in hoc corpore uiuimus mortales, caro subinde rebellat spiritui, tum uerò maximè cum bene curata cute delicijs affluimus. Proinde ieiunium detrahit corpori omne id per quod incitatur & roboratur contra bona spiritus diuini dictata.

Species ieiuniorum duplex.

Ac necessitas illa propter quam suscipitur ieiunium, duplex est, publica & priuata. Publicam ob necessitatem suscipitur ieiunium, quando aliqua calamitas Ecclesiam uel premit uel Ecclesiæ imminet. Eius ieiunij exempla extant in prophetis apud Ioelem in cap. 2. & apud Ionam in cap. 3. Vsurpatum est hoc ipsum adhuc Apostolorū tempore: sicuti declarat lectio Actuum Apostolorum. Ac uidentur huiusmodi ieiunia apud ueteres parum aut nihil abfuisse à luctu publico, adeoq; nihil aliud fuisse quàm luctum. Exempla ubiq; in sacris occurrūt plurima, docentia quomodo se sancti humiliarint coram Deo, agentes pœnitentiā ueram. Priuatam ob necessitatem suscipit quisque ieiunium, cum sentit se uexari à cupiditate propria, ac huic mox detrahit materiam, quò minus inardescat. Nam in euangelio dixit Dominus, filios sponsi tunc ieiunare cum ab ipsis aufertur sponsus, in tempore uidelicet difficili. Nuptiæ significant uinculum quo cōnectimur cum Christo fide & spiritu. Hoc integro, perpetuò gaudet pius. Edit & bibit cum gratiarum actione & moderatione, quantum satis est, & lætatur etiam in his externis Dei donis: ubi uerò sentit spōsum parare discessum, aut excessisse ferè ex pectore, id est, cum sentit spiritum insolentia carnis extingui & fidem frigere, tunc preces & ieiunia instituit, ut sponsum uel retineat, uel discedere parantem retrahat.

Qualia sint ieiunia.

Non amant autem ieiunia uel priuata uel publica uim. Non enim cogi, sed libera, hilari, & spontanea mente proficisci uolunt. Ab inuitis nihil fit perfectum. Hilarem datorem requirit Deus. Sint præterea ieiunia moderata pro locorū, personarum, periculorum, aut tentationum ratione aut magnitudine indicta atque suscepta, si non perpetua saltem crebra, donec liberemur. Sint aliena à superstitione & hypocrisi, sicuti docuit Dominus noster in Euangelio Matthæi capite sexto. Huc quadrant mirum in modum sancti Hieronymi uerba de ieiunio ad Nepotianum sic exarata, Tantum tibi ieiuniorum modum impone, quantum ferre potes,

tes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata & non superstitiosa ieiunia. Quid prodest oleo non uesci, & molestias quasdam difficultatesq; ciborum quærere, carycas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacia? Tota hortorum cultura uexatur, ut cibario nõ uescamur pane, & dum delicias sectamur, à regno cœlorum retrahimur. Audio præterea quosdam contra rerum hominumq; naturam aquam non bibere, nec uesci pane, sed sorbitiunculas delicatas & contrita olera betarumq; succum non calice sorbere sed concha. Proh pudor, non erubescimus huiusmodi ineptijs, nec tædet superstitionis? Hæc Hieronymus. Constat autem hoc uitium hodie inter diuites & spirituales potissimum esse receptissimũ. Porrò finem habent ieiunia Christiana hunc, humiliet se ecclesia aut peccator corã domino, obediat & subijciatur caro spiritui, minus obstrepat caro operãti iustitiam, & sit orantis intentio & affectus ardentior erga Deum. Ieiunium enim de eorum est numero, quæ non per se sunt absoluta opera, sed ad aliud & propter alia instituta: ergo ieiunium est adminiculum quodpiam orationis sanctorum & uirtutum omnium. Proinde legis in prophetis ieiunia Iudæorum displicuisse domino. Nihil enim aliud quàm ieiunabant, id est, certo & stato tempore abstinebant à cibis consuetis, at à sceleribus interim non abstinebant, sed laxabant nihilominus fræna carni, cum reuera carni sua debuissent foměta detrahere, quò fuisset infirmior, spiritus autem in operandis bonis operibus robustior. Dicit itaq; Dominus, Ego tale ieiunium non elegi: & quæ his subijciuntur apud Isaiam in cap. 58. & apud Zachariam in cap. 7. & 8. — *Finis ieiuniorũ*

Certè Apostolus Christi Paulus manifestè dicit, Esca nos nõ commendat Deo: neq; si comedamus, aliquid nobis superest, neq; si non comedamus, quicquam nobis deest. Non ergo ieiunat uerè qui nihil aliud quàm abstinet certo tempore à cibis certis, sed qui ideo abstinet ab omnibus fomentis carnis, ut & carnem spiritui subijciat, & opera fidei charitatisq; Deo placentia perficiat. Proinde si cupis uere ieiunare, ede, bibe, dormi, corpusq; cura ne insolescat, ieiuna ab omni peccato, nullum cibum sumas malitiæ, nullas capias uoluptatis epulas, nullo uino luxuriæ concalescas. Ieiuna à malis actibus, abstine à malis sermonibus, contine te à cogitationibus pessimis. Nam & Basilius, Verum ieiunium est, inquit, à uitijs immunem esse, continentia linguæ, iræ cohibitio, concupiscentiarum amputatio, obtrectationis, mendacij, periurij, &c. Quemadmodum uerò ipsa bona opera ex fide facta, regnum cœlorum non merentur (debetur hæc gloria unico Christi merito) ita neque ieiunium, ad opera bona adminiculum & subsidium, regnum Dei meretur. — *Verũ ieiunium* — 1 Corin. 8

Iam uerò uideo anxiè de tempore modoq; ieiuniorum atque ciborum delectu disputari à plerisque theologis nostri seculi. Sunt qui stata ieiunia quadragesimæ, quatuor temporum & alia multa pro diuinitus institutis tueantur ieiunijs. Sunt qui nullo modo te ieiunasse aiunt, si edas carnem. Sunt qui certas designent ieiunio horas. Ego uerò non uideo talia nobis tradi in scripturis diuinis. Nam dominus nõ ieiunauit in Euangelio quadraginta diebus, sed in uniuersum ab omni cibo humano abstinuit, sicut & Moses & Helias. Eo itaque facto suo non tradidit nobis leges ieiuniorum. Præterea dominus in Euangelio clarè docet, id quod per os ingreditur non polluere hominem, sed quod ex corde egreditur. Puris omnia pura sunt. Et Paulus, Noui & persuasum habeo per Dominum Iesum nihil esse commune per se, nisi ei qui existimat aliquid esse commune, illi commune est. Item qui uescitur, non uescentem ne despiciat: & qui non uescitur, uescentem ne iudicet. Deus enim illum (nimirum uescentem) assumpsit. Iam etiam no- — *De modo temporeq; ieiuniorum & delectu ciborum.* — Mar. 1.

tissimus est eiusdem Pauli locus in 1. ad Timoth. 4. cap. ubi prohibitionem ciborum appellat doctrinam dæmoniorum. Nec est quod quisquam nobis hic quicquam dicat de Tacianis & Encratitis. Hi enim in uniuersum bonam Dei creaturam infamabant. Paulus autem de illis loquitur, qui tametsi cibum & coniugium in uniuersum non damnant, tamen usum ciborum prohibent.

Diuersitas ieiuniorum. Huc accedit quod seculo mox Apostolorum prædicationem insequuto, non legimus ullas de ieiunio certas leges esse institutas, modum, delectum ciborum & tempus præscribentes. Recitabo charitati uestræ, Irænei martyris uerba ex Ecclesiastica historia Eusebij, quæ ita habent, Non solum de die paschæ agitur controuersia, sed & de ipsa specie ieiuniorum. Quidam enim putant uno tantùm die obseruari debere ieiunium, alij duobus, alij uerò pluribus, nonnulli etiam quadraginta, ita ut horas diurnas nocturnasq; computantes diem statuant. Quæ uarietas obseruantiæ, non nunc primùm neque nostris temporibus cœpit, sed multò ante nos, ex illis (ut opinor) qui non simpliciter quod ab initio traditum est tenentes, in alium morem uel per negligentiam uel per imperitiam postmodum decidêre. Et tamen isti omnes licet in obseruationibus uariarent, fuerunt tamen nobiscum pacifici & sunt, nec dissonantia ieiunij fidei consonantiam rupit. Hæc ille. Porrò illam ipsam diuersitatem fuisse adhuc in ecclesia regnante Theodosio iuniore circa annum Domini circiter 453. testis est Socrates Constantinopolitanus in Tripertita historia libro nono capite tricesimooctauo sic scribens, Sed etiã ciborum abstinentiam non similem habent. Nam alij omnino ab animatis abstinent: alij ex animantibus pisces solummodo comedunt. Quidam cum piscibus uescuntur & uolatilibus, dicentes hæc secundum Mosen ex aqua habere substantiam. Alij etiam caulibus & ouis abstinere noscuntur. Quidam sicco tantummodo pane uescuntur. Alij neque hoc. Alij usque ad nonam ieiunantes horam, sine discretione ciborum reficiuntur. Et innumeræ consuetudines apud diuersos reperiuntur. Atque idem ille Socrates suam super hac diuersitate sententiam adferens, dicit, Et quia lectio nulla de hoc inuenitur antiqua, puto Apostolos hoc singulorum reliquisse sententiæ, ut unusquisque operetur non timore aut necessitate quod bonum est. Hæc Socrates. *Ieiunia sint libera.* Debent itaque ieiunia Christianorum esse libera non legibus irretita. Apollonius quidam scriptor uetustus & ecclesiasticus disputans contra Montanum hæreticum, Hic est, inquit, qui docuit nuptias solui, & qui ieiuniorum leges primus imposuit. Author Eusebius Ecclesiast. hist. libro quinto capite decimooctauo. Et certè uelle omnibus regionibus & hominibus eandem ieiunij formam in tempore, modo, delectuq; ciborum præscribere, est desipere prorsus. Nam pro ratione cœli diuersissimè affecta sunt corpora hominum, & idem cibus diuersæ complexionis homines non ad eadem incendit studia. Pijssimum ergo utilissimumq; fuerit Ecclesiæ, si omnes pastores ubiq; doceant sobrietatem & temperantiam, ipsumq; ieiunium uerum: leges autem de ciborum delectu & temporis, præscribant nullas, sed liberum cuilibet regioni & homini permittant, qui haud dubiè ab illis maximè sibi temperabit, à quibus ipse sibi periculum suæ integritati imminere sentit, ac eo præsertim tempore quo maximè insolescit caro aut magnum imminet periculum. Nam tempus ieiunij non prorogatur ad annos uel dies certos, sed ad remissionem aut insolentiam carnis uel tentationũ & affectuum. Ita sanè ieiunia, ut sunt exercitia pietatis, maximam habent laudem in Ecclesia.

Summa huius mãdati septimi. Hæc hactenus de Ieiunio. Iam ut præceptum septimum concludam, prohibet hoc omnem intemperantiam, & præcipit sanctimoniam, denique singulorum membro-

membrorum totius corporis usum purum & legitimum. Vnde comprehenditur in hoc breui mãdato bona pars doctrinæ Christianæ & Apostolicæ. Paulus enim ad Thessalonicẽses, Rogamus uos, ait, & adhortamur per Dominũ Iesum, quemadmodum accepistis à nobis, quemadmodũ oporteat uos uersari & placere Deo, ut abundetis magis. Nostis enim quæ præcepta dederimus uobis per Dominum nostrum Iesum. Hæc enim est uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis à fornicatione, & sciat unusquisq; uestrum suum uas (suum inquam corpus) possidere cum sanctificatione & honore, nõ cum affectu concupiscentiæ, quemadmodum gentes quæ non nouerunt Deum. Vltor est Deus de omnibus his, quemadmodum & ante diximus uobis & testati sumus. Non enim uocauit nos Deus immunditiæ causa, sed ad sanctificationem. Et mox, Deus pacis sanctificet uos totos, ut integer sit uester spiritus & anima & corpus, ita ut in nullo possitis culpari in aduentu Domini nostri Iesu Christi. 1 Thess. 4.

Iterum constitutas concionis metas transiui, ac solitò longius uos detinui fratres. Condonate mihi hanc culpam. Neq; enim citra utilitatem (spero) uobis molestus fui per horas ferè duas integras. Orate iam & abite felices. Si Dominus iuuerit & uoluerit, paucos post dies residua Decalogi adijciam. Gratia Domini Iesu Christi saluatoris nostri sit uobiscum.

PRIMI TOMI FINIS.

[illegible] corporis [illegible] possumus. Vndè comprehendūtur [illegible] bona pro doctrina Christiana & Apostolica. Paulus [illegible] Thessalonicēses [illegible] ad [illegible] per Dominum Iesum, quemadmodum accepistis à nobis quemadmodum oporteat uos uersari & placere Deo, ut abundetis magis. Nostis enim quae praecepta dederimus uobis per Dominum nostrum Iesum. Haec enim est uoluntas Dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis à fornicatione, & ut unusquisque uestrum sciat suum ipsius corpus possidere cum sanctificatione & honore, nō cum affectu concupiscentiae quemadmodum gentes quae non nouerunt Deum. Vltor est Deus de omnibus his, quemadmodum & ante diximus uobis & testificati sumus. Non enim uocauit nos Deus immunditiae causa, sed ad sanctificationem. Et mox, Deus pacis sanctificet uos totos, ut integer spiritus uester & anima & corpus, ita ut in nullo possitis culpari in aduentu Domini nostri Iesu Chr. &c.

Iterum constitutus concionis modus transiliit, ac solito longius uos detinui fratres. Condonate mihi hanc culpam. Neque enim erat utilitatis (spero) uobis molestus fui per horae spatium integras. Orate iam & abite felices. Si Dominus uiuerit & uoluerit, paucos post dies reliqua Decalogi adiiciam. Gratia Domini Iesu Christi saluatoris nostri sit uobiscum.

PRIMI TOMI FINIS.

SERMONVM DECAS tertia & quarta, ad Serenissimum Angliæ regem Eduardum Sextum, authore Heinrycho Bullingero.

TOMVS SECVNDVS.

IESVS.

HIC est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea. Ipsum audite. Matth. 17.

SERENISSIMO ANGLIAE ET FRANCIAE REGI, HYBERNIAE DOMINO, VVALLIAE ET CORNVBIAE principi, Christianæ fidei defensori, Eduardo eius nominis Sexto, Gratiam & pacem, à Deo patre, per Dominum nostrum Iesum Christum.

ADMITTERET ad colloquium Regia tua maiestas, sat scio, si quis nouus hospes adueniens promitteret ex sapientiss. hominũ sententijs ostensurum, se paucis verissimas felicitatis vel infelicitatis cuiusq́ regni omniumq́ regum caussas: ideoq́ me nullatenus R. T. M. colloquio excludendũ spero, qui certò polliceor breuibus ipsissimas caussas vel felicitatis vel infelicitatis & regum & regnorum, tam clarè & euidenter demonstraturum, vt auditori nulla opus sit laboriosa diligentia, sed duntaxat beneuola attentione. Etenim, Deo adjuuante, hoc negotium nõ modò percipiendum ingenio, sed etiam oculis quasi conspiciendum, et veluti manibus palpandum exhibebo, idq́ non ex dubijs hominum placitis, sed ex certissimis veracissimi Dei oraculis. Fallunt non rarò consilijs suis etiam sapientissimi homines, ac ingentia dant damna obsequentibus ipsorum consilijs. Deus verò, qui lux est & sapientia æterna, nunquam errare, nunquam vllas prauas vel inter se confligentes sententias concipere, nedum alijs suggerere, neminemq́ prorsus seducere potest. Clamat in sacrosancto Euangelio sapientia patris, & ait, Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Hæc æterna Dei sapientia vt res ipsas non inuoluit, sed explicat, sic nõ modò salutaria sufficit consilia, sed & euentum præstat exoptatũ obsequentibus. Sepissimè quidẽ non insalubria dantur ab hominibus cõsilia, sed illud interim præteritur quod maximè & inprimis dictum oportuerat. Consenserunt omnes ferè sapientes orbis, reges & regna fore felicissima, si rex regno sapiens præsideat, habeatq́ multos à consilijs viros prudentes, senes, fidos, rerumq́ peritos: si habeat duces fortes, exercitatos, & in rebus bellicis fortunatos: si instructus sit copia rerum: si probè vndiquaq́ munitum sit regnum: deniq́ si populus sit concors & obediens. Ac uerè quidẽ, rectè & prudenter dicuntur hæc omnia, uerùm est aliud quidpiam singulare & excellentissimũ, quod in his non cõmemoratur, sine quo nulla uerã felicitas vel cõparari uel conseruari potest: quo denique vno præsente, enumerata illa omnia sua sponte accidunt. Dominus ergo Deus noster, qui solus & sapientissima & absolutissima suggerit consilia, succinctius & melius ita pronunciat in Euangelio,

Matth. 6.

Quin potius quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Et iterum,

Lucæ 10.

Beati oculi qui vident quod vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi reges & prophetæ voluerunt videre & audire quæ vos videtis & auditis, & non viderunt nec audierunt. Et iterum,

Lucæ 11.

Quin imò beati sunt qui audiunt verbũ Dei, & custodiunt illud. Ac vnũ quidem hoc est necessariũ. Maria bonam illam partem delegit, quæ non auferetur ab ea.

Vnde regum & regnorum felicitas uel infelicitas.

Diuinis ergo instructus oraculis, ex sententia planè diuina pronuncio, Illos reges fore felices, qui semetipsos totos, & regnũ suum totum, Iesu Christo, vnigenito Dei filio, regi regũ, & Domino dominorum, & offerunt & subijciunt, illũ agnoscentes summũ esse principem & monarcham, se verò illius vasallos, feudatarios, uel seruos: qui deniq́ in omnibus nõ suum arbitriũ, non hominũ vel leges cum diuinis pugnantes, uel intentiones hominũ bonas, sed ipsissimas summi & æterni regis vel monarchæ leges duntaxat & sequuntur & regno sequendas tradunt, omniaq́ sua ad normã uerbi Dei vnicam reformant. Sic enim & florentissimis, tranquillissimisq́ fruentur regnis, & in his reges opulenti, victoriosi, longæui, & felicissimi erunt. Ad hunc enim modũ loquitur os Domini, quod mentiri nescit,

Deut. 17.

Cùm sederit rex in solio regni sui, accipiet librũ legis Dei, vt legat in eo cunctis diebus vitæ suæ, et faciat eam, nec recedat ab ea, vel ad dextrã uel ad sinistrã, vt proroget dies in regno suo ipse & filij eius. Et iterũ,

Iosue 1.

Nõ recedat liber legis Dei ab ore tuo (ô Iosue, vel quisquis es ô rex) sed meditaberis in eo die & nocte, vt custodias & agas iuxta omne illud quod scriptũ est in eo, nec recedes ab eo vel ad dextrã uel ad sinistram. Tunc enim prosperũ reddes iter tuũ, & felix eris. Certissimũ ergo testimonioq́ veracissimi Dei confirmatum, & disertissimis verbis pronunciatũ est, Regũ regnorũq́ felicitatẽ versari in fide vera, in auscultatione & obedientia fideli Verbi seu legis Dei: infelicitatẽ autem esse in contrario.

Hoc

*Hoc ipsum consequenti demonstratione, etiam oculis conspiciendũ, manibusq; veluti palpandũ,
sicuti pollicitus sum, exhibebo, productis in medium, non ex Herodoto aut prophana, sed ex sacra ve
racissimaq; historia regibus maximis. Saul primus Israelitarum rex felicissimus & victoriosissimus* Saul 1. Samuelis 13.14.15.&c.
*fuit, quoad sequeretur in omnibus verbũ Dei: vbi aũt suis intentionibus bonis locũ dedit, repudiatus
à Deo, per Samuelem sibi annunciari audit, Tu reprobasti ac reiecisti verbum Domini, ergo abiecit
te quoq; Dominus ne sis rex super Israelem. Nolo hîc multis exponere quantis malis inuolutus sit
Saul ab eo tempore. Nam sicut ipse horribiliter exagitabatur à malo spiritu, ita regnum truculen-
ter vexare & excarnificare non desijt, donec abduceret omnes suos in summũ discrimen, caderetq; cũ
suis casus crudelissimè ab Ethnicis, æterna post se ignominia relicta. Sequitur Saulem in regno Da-
uid, qui citra controuersiam omniũ regum felicissimus fuit. At quanti hic fecerit uerbum Domini, ex* Dauid.
*multis ipsius clarissimis factis claret, inprimis verò ex Psalmo illo alphabetico, qui ordine & nu-
mero est 119. Hoc enim canit encomium Verbi Dei, cuius vim salutiferã mira copia exponit, docens
quanto studio ardoreq; hoc persequi conueniat. Didicerat enim ex probris domesticis, & infelicissi-
ma Absolonis filij sui seditione, quantum malum sit deflectere à verbo Domini. Solomon Dauidis fi-
lius, regũ totius orbis & sapientissimus & laudatissimus, eatenus felicitatẽ laudemq; obtinuit, qua-* Solomon 1.Reg. 4.& 11.
*tenus verbo Domini religiosè obtẽperauit. Quamprimùm verò præuaricaretur legẽ Domini, audit
à Domino, Quandoquidẽ hoc apud te fuit, nec seruasti fœdus meũ, & statuta mea quæ tibi præcepi,
omnino rescindã à te regnũ, & tradam illud seruo tuo. Certè à morte Solomonis regnum in duas par-
tes est discissum, & decẽ tribus secutæ sunt Ieroboam seruũ Solomonis. Duæ tribus adhæserunt Ro-
boamo filio Solomonis. Hic quoniã & ipse negligit verbum Dei, deosq; sequitur alienos, multis ad-* Roboam 2.Paralip.12.
*obruitur calamitatibus. Scriptura enim commemorat, Ægyptios ascendisse contra Hierusalem, ac
templum, regiam & urbem diripuisse. Abia filius Roboã cæcidit exercitũ Israeliticũ, et victoriã re-
portauit magnificã, vulneratis occisisq; ex decẽ tribubus quingentis millibus. Nec alia cõmemora-* Abia 2 Paral.13.
*tur huius victoriæ caussa, quàm quòd credidisset verbo Dei. Abiæ patri successit in regno Asa filius
rex inclytus & potentissimus, de quo scriptura sancta commemorat, quòd superstitiones sustulerit è* Asa 2.Paral.14.
*medio, verã verò religionẽ iuxta verbum Dei restituerit: vnde & regnũ consecutus sit florentissimũ
& tranquillissimũ per annos 40. Rursus de Iosaphat filio Asæ legimus, Fuit Dominus cum Iosa-
phat, quoniam ambulauit in vijs Dauidis patris sui primis, nec quæsiuit Baalim, sed Deũ patris sui* Iosaphat 2.Paralip.17.
*quæsiuit, & in præceptis eius ambulauit. Opibus ergo verè regijs, & victorijs celeberrimis, toti in-
claruit orbi. Cæterum filius eius Ioram, quòd defecisset à verbo Domini, audit ab Helia propheta,
Quandoquidem nõ ambulasti in vijs Iosaphat patris tui, & in vijs Asæ regis, sed ambulasti in via* Ioram 2.Par.21.
*regum Israelis, ecce Dominus pcutiet plaga magna populũ tuũ, et filios tuos, et vxores tuas, & cun
ctam substantiã tuã. Te autẽ percutiet doloribus magnis, morbo viscerũ tuorũ, donec effluant. Quæ
autẽ ipsi minatus est Dominus per prophetã, ea ipsa infandis cum tormentis & summa cũ ignominia
sensit infelix: exemplũ factus infelicitatis miseriæq; omnibus ijs obuenturæ, qui deserunt verbũ Do-
mini. Nec meliorẽ sortẽ expertus Ochosias, Iorã regis Atthaliæq; filius: Iehu iubẽte cõfossus miserè* Ochosias 4.Reg.9.
interijt: eò q maluisset sequi leges et ritus regũ Israelis, quàm ipsas Domini Dei sui leges. Porrò Ioas Ioas 2.Paral. 23.24.
*adhuc puer, septem annos natus, opera, fide, et industria fidelissimi sacerdotis Ioiadæ in locum patris
cæsi suffectus, interẽpta impia Atthalia, felicissimè regnauit, donec viueret Ioiada sacerdos. Huius
enim suggestione & vigilantia ad normã verbi Domini in omnibus respexit rex. Vbi verò pontifex
migrasset ex hoc seculo ad Dominũ, rex consiliariorũ suorũ vafricie & malitia seductus, verbũ Do-
mini reliquit. Simul aũt reliquit ipsum felicitas & gloria. Nã Syri modicis instructi copijs, Iudæo-
rum amplissimas copias fundunt & fugant, omnes regis cõsiliarios conficiunt, totumq; regnum diri-
piunt. Rex Ioas hæc inæstimabili cum mœrore videre, simul & diutina tabe consumi, tandẽ à seruis
suis in lecto suo crudeliter iugulari meruit. Amasias filius Ioas, clarã consecutus legitur victoriam,* Amasias 2.Paralip.25.
*quã de Idumæis reportauit, non aliã ob caussam, nisi quod obtẽperauisset verbo Domini. Sed idẽ ille
rebellis factus Deo et prophetis Dei, superatur à Ioas rege Israelitico, à quo etiã spoliatur, diruta in-
terim bona murorum parte vrbis Hierosolymorũ: ipse quoq; ab insidiatoribus interemptus, miserè*

occubuit.

Osias 2. Par. 26.

Successit ei Osias filius, qui & ipse felicitate vsus est singulari, donec ore diuino non cōtradiceret: vbi verò eam sibi vsurparet functionē, quā Leuitis propriam voluit esse Dominus, & opponeret se verbo Domini, lepra percussus, habitauit in domo separata, exclusus ex consortio hominum ad diem vsq; mortis suæ.

Ioth. 2. Par. 27.

Porrò diues et victorijs clarus fuisse dicitur Iotham Osiæ filius: caussam huius felicitatis reddit scriptura paucis, dicens, Roboratus est Iotham, quoniā direxit vias suas corā Domino Deo suo.

Achaz 2. Par. 28.

Cōtra verò Achaz filius Iotham, omnium regum Iudaicorū, vt penè impijssimus, ita infelicissimus fuit. Quoniā enim dereliquit legē Domini Dei sui, tradidit ipsum ac populū eius in manus regis Syrorum, deinde & in manus Israelitarū, qui vno die occiderunt centena & viginti millia Iudæorum, mulierū autem & liberorum ceperunt millia ducentena. Idem Achaz cum suis omnis generis calamitates expertus, exemplum factus est horrendum omnibus verbi Dei præuaricatoribus.

Ezechias 4. Reg. 18.

Secutus est in regno patrem impijssimū pijssimus filius Ezechias. De hoc legimus in sacra historia, Hic fecit quod rectum erat in oculis Domini, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius. Is sustulit excelsa, confregit statuas, succidit lucos, contriuit deniq; serpentē æneum, quē fecerat Moses, cui adolebant filij Israelis incensum. Fiduciam collocauit in Domino Deo Israelis. Adhærebat enim Domino, nec deflexit ab eo, seruans præcepta eius, quæ mandauit Dominus Mosi. Audiamus verò iam etiam quid hanc eius obedientiam & fidem sit consecutum. Sequitur in sacra historia, Et fuit Dominus cum eo, vt felix esset in omnibus ad quæ egrediebatur. Hoc regnante fracta est vetustissima & potentissima orbis monarchia Assyriorum. Cùm enim rex Assyriorum Senacherib vbem Hierosolymorum obsideret, vna nocte trucidauit angelus Domini in castris Assyriorū militum centena octogintaquinq; millia. Sed & princeps Babylonicus honorifica legatione missa ad Ezechiam, amicitiam eius, regijs donis oblatis, studiosè ambiuit. Gloria enim principis pijssimi iam in toto innotuerat orbe.

Manasses 4. Reg. 21.

Rursus cùm patris pietatem non imitaretur exprimeretq; impijssimus filius Manasses, rex factus annos natus duodecim, sed responsaret ex aduerso verbis Dei, omnēq; superstitionē à parente abolitam reduceret, captus abducitur in Babylonē: & quamuis restitueretur diuina bonitate & misericordia, moriens tamen afflictum lacerumq; regnum reliquit filio suo Ammoni,

Ammō 4. Re. 21.

qui & ipse infelicissimus propter rebellionē, duobus duntaxat annis regnauit, tandem à seruis suis confossus miserè interijt.

Iosias 4. Reg. 22.

Surrogatus est mortuo patri in regno filius Iosias, puer adhuc, annos cùm coronaretur natus octo. Hic regum Iudaicorum corona & gloria extitit singularis. Regnauit tranquillissimè, & modis omnibus felicissimè, annis triginta & vno. Cæterum prædicat scriptura veracissima Iosiæ fidē & obedientiā, quam verbo Dei religiosissimè præstitit, quā & insignis illa felicitas est consecuta. Nihil cōmouerunt ipsum monita consiliariorum patris sui Ammonis. Cùm semel audisset verba libri legis reperti in templo ab Hilkia pontifice, totū sese Deo & verbo eius concredidit. Nec expectata aliorum regnorum vel regum sententia aut reformatione, maturè suis consulens, reformare cœpit, maximè anno vitæ 18. Et in ipsa reformatione solius scripturæ sanctæ sententiam, non regum vel maiorum facta, vel longi temporis præscriptionē, aut plurium suffragia sibi sequenda existimauit. Conuocatis enim suis, & his proposito in medium libro legis Dei, ad regulam verbi Dei omnia instituit. Inde factum legimus, quòd vetustissimis templis à Solomone & Ieroboamo collocatis, contra legē Dei, antiquissimisq; ritibus, minimè sit parsum. Breuiter, subuertit hic rex quicquid contra verbum Dei erectum stabat in ecclesia & regno Iuda vniuerso. Ac ne quis calumniaretur ipsum nimis fuisse vel audacē vel rigidum, scriptura hoc ipsi fert testimoniū, Ante eum non fuit talis rex, qui conuersus fuerit ad Dominum in toto corde suo, tota anima sua, totisq; uiribus suis, iuxta vniuersam legem Mosis: nec exortus est post eum talis. Ergo quòd hic laudatissimus & felicissimus rex tandem in acie victus occubuisse legitur, sub felicitatē, non miseriam, est referendum. Nam ipse Dominus ad Iosiā dixit, Colligam te ad patres tuos, et sepelieris in pace, ne oculi tui malum videant, quod inducam huic loco. Populum enim, ac ipsos etiam principes regni, sub sanctissimo rege hypocritas fuisse, illud maximè arguit, quòd extincto patre, filij & proceres regni, protinus verbo Dei repudiato, omnē superstitionē & impietatē reuocarunt. Proinde legimus integris viginti duobus annis, quibus post mortē Iosiæ regnatum est adhuc à regibus Iuda, nullam pacē vel securitatē fuisse, sed se-

ditiones

ditiones & cædes perpetuas. Regnauit post Iosiam patrē filius Ioachas: verum post tres regni menses, captus abducitur in Ægyptum. Coronatur post fratrē abductum, Ioachim, sed vndecimo regni anno catenis vincitur & occiditur à Nabuchodonosore, sepeliturq́ sepultura, vt Ieremias ait, asini. Surrogatur filius Ioachimi Iechonias, sed post tres menses captus, vnà cum proceribus & facultatibus totius regni, in Babylonem abducitur. Regnat post ipsum Zedechias Iosiæ filius: sed quia noluit obedire verbis domini per Ieremiam prædicatis, & vitam & regnum amittit, anno regni vndecimo. Simul autem inflammatur templum, & diruitur vrbs sedes regni vetustiss. populus vel trucidatur, vel abducitur in durissimam captiuitatem. Hæc hactenus de regibus Iuda. Nam in Zedechia defecit & regnum & regia dignitas vel maiestas. Ioachas, Ioachim, Iechonias, Zedechias. 4. Regum 23.24.25.

His si coniungamus fata regum Israelis, rursus confiteamur oportet, omnem felicitatē regum & regnorum existere ex obseruantia verbi domini, infelicitatem miseriamq́ ex contemptu & neglectu legis Dei. Nam Ieroboā, primus Israelitarū rex, præterito verbo Dei, nouos ritus vel nouū Dei cultum instituit, nouaq́ templa fundauit, sed ea re & se & domum suā & totum regnum pessundedit. Sequitur eum in regno & in religione rex Baasa, ipsus ergo cum suis perijt. Succedit Amri pater Achabi, qui cum augeret impietatē, horribiliter trucidatur cum filijs & cum tota sua familia, ita vt ne vnus quidem euaderet gladium Dei vltorē. Et quia Iehu fidelis & strenuus fuit in occidendis hisce tyrannis, in conficiendis item sacerdotibus Baalis, & in euertenda idololatria, audit sibi annunciari à Domino, Quandoquidē zelo quodam fecisti quod fecisti, iuxta omnia quæ fuerunt in corde meo, ecce sedebunt filij tui super solium Israelis in quartam vsq; generationem. Et certè legimus illustres fuisse principes, qui ipsum in regno sequuti sunt filij & nepotes, Ioachas, Ioas, Ieroboā eius nominis secundus, & Zacharias. Reliqui reges, Sellum, Manahem, Pekaiah, Peke, & Osee, huiusmodi omnino regnum obtinuerunt, quale filij Iosiæ, id est, seditiosum, turbulentum, & calamitosissimum. Nam spreuerunt os domini. Ergo funditus excisi, & ab Assyrijs vel cæsi vel in captiuitatem subducti sunt. Regum Israeliticorum post Solomonem à diuiso regno numerantur decem & nouem, Iudaicorum decem & octo. Regnarunt illi annos circiter ducentos septuaginta duos: hi uerò circiter trecentos nonaginta tres. Potuerunt autem tot annis & in gente Dei famosissima, quæ ceu speculum quodpiam omnibus proponebatur populis, verissimæ felicitatis vel infelicitatis & regum & regnorum omnium in toto orbe terrarum caussæ, clarissimè plenissimeq́ proponi, vt nihil necesse sit aliunde declarationem petere illustriorem. Israelitarū reges.

Interim tamē non destituimur vel externis exemplis. Pharaones enim & seipsos & regnum Ægypti vetustissimum, sola rebellione cōtra verbum Dei pertinaciter instituta, perdiderunt. Rursus sensit felicitatem maximam Darius Priscus, & Nabuchodonosor magnus, ex eo quòd non spreuissent Danielis cōsilia. Balthazar rex Babylonius, cōtemptor Dei & verbi diuini, interit una nocte cum omnibus suis, capta, incensa, direpta & diruta vrbe vetustissima & in toto orbe famosissima Babylone, regnoq́ translato ad Medos & Persas. Nec infelices fuerunt reges Persarum, Cyrus & Darius, Artaxerxes dictus, quòd fauerent verbo Dei, & verum Dei cultum populumq́ proueherent. Contra verò infelicissimus fuisse legitur Antiochus, licet Epiphanes cognominatus, qui veluti bello cum Deo impijssimè suscepto, sacros etiam codices exurebat. Præterea non minor est nobis copia exemplorum ex historijs, eorum quoq; temporum quæ insequuta sunt ascensionem Christi domini in cælos. Quotquot enim imperatores Romani, Reges & Principes euangelicam domini nostri Iesu Christi prædicationem & Ecclesiam Christi persequuti sunt, idololatriam autem & superstitionem prouexerunt ac propugnarunt, ignominiosa morte interierunt. Testes sunt Eusebius & Orosius historici clarissimi. Rursus commemorat beatus Augustinus 5. lib. de Ciuit. Dei, victorias, gloriam & felicitatē absolutissimam cælitus illis concessam regibus, qui vera fide Christum amplexi, idololatriam & superstitionē subuerterunt. Claret ergo felicitatem parari studio & obedientia verbi Dei, infelices fore omnes reges & regna omnia, quæ relicto verbo Dei ad humanas conuertuntur inuentiones. Idq; adeo manifestè me declarasse hucusq; spero, vt auditores rem non tantùm intelligere & oculis coràm cernere, sed veluti ambabus manibus tenere videantur. Reges exteri. Reges Christum persequentes & adorantes.

Quorsum verò hæc omnia tendunt? Vt R. T. M. pro indubitato, imò pro cõpertissimo teneat, veram felicitatẽ & parari & paratam retineri fideli studio verbi Dei, nimirum si & temetipsum totum, & regnum vniuersum Christo summo principi subijcias, omniaq́ religionis & iustitiæ negotia in toto regno tuo ad regulam verbi Dei componas, si ab hac unica regula nusquam vel latum pilum discedas, Christi regis regum regnum propages, Antichristi verò (vti feliciter cœpisti) subuertas atq́ conculces. Non quòd mea admonitione vel doctrina indigeat R. T. M. Habet in animo haud dubiè doctorem illum cœlestem, suggerentem omnia vera veræ religionis dogmata. Habet librum illum omnium sacerrimum Sacra Biblia, in quibus vt in regula vel canone perfectiss. totum pietatis veræq́ salutis nostræ negotium absolutissimè continetur ac traditur. Habet doctos, sapientes, pios, fideles in regno doctores & pastores multos. Habet proceres regni consiliariosq́ plurimos, fidos, fortes, iuris diuini & humani consultissimos, prudentissimos & veritatis syncere amantissimos, etiam apud exteras gentes laudatissimos. Quo nomine inprimis felicem prædicant pij omnes R. T. M. Cæterum non spreuit beatissimus rex Ezechias (licet opera vteretur clarissimorũ virorum Isaiæ & Michææ) monitores fideles, vel ex gregarijs Leuiticis: neque hi existimabant se regem admonendo oleum & operam perdere. Ego itaq́ regia tua pietate fretus, spero & hanc meam dissertationem breuem de veris caussis felicitatis vel infelicitatis regum regnorumq́, suum & locum & fructum habituram. Certè qui ante annos XII. felicis memoriæ parenti tuo Heinrycho, eius nominis VIII. lib. de Authoritate scripturæ sanctæ, & Episcoporum institutione & functione, contra superstitionis tyrannidisq́ Romanæ antistites inscripsi, ac expertus sum eum laborem in Anglia non nullum protulisse fructum salutarem: idem nunc quoq́ ausus sum R. T. M. hos meos Sermones dedicare. Tracto in his Christianæ religionis veræ non postremos locos, legem, peccatum, gratiam, euangelium & pœnitentiam. Nec hos irreligiosè me existimo tractare. Vtor enim scripturarum collatione, qua nihil est in tractandis nostræ religionis negotijs cùm melius tum tutius. Et quia Christianæ fidei verus defensor es, proculdubiò minimè erit ingratum, quod sub nomine patrocinioq́ R. T. M. in publicum prodeunt Sermones Christiani. Volui his quoq́ pietatis negotium in Anglia iam magna cum omnium bonorum gratulatione renascens, pro mea virili & fide iuuare. Copiosos ergo Sermones scripsi, ac res ita tractaui, vt ex vno parari possint plures. Vbi prudentia pastorum nullo negotio quid Ecclesiæ cuiq́ potissimum conducat, & necessarium sit intelliget. Ac pastorum reuera est rectè secare verbum veritatis, & pabulum vitæ dominico gregi commodè administrare. His non ingratũ fuerit, spero, quod in his, iisdem sæpe rebus, iisdem argumentis, adeoq́ & iisdem verbis vtor, quibus alij ante me cùm veteres tum noui scriptores (quos scripturas sequutos iudicaui) vsi sunt, deniq́ quibus ipse quoq́ vsus sum in alijs meis libris antea à me editis. Nam vt doctrina sibi semper & per omnia consentiens tutior est, ita semper laudari meruit à bonis omnibus. Si dominus vitam, otium, viresq́ concesserit, breui alios quoq́ Sermones octo Decadis 4. residuos adijciam. Omnia autem hæc profero saluo semper & illibato orthodoxæ ecclesiæ iudicio. Dominus Iesus, rex regũ, & dominus dominantium, ducat te spiritu suo, & tueatur ad gloriam nominis sui & totius regni incolumitatem. Tiguri, Mense Martio, Anno domini 1550.

R. T. M.

deditiss. H. Bullingerus, Tigurinæ Ecclesiæ in Heluetia minister.

SERMONVM DECAS TERTIA, AVTHORE HEINRYCHO BVLLINGERO.

De quarto secundæ tabulæ præcepto, quod in Decalogo octauum est, Non furtum facias. De proprietate rerum, iusteq́ parandis opibus, contra furti species varias.

SERMO I.



AD uitam familiamq́ sustentandam alendamq́ opus est homini facultatibus terrenis. Proximè itaq́ post mandata de uita conseruanda, & matrimonio sanctè colendo, quarto mandato præcipitur de facultatibus siue opibus, nimirum rectè parandis, possidendis, usurpandis, administrandisq́, ne eas paremus furto aut artibus malis, ne possideamus iniustè, neue usurpemus aut dispensemus illegitimè. Iustitia exigit ut rebus bene utamur, & ut suum cuique tribuamus: & cum leges diuinæ iustitiæ sint leges, necessariò præcipiunt, NON FVRTVM FACIAS. Habemus rursus uerba oppidò paucula, sed sensus eorum patet latissimè. Prohibetur enim hoc mandato ipsum furtum, prohibentur omnes artes malæ, dolus malus, omnis impostura, adeoq́ ipsa auaritia, prohibetur otium, prodigalitas seu profusio, & omnis iniustitia: præcipitur præterea iustitia, maximè in contractibus & commercijs. Certè ex acquisitione, possessione, & dispensatione bonorũ temporalium, mirificæ excitantur in mundo apud homines turbæ: oportuit ergo Deum in lege sua, qua hominum saluti, commodo & tranquillitati consulit, modum statuere, & certam rationem bonorum terrenorum indicare: id quod hac lege præstitit: quæ quò rectius intelligatur, dicemus in præsenti, domino inspirante, de proprietate rerum, rebusq́ iustè parandis: in qua quidem tractatione aperiet sese uniuersa furti consideratio per species eius uarias. *Præceptum Dei 8.*

Proprietas enim & possessio rerum non prohibetur mandato hoc, sed ne paremus opes ullas artibus iniustis, ne possideamus iniustè, aut dispensemus iniquè: imò statuitur & confirmatur hoc præcepto rerũ proprietas. Prohibet enim furta dominus, ergo statuit & confirmat rerum proprietatem. Quid enim furari posses, si omnia sint communia? Tuum enim non alienum surripuisti, si alteri suam suffuratus fueris substantiam. Sed prohibet Deus furta, ergo rerum proprietatem munit hac lege lata. Quoniam uerò sunt non pauci ex furiosa Anabaptistarum turba, qui negant rerum proprietatem, apertis aliquot scripturæ testimonijs illam demonstrabo. De Abraham, qui in sacris apellatur pater fidei, prædicat Eliezer, & dicit, Locupletauit dominus herum meum insigniter, ut potens seu opulentus sit, deditq́ illi greges & armenta, argentum & aurum, seruos & ancillas: ac dedit filio suo omnia quæ habet. En locuples fuit Abraham, & possedit proprietatis iure, quæ ipsi dedit dominus: & ista omnia hæreditatis titulo ut peculium filio reliquit. Ergo opes proprias possedit Isaac & Iacob. Deus quoq́ per Mosen induxit Israelitas suum populum in terram promissam, in qua sorte tribubus per Iosue distribuit terram, singulis suis assignatis possessionibus: sed & legibus cauit ne illæ confunderentur. In Solomone & Prophetis sunt præceptiones & sententiæ multæ huc pertinẽtes. Scio autem quid obijciant turbatores, Hæc testimonia è ueteri testamento petita nõ constringere Christianos. Et quanquã demonstrare possem *De proprietate rerum.* *Genes 24.*

illos locos in tali nos caussa constringere, malo tamen breuitatis gratia certa aliquot testimonia ex noui testamẽti scriptis proferre. Laudat dominus Iesus in suis cultoribus opera misericordiæ, quòd pascunt esurientes, potant sitientes, induunt uestibus nudos, captos & ægrotantes inuisunt, & exules atq; uagos inducunt in ædes suas. Concedit ergo suis rerum proprietatem, ex qua præstent alijs beneficentiam, & indigentibus quidem. Sublata autem rerum proprietate, sublata erit & beneficentia eleemosynaq;. Nam si omnia sunt communia, nihil tu de tuis, sed omnia ex communibus bonis elargiris. Sed Apostolus Paulus ad Corinthios iubet quemlibet apud se eleemosynam reponere, quam ipse accipiat ab eis, ubi Corinthum redierit. Præcipit item tantum quisq; conferat, quantum suggerit animi promptitudo, & quantum quisq; possidet, non quantum non possidet: neque ita conferat ut accipientibus sit superfluitas, dantibus autem angustia & indigentia. Idem Apostolus, Obsecramus uos fratres, inquit, ut in hoc incumbatis, ut quieti sitis & agatis res proprias, & operemini proprijs manibus uestris, sicuti uobis præcepimus: & ut uos geratis honestè erga extraneos, & nulla re uobis sit opus. Huius generis alia ex alijs epistolis proferre possem: sed sufficiunt hæc abundè demonstrantia proprietatem rerum hominibus Christianis in utroque testamento esse permissam.

1 Corinth.

Quomodo apostolorum ætate omnia fuerint communia.

Legimus sanè in Actis Apostolorum priscis & Apostolicæ Ecclesiæ indigenis omnia fuisse communia: sed adijciuntur in eodem libro quæ declarant qualis illa fuerit communio. Nemo eorum quæ possidebat, ait Lucas, suum esse dicebat. Ea possidebant primi Christiani domos proprias, proprios agros, & proprias opes alias: sed ita interim possidebant, quasi non propriæ, sed aliorum quoq; & ueluti cõmunes essent, ut nihilominus proprietatis ius maneret apud possessores: sicubi uerò postularet necessitas, uendebant agros aut ædes, & inopiæ subueniebant egentium. Si uendebant, certè propria erant quæ uendebant. Nullus enim uir bonus uendit aliena, sed propria, aut ea quæ tanquam propria accepit procuranda. Præterea S. Petrus totam hanc componens controuersiam, ad Ananiam dicit, Nónne prorsus tibi manebat ager, & uenundatus adhuc in tua erat potestate? Quorsum ergo attinebat mẽtiri spiritui sancto, & fraudare de pretio agri, interim nihilominus quasi totum contuleris pretium confiteri? Potuisset Ananias agrum non uendere, & cum uendiderat, nihilo minus retinere integram pecuniam: non fuisset ea de causa ex sanctorum Ecclesia exclusus uel exturbatus. Liberum ergo erat, ut hodie quoq; est, uendere uel non uendere possessiones, & in cõmune conferre sustentandis pauperibus. Proinde locus ille in Actis Apostolicis nõ tollit ius proprietatis, neq; præcipit cõmunionem talem, qualem Anabaptistæ uolunt statuere. Et quoniam intelligo quosdam ualde pertinaciter literæ inhærere & urgere communionem illam, non pigebit & aliorum de hoc iudicium c. v. recitare, eorum inquam qui ex scripturarum collatione hoc negotium illustrissimum planè reddiderunt. Quod Acto. 2. legitur, Omnes autem qui credebant, erant coniuncti, non est intelligendum, quòd monachorum more desertis quisq; proprijs ædibus, in communi ijsdem ædibus conuixerint, sed ut statim eodem loco subditur, In templo erant quotidie perdurantes unanimiter: nõ quòd in ædibus suis interea non comederint aut necessitati naturæ consuluerint, aut quòd uniuersi suas uendiderint ædes, cum mox subijciatur, Frangentes panes per singulas domos. Si panes per singulas domos fregerunt, respondeant isti per quas domos Christiani Hierosolymis panes fregerint. Per infidelium ne? Nõ opinor. Ergo per fidelium domos frangebant panem, sumentes cibum. Quomodo igitur uniuersi domos

suas

suas uendiderunt aut reliquerunt, quomodo cœnobitarum more cohabitarunt? Nihil ergo est aliud quod Lucas dicit, Quotquot crediderant erant coniuncti, quàm erant frequẽtes in templo. Nihil ergo fuit illa communicatio bonorum inter Christianos aliud, quàm quòd ditiores domos, agros, & prædia uendebant, ut collatis in unum pecunijs succurreretur pauperioribus, ne famis improbitate adacti ad Iudaismum reuerterentur. Quin plerisq; Actorum locis legimus, Christianos domos & propriarum facultatum sibi retinuisse administrationem, ut Acto. 9. legitur de Tabitha quæ plena fuerit operibus bonis, tunicas & uestes faciẽs uiduis & pauperibus. 12. cap. legimus Petrum Apostolum eductũ è carcere uenisse ad domum Mariæ matris Ioannis cognomento Marci, ubi multi erant congregati orantes. Non dicit habitantes, sed orantes, ut intelligas in ea domo conuenisse Ecclesiam ad orandum. Rursus cap. 9. manet Petrus apud Simonem coriarium dies multos, utiq; apud hominem Christianum ædes suas retinentem. Et cap. 11. discipuli prout cuiq; suppetebat, subsidiũ mittebant fratribus habitantibus in Iudæa. Ecce, Prout cuiq;, ait, suppetebat. Quid autem cuiq; suppetere potuisset, si nihil possedissent? 16. cap. Lydia purpuraria cum esset baptizata, dicebat, Si me fidelem domino iudicatis, introite in domum meam, & manete apud me. Cur non dicit, Vendite domum meam: sed, Introite in domum meam: nisi quia ita domum suam possidebat fidelis facta, ut hanc & Apostolis cõmunem faceret? Et cap. 20. gloriatur Paulus se non concupiuisse ullius aurum, argentum, aut uestem pretiosam. Quam haberent autem ista rationem, si nõ liceret Christianis retinere rerum suarum possessionem? Et cap. 21. Philippus Cæsariæ domum & quatuor filias habet. Cur domum suam non uendidit? Et Philemon hospes Pauli, non solum domum, sed & seruum habet. Relinquitur ergo pro compertissimo, consilium sancti spiritus minimè fuisse, ut tale uitæ genus statuatur quale isti fingunt, sed ut quisq; domum suam bene gubernet, & fratrum necessitatibus pro sua uirili consulat. Huc pertinent loci quoq; alij, 1. Timoth 5. ad Titum 2. 1. Thess. 4. & 2. Thess. 3. Et cum in omnibus propè epistolis, parentibus & liberis, coniugibus, dominis & seruis præcipit quid agant, quid aliud quàm administrationem domesticam bene instituit? Hæc hactenus.

Quid quòd diuites fuisse dicuntur multi in Euangelio & in scriptis Apostolorum cultores Dei? Ioseph ab Arimathæa, qui dominum crucifixum sepeliuit, & diues & discipulus Christi fuisse prædicatur. Diuites erant mulieres quæ dominum sequutæ à Galilæa, Domino & discipulis ex suis subministrabant facultatibus. Diues erat Eunuchus reginæ Candaces thesaurarius. Diues fuit Ioppensis Tabitha, quam S. Petrus è morte reuocauit in uitam, ac diuitias illas suas liberaliter sparserat in pauperes. Diues fuit Lydia purpuraria. Diuites fuere innumeri alij uerè pij & fideles. Ergo quod dominus adolescenti dicit, Si uis perfectus esse, uade uende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & ueni sequere me: non est generalis lex aut doctrina simplex ad omnes pertinens, sed demonstratio duntaxat, quòd adolescens ille, ad quem hæc dixit, nondum usqueadeo perfectè legem absoluisset, sicuti absoluisse se existimabat. Nam arbitrabatur sibi nihil deesse. Pluris faciebat adolescens diuitias suas, quàm Deum & uocẽ Dei mandantis. Abijt enim tristis, nec fecit quod imperauerat dominus: itaq; declarauit se nondũ impleuisse legem. Sed & ex alijs locis colligere possumus Dominum cultores suos non deiecisse ad mendicitatem. Nec puduit Paulum Apostolum leges ferre diuitibus, præscribereq; quomodo se gerant. Diuitibus, inquit, in præsenti seculo, præcipe ne elato sint animo, neq; spem ponant in diuitijs incertis, sed in Deo uiuente, 1. Timo. 6.

qui præbet nobis omnia affatim ad fruendum, ut benefaciant, ut diuites sint operibus bonis, ut faciles sint ad impartiendum, libenter communicantes, recondentes sibi ipsis fundamentū bonum in posterum, ut apprehendant uitam æternam.

Math 6 Huc iam pertinēt admonitiones saluatoris dicentis, Non potestis Deo seruire & mammonæ. Item, Diuitiæ spinæ sunt, quæ præfocant semē uerbi dominici. Item, Amen dico uobis, diues difficilè intrabit in regnum cœlorum. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem in regnū Dei ingredi. Et ut animi diuitum non sunt deijciendi aut adigendi ad desperationem, quasi diuites saluari non possint: ita rursus admonendi sunt periculorum, ne securi indormiant diuitijs, & seducantur à satana, abutanturq; diuitijs, quin illis potius rectè utantur iuxta canonem apostolicum iamiam recensitum.

Falsa doctrina de Diuitijs. Damnauit Gangresis, sanè antiqua Synodus, docentes diuites fideles qui non omnibus renunciant quæ possident, spem apud Dominum non habere. S. Augustinus in Catalogo hæreticorum ponit & numerat Apostolicos. Hi arrogantissimè seipsos hoc nomine ornantes, non recipiebant in communionem suam, utentes cōiugibus & res proprias possidentes. Addit, Ideo isti sunt hæretici, quoniam se ab Ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere, qui utuntur his rebus quibus ipsi carent. Encratitis isti similes sunt. Nam & Apotactitæ appellantur. Et diuitiæ quidem, per se, non sunt malæ, imò sunt dona Dei. Abusus reddit eas prauas. Sed de usu postea dicetur.

De iustè parandis facultatibus Sequitur iam consideratio de parandis facultatibus siue rebus ad uitam familiamq; sustentandam necessarijs. De acquirendis rebus copiosissima est apud Iurisperitos disputatio. Tradunt enim res acquiri Iure gentium & Iure ciuili. Iure gentium, ut Occupatione, Captiuitate, Inuentione, Natiuitate, Alluuione, Specificatione, Accessione, Confusione, Aedificatione, Plantatione, Satione, Cultura, Traditione. Iure ciuili, ut Vsucapione, Præscriptione, Donatione, Testamento, Legato, Fideicōmisso, Successione, Arrogatione, Adiectione. De quibus ordine disserere nimis operosum, & c. v. non admodum utile foret. Attemperabimus ergo hunc nostrum sermonem nostris moribus, proferemusq; nobis maximè necessaria. Ante omnia claudendus est oculus nequam, ne seducamur nimia

Math 6 cupiditate. Lucerna corporis, ait in Euangelio dominus, est oculus. Si igitur oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit. Quòd si oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Mens hominis fide imbuta & concupiscentijs non infecta & corrupta, lumen præfert omnibus actionibus hominis. Si uerò mens fuerit corrupta, corruptæ erūt actiones hominis omnes. Cōpescendæ sunt ergo fide & recta opinione nimia cupiditas auaritiaq;, quę existūt ex diffidentia, & omnia consilia, dicta & facta hominis cōtaminant atq; prophanant. Vt autem compescere ualeamus, cœlesti gratia opus est, quam pius quisq; pijs ambit precibus. Necesse est doctrinam de his saluatoris nostri, & doctrinam sanctorum Apostolorū eius, semper habeamus ante oculos, adeoq; pectori nostrò teneamus insculptam. Neq; illa immensa est. Tres recitabimus charitati uestræ locos, duos quidem ex Euangelio, & tertium ex Paulo: in quibus uelut in compendio absolutissimo habeatis comprehensa quæcūq; requiri possunt à ueris Dei cultoribus. In

Math 6 Euangelio secundum Matthęum dicit dominus, Ne reponatis uobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea corrumpit, & ubi fures perfodiūt ac furantur: sed recondite uobis thesauros in cœlo, ubi neq; ærugo neq; tinea corrūpit, & ubi fures non perfodiunt neq; furantur. Nam ubi fuerit thesaurus uester, ibi erit & cor uestrum. Nemo potest duobus dominis seruire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut uni adhęrebit, & alterū contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ.

moniæ. Propterea dico uobis, ne soliciti sitis pro uita uestra quid edatis & quid bibatis, neq; pro corpore uestro quibus induamini. Nónne uita pluris est quàm cibus, & corpus pluris quàm indumentum? Intuemini uolucres cœli: quia non serunt, neque metunt, neque conuehunt in horrea, & pater uester cœlestis alit illas? Nónne uos longius præcellitis illas? Quis autẽ ex uobis solicitè cogitando potest addere ad staturam suam cubitũ unum? Ac de indumento quid estis soliciti? Considerate lilia agri quomodo crescant: non laborant neq; nent: attamen dico uobis ne Solomonem quidem in uniuersa gloria sua sic amictum fuisse ut unum ex his. Quòd si gramen agri quod hodie cùm sit, cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, ... non multò magis uos, ô parum fidentes? Ne sitis igitur soliciti, dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Nam ista omnia gentes exquirunt, Nouit enim pater uester cœlestis uos opus habere his omnibus. Quærite autem primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Ne sitis igitur soliciti in crastinum. Nam crastinus dies curabit quæ sua sunt. Sufficit sua diei afflictio. Hæc Dominus noster apud Matth. in cap. 6.

Rursus in Euangelio secundum Lucam in cap. 12, dicit idem Dominus noster, Videte & cauete ab auaritia: quia non in eo ut supersit cuipiam, uita eius est ex facultatibus ipsius: id est, uita non opus habet superfluis: uel, nullius uita opus habet ut illi supersit aliquid. Dixit autem hanc illis similitudinem, Hominis cuiusdam diuitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat apud se, dicens, Quid faciam, quia non habeo ubi recondam fructus meos? Et dixit, Hoc faciam, destruam horrea mea & maiora extruam, & illuc congregabo omnes prouentus meos, & bona mea: & dicam animæ meæ, Anima habes multa bona reposita in multos annos, requiesce, comede, bibe, gaude. Dixit autem illi Deus, Stulte, hac nocte animam tuam repetunt abs te: quæ uerò parasti cui cedent? Sic qui recondit sibijpsi nec est erga Deum diues.

Præceptorem & magistrum in omnibus sequutus S. Paulus uas electionis clamat, Est quæstus magnus pietas cum animo sua sorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, uidelicet nec efferre quicquã possumus: sed habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti erimus. Cæterum qui uolunt ditescere, incidunt in tentationem & laqueum & cupiditates multas stultas ac noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum. Siquidem radix malorum omnium est auaritia siue studium pecuniæ: quam quidam dum appetunt, aberrauerunt à fide, & seipsos implicuerũt doloribus multis. Tu uerò homo Dei ista fuge, sectare autem iustitiam, pietatem, fidem charitatẽ, patientiam, mansuetudinem, &c. Quicunque ergo laboribus aut negotiatione uictum & necessaria uitæ suæ & suorum quærere instituit, hisce diuinis præceptis ceu theriaca ac pharmaco quodam, animum suum præmuniat contra uenenatas cupiditates & auaritiam pestilentissimam. 1 Timo 6

Vbi uerò animum antidoto Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ præmuniuit, adijciat mox animum ad laborem & negotiationem. Deligat autem quisq; negotiationem utilem & honestam, non curiosam, non ulli damnosam. Otium deniq; fugiat ut pestem. Audiamus rursus hac in causa uerba planè diuina Apostoli, Præcipimus uobis fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut subducatis uos ab omni fratre, qui inordinatè se gerit, & non iuxta institutionem quam accepit à nobis. Etenim cùm essemus apud uos, hoc præcipiebamus uobis, ut si quis nollet operari, is nec ederet. Audimus enim quosdam uersantes inter uos inordinatè, nihil operis facientes, sed curiosè agentes. Iis autem qui sunt eiusmodi, præcipimus & obsecramus per Dominum nostrum Iesum Christum, ut cum quiete operantes

Labor commendatur, otium damnatur.

2 Thess 3

suum ipsorum panem edant. Damnata sunt omnibus seculis & apud omnes homines cordatos & otia & curiosa negotia. Hesiodus dixit,

Illi pariter indignantur & dij & homines, quisquis otiosus
Vixerit, fucis absque aculeis similis studio,
Qui apum opus sine labore comedunt. Sophocles item.
Nil boni, ait, parit otium inane.

Curiosa negotia. Deus enim otiantibus haud assistit. Porrò curiosa negotia, artes sunt malè feriatorum & malè ingeniosorum hominum, quibus proximis graues sunt & imponunt hominibus, exercentes quidem negotiationem aliquam, sed illegitimam & alijs inutilem, sibi uerò utilissimam: cuius quidem generis usurarij, monopolæ, & propolæ, aliique negotioso otio se saginantes habent artes plurimas. *Ex hæreditatibus diuites.* Qui uerò non laboribus suis uel negotiatione æqua, sed per hæreditates acceptas diuites sunt, cogitent apud se quo pacto paratæ sint opes quæ iam ad ipsos per hæreditatē deuolutæ sunt: & si intelligunt se hæredes esse opum iniustarum, sint benefici, nec conduplicent malum, ut quod malè partum est, iniquissimè possideant & sceleratius multò concoquant. Ne fidant istis opibus, neque sint otiosi, agant semper aliquid honesti. Ferè tamen fit, ut malè partum malè dilabatur. Optimum ergo fuerit uel boni, iusti & benefici hominis esse hæredem, uel laboribus proprijs & negotiatione iusta parare facultates, quibus tuam & familiæ uitam sustentes.

An contractus & commercia licita? Video autem hîc hærere multos, addubitareque primò, an contractus & commercia licita sint, deinde quæ nam negotiatio ex omnibus maximè conueniat homini pio. His paucula hæc expendenda propono. Principiò constat contractus ferè uoluntarios esse commerciaque spontanea, ut quisque hîc quod uelit, quod conducat & maximè deceat deliberare & eligere possit. Huius enim generis sunt commutatio rerum, fideiussio, locatio, cōductio, depositio, mutuum, pactio, uenditio, emptio, & alia his simillima. Hisce rebus, sicut ipsa experientia euincit, carere non possunt homines etiam sanctissimi, donec in hoc mundo uiuunt. Nec legis Dominus ullibi prohibuit huiusmodi commercia & contractus, imò format illos, instituens rempub. Israelis, ut agnoscere oporteat illas esse ordinationes diuinas: abusus, dolus, impostura & confidentia in istis prohibentur uerbo Dei. Ergo si quis ijs utatur moderatè, neque innitatur & inhæreat, non peccat. Audiamus denuo Apostolum clamantem, Qui habent uxores, sint tanquam non habeant: & qui plorant, tanquam non plorent: & qui gaudent, tanquam nō gaudeant: & qui emunt, tanquam non possideant: & qui utuntur mundo hoc, tanquam non utantur. Præterit enim habitus huius mundi. Pari modo nullibi legimus prohibita esse lucra iusta & æqua. *Lucrum ex negotiatione.* Imò benedicit Dominus laboribus & negotiationibus suorum, ut quemadmodum in uirtutibus ita pariter crescant & in opibus. Exemplum huius præbent Abraham, Isaac & Iacob. Et Apostoli non iubent nos nullum sperare lucrum, sed nolunt nos turpis lucri esse cupidos.

Negotiationes sunt uariæ. Negotiationes quidem hominum sunt uariæ. Ac uarijs quidem multisque indigent res hominum. Est negotium siue labor crassior, qui manibus roboreque corporis magis quàm arte, quamuis non sine ingenio, perficitur. Est & ingenij labor subtilior, qui tametsi extra corpus & uires hominis non fiat, ingenio tamen magis quàm robore perficitur. Prioris generis sunt artificia omnia, siue artes, ut uocant, mechanicæ, quibus annumeramus mercaturā, agriculturam & pecuariam. Posterioris generis sunt studia literarum, medicinæ, iurisprudentiæ, præsertim theologiæ, philosophiæ quoque, denique gubernatio. Ac patriarchæ quidem homines innocentissimi & excellentissimi, ferè fuerunt agricolæ, aut exercuerunt pecuariam.

tuariam. Exempla sunt plurima, Abelis, Noe, Abrahæ, Isaac, Iacobi, Iob, & aliorum. Leuitæ & prophetæ uixerunt ex literarum studio siue ministerio ecclesiastico. Mercatura nullibi damnatur in sacris literis: damnantur autē mercatores Deū non timentes & requirentes, homines uersipelles ac impostores. Nam Iacobus Apostolus Domini, Age nunc qui dicitis, inquit, Hodie & cras eamus in hanc ciuitatem, & transigamus ibi annum unum, & mercemur & lucrum faciamus (qui ignoratis quid futurum sit postero die. Quæ est enim uita uestra? Vapor enim est qui ad exiguum tempus apparet, & deinde euanescit) pro eo quod dicere debueritis. Si Dominus uoluerit, & si uixerimus, faciamus hoc aut illud. Nec uituperatur in Actis Apostolorum purpuraria illa quòd uenderet purpuram. Nam in encomio probæ matrisfamiliâs, laudatur materfamiliâs ex mercatura. Ex gubernatione uixerunt optimi quiq; reges, Ioseph Ægypti saluator, & Daniel satrapa Babyloniæ & Mediæ. Nam ut multa sunt in corpore hominis membra, & uarius est usus membrorum, omnia tamen in summa cōcordia tendunt ad conseruationem incolumitatis corporis: ita uaria ordinauit Deus negotia & artificia, quæ tamen omnia seruire uult incolumitati reipublicæ. Iacob. 4. *Prouerb. 31.* *1. Corinth. 12.*

Iam uerò quæ ex his omnibus negotiationibus homini pio amplectenda aut suscipienda sit, non est meum pronunciare. Expendat quisque apud se quæ attulimus hucusque, deinde exploret seipsum, ad quas res, aut ad quæ negotia animus maximè propendeat, ad quæ sit utilis & idoneus: inspiciat item diligenter quæ artes sint maximè simplices & secundum naturam, quæ item quàm minimum cognationis habeant cū dolo & impostura, aut quæ minimū abstrahant à Deo & iustitia. His expensis deligat quisq; quod putauerit maximè cōuenire et salutare esse, cùm animæ tum corpori suo. Non possumus omnes agros colere, nec congruunt omnibus literarum studia, pauci gubernant rempublicam, nec artificijs exercendis omnes ubiq; idonei sunt. Habet suum quisq; genium, habet inspirationem à Domino, habet amicorum consilia & auxilia, habet occasiones uarias, habet regulam uerbi Dei: his acquiescat, ut primas interim tribuat præceptionibus diuinis. *Quæ maximè negotiatio amplectenda pio uiro.*

Cæterum laboranti iam & negotianti, post recitatos canones necessarij sunt & sequentes. Principiò enim cauenda erit cuique profusio siue luxus in cibo, potu, uestibus, cultu corporis & ædificijs, fugiendi sumptus inutiles ac uani. Nam Dominus uult unumquemlibet suas retinere non prodigere res. Odit & execratur Dominus luxum & inanes sumptus siue superbiam. Præterea qui sui profusus est, aliena ferè appetit: unde innumera exoriuntur mala, furta, insidiæ, doli, imposturæ, adde & cædes ac seditiones. Deinde strenuus sit qui laborat aut negotiatur, sit per omnia uigilans & laborum tolerans, non segnis, mollis, iners. Fideliter & diligenrer agat omnia. Displicet Deo ignauia socordiaue. Displicet supina rei familiaris negligentia. Laudat scriptura fideles laboratores, & negotiatores probos & industrios. Audiamus quæso auream sapientissimi mortalium Solomonis doctrinam ita dicentis, I piger ad formicam, inspice uias eius, ut sapiens fias. Ea enim cùm neque principem, neque exactorem aut ducem habeat, tamen æstate cibum suum parat, & in messe alimentum suum comportat. Quandiu piger dormies? & quando à somno tuo surges? Paululum dormiendum: paululum dormitandum: paululum complicandæ manus ad dormiendum. Interim uerò ceu uiator ueniet egestas tua, & inopia tua ceu uir scuto munitus. Rursus clamat Dauid in Psalmis, Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in uijs eius. Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Quid quod Dominus Deus Adamum in paradiso & felicissimo uitæ statu noluit *Cauenda profusio.* *Laborandum fideliter.* Psalm. 131.

otiosum uiuere? Nam cultum horti ipsi iniunxit. Otiosi ergo homines omnium mortalium infelicissimi sunt: ita & ignaui nō aliud sunt, quàm telluris inutile pondus. Postremò curet negotiator ne cui damnum det sua negotiatione. Regulam hîc sibi præfigat in omnibus negotijs, Quod tibi uelis fieri, feceris alteri: & quod tibi nolis fieri, alteri ne feceris. Porrò datur damnum dupliciter, nempe retinendo uel auferendo: uidelicet si retineas quod debes, & tuū non est: uel auferas quod alterius est, & quod tibi non debet. Verùm de damno in retinendo aut auferendo dicam iam paulò fusius, ut ex his rectius intelligatur mandatum Domini, Nō furtum facias, & quæ nam sint furti species.

Furtum.

Aiunt furtum esse fraudulosam contrectationem rei alienæ, mobilis & corporalis, quæ fit inuito domino, lucri faciendi gratia, uel ipsius rei, uel etiam usus eius, possessionisue. Proinde furiosum non dicunt committere furtum: quòd in ipso nulla sit euidens doli machinatio. Neq; ullum furti argui posse tradunt, qui per errorem non malitiam, alienam rem abstulit pro sua. Cæterum contrectare dicitur non is solum qui manibus rem apprehendit, sed qui quouis modo eam subtrahit iusti possessoris dominio. Inuito autem domino dici aiunt, non tantùm si uiolenter ipsi eripiatur, sed etiam nescienti: aut si sciat, non possit tamen prohibere: aut cùm possit, certas ob causas nolit. Nec temerè adiungitur furtum fieri lucri gratia. Nam si quis ludens, aut aliam ob caussam honestam aliquid auferat, minimè furtum committit. Furti uerò genera duo faciunt, Manifestum, utpote in quo deprehenditur fur: & non manifestum, nempe si post furtum furti conuincatur. De his copiosè disseritur Digestorum lib. 47. tit. 2. &c. Nos redimus ad propositionem nostram explicandam.

Damnū datur retinendo uarijs modis.

Damnum das retinendo, quando in contrahendo non iusta uteris mensura, non pondere iusto. Huc pertinet collybus iniustus & fraudulentus. Collybus autem, ait Pollux, est permutatio pecuniæ. De his recitabimus modò præcepta & sententias Domini Dei nostri. In Leuitico legis, Ne feceritis quidpiam iniqui in iudicio, in dimensione, in pondere & mensura. Bilanx iusta, lapides iusti, epha (modium uel quartale, mensura aridorum) & hin iustum (liquidorum mensura sextarium uel cyathus) iustum sit uobis. Ego Dominus Deus uester, qui eduxi uos è terra Ægypti. Et in Deuter. legimus, Ne sint tibi in sacculo tuo diuersi lapides, magnus scilicet & paruus. Ne sint tibi in domo tua diuersa epha, magnum scilicet & paruum (ut uidelicet in recipiendo aut emendo utaris magno, in erogando autem uel uendendo, paruo) sed pondus æquum & iustum sit tibi: & epha æquum & iustum sit tibi, ut prorogentur dies tui super terram, quam Dominus Deus daturus est tibi. Nam abominatio Domino Deo tuo est, quicunq; ista facit, & quicunq; iniquitatem perpetrat. Ad hæc pertinet hæc Solomonis sententia ex Prouerbijs, Diuerso pondere uti, aut diuersa mensura, ambo hæc detestatur & abominatur Dominus. Quid autem grauius & horribilius audiri, imò & cogitari poterat, quàm hominem esse abominationem Deo? Apud Micheam in 6. cap. minatur præterea Dominus uarias & graues pœnas, quas irrogare uelit iniusto pondere & iniqua utentibus mensura. Quin ergo fugiamus iniquitatem & iniustitiam, ac eligamus potius felices quàm infelices esse, audiamusq; ipsum Dominum dicentem, Mensuram bonam & pressam & concussam & superfluentem dabunt in sinū uestrum, Eadem quippe mensura qua metimini, alij metientur uobis. Persuasissimum ergo habeamus, fraude & furto partas res neque diu florituras, neque futuras nobis salutares.

Mensura iusta.

Alienatio & fraus.

Rursus retinendo dant alijs damnum, quotquot hæreditates alijs debitas occupant

cupant: qui frustrantur & fallunt in contractibus, in pactis aut conuentionibus: qui simulant se dare quod dolo malo aut mutant aut apud se retinent, corruptum autem aut uitiosum dant. Ea reuera hæc deceptio & fraus est siue dolus. Constat autem alienarum hæreditatum possessores, & breui uita, & nulla uti fortuna felici. De fraudulentis pronunciat Solomon, fraudulentos nullum inuenturos lucrũ. Lucrum enim iniustum utcunque sit grande, detrimentum tamen uerius quàm lucrum uocari meretur.

Huc pertinent res inuentæ, quas tu repetenti negas, quasi non inueneris uel tui sint iuris. Huc pertinet depositum & pignus retentum. Deposuit apud te, qui peregrè abijt, pocula argentea & auri pondo, quòd sperauit ista apud te tutò latere: tu uerò redeunti & reposcenti depositum negas, suffuratus es, præterea fidem amici fefellisti & conduplicasti peccatum. Oppigneraui uir pauper tibi rem sibi charam & pretiosam, quam cùm repetit annumerata tibi pecunia tua quam mutuò à te acceperat, negas tu pignus, & confingis calumnias, uterisq́ dolo malo ut pignore fraudes pauperem: suffuratus es pignus. Tulit præterea Dominus alias de pignore accipiendo leges populo suo huc quoq; pertinentes. In Deut. enim dicit, Nemo pignoris loco accipiat inferiorem & superiorem molarem. Nam is uitam oppignerauit. Id enim perinde est ac si dixisset, Ne pignoris loco id acceperis à proximo tuo, quo sibi & suis uictum quærit ac parat. Vitam enim seu uictum illi sustulisses. Et mox, Cùm mutuò dederis aliquid proximo tuo, ne ingrediaris in domũ eius ut pignus inde tollas: sed sta foris, ut uir ille ad te pignus proferat. Prohibet truculentiam, & ne diuites sint crudeles in scrutandis pauperum domibus, néue sint morosi in recipiendo pignore. Iterum uerò addit Dominus, Quòd si uir huiusmodi pauper est, non dormies in pignore eius: omnino reddes illi pignus cùm Sol occidit, ut is dormiat in uestimento suo, beneq; & fausta tibi imprecetur: & id erit tibi iustitia coram Domino Deo tuo.

Inuenta. *Deposita.* *Pignus.*

Postremò grauissimum proximo damnum retinendo dant, quicunque laboris mercedem detinent. Detinetur ea dupliciter. Vel enim nunquam soluis mercedem: Vel soluis grauatim, differs diu nimis, sed & de mercede aliquid detrahis. Cæterum uocabulum mercenariorum patet & ipsum latissimè, & extendit se ad omnes quoq; artifices. Vulgus diuitum utitur ferè opera artificum, & mercedem consignare iubet in codices rationarios, interim cùm istos egere intelligit, nihil tamen numerat, imò postulantes debitum sæuis dictis excipit & uacuos dimittit. Interea superbiunt stulti & impij diuites, & luxu prodigunt res suas (imò non iam suas sed alienas quoq; turpissimè. Sed audiamus iudicia & leges Dei nostri super hac re pronunciatas. In Deut. sic legimus, Ne neges aut ui retineas mercedẽ mercenario pauperi & inopi, siue sit de fratribus tuis, siue peregrinis tuis qui sunt in terra tua atq; intra portas tuas. Die suo dabis ei mercedem suam, neq; Sol occidat super eum: quoniam pauper est, & ad mercedẽ tollit animum suum (id est, spem uitæ collocat in eam, utpote uicturus ex ea) ne contra te ad Dominum clamet, & cedat tibi in peccatum. Cum hac diuina lege congruunt hæc Apostoli Iacobi uerba, Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones uestras, quæ fraude non reddita est à uobis, clamat, & clamores eorũ in aures Domini sabaoth introierunt. Quid horribilius audiri poterat? clamat merces detenta laboris, & clamat quidem in cœlum: adde, & ingreditur clamor in aures Dei iustissimi, seuerissimi, potentissimiq;. Quid aliud iam expectent fraudatores illi quàm pœnam grauissimam? Rectissimè ergo breuissimeq; hoc negotiũ concludens & omnibus optimè consulens Tobias, Ne moretur, inquit, apud te ullius hominis, cuius opera usus fueris,

Merces detenta laboris. Deut. 24 Lev. 19 Jacob. 5. Tob. 4

merces: sed eam protinus illi depende. Etenim tibi quoq; Deum colenti gratia referetur.

Damnum quod auferendo datur.

Furtum.

Sequitur membrum alterum, damnum uidelicet quod auferendo datur: id quod multiplex est. Primum autem locum habet ipsum furtum, (de quo & paulo ante diximus aliquid,) quod non in pecunia duntaxat ablata committitur, sed in mercibus quibusuis, in agris, in terminis transponendis, & in iure cuiuscunque quod transfertur, negatur, aufertur, aut malitiose, contraq; & citra conscientiam & consensum alterius, hoc est, iusti possessoris, differtur. Nam in lege Leuit. 19. ait Dominus, Non furabimini, ne mentiamini, nemo dolo malo agat cum proximo suo. Et Paulus ad Ephesios ait, Deposito mendacio, loquamini ueritatem quisq; cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. Qui furabatur non amplius furetur, magis autem laboret operando manibus quod bonum est, ut possit impartiri ei qui opus habuerit. Hæc extendere licet ad omnia pene hominis officia. Quicunque enim debitum negat officium, nec facit quod facere iure deberet, in hoc mandatum delinquit: ueluti si pater suæ familiæ suum neget officium: rursus si familia rem familiarem dissipet, & patremfamiliâs rite inuigilantem rei domesticæ decipiat, & prodigendo & suffurando perdat. Item si dominus aut herus (quanquam hæc referri possint ad titulum de dato damno retinendo) nimis sit rigidus colonis suis: aut si coloni otiosi deuorent substantiam domini, uel negligant agriculturam, & luxu prodigant res. Ita peccat seruus in hoc præceptum, si non omnibus modis omnes res heri sui curet & prouehat fidelissime. Pari modo & in suis officijs peccant ancillæ contra dominas. Certe Apostolus Paulus ad hoc mandatum respiciens præcipit Tito & ait, Seruos hortare ut suis dominis pareant, in omnibus illis placeant, nec sint responsatores, aut suffurantes, sed fidem omnem præstent optimam, ut doctrinā seruatoris nostri Dei ornent in omnibus. Paria inculcat idem Apostolus ad Ephes. 6. Colos. 3. 1. Tim. 6. Hic enim locum habet doctrina de officijs dominorum & seruorum (quod uidelicet attinet rem familiarem) & si quid aliud est huius generis.

Negare officium debitum.

Rapina & deceptio.

Huc pertinent Rapina & Fraus, quarum utraq; latissime patet. Fraus immensa est: nam iniquitas hominum abyssus est, artes hominum multiplices ac uariæ sunt, quas nemo facile enumerauerit omnes. Et Rapina uim habet non semper armatam, sed & ingenio & lingua instructam: nec agunt in syluis duntaxat & campis raptores, sed in medijs quoq; urbibus. Eripis res suas proximo tuo, titulo aut sub specie iuris, nempe dum eloquentia, muneribus, aut alijs artibus extorques apud iudices sententiam pro tua iniquitate, rapuisti. Sunt qui donationis titulo integras hæreditates iustis præripiunt hæredibus. Hæ & similes artes uel imposturæ, partim sub rapinam, partim sub fraudes, omnes autem sub furtum ueniunt.

Alea.

Alea quamuis habeat consensum mutuum ludentium, quia tamen quisque alteri suas res eripere ardet, diuisoremq; fortunarum cæcam fortunam, id est, talos aut chartas lusorias constituit, merito alea damnatur à theologis. Et Iustinianus Imperator, uti extat Cod. lib. 3. tit. ultimo, commodis subiectorum prospiciens, decreuit ut nulli liceat in publicis uel priuatis domibus ludere: quamuis enim aleatorum lusus antiqua res sit, prodijsse tamen in lachrymas: multos enim perdere omnem substantiam propriam, tandem & in blasphemias in Deum prorumpere. Alioqui nemo ignorat ingenij & corporis exercitia, à ueneno lucri aliena, neq; implicita damno proximi & proprio, non esse illicita.

Vsura.

Vsura est cùm alteri concedis usum tui peculij, utpote agri, uel domus, uel pecuniæ, uel alterius alicuius rei, unde in annum percipis fructum aliquem. Habes

bes enim uillam, prædium, agros, prata, pascua, uineas, ædes, pecunias, quas elocas alteri, sub certa pactione fœnoris ad te redeuntis. Hic contractus, hæc pactio per se non est illicita aut scripturis sanctis damnata. Et Vsuræ uocabulum inhonestum non est, abusus reddidit inhonestum, ut non immeritò hodie omnibus sit abominandum. Damnatur enim usura in scripturis, quatenus coniungitur cum iniquitate & pernicie proximi. Quis enim prohibeat elocare usum agri, domus, pecuniæ, & inde æquum aliquem fructum percipere? Emptio enim, locatio, & similes contractus liciti sunt. Et ut dantis est benefacere: ita accipientis est beneficium non gratis usurpare in dantis detrimentum. Beneficij meri alia est consideratio. De ea legis Lucæ sexto capite, Si mutuum dederitis his, à quibus speratis, &c. Et Iurisperiti de his ita constituunt, non esse usuram, quando pacto de retrouendendo creditæ pecuniæ apponitur aliqua pensio extra sortem danda à debitore: quia mutuum esse desinit, quod ita alterius usui subijcitur, ut debitore nolente, non liceat creditori illud repetere, donec ipse pensionem, ad quam se debitor astrinxit, soluat. Nam tale creditum transit in contractum emptionis. Dicunt ergo Vsuram in solo mutuo (quod debet esse gratuitum) committi, non in reliquis contractibus. Sit in hisce commercijs utrinque præfixa regula, Quod tibi uelis fieri, alteri feceris: & quod tibi nolis fieri, alteri ne feceris. Et illa Apostoli, Nemo circumueniat in negotio fratrem suum. Scio quid adferatur de pecunia, hanc non ita ut agros & uineas manere, sed usu consumi, ergo nullo iure posse ullum à pecunijs fructum percipi. Sed si quis alteri det pecuniam, qui prædium aut uillam, agros aut uineas ea pecunia sibi comparet, negotietur denique & lucretur, non uideo cur uir bonus non fructum æquum de pecunia elocata ueluti ex fundo accipere posit. Potuisset qui elocauit pecuniam, emere prædium, ex quo totus ad ipsum ementem redijsset fructus: iam uerò alteri concedit pecuniæ usum ad luculentam istius utilitatem. Parat is sibi accepta mutuò aut per contractum data pecunia peculium, ex cuius prouentu totam suam alit familiam, portionem interim condictam ei pendit, à quo accepit pecuniam, quam cum restituit integram, ius proprietatis redemit, ac se à pensione annua liberauit. In hac pactione nemo opinor dixerit usura opprimi pauperem, cum ipsa res potius clamet, pauperem usura tali iuuari. Vsura ergo prohibetur in uerbo domini quatenus mordet (ut scripturæ uerbo utar) proximum, quatenus ei nocet & ipsum perdit. Sic enim dicit dominus in Leuitico, Si ad inopiam fuerit redactus frater tuus, nutaueritque manus eius tecum (id est, si facultas eius apud te deficere incœperit) siue aduena fuerit, siue inquilinus, corrobora eum ut tecum uiuat. Ne acceperis ab eo fœnus, neque plus æquo: sed time dominum ut tecum uiuere possit frater tuus. Ne des illi pecuniam tuam ad fœnus, neque des illi alimentum tuum ad nimium siue excessum, siue superabundantiam. Ego dominus Deus uester. Improbat ergo dominus omnes auarorum & impostorum artes, quibus non tantùm modum excedunt in fœnore exigendo, sed in hunc maximè finem pecunias & res suas elocant alijs, ut hac ueluti occasione rebus suis omnibus exuant. Artes usurariorum iniquissimas nemo opinor paucis exposuerit, cùm in diem exoriantur nouæ. Recitabo ergo hic domini iudicium contra usurariorum aliquot in mutuando, locando, diuendendoque scelestissimas artes atque sordes, ut quisque deinde similiter iudicet de similibus. Ita loquitur propheta Amos capite 8. Audite istud uos qui anheli absorbetis pauperes, & afflictos è terra exterminatis, dicētes, Post mensem uenum exponemus annonam, & exacta hebdomade aperiemus frumentum, epha diminuemus, siclo autem addemus, & bilancē dolo deprauabimus, ut com-

paremus nobis tenues argento, & inopem pro pari calceamentorum, deinde & quisquilias frumento distrahemus. Iurauit Dominus per excellentiam ipsius Iacob, Non perpetuò obliuioni tradam omnia opera eorum. An non huius rei gratia terra contremiscat? an non omnis inhabitans eam lugeat? Quin uniuersa ea ut fluuius intumescet, &c.

Contra usurarios. Proinde ne ira Dei in regna & respublicas propter iniquas usuras & perditos perdentesque usurarios desæuiat, sancti magistratus erit coërcere usurarios æquis legibus, constituereque pro temporum & locorum, personarum & rerum qualitate, quod æquum, iustum & sanctum fuerit, ne in mutando, elocando, emendo & uendendo usurarij miserum opprimant populum, sed æquitas & iustitia seruetur in omnibus. Habet huius sui officij elegans exemplum magistratus in Nehemia coërcente auaritiam, crudelitatem, & summam iniustitiam usurariorum & oppressorum miseræ plebeculæ Israeliticæ. Extat fusè descriptum in historia Nehemiæ cap. 5. Iniquis ergo & iniustis negotiatoribus & usurarijs eorumque auaritię nolo his patrocinari: sed dico illos uictitare sanguine & ex uisceribus ciuium: & certè damnandos fore, nisi pœniteat eos sceleris. Obijcio illis hoc ueluti naturæ decretum, Quod tibi nolis fieri, alteri ne feceris. Veniebant & publicani ad Ioannem ut baptizarentur ab ipso, & dicebant, Magister quid faciemus? At ille dixit eis, Nihil amplius quàm quod constitutum est uobis exigatis. Publicani uictitabant ex publicis illis uectigalibus, quę redemerant certa & pręsenti pecunia à Romanis. Publicanos autem hos non iubebat relinquere negotiationem, sed constituto pretio esse contentos. Ita usurarijs et negotiatoribus omnibus idem inculco, Nihil amplius quàm quod constitutum est uobis exigatis. Quòd si certa constitutione aut ordinatione magistratus caretis, age ualeat apud uos æquitas, humanitas & charitas, ualeat lex communis, Omnia quæcunque uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. *Math. 6.* Si oculus tuus simplex fuerit, ait dominus, totū corpus lucidum erit: quòd si lumen quod est in te, tenebræ fuerint, ipsæ tenebræ quantæ?

Sacrilegium. Sacrilegium direptio est rerum sacrarum, Deo inquam dicatarū. Habet enim Ecclesia Dei opes uel facultates sacras, quibus partim doctrinā synceram seu ministerium Ecclesiæ sanctum, partim pauperes Ecclesiæ fideles sustētet. Habet item opes ad sarta tectaque templi ædiumque sacerdotalium, & xenodochiorum aut hospitalium: denique ad subuentionem communem in publicis & grauibus calamitatibus. Sacrilegi ergo sunt, qui facultates Ecclesiasticas à legitimo & sacro usu ad prophanum & impium transferunt, illasque prodigunt uenationibus, pompis, superstitionibus, scortatione, alea, poculis & luxu. Quibus rebus hodie grauiter peccatur cùm ab episcopis tum magistratibus. Nec est quod abusum illū fœdissimum, aliud consequatur quàm ingens aliquod infortunium, nec una aliqua aut modica calamitas. Nam ut in pauperibus ipse Dei filius Christus dominus noster spoliatur atque defraudatur: ita interit doctrina pietatis, pereunt studia honesta, ac destituuntur oues Christi bonis & fidelibus pastoribus, fiuntque præda lupis & latronibus. Cæterum inter sacrilegos minimè recensendi sunt proceres & antistites sancti religionis, quales fuerunt aliquot reges Iuda, & in primis Ezechias, ac aliquot ueteris Ecclesiæ episcopi uel pastores, qui grauibus bellis atterentibus respublicas uel regna, aut fame, uel alia calamitate publica premente, imò & cōficiente miseros mortales, thesauris illis sacris minimè pepercerunt, sed euacuatis scrinijs subuenerunt sacra pecunia oppresis. Fuissent autem enormes sacrilegi, si inanimatis uasis pepercissent, animata autem ab interitu non uindicassent. Elegans est hac

hac de re locus apud D. Ambrosium Officiorum lib.2. cap.28. Sunt & exempla egregia in Ecclesiastica historia. Inter sacrilegos commemorantur à theologis & Simoniaci, Chananęi inquam, id est, mercatores rerum diuinarum & Ecclesiasticarum. Talis enim refertur fuisse horum patriarcha Simon Magus in Actis apostolorum. In iure ciuili qui ambitiosè suffragia hominis clanculariis largitionibus emunt, ut ipsis publica munera & dignitates conferantur, incidunt in crimen ambitus, & centum aureis cum infamia puniebantur quondam. Sed quia hæc nihil ad sacrilegium, redimus in uiam. Sacrilegi sunt, quicunque bona Ecclesiæ debita, decimas scilicet & census, uel non soluunt, uel malignè soluunt. Extant minæ atroces prophetarum contra sacrilegos. Haggæus testatur non aliam esse caussam qua re fruges malè uel parcè proueniant, quàm quòd populus non solueret quæ debebat templo. Apud Malachiam fertilitatē promittit populo, si liberaliter soluat tributa & uectigalia ecclesiastica. Possunt autem ministri Ecclesiarum iis uectigalibus uti iure optimo, perinde ut alij utuntur prouentu agri à se culti. Id quod testatur Dominus Numeri 18. cui succinit Apostolus 1. Cor. 9. Sed & ipse dominus Iesus de stipendio suo eleemosynas pauperibus distribuebat, uti uidere est apud Ioannem in cap.13. Sacrilegium committūt & mendici, nomine Christi abutentes, & egestatem prætexentes ignauiæ. Præcipit Timotheo Apostolus, ne ignauos huiusmodi hypocritas recipiat in curam Ecclesiæ. Sacrilegium uerò omnium maximum est, si quis gloriam Dei transferat ad creaturas. *Simonia.* *Ambitus.*

Peculatus furti genus est quod committitur in opibus publicis, aut pertinentibus ad principem. Parit hoc nouas subinde exactiones, ut maior sit occasio atque copia expilandi improbis magnatibus. Propter hos fortè dixit Cato Romanus, Priuati fures in neruo & compede uitam agunt, publici uerò in auro & purpura. Peculatores sunt præterea omnes, qui tributa & uectigalia magistratui debita uel non pendunt uel pendunt malignè. Peculatores sunt omnes, quotquot abutūtur opibus publicis. *Peculatus.*

Plagiarij sunt, qui quos liberos norunt uendunt, aut seruos alienos furto abducunt: genus furti appellant plagium. In hunc censum ueniunt qui seditione, persuasione, doctrinaque seditiosa mancipia siue seruos & ancillas abstrahunt ab obedientia dominorū, liberos à reuerentia & obseruantia parentum. Cumque imperatores mercenariæ militiæ inuitis parentibus cohortes militum, promissionibus dementatos & artibus irretitos, abducant, qui nunquā ad parentes redeunt, sed in bello pereunt, aliquem certè inter plagiarios locum habent. Quondam fuit capitale plagium, sicuti claret ex 21. cap. Exodi, & lege Constantini, quæ habetur Cod. lib.9. titulo 20. *Plagium.*

Abigei sunt qui & abactores dicuntur, ac iumenta aliena abducunt. Quibus annumerantur qui mutuò acceptis abutuntur iumentis: qui item periclitantibus, cum possent, non subueniunt. Nam dominus in lege errantia reducere iussit, & suo restituere Domino. *Abigei.*

Hæc hactenus fratres dixi de uariis furti speciebus, & iustè acquirendis opibus, adde & de rerum proprietate.

De legitimo vsu facultatum terrenarum: hoc est, quomodo rectè possideamus & iustè dispensemus opes iustè acquisitas: vbi & de Restitutione & Beneficentia disseritur.

SERMO II.

EXPOSVI C. V. sermone proximo, quomodo iustè parentur opes, & quæ sint species furti modiq; iniquè cōsequendi facultates uarij: superest iam ut adijciam & doceam quis sit uerus usus opum iustè acquisitarum, quomodo legitimè & iustè illas & possideamus, & dispensemus, uel usurpemus. Iustitia enim non modò non fraudat neminem, sed quantum in ipsa est, omnibus benefacere satagit. Neq; enim satis fuerit homini pio nemini nocere, nisi benefaciat etiam quibus potest. Atq; hic peccatur à pluribus, existimantibus se suo functos officio si lædant neminem, si sua quietè possideant, nulla interim cura habita quibus prosint ac benefaciant. At peccat coram domino non minus qui iustè partis opibus non rectè utitur, quàm qui facultates sibi parat iniquitate & malis artibus. Dicam ergo, quantum dederit gratiæ dominus, quomodo pij sanctè opes suas possideant & dispensent.

Ne quid alieni possideas.

In primis ut salutaris esse possit usus opum terrenarum, diligenter dispiciunt sancti ne quid supersit in facultatibus alieni, hoc est, diligenter separant iusta ab iniustis, ac restituunt fideliter si quid deprehenderint in rebus suis iure ad alios pertinens. Credunt enim hac ratione relictas opes, etsi per restitutionem diminutas, & feliciores magisq; diuturnas, & fœcundiores futuras.

Restitutio necessaria.

Præcepta autem & omnino necessaria est Restitutio. Dominus enim in lege illam uarijs modis & diligenter mandat, uti uidere licet Exodi 22. Quoties uerò æquum & sanctum Dei mandatum per auaritiam & iniquitatem hominum iacuit neglectum, excitauit dominus grandia mala contra contemptores, ac iniustas opes dissipauit bello, aut infortunijs calamitatibúsue uarijs. Clamat enim Isaias, & dicit, Dominus ueniet ad iudicandum senatores & magnates populi sui. Vos enim incendistis uineam meam: & spolium pauperis est in domibus uestris. Amos in 3. cap. clamans ait, Congerunt thesauros in palatijs suis per uiolentiam & uastationē siue rapinam. Propterea sic dicit dominus Deus, Angustiæ inuadent te undiq; in terra: & hostis auferet à te robur seu facultates tuas, & diripientur palatia tua. Legimus ergo in euangelio Zachæum sua sponte quadruplicem, id est, plenariam siue absolutam promisisse restitutionem, ac præstitisse haud dubiè. Intelligebat enim ex spiritus sancti instinctu restitutionem in primis esse necessariam, neque felicem se futurum, nisi facta restitutione integra. Rectè ergo iudicauit S. Aurelius August. epist. 54. ad Macedonium scribens, Si res aliena, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur; si autem ueraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed ut dixi, cum restitui potest.

Isaie 3.

Luc. 19.

Quando facienda restitutio.

Quando uerò facienda sit restitutio, docet exemplum Zachæi, qui quàm primum receptus esset in gratiā Christi, ac intellexisset ueritatis & iustitię negotium, promittit restitutionem, ac præstat eandem e uestigio. Proinde restitutio non est procrastinanda. Non est quod quis peccatum conduplicet. Cui enim facultates suas tua eripuisti arte dolosa, aut uiolentia praua, ille his quidem sua cum iactura diu nimis caruit hactenus, ut nihil sit necesse procrastinatione tua augere incommoditatem & detrimentum.

Cui fiat restitutio.

Si roges, Cui nam fiat restitutio? Respondeo ei cui abstulisti, siquidem scias cui abstuleris, aut quem defraudaueris. At eo modo, ais, meipsum reddam infamem. Id non iubeo. Verùm si inuenisti uiam auferendi, cogita de commoda uia restituendi, per quam non incurras infamiam. Ora præterea dominum ut rationes certas & cōmodas tibi sufficiat. Si seriò de restitutione uera cogitas, inuenies haud dubiè uiam minimè dedecorosam. Si non agis seriô coram domino, mille occurrent excusationes, quarum tamen nulla tranquillam efficiet tuam conscientiam.

Neq;

Nec uerò Deus irridetur. Nescio, inquis, cui abstulerim, ignoro ergò cui restituã. Si seriò nescis cui abstuleris, habes pauperes uel egenos, quibus largiaris. His iniustæ opes, non superstitioni aut superstitionum ministris, erogandæ sunt.

Tantum uerò restituat quisq; quantum surripuit aut quantum restituere potest. Multi enim prodegerunt aliena ut restituere nihil posśint. Agnoscāt interim peccatū, & pœniteat eos ex animo. Et si aliquando assequuntur opes, de suis sint tanto liberaliores quantò profusiores fuerunt in alienis. Si uerò omnia tua, quæ iam posśides, aliena, & furto aut rapinis parta sunt, ut si iustam facias restitutionē nihil retineas prorsus, ac mendicandum sit protinus, profectò miser es & infelix nimium, insanus uerò & furiosus, si pergas superbire in alienis, si libidinem tuam expleueris in uisceribus & sanguine atq; sudore pauperum. Cur non potius deijcis te ad pauperes, ac iniustè acquisitis ita uteris ut eleemosyna utuntur egeni? Nam uiuis ex ijs quæ pauperum sunt. Depone ergo fastum, depone luxum. Cogita diligenter quis sis & unde uiuas. Interea conandum est perpetuò ut fiat restitutio, quatenus licet, ac semper dolendum si ad plenū fieri non potest. Si non graue sit tibi pauperiem experiri ad tempus, laborare, aut honestū aliquod negotium fideliter exercere, atq; ad eadē instituere ac ueluti manu ducere liberos tuos, non deerit unde uiuas, tametsi restituas aliena omnia. Verùm modica adeòq; nulla est fides in multis hominibus, inde est, quòd pauculis aut nullis persuadeatur uera restitutio, His & illud (priusquā transeam ad alia) adijciam, illos in primis de restitutione cogitare debere, qui pestilentibus colloquijs corruperunt mentes simpliciū, qui obtrectationibus læserunt famam alienā, qui itē peruersis cōsilijs potentiores concitarūt in imbelles. Hæc enim terrenas facultates multis modis superant. Hæc dixi hactenus de Restitutione, de qua prolixas disputationes reliquerūt alij. Ego autem uideo animo pio restitutionis negotium esse breue & expositum. Nam cupit ex animo obedire diuinis legibus, ideòq; diuino auxilio inuocato, facilè uiam inuenit faciendi iustitiam. Qui autem uideri magis iusti, quàm esse, cupiunt, atq; hunc mundum, magis quàm decet, diligunt, inexplicabile reddunt suis quæstionibus & casibus negotium restitutionis. Nihil ergo his amplius respondebimus, quàm ut suam ipsorum conscientiam propriam interrogent quid ipsa eos iubeat. Conscientiam autem uolo hac generali lege imbutam, Quod tibi uelis fieri, feceris alteri: & quod nolis tibi fieri, alteri ne feceris.

Quantū quisq; restituat.

Consilium.

Copiosæ disputationes de Restitutione.

Post hæc iam liberius disseremus de iustè posśidendis, usurpandis, uel dispensandis iustis facultatibus terrenis. Principiò nihil omnino fiduciæ in istis cuiquam est collocandum, utpote in rebus fluxis & perituris: non acquiescendum in eis, nec admirandæ sunt, curandumq; modis omnibus ne in idololatriam nos impellant, neue cursum impediant cœptum. Ad cœlos tendimus. Audienda est hic rursus omnibus nobis uox diuina & cœlestis edita per Dauidem dicentem, Collocate spem in Deum omni tempore, effundite ante conspectum eius cor uestrū, Deus refugium nobis. Reuera filij hominum uani sunt, mendaces filij uiri, si simul ponantur in bilance, ipsa uanitate leuiores erunt. Ne collocetis spem in iniuria & rapina: nolite uos dedere ua itati: opes si affluunt, nolite cor apponere. Eodem spiritu imbutus Apostolus Paulus, iubet nos mundo & rebus mundanis ita uti quasi non utamur. Idem appellat auaritiam idololatriam: & diuitibus mandat ne spem ponant in diuitijs incertis, sed in Deo uiuente, qui suppeditat omnibus uiuētibus quantū necesse est. Ergo & dominus in Euangelio uetat thesauros recondere in terra. Rursus nō iubemur ab apostolis nostra prodigere luxuriosè. Nam opibus à domino concesśis minimè abutendum est ad luxum & superbiam. Multi uerò

Nō acquiescendum in opibus, non diligendæ opes.

Psal. 62.

Prohibetur profusio.

luxuriosè res suas profundunt alea, sumptuosis ædificijs, peregrinis aut exoticis uestibus, poculis & exquisitis cibis. Horum finem & interitum uenustè, sed non sine horrore audientium proponit dominus in parabola diuitis illius epulonis, qui post mensam lautissimam & mollissimas uestes in alio seculo apud inferos inedicibili siti torquetur & flammis perpetuis torretur. Rectè itaq;, piè & moderatè bona illa temporalia sunt usurpanda.

Facultates dona sunt dei, pro quibus agendæ gratiæ.

Agnoscendum cuiq;, bona illa terrestria, dona esse benigni patris nostri cœlestis, nō nostro merito aut nostris uiribus parata. Nam ex Dei liberalitate habemus quæ ad uitam sustentandam nobis sunt necessaria. Fortunat seu benedicit laboribus nostris dominus. Deniq; bona sunt dona Dei, nō mala: ac dat illa mundo ad uitam, non ad interitum; nostra culpa conuertuntur multis sæpe in laqueū. Præterea requirit ipse dominus in uerbo suo ut grati simus Deo pro datis muneribus, ut his utamur cum gratiarum actione, laudantes in omnibus nomen Domini, atq; exultemus in ipso. Sic enim præcipit Moses famulus Dei in Deuteronom. Dominus Deus tuus dabit tibi terram præstantissimam, in qua nulla re indigebis. Cum ergo comederis & satur factus fueris, age gratias domino Deo tuo in terra illa bona, quam dedit tibi. Caue ne fortè obliuiscaris domini Dei tui, & non custodias præcepta, iudicia & ritus eius, quæ ego præcipio tibi hodie: ne fortè comedas & satur factus, domos pulchras extruas & inhabites: armenta tua & greges tui augescant tibi, aurum & argentum multum sit tibi, & quicquid deniq; habes augescat: & hinc eleuetur cor tuum, & obliuiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Ne dixeris in corde tuo, Virtus mea & robur manus meæ parauit mihi hanc opulentiam. Memineris domini Dei tui, quia ipse est qui dat tibi uirtutem, ut opes tibi pares, &c. Sed & Paulus Apostolus omnes creaturas Dei bonas esse dicit, ad bonum & conseruationem hominum cōditas, hasq; iubet usurpare cum timore Dei & gratiarum actione. Et iterum, Siue, inquit, editis siue bibitis, siue quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Itē, Sint mores uestri alieni ab auaritia, contenti his quæ adsunt. Siquidem ipse dixit, Non te desero neque derelinquo, ut fidentes dicamus, Dominus mihi auxiliator, non timebo quid faciat mihi homo.

Deut. 8.

Facultates seruiant necessitati.

Seruiant autem facultates terrenæ necessitati nostræ. Necessitas postulat habitationem commodam, uictum quantum satis est, uestitumq; decentem, ac ut honestè possimus uersari inter homines nostriq; æquales. Id quisq; de sua ipsius persona primùm, deinde & de familia eius intelligat. Nam patrifamiliâs prospiciendum est, ne quid, quod ad necessitatem pertinet, desit familiæ. Extant manifesta de hac re scripturæ testimonia, Pauli in primis 1. Tim. 5. cap. Et necessitas cōprehendit omnia, quibus indiget corpus aut uita hominis, deniq; quæ honestas aut decorū cuiusq; requirit aut flagitat. Et hactenus quidem & in hunc finem aliquid recondere licet in futurum. Pluribus opus est ei qui numerosam alit familiā, quam qui familiam habet paruam. Et alia decent eum qui publicam gerit personam, alia qui priuatus est. Cogitet autem quisq; hic quid necessitas poscat, quid luxus & libido suggerat. Cogitet quisq; quid se deceat, uel dedeceat.

Necessitas non excludit uoluptatem concessam.

Et necessitatem quidem in præsenti non tam arctè constringimus, ut omnem uoluptatē aut moderatam copiam tanquam libidinem & luxuriam damnemus. Scio enim diuinitus concessum esse homini, non modò necessitatis usum, earum inquam rerum usum, quibus homines carere non possumus, sed etiam uoluptatem moderatam, quæ delectat homines. Nemo ergo sibi in suaui sed iusto rerum terrenarum usu faciat conscientiam, quasi ea iucunditate qua fruitur peccet cōtra

Dominum

Dominum. Hic enim hilaritatem, gaudia & iucundum rerum usum, modò nihil contra decorum aut ingratè & iniquè fiat, nuspiam prohibuit. Ieremias enim propheta alludens ad promissiones legis diuinæ contentas Leuit. 26. & Deut. 28. sic dicit, Venient & iubilabunt in Zion, & affluent bonitate Domini, in frumento, in musto, in oleo, & in fœtibus gregum & armentorum, eritq; anima ipsorum similis horto irriguo, nec ultra dolebunt. Tunc lætabitur uirgo in choro, iuuenes & senes pariter. Conuertam enim luctum eorum in gaudiũ: & consolabor eos & exhilarabo ipsos. Inebriabo etiam animam sacerdotũ pinguedine, & populus meus bonis saturabitur, dicit Dominus. Ierem. 31. Legimus enim & in historia sacra 3. Regum 4. capite. Sub Solomone crescebant & erant multi in Iuda & Izraele sicut arena maris, comedentes, bibentes & lætantes. Ita legimus 8. cap. eiusdem libri, Et fecit Solomon solennitatem omnisq; Izrael cum eo, cœtus magnus qui confluxerat ex omni populo ab Hemath usq; ad torrentem Ægypti coram Domino septenis diebus, id est, quatuordecim diebus. Postea dimisit populum, ipsiq; gratulantes regi abierunt in tentoria sua, lætantes & hilari corde, propter uniuersa beneficia quæ contulerat Dominus Dauidi & uniuerso populo Izraelis. Congruunt cum his quæ apud Nehemiam in cap. 8. sic leguntur: Dixit autem Esdras cum Leuitis ad uniuersum populum qui tristis erat, Dies hodiernus sanctus est Domino Deo uestro: ne ergo luctu uosipsos conficiatis. Ite & comedite pinguia, & bibite dulcia, & mittite partes his qui non habent, &c. Et Dominus quidem nõ requirit ab hominibus ne uoluptatibus, quibus nos ex gratia perfundit, permoueantur, tanquã stipites, trunci, & saxa. Nam sensum boni & mali, amari & dulcis indidit nobis omnibus. Idem pro æterna sua bonitate & sapientia rebus quoque conditis indidit natiuam quandam elegãtiam, & eas ita ornauit delectabilesq; fecit, ut desideremus illas, imò uim ipsis inseuit demulcendi nos. Dauid enim dicit, Et uinum (prouenire facit) quod exhilarat cor hominis, & oleum quod nitidam reddit faciem, & panem qui cordi uires subministrat. Arboresq; succo abundant, in quibus aues nidificant & cantillant, &c. Sed & Iacob patriarcha dicitur bibisse ad ebrietatem: & de Ioseph ac fratribus eius dicit scriptura, Et bibentes cum eo, uino inebriati sunt. Id quod nemo intelliget de ebrietate luxuriosa, quam ubiq; condemnat scriptura sancta, sed de iucunda quadam expletione, quodq; saturi iucundè sint exhilarati. Insana enim illa ebrietas perdit omnem sensum, nec uerè hilares & iucundos reddit, sed morosos, difficiles, turbatos, turpes, apros & porcos. Simili genere dicendi usus beatus Haggæus, dicit, Diligenter perpendite uias uestras, seminatis multum, & metitis atq; infertis in horrea parum: comeditis, sed non ad satietatem: bibitis, sed non ad inebriationem: id est, non ad iucundam expletionem, ut saturi hilaresq; nihil amplius desideretis, atq; idcirco gratias agatis Domino benefactori. Hæc aliquanto copiosius declaro propter Anabaptistas & Stoicos quosdam stupidos nouosq; hypocritas, monachos Carthusianos, qui ut ex hominibus truncos facere conantur, ita etiam concessam uoluptatem damnant clamoribus tragicissimis. Abutuntur ad hoc institutum suum colorandum, & hominibus cõmendandum, pluribus scripturæ locis, Væ uobis qui saturi estis nunc, qui ridetis nunc, esurietis & flebitis aliquando. Hæc aũt & similia scripturæ uerba prolata sunt diuinitus contra impios, contra ingratos & beneficijs Dei abutentes. Adijcimus ergo his quæ hactenus protulimus, diligẽter pijs inuigilandũ esse, ne libidini laxent fræna, & ne quid nimis. Mediocritas hîc quoq;, ut alibi probat. Deinde seruiant opes seu facultates terrenæ honori & humanitati. Honorem enim & humanitatem debemus cognatis, affinibus, amicis, notis, indigenis & peregri-

Ebrij sancti quomodo.

Haggæ. 1.

Seruiant opes honori & humanitati.

nis. Non enim nostris duntaxat, sed & alienis benefacere atque hospitales erga peregrinos esse debemus, quatenus uidelicet permiserit nostra facultas. Nam si uix suppetant opes alendæ propriæ familiæ, nulla Dei uel æqua lex præcipit te facultates tuas diuidere alienis. Satis fuerit tua cura prouidere, ne tui aliquando alijs fiant onerosi. Ita qui nullis instructus est facultatibus, non cogitur expendere honoris & humanitatis caussa quod non habet. Satis fuerit, si hic forti animo miseram sortem suam ferat, caueatque necubi propter inopiam peccet in iustitiā & probitatem. Qui autem mediocres aut amplas diuitias consequuti sunt, humani & hospitales sint. Honorem & liberalitatem, non auaritiam & sorditiem suis adhibeant consilijs. Inuenias enim facultatibus utcunque quidem instructos, sed ita congerendis deditos diuitijs, ut ne teruncium quidem honoris & humanitatis gratia uel indigenis uel peregrinis expendant. Hi occultantur semper, saccis indormiunt, nusquam prodeunt, ne hospitalitatem aut humanitatem saltem per occasionem præstare cogantur alijs. Scriptura longè alia prædicat de sanctissimis & clarissimis patribus nostris. Lot sedebat in porta Sodomæ, ut hospites aliquot aucuparetur, quos domum abductos secum, humanissimè exciperet, ac omnigenis beneficijs afficeret. Et si quos assequebatur, non officiosè, hoc est, fictè inuitabat, sed urgebat seriò modisque omnibus. De patre nostro Abrahamo legis in Genesi, quòd in ipso feruore diei sedens ad ostium sui tabernaculi, uiderit tres uiros peregrè uenientes, quos ad primum protinus aspectum, licet ignoraret quinam essent, exceperit humanissimè. Non enim expectauit donec ipsi accedentes supplicesque facti aliquid postularent, sed occurrit eis ab ostio tabernaculi, priorque ipsos compellans, & honoris gratia proque more gentis reuerenter se coram eis inclinans, amicissimis uerbis ipsos inuitat, & ait, Quæso domine, si hanc à te gratiam impetrare possum, ne quæso prætereas seruum tuum. En dominum appellat uirum peregrinum & ignotum (quemadmodum & nobis Heluetijs in usu est excipere peregrinos, & dicere, Sind mir Gott wol kommen/ lieben herren vnd güten fründ) & quamuis esset in ea gente, in qua habitabat, heros celeberrimus & laudatissimus, sui tamen ueluti oblitus, ait, Ne quæso prætereas seruum tuum. Seruum se dicit esse peregrinorum. Addit & hoc, Afferatur quæso pauxillum aquæ, & lauentur pedes uestri, recumbite sub arbore. Ego uerò afferam frustum panis, & reficite cor uestrum, deinde in instituto itinere pergite. Omnia ferè humanitatis officia comprehendit in hisce uerbis pauculis. Neque uerò uerbis his duntaxat magnificus & liberalis fuit Abraham: sed cùm impetrasset à peregrinis quod uerbis postulauit, festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, & dixit, Accelera, commisce tres modios farinæ purgatissimæ, & fac placentas. Addit & aliud scriptura, Abraham uerò accurrens ad armenta, & accepto uitulo pingui & bono, dedit puero: qui festinauit, & parauit eum. Butyrum quoque tulit & lac, & uitulum quem parauerat, & apposuit eis: & comedentibus illis, ipse sub arbore apud eos stabat, id est, ipsis ministrabat. Admiranda profectò hæc sunt, & expendenda diligentius. Meritò erat diues, munificus, liberalis & humanissimus hic Abraham, qui norat diuitijs uti tam honestè & tanta cum laude. Nec ipse solus in familia sua liberalis erat, sed uxor & famuli eius omnes exercitatissimi, & maximè spontanei & benigni erant in hoc exercitio sancto. Protinus ergo parata sunt omnia. In parandis quoque rebus summa adhibetur diligentia, habetur item delectus: neque enim prima quæque obuenientia recipiuntur, sed delectissima & optima eliguntur. Currit ipse heros in famulorum turba. Ipse delicias rusticas, superantes longè principum & regulorum omnes cupedias, infert hospitibus, butyrum scilicet & lac, quibus coniungit

Hospitalitas patrum.

Genes. 18.

iungit uitulinas carnes probè saginatas & paratas. Neq; his officijs & hac beneuolentia contentus est, nisi edentibus quoque adstet, id est, ministrum se mensæ præbeat. Ministrat, inquam, mensæ, qui habuit ꝓmissiones Dei eximias, qui est pater omnium credentiũ, qui est proauus Christi, qui erat confœderatus Dei & regum potentissimorum, deniq; qui erat quasi princeps honoratissimus in illa terra: quiq; quatuor Orientis reges potentissimos uicerat bello, & reges captos cum captiuis suis reduxerat. Hic, inquã, uir inclytus atq; clarissimus, omnibus opulentis exemplum prætulit honoris impendendi peregrinis, humanitatis item & hospitalitatis erga omnes exercendæ. Accedit enim illis omnibus, quòd conuiuio finito comitem se itineris coniungit peregrinis, & hos aliquousq; deducit. Pudeat ergo & pigeat tandem diuites iniquos suæ auaritiæ & sorditiei. Quid quæso uoluptatis capiunt ex suis diuitijs? cui quæso prosunt? quem honorant? aut quem honorem, quámue laudem sibi parant apud homines? Quin relictis istis turpissimis nebulonibus, audiant potius, qui sapiunt, diuites, Apostolum dicentem, Hospitalitatis ne sitis immemores. Per hanc enim quidam inscientes exceperunt angelos hospitio. Hebræ. 13
Ac reuera loquitur de Lot & Abrahamo. Neq; dubium est, quin ipsos quoq; angelos Dei adeoq; ipsum Christum excipiamus hospitio, quotiescunq; humanitatis hospitalitatisq; officia exhibemus hominibus pijs & claris.

Postremò seruiant opes diuitum non tantùm honoratis hominibus, sed maximè indigis & pauperibus. Repetenda enim hoc loco uenit saluberrima Pauli doctrina, Diuitibus præcipe, ut benefaciant, ut diuites sint operibus bonis, ut faciles sint ad impartiendum, libenter cõmunicantes, recondentes sibijpsis bonum fundamentum in posterum, ut accipiant uitam æternam. Cum doctrina Apostolica congruit prophetica per omnia. Isaias enim de Tyro, Negotiatio & merces eius sacrosanctæ erunt Domino: non reponetur negotiatio eius, nec recondetur, sed erit eorum qui habitant ante Dominũ ad comedendum ad saturitatem, & ad operimentum senum. En docet & Isaias, quomodo thesaurum semper permanentem recondamus. Eadem leguntur & Matth. cap. 6. quæ superius recitata sunt. Reuocet hîc quisq; in memoriam & alias salutares Domini Dei sententias in scripturis propositas, quibus excitetur ad beneficentiam. Moses in lege dicit, Vide ne obfirmes cor tuum, neq; contrahas manum tuam à fratre tuo paupere: sed liberaliter aperias illi manum tuam. Omnino dabis ei, & non sit pectus tuum malignum cùm das ei. Nam huius rei gratia Dominus Deus tuus locupletabit & fortunabit te in cunctis operibus tuis, & in cunctis ad quæ admoueris manum tuam. Quoniã nunquam deerunt pauperes in terra: proinde præcipio tibi, dicens, Liberaliter aperi manum tuam fratri tuo pauperi atq; inopi in terra tua. Sic legimus in Psalmis, Vir bonus confert beneficia, & dat mutuò, suasq; res obit exactissimo iudicio. Spargit dans pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, cornu eius exaltabitur in gloria. Solomon quoq; dicit, Beneficentia & fidelitas ne te destituant, liga eas ad collum tuum, & tabulis cordis tui inscribito. Assequeris gratiam, & bonam existimationem in oculis Dei & hominum. Item, Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus: & implebuntur horrea tua saturitate, & uino redundabunt torcularia tua. Et iterum, Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit & ipse, & non exaudietur. Cum his per omnia congruunt sentẽtiæ Apostolicæ & euangelicæ, Omni poscenti abs te tribue. Item, Amen dico uobis, quatenus fecistis misericordiã cum his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Id quod reuera insigne est, & animo cuiusq; penitius reconden dum. Sibi enim impensum reputat Dñs Iesus, quod impendis cuilibet pauperi:

Seruiant facultates beneficentiæ. 1 Timo. 6.

se neglectum & præteritum putat, si neglexeris præterierisq; pauperem aliquem. Certa & indubitata sunt hæc. Nam ipse Dominus et iudex asserit se ita in fine mundi, & in ultimo illo iudicio pronunciaturum extremam sententiam, Venite benedicti patris mei, possidete regnum, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi cibum: sitiui, & dedistis mihi potum. Et cætera quæ leguntur Matthæi 25. cap. Huc pertinet & illa S. Ioannis Apostoli sententia, Qui habuerit substantiam mundi, & uiderit fratrem suum egentem, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo manet charitas Dei in eo? Vnde haud dubiè accepere quod dixerunt ueteres, Si uideas interire pauperem fame, nec iuuisti, cùm potueris, occidisti. Sciat itaque & persuadeat animo suo qui facultates habet, ante omnia benefaciendum esse indigis.

Quibus benefaciendum. Benefaciat autem opulentus omnibus quibus benefacere potest. Dicit enim Dominus, Omni petenti da. Et Tobias, Noli faciem tuam auertere ab ullo paupere. Id si per tenuitatem non potes, benefac maximè illis, quos maximè pietati studere, ac interim egere uideris. Paulus enim, Operemur bonum, ait, cùm erga omnes, tum uerò maximè erga domesticos fidei. Iuuemus ergo pupillos, orphanos, uiduas, senes, ægros, persequutione propter ueritatem pulsos, & calamitatibus afflictos oppressosq;. Iuuemus studia bona & sancta, studiosos item & ueros Dei ministros paupertate laborantes. Iuuemus deniq; peregrinos, & quoscunque iuuare possumus.

Gala. 6.

Quomodo benefaciendum. Iuuemus autem consilio, consolatione, auxilio, pecunijs, cibo, potu, hospitio, uestibus, commẽdatione, & in omnibus in quibus illos uidemus nostra opera indigere. De qua re dixi nonnihil Sermone 10. Decadis primæ. Iuuemus itẽ promptè, animo propenso, hilariq; mente. Hilarem enim datorem requirit Deus. Et iuuemus quidem liberaliter. Tobias dicit, Quomodo potueris ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum fuerit, etiam de eo libenter impartire. Ita benedicet Dominus tibi & tuis omnibus.

Quantum benefaciendum.

Dixi hæc hactenus fratres, de legitimo usu bonorum terrenorum, ea recondat quisq; in animo, ac producat mox in opus sanctum: oret Dominum ut in uijs suis nos dirigat, ne propter peritura illa bona amittamus æterna.

De calamitatibus miserijsq; uarijs patienter perferendis: item de spe & multiiuga fidelium consolatione. SERMO III.

NON ineptè mihi uideor facturus, fratres honorandi, si dissertationi de facultatibus hominum, earumq; usu & abusu, subiungam modò disputationem de calamitatibus uarijs, quibus genus humanum, donec in hisce terris uiuit, affligitur. Cùm enim multi res temporales amittant, uel eas colligere non possunt, ideoq; paupertate & inopia rerum omnium premantur, utile sanè, imò necessarium fuerit pio cuilibet certam ex uerbo Dei rationem tenere calamitatum, & item consolationis in calamitatibus, ne absorptus nimijs doloribus desperatione, neq; irretitus, mancipium se dedat diabolo. Seruit autem ista tractatio uniuersitæ hominis. Neq; enim de una aliqua duntaxat calamitate, utpote paupertate aut rerum inopia, sed generaliter de omnibus dicam afflictionibus. Certè cùm homo ad laborem ærumnasq;, perinde ut auis ad uolandum, piscis ad natandum natus sit, nunquã erit uita hominis tranquilla & suauis, nisi certã teneat calamitatũ rationem. Si uerò hanc ex uerbo Dei decerptã aut petitã religiosè teneat, nõ poterit non suauis esse uita etiam cùm uidetur alioqui esse amarissima. Affligitur quidem & premitur grauiter animus hominis calamitatibus, sed idem rursus cognitione calami-

calamitatum uera & consolatione sancta, desumpta ex uerbo Domini, ualidissime subleuatur.

Principiò præstat ipsa genera seu species calamitatum potissimas oculis nostris propositas coràm intueri. Innumerabilia quidem sunt mala, quæ miseros nos exercent, sed uulgatissima sunt pestis, morbi uarij & innumeri, ipsa denique mors & mortis metus, ipsa morte durior. Accedit his mors atque sinistrum fatum præstantissimorum, uel nobis charissimorum hominum, deprædatio, oppressio, infortunia innumera, paupertas, inopia rerum omnium, desertio ab omnibus, infamia, exilium, persecutio, carcer, tormenta & supplicia, eaque exquisita, horrenda, & uaria, coelum tempestuosum, sterilitas, fames, gelu, pruina, grando, diluuium, terræmotus, absorptæ urbes, uastati agri, incēdia, ruinæ, odia, factiones, simultates, proditiones, seditiones, bella, strages, captiuitates, insolentia & crudelitas hostium, tyrannis: item orbitas, uel afflictiones, curæ & miseria ex incommodis coniugibus, ex liberis uel miseris uel malitiosis, inobedientibus & ingratis, cura denique & sollicitudo iugis & uaria de rebus uarijs & miserè excruciantibus nos. Verùm nemo quantumuis copioso recensuerit catalogo mala omnia, quibus obnoxium miserandum genus hominum in momenta excarnificatur. Enascuntur in diem mala noua, incognita nostris maioribus. Et hæc quidem est sors nostra, qui nouis subinde peccatis noua meremur supplicia, cùm alioqui sat imò nimium erat miseriarum atterentium hominem.

Genera seu species calamitatum.

His autem malis exercentur tam boni siue pij Dei cultores, quàm impij Dei contemptores: imò affliguntur per omnem propè uitam sancti, prophani contra affluunt delicijs & uoluptatibus: unde graues exoriuntur apud pios tentationes & querelæ. Impij ex sua fortuna & uita uoluptuosa colligunt & cultum & mores ipsorum probari Deo, confirmanturque in suis erroribus. Quid quod pij propter miserias diutius perpessas à pietate deficiunt ad impios, quòd & illis uideatur horū sortem esse præstantiorem. Ac confert ista sigillatim cognoscere ex scripturis.

Affliguntur boni & mali calamitatibus.

Affligi pios æquè atque impios, claret mox ab exordio rerum in exemplo Abelis & Caini. Sicut enim ille ab hoc miserè cæsus est & sublatus è terra propter synceriorem Dei cultum: ita hic propter parricidium profugus, pauidus & trepidus in terra locum non habuit, in quo quiesceret. Calamitatibus multis & uarijs legitur oppressus fuisse Iacob Israel. Idem traditur in scripturis & de Ægyptijs Izraelitas persequentibus. Afflictus est Saul: afflictus est etiam Dauid. Grauissimam crucem cum discipulis suis sustinuit Dominus & saluator noster. Rursus horribili sed condigno excidio sublati sunt truculentissimi persequutores Christi & discipulorum Iudæi. Infanda mala pertulit sancta Christi ecclesia, in decem illis cruentissimis Constantini magni imperium præcedentibus persequutionibus: sed commemorat Orosius illustris, diligens & fidelis historicus, meritas protinus pœnas sumptas esse de persequutoribus, de quibus aliqua dicam suo loco. Vnde diuino & humano testimonio, adde & multiplici experientia comprobatum cernimus, tam pios quàm impios calamitatibus affligi.

Imò affliguntur ferè optimi quique: immunes à calamitatibus in tranquillitate, uoluptatibus & otio uiuunt impij & pessimi. Adde quòd persequutionem & iniurias sustinentibus bonis, exultant mali. Dominus enim in Euangelio dicit discipulis suis, Amen amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini uos, mundus congaudebit: uos autem mœrore afficiemini. Cæterum quales in animis sanctorum tentationes ob hasce suas tribulationes exoriantur, & quid colligant ex felicitate impiorum non prorsus alieni à Deo & ipsi etiā hostes Dei, passim in scripturis

Affligūtur pij, in uoluptatibus uiuunt impij.

occurrit, inprimis autem in admiranda illa disputatione Iobi & amicorum eius. Cōqueritur propheta celeberrimus Abacuk, & ait, Vsquequò Domine clamabo, & non exaudies? uociferabor ad te uim patiens, & non asseris? Quare cogor uidere iniquitatem, prædā & iniustitiam contra me? Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se? Iustum impius circumuenit, & ideò iudicium peruersum exit. Apud Malachiam uerò clamant hypocritæ, Frustra seruitur Deo: quæ enim utilitas, quòd mandata eius obseruamus? & quòd humiliati uel tristes coram Deo exercituum ambulamus? Nunc ergo beatos & felices iudicamus arrogantes & contumaces. Etenim impietatem patrantes feliciter agunt & ædificantur, & qui Deum tentant, pergunt nec intereunt. Significantissimè autem plenissimeq; ista omnia comprehendens diuinus propheta Asaph doctissimè canit, Parum abfuit quin nutauerint pedes mei, & ferè effusi fuissent gressus mei. Nam urebat me æmulatio propter stultos, cùm prosperitatem impiorū uiderem. Neq; enim sunt illis nexus ad mortem: nullis inquam morbis diuexantur, quibus ueluti ad mortem pertrahuntur, quin pingues sunt & præualidi. Nulla eos, ut reliquos mortales, premit molestia: malorum, quibus alij homines afficiuntur, immunes sunt. Hinc fit ut superbia eos totos possideat, & ceu ueste inuoluantur uiolentia. Præ pinguedine oculi eis turgent, in imaginationibus cordis sui pergunt, dum eis uidelicet pro uoto omnia succedunt. Protendunt os suum in cœlum, & lingua eorum orbem peruagatur. Quin & dicere audent, Quomodo cognosceret omnia Deus? estne cognitio apud altissimum? Sic inquam impij sunt isti, & tamē felices in hoc seculo, & multas assequuntur diuitias. Profectò frustra purum seruaui cor meum, frustra manus meas abluo in innocentia: plagasq; perfero quotidie. Et cùm ita mecum reputarem, parum abfuit quin defecissem à generatione filiorum Dei.

Abac. 1.

Malach. 3.

Psalm. 73.

Caussæ calamitatum.

Et cùm hæc ita se habeant, cōsequens est ut diligentissimè excutiamus caussas calamitatum. Sic enim rectius de afflictionibus tum piorum tum impiorum iudicabimus. Caussæ malorum multæ sunt ac uariæ: generalis tamen ipsum reputatur peccatum. Nam ex inobedientia intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors, adeoq; morbi & mala orbis omnia. Vanissimi sunt quicunq; hæc referunt ad constellationes nescio quas. Cæterum cupiditatibus & affectionibus corruptis cumulamus in diem mala malis. Accedit ad ea suggestor & incentor satanas. Adiuuant præterea homines pessimi & corruptissimi: uariaq; oboriuntur quotidie instrumenta tribulationum, quibus Deus sapientissimus & iustissimus omnes foré homines exerceri torqueriq; permittit.

Caussæ afflictionum in sanctis.
Ioan. 9.

Sed non eædem semper inueniuntur afflictionū caussæ in pijs Dei cultoribus, quæ in impijs Dei contemptoribus. Affliguntur sancti persæpe, ut per afflictionē suam Dei gloria innotescat. Videntes enim discipuli Domini cæcum illum euangelicum, qui fuerat à natiuitate cæcus, dicunt ad Dominum, Rabbi, quis peccauit, hic an parentes eius, ut cæcus nasceretur? Respōdit Iesus, Neq; hic peccauit, neq; parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Ita cùm Dominus audiret ægrotare Lazarū, Infirmitas hæc, inquit, non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam. Quanquam si ad uiuū hanc rem resecemus, nemo inueniatur in mūdo purus, ut si uolet obseruare iniquitates Dominus, semper inueniat in nobis quod puniat. Sicuti copiosissimè exponitur in libro Iob.

Ioan. 11.

Liberamur dei bonitate, nō nostro consilio.
2. Corin. 4.

Præterea affligi sinit sponsam suam ecclesiam sibi longè charissimā Dominus, in hoc, ut declararet diuina potentia & ope, non cōsilio aut auxilio humano defendi, seruari & liberari electos. Paulus enim, Habemus thesaurum hunc, inquit, in

testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia sit Dei, & non ex nobis, dum in omnibus premimur, & non anxij reddimur: laboramus, at non destituimur: persequutionem patimur, at non in ea deserimur: deijcimur, at non perimus: semper mortificationem domini Iesu in corpore circunferentes, ut & uita Iesu in corpore nostro manifestetur. Semper enim nos qui uiuimus, in mortem tradimur propter Iesum, ut & uita Iesu manifestetur in mortali carne nostra: Idem Apostolus, Virtus (inquit) in infirmitate perficitur.

Rursus sicut afflictiones sanctorum martyrum & fidelium Christi testimonia sunt doctrinæ fidei, dicente in Euangelio saluatore, Tradent uos in concilia, & in conciliabulis suis uirgis cædēt uos: quin ad principes ac reges ducemini propter me, in testimonium ipsis & gētibus: Ita proponuntur nobis sancti attriti malis, exempla, ex quibus discamus uincere & calcare mundum, aspirare aūt ad cœlestia. Afflictio[nes te]stimonia [do]ctrinæ. Math. 10.

Deniq; cruce imposita suos probat dominus, atq; purgat ceu aurum igni, multas mali occasiones amputat, ut ad maiorem uberioremq; nos prouehat frugem. Imitatur ea in re domini sapientia aurifabros, qui aurum igni imponunt, ut purgent, non ut perdant: item homines agricolas, qui segetem luxuriantem aliquando demetunt, & arbores non in alium finem putant, nisi ut uberiores proferant fructus. Ac caro quidem nostra pacatis & tranquillis rebus ferè segnis, iners, socors, & ad res honestas planè torpida est: acquiescit in rebus terrenis, dedicat se uoluptatibus, obliuiscitur Dei rerumq; cœlestiū: talem uerò afflictionibus & persequutionibus excitari exerceriq; nō conducibile tantum, sed & pernecessarium est. Euenit hic electis quod ferro: quod si exerceamus, atteritur quidem nonnihil usu, quod si non usurpemus exerceamúsue, plus arroditur rubigine. Verisimè ergo dixit S. Petrus, Charissimi, ne miremini dum per ignem exploramini, quæ res ad experimentum uestri fit, perinde quasi nouum aliquid uobis obtingat: imò in hoc quòd consortes estis afflictionum Christi, gaudete, ut in reuelatione quoq; gloriæ eiusdem gaudeatis exultantes. Paulus enim ad Timotheum, Memento inquit, Iesum Christum resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid, secundum euangelium meū, propter quod malis affligor quasi facinorosus usq; ad uincula: omnia tamen suffero propter electos, ut & ipsi salutē cōsequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria æterna. Certus sermo, Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sufferimus, & conregnabimus: si negamus, & ille negabit nos. Nam idem & ad Romanos scripsit, Quos præsciuit, eosdē & præfiniuit conformes imaginis filij sui, ut ipse sit primogenitus inter multos fratres. Et quos prædestinauit, eosdem & uocauit: & quos uocauit, eosdem & iustificauit: & quos iustificauit, eosdem & glorificabit. Rursus in eadem epistola clamat idem Apostolus, Gloriamur etiam super afflictionibus, scientes quòd afflictio patientiam pariat, patientia uerò probationem, probatio autem spem: spes autem non pudefacit, &c. Declarant hoc ipsum priuata sanctorum & publica Ecclesiæ totius exempla. Abraham, Isaac & Iacob nō ita fidele & præsens Dei auxilium sensissent, neq; tam firma spe obfirmati fuissent, patientiæq; speciosissimos edidissent fructus, nisi multis fuissent exercitati periculis & calamitatibus uelut oppresi. Vnde & Dauid clamauit, Bonum est mihi domine quòd humiliaueris me. Opprimitur Ecclesia Izraelitica in Ægypto, sed ut maiore cum gloria liberetur & proficiscatur in terram promissam. Affligitur à Babylonijs & Assyrijs Ecclesia Iudaica, adeoq; diruto templo, in captiuitatem abducuntur cum pessimis optimi quiq;. Verum pij in ipsa captiuitate mirificum Dei auxilium sentiūt, adeoq; puriores fiunt per afflictiones, ac innotescit nomen Domini per Assyrios, Chaldæos, Medos & Persas quàm latissimè, & ma-

Afflictionibus probamur. 1. Pet. 4. 2. Tim. 2. Rom. 8. Rom. 5. Psalm. 119.

xima quidem cum gloria, ſicut copioſè exponitur in hiſtoria Danielis, Heſter, & Eſdræ.

Certa ſupplicia certis peccatis conſtituta.

Huc pertinet, quòd certa ſupplicia certis à domino peccatis conſtituuntur, ut ferè per ea puniatur aliquis, per quæ peccando Dominum offendit. Peccarat contra Dominum parricidio & adulterio Dauid: punitur ergo ipſe quoq; domeſticis probris, ſtupris, inceſtu, & parricidijs nephandiſsimis, tandem & in exilium ejicitur. Arrogantia & ſuperbia peccauit Nabuchodonoſor, ergo ſibijpſi abreptus & conuerſus in beſtialem furorem, inter beſtias deſtinato tempore agebat. Nam ut ſuo tempore reſtituitur Nabuchodonoſor regno ſuo: ita Dauid quoq; miſericordiam domini experitur. Firmum enim manet hoc uerbū domini, non ſoli Dauidi, ſed cuilibet fideli, quod in ſacris literis ſic proditum legimus, Si filij eius legem meam deſeruerint, & præcepta mea nō cuſtodierint, præuaricationes eorum uirga uiſitabo, & iniquitates eorum flagellis: at bonitatem meam non auferam ab eo. Non prophanabo fœdus meum, & quod ſemel egreſſum eſt ex ore meo, nūquam mutabo. Ergo ad utilitatē noſtram affligimur à domino, dicente in theologia ſua, edita per Ioannem Apoſtolum & Euangeliſtam, Ego quoſcunq; amo, arguo & caſtigo. Nam Solomon prior dixit, Caſtigationē domini caue auerſeris, fili mi, neq; faſtidias aut moleſtè feras cum te corripit. Quem enim amat Dominus, obiurgat & tanquam pater in filio delectatur.

Apoc. 3.
Prouerb. 3.

Perſecutiones eccleſiæ peccata quoq; cauſas habent.

Proinde perſequutiones & ſupplicia ſæua Eccleſiæ Dei, uel ſingulis illata martyribus, ut ferè fuerunt illata propter confeſsionem & teſtimonium fidei ueritatiſq; euangelicæ: ita plerunq; cauſſas habuerunt delicta & peccata ſanctorum, quæ in ſanctis iuſtitia Dei uiſitauit utiq; in bonum & incolumitatem ſanctorum. Nam de famoſa illa Impp. Diocletiani & Maximiani perſequutione, quæ tot nobis martyrum celeberrimorum chiliades, imò & myriades dedit, hæc legimus apud Euſebium Cæſarienſem, teſtem oculatum, non auritum duntaxat. Vbi ex multa libertate multaq; indulgentia uitiati ſunt mores & diſciplina corrupta eſt, dum alter alteri inuidemus, & alter alteri derogamus, dumq; nos inuicem mordemus & incuſamus, & aduerſus nos ipſos inteſtina prælia cōmouemus, dum ſimulatio in uultu, dolus in corde, fallacia profertur in uerbis, & malorum per ſingula cumulus intumeſcit, aggreditur dominus ſenſim refrænare lapſantes, & congregationibus adhuc manentibus, indulget eos tantum, qui in militia erant gentilium, perſecutione pulſari. Sed cū ne ſic quidem populis ullus ſenſus redderetur, & in malis ſuis perſiſteret, atq; ipſi etiam duces populi & principes diuini immemores mandati, aduerſum ſe inuicem, contentionibus, zelo, liuore, ſuperbia, inimicitijs atq; odijs inflammarentur, ita ut tyrannidem potius quàm ſacerdotium ſe tenere crederent, Chriſtianæ ſynceritatis & puritatis obliti: tunc demum domus orationis & eccleſiæ Dei uiui ad ſolum uſq; deductæ ſunt, diuinæ autem ſcripturæ in medio platearum igni crematæ ſunt. Hæc uerbotim leguntur in 8. lib. Eccleſ. hiſt. Euſebij.

Peccata ſanctorum qualia.

Diſtinguo tamen hic inter peccata. Peccant enim ſancti, ſed abſtinent interim à ſceleribus, licet in hæc quoq; nonnunquam ruant, ut claret in exemplo Dauidis. Fugiunt tamen ferè ſurta, parricida, ſtupra, & alia his ſimilia morte expianda piacula. Ac dum ſupplicijs afficiuntur à tyrannis ſancti, non propter iuſtitiam aut religionem ueram neglectam ſupplicijs afficiuntur, ſed propter ſpretam ſuperſtitionem & ueræ religionis ſtudium pertinaciſsimum. Condonat ergo & abluit Chriſti ſanguine peccata ſanctorum martyrum dominus, & reputat mortem ipſorum, non ex peccatis commiſsis, ſed ob religionis ſtudiū perpeſſam. Punit item tyrannos ob cæſos martyres, quòd tyrannidem, non iuſtum Dei iudicium in his

plectendis,

plectendis, sunt sequuti. Voluit quidem dominus castigare suos per tyrannos: sed illi non ita reputarunt (ut est apud Isaiam in 10. cap.) quin potius suos affectus sequuti, modum nec seruarunt in supplicijs sumendis, nec iustitiam quæsierunt: puniuntur ergo à Domino quòd innoxios trucidarunt. Nam quod Dominus in suis persequutus est, delicta uticꝫ atcꝫ peccata, tyranni nec persequuntur nec puniunt: quod autem probat dominus, studium uticꝫ religionis ueræ, fugam & execrationem idololatriæ, id inquam ferro & igni persequuntur isti. Huc itacꝫ pertinet illud S. Petri dictum, Ne quis uestrum affligatur ut homicida, aut fur, aut facinorosus, aut curiosus alienarum rerum. Quòd si quis ut Christianus affligitur, ne erubescat, imò glorificet Deum in parte hac. 1 Pet. 4.

Interim non iubeo desperare facinorosos. Habent hi exemplum latronis cum Christo crucifixi, quod imitentur: agnoscant uidelicet culpam, credant in Christum, huic se commendent, & ferant tormenta patienter. Id si faciunt, dubiũ non est quin à Christo recipiantur in paradisum, in æternum apud Christum cum latrone uicturi. *Supplicium sceleratorum.*

Et quanquam pius inter sceleratissimos trucidetur, non magis supplicij societate contaminatur quàm Christus dominus contaminatus legitur cum suspenderetur inter latrones. Licet enim pari implicentur supplicio pij & impij: dispari tamen fine dissociantur, dum impius abripitur à morte corporea in tartarum, æternùm arsurus, pius uerò euestigio migrat in cœlũ, uicturus cum Christo domino, cui sese credidit atcꝫ obtulit. De hac re, & de caussis afflictionũ sanctorum Dei hominum, non grauabor C. V. recitare elegantem locum ex 1. lib. S. Augustini de Ciuitate Dei, Quicuncꝫ, inquit, boni malicꝫ similiter afflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est quod utricꝫ perpessi sunt. Nam sicut in uno igne aurum rutilat, & palea fumat, & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: Ita una eademcꝫ uis irruens bonos probat, purificat, eliquat: malos damnat, uastat, & exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur atcꝫ blasphemant, boni autem precantur & laudant. Tantum interest non qualia sed qualis quiscꝫ patiatur. Nam pari motu exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & suauiter fragrat unguentum. Quid igitur in illa rerum uastitate & Barbarorum irruptione Christiani passi sunt, quod eis nõ magis fideliter ista considerantibus ad profectum ualeret? Primò quòd ipsa peccata, quibus Deus indignatus impleuit tantis calamitatibus mundum, humiliter cogitantes, quamuis longè absint à facinorosis, flagitiosis atcꝫ impijs, tamen non usqueadeo se à delictis deputant alienos, ut nec temporalia pro eis mala perpeti se iudicẽt dignos. Excepto enim quod unusquiscꝫ quamlibet laudabiliter uiuẽs, cedit in quibusdam carnali concupiscentiæ, etsi non ad facinorum immanitatem & gurgitem flagitiorum atque impietatis abominationem, ad aliqua tamẽ peccata uel rara uel tanto crebriora quanto minora. Hoc ergo excepto, quis facilè reperitur qui eosdem ipsos, propter quorum horrendam superbiam, luxuriam & auaritiam, atcꝫ execrabiles iniquitates & impietates Deus, sicut minando prædixit, conterit terras, sic habeat, ut habendi sunt, sic cum eis uiuat ut cum talibus uiuendum est? Pleruncꝫ enim ab eis docendis, admonendis, aliquando etiã obiurgandis & corripiendis malè dissimulatur: uel cum laboris piget, uel cum os eorum, cum quibus sumus, uerecundamur offendere, uel cum eorum inimicitias deuitamus, ne impediant & noceant in rebus temporalibus, siue quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, siue quas amittere reformidat infirmitas: ita ut quamuis bonis uita malorum displiceat, & *Quare Deus cum malis bonos quocꝫ puniat.*

ideo cum eis non incidant in illam damnationem, quæ post hanc uitã talibus præparatur: tamen quia propterea peccatis eorum damnabilibus parcunt, dum eos in suis licet leuibus & uenialibus metuunt, iure cum eis temporaliter flagellãtur, quamuis in æternum minimè puniantur. Iure istam uitam quando diuinitus affliguntur cum eis amaram sentiunt, cuius amando dulcedinẽ, peccantibus eis amari esse noluerunt. Non mihi itaq; uidetur hæc parua esse caussa, quare cum malis flagellentur & boni, quando Deo placet perditos mores, etiam temporalium pœnarum afflictione punire. Flagellantur enim simul, non quia simul malam agunt uitam, sed quia simul amant temporalem uitam: non quidem æqualiter, sed tamen simul, quam boni contemnere deberent, ut illi correpti atq; correcti consequerentur æternam, ad quam consequendam si nollent esse socij, ferrentur & diligerentur inimici: quia donec uiuunt, semper incertum est, utrum uoluntatẽ sint in melius mutaturi. Quare non utiq; parem, sed longè grauiorem habent caussam, quibus per prophetam dicitur, Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Ad hoc enim speculatores, id est, populorum præpositi, constituti sunt in Ecclesijs, ut non parcant obiurgando peccata: nec ideo tamen ab huiusmodi culpa penitus alienus est, qui licet præpositus non sit, in eis tamen quibus uitæ huius necessitate coniungitur, multa monenda & arguenda nouit & negligit, deuitans eorum offensionem, propter illa quibus in hac uita, non ut debuit, utitur, sed plus quàm debuit delectatur. Et reliqua. Hæc enim omnia hucusq; recitauimus ex S. Augustino.

Afflictio piorũ argumentũ iusti iudicij Dei in impios. Ad caussas calamitatum prementium sanctos Dei homines accedit insuper & illa, quòd ipse dominus affligens amicos suos, euidentissimum iusti sui iudicij in impios & contemptores Dei argumentũ edit. Nam S. Petrus, Tempus est, inquit, (*1 Pet. 4.*) ut incipiat iudicium, afflictio inquam & tribulatio, à domo Dei. Quòd si primùm incipit à nobis, quis erit finis eorum qui non credunt Dei Euangelio? Et si iustus uix saluatur, impius & peccator ubi comparebit? Huc pertinet & illa domini exeuntis ad locum supplicij memorabilis sententia, atq; dicentis, Si in humido ligno (*Lucæ 23.*) hæc faciunt, in arido quid fiet? Si sancti arbores frugiferæ, speciosissimos bonorum operum fructus proferentes, in hoc seculo, Deo permittente, usqueadeo miserè diuexantur & torquentur, quid quæso dicemus de impijs, qui alienissimi sunt ab omni uirtute & opere bono? Cruciabuntur haud dubiè modis, pœnis aut suppliciis omnino infandis.

Caussæ afflictionum in impijs. Quòd enim caussas attinet calamitatum, quibus impij diuexantur, non possunt esse ullæ aliæ quàm ipsa quæ quotidie patrant scelera, ideoq; puniuntur iusto Dei iudicio, ut omnibus appareat Deum odisse impietatẽ cum impijs. Ita afflictus legitur Pharao. Saul incubuit proprio mucroni, ceciditq; in monte Gelboe cum multis Izraelitarum millibus, eo quòd peccasset contra dominum, qui ipsum in argumentum sui iusti iudicij, deniq; reliquis ad terrorẽ perdere uoluit. Morbo horribili corripiuntur & extinguũtur Antiochus Epiphanes, Herodes magnus, Herodes Aggrippa, & Galerius Maximianus Cæs. Quia peccauerunt in Deum & fideles Dei, quos hic ulcisci iustiq; sui iudicij argumẽta proferre uoluit: adeoq; illos statuere exempla tyrannis, in quibus uideant quæ maneant persequutores piorũ supplicia. Et quamuis bonus dominus creaturis suis omnia ad bonum instituat, & ferè calamitates omnes immittat ut à sceleribus retrahat: quia tamen hypocritæ & impij consilia Dei aspernantur, neq; Deum percutientẽ agnoscere, neq; ad Deũ conuerti sustinent, omnia ipsis cedũt ad interitum, quemadmodum diligentibus Deum omnia cooperãtur ad bonum, ideoq; pereunt in suis calamitatibus, adeoq; in præ-

in præsenti hoc seculo iram Dei per supplicia horrenda persentiscere incipiunt, & eadem, imò longè maiora & acerbiora multò, simul atque hinc migrarint, in futuro seculo æternùm perferunt.

Quòd si nulla hic sentiunt incommoda uel mala impij, grauius affligentur in futuro seculo. Notissima est parabola illa euangelica de diuite epulone, qui cum in hac uita uixisset in delicijs, in futura siti torquetur, & ignibus infernalibus torretur sæuissimè. Est ergo felicitas impiorum in hac uita aliud nihil, quàm extrema miseria. Nam S. Iacobus Apostolus, In delicijs uixistis super terram, inquit, & lasciuistis, enutrijstis corda uestra, ut in die mactationis, quod inquam cedet uobis sicuti saginatis pecudibus, quæ ad lanienam saginantur. Significantius enim Ieremias, Iustus es tu ô domine, inquit, ut maximè tecum expostulem: expostulabo tamen. Qui fit ut uia impiorum prosperetur, & feliciter agant omnes qui impudentissimè præuaricantur? Plantasti eos, radices agunt, proficiunt, quin & fructum edunt. Et mox, Tu autem domine, extrahe eos sicut pecudem è grege ad lanienam, & consecra siue destina eos ad diem occidionis. Cum his faciunt illa quoque quæ post felicitatem impiorum copiosè & rotundè enumeratã, Asaph in hæc uerba subiungit, Certè istos tu constituisti in lubricum, deijcies eos præcipites, ut prorsus dissiliant. O quàm subita calamitate oppressi sunt: perierunt, terroribus absorpti sunt. Non aliter quàm somnium quod disparuit quàm primum quis euigilauit. Domine cõtemptissimas reddes in ciuitate eorum imagines. Nam & Dauid prior cecinit, Paulum adhuc, & nusquam erit impius: cumque inspexeris locum eius, nuspiam apparebit. Vidi impium potentem & uirentem ac sese diffundentem instar frondosæ lauri: & transiui, & ecce nuspiam erat, quæsiui eum & non est inuentus. Ad eundem modum testatur & Malachias permultum interesse in die iudicij inter colentem Deum & non colentem, inter iustum & impium. Venturã enim diem domini in qua feroces & arrogantes omnes, omnes item qui iniquitatem patrant, ceu stipula igni cœlitus immisso sint inflammandi, ut neque radix neque ramus eis relinquatur. Proinde qui sapiunt, nunquam posthac offendentur impiorum felicitate, nunquam desiderabunt consortes fieri infelicissimæ felicitatis: neque admodum horrrebunt crucis & calamitatum miseriam, quam audiunt à clementissimo Deo sanctis immitti, ut probentur & excoquantur à scoria carnis, & immundissimi huius mundi. Hæc enim sufficiunt disputata de caussis calamitatum.

De infelicitate impiorum.

Iacobi 5.

Iere. 12.

Psal. 72.

Psal. 37.

Videamus iam honorandi fratres, quomodo pius & syncerus Dei cultor se gerat in quibuslibet calamitatibus siue afflictionibus. Non despondet animum, imò omnem desperationem calcat, quia fortiter sibi in fide, mala ferenda intelligit. Spe ergo patientia & precibus se armat. Sunt sanè inter homines, qui simul atque affliguntur illud uulgare ingeminant, Optimũ non nasci, aut quàm citissimè aboleri. Impia hæc uox est & indigna Christiano homine. Longè impientiores isti sunt, qui sibijpsis uiolentam & armatam manum inferũt, ne diutius mala ferre, aut contumelia affici cogantur. Repudianda est rursus Stoicorum insulsa sententia de indolentia. De qua recitabo C. V. elegantissimam eximij in Ecclesia Christi doctoris disputationem, hisce proditam uerbis.

Quomodo se gerant pij in calamitatibus.

Malach. 3.

Nimis ingrati sumus, nisi calamitates libenter atque hilariter è manu Domini suscipimus. Neque uerò ea à nobis requiritur hilaritas, quæ omnem acerbitatis dolorisque sensum tollat. Alioqui nulla esset in cruce sanctorum patientia, nisi & dolore torquerentur, & angerentur molestia. Si nulla esset in egestate asperitas, nullus in morbis cruciatus, nulla in ignominia punctio, nullus in morte horror, cuius

Contra indolentiam Stoicorũ.

foret uel fortitudinis uel moderationis ea suscq deceq habere? At cum unumquodq ipsorum ingenita sibi amaritudine nostros omnium animos naturaliter mordeat, in eo se profert fidelis hominis fortitudo, si eiusmodi amaritudinis sensu tentatus, utcunq grauiter laboret, fortiter tamen obsistēdo eluctatur. In eo se exerit patientia, si acriter extimulatus, timore tamē Dei refrænatur ne in aliquem intemperiem erumpat. In eo elucet alacritas, si tristitia & mœrore uulneratus, in spirituali Dei consolatione acquiescit. Hunc conflictum quem aduersus naturalem doloris sensum sustinent fideles, dum patientiæ ac moderationi student, eleganter descripsit Paulus his uerbis, In omnibus premimur, at non anxij reddimur: laboramus, at non destituimur: persecutionem patimur, at in ea non deserimur: deijcimur, at nō perimus. Vides ut patienter ferre crucem, non sit prorsus obstupescere, & omni doloris sensu priuari: quemadmodum Stoici magnanimum hominem stultè olim descripserunt, qui exuta humanitate, rebus aduersis perinde ac prosperis, tristibus perinde ut lætis afficeretur, imò qui instar lapidis nulla re afficeretur. Et quid ista sublimi patientia profecerunt? Nempe simulachrum patientiæ depinxerunt, quod necq repertum est unquam inter homines, necq extare potest. Quin potius dum nimis exactam ac præcisam patientiam habere uolunt, eius uim sustulerunt è uita humana. Nunc quocq sunt inter Christianos noui Stoici, quibus non modò gemere ac flere, sed tristari quocq ac solicitum esse, uitiosum est. Atcq hæc quidem paradoxa ferè ab otiosis hominibus procedūt, qui speculando magis quàm agendo se exercentes, nihil quàm talia paradoxa parere nobis queunt. At nihil nobis cum ferrea ista philosophia, quam magister ac Dominus noster, non uerbo tantum, sed exemplo etiam suo damnauit. Nam & suis & aliorum malis ingemuit & illachrymauit, nec aliter discipulos suos instituit. Mundus, inquit, gaudebit, uos autem lugebitis & flebitis. Ac ne quis uitio id uerteret, proposito edicto beatos pronunciauit qui lugent. Nec mirū. Nam si improbantur omnes lachrymæ, quid de domino ipso iudicaremus, cuius è corpore sanguineæ lachrymæ distillarunt? Si quælibet formido infidelitatis notatur, quo loco habebimus horrorem illum, quo non leuiter consternatum fuisse legimus? Si omnis tristitia displicet, quomodo placebit quod animam suam fatetur esse tristem uscq ad mortē? Hæc eò dicere uolui, ut pios animos à desperatione reuocarem, ne studio patiētiæ ideo protinus renuncient, quòd naturalem doloris affectum exuere non possunt. Quod necesse est euenire ijs, qui ex patientia stuporem, ex homine forti & constanti stipitem faciunt. Sanctis enim tolerantiæ laudem defert scriptura, dum ita malorum duritia affligantur, ut non frangantur nec concidant: ita amaritudine punguntur, ut simul perfundantur spirituali gaudio: ita premuntur anxietate, ut Dei cōsolatione exhilarati respirent. Interim uersatur in eorum cordibus illa repugnantia, quòd naturæ sensus, quod sibi sentit aduersum, refugit atcq horret: pietatis autem affectus ad obedientiam diuinæ uoluntatis etiam per has difficultates contendit. Hāc repugnantiā expressit dominus cum ita loqueretur Petro, Cum esses iunior cingebas te, & ambulabas quo libebat: cum autem senueris, præcinget te alius, & ducet quo non uis. Non est sanè uerisimile Petrum cum necesse esset Deum glorificare per mortem, inuitum ac restitantem eò pertractum esse. Alioqui parum haberet laudis eius martyrium. Verùm utcuncq cordis summa alacritate diuinæ ordinationi pareret, quia tamen humanitatē non exuerat, duplici uoluntate distringebatur. Nam dum cruentam illam mortē, quam erat obiturus per se reputabat, eius horrore perculsus, libenter effugisset. Rursus dum succurrebat Dei imperio se ad eam uocari, euicto & proculcato timore, libenter atque adeò hilariter eam subibat.

Dolent sancti.

Ioan. 21.

subibat. Hoc ergo studendũ est, si Christi discipuli esse uolumus, ut tanta Dei obseruantia atq; obedientia imbuantur animi nostri, quæ contrarias omnes affectiones domare ac subiugare eius ordinationi queat. Ita fiet ut quocunque uexemur crucis genere, in summis etiam animi angustijs patientiam cõstanter retineamus. Res enim ipsæ aduersæ habebunt suam asperitatem, qua mordeamur: sic morbo afflicti & ingemiscemus, & inquietabimur, & sanitatẽ expetemus: sic egestate pressi, & solicitudinis & tristitiæ aculeis perstingemur: sic ignominiæ, contemptus, iniuriæ dolore feriemur: sic in funeribus nostrorum debitas naturæ lachrymas exoluemus. Sed hæc semper erit clausula, Atqui Dominus ita uoluit. Ergo eius uoluntatem sequamur. Hactenus ille.

Proinde calamitatibus appetiti & irretiti fideles inprimis medentur sibi patientia. Ea est, authore Lactantio, malorum quæ aut inferuntur aut accidunt cum æquanimitate perlatio. Patiens enim fidelis, fixis in uerbum Dei oculis, fide ac spe Deo & promissioni eius inhæret, suffert quæ accidunt aduersa, temperans animi dolorem & corporis tormenta sapientia cœlesti, ut nuspiam superatus doloris magnitudine deficiat à Deo & mandatis eius, faciens ea quæ prohibuit facere Dominus. Vincit ergo seipsum & affectiones suas patiens, uincit dolores & calamitates omnes, perstat in æquanimitate & pietate. Et quamuis sufferat omnia fidelis patientia, impia tamen nec approbat, nec falsa tolerat. Nam saluator noster unicū patientiæ exemplum, patientissimè præbuit impijs manus suas adeoq; totum corpus uinciendum: sed idem interim improbat ipsorum iniquitatem, dicens, Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus, cùm quotidie uobiscum fuerim in templo: sed hæc est hora illa uestra & potestas tenebrarum. *De patientia sanctorum.*

Huc iam pertinet elegans descriptio aut prosopopœia Patientiæ per Florentem Tertullianum, his proposita uerbis, Age iam patientiæ effigiem habitumq; comprehendamus, Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositas contracta: remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate non infelicitate deiectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color qualis securis & innoxijs. Motus frequens capitis in diabolum, & minax risus. Cæterum amictus circum pectora candidus & corpori impressus, ut qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno spiritus eius mitissimi & mansuetissimi, qui nõ turbine glomeratur, nõ nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis apertus & simplex, quem tertiò uidit Helias. Nam ubi Deus, ibidem & alumna eius, patientia scilicet. *Patientiæ simulachrum.*

Iam & uires Patientiæ enumeratione quadam colligens beatus martyr Cyprianus in Sermone de Bono patientiæ dicit, Patientia est quæ nos Deo commendat & seruat. Ipsa est quæ iram temperat, quæ linguam frænat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris uiolentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coërcet potentiam diuitum, inopiam pauperum refouet, tuetur in uirginibus beatam integritatem, in uiduis laboriosam castitatem, in coniunctis & maritatis indiuiduam charitatem, facit humiles in prosperis, in aduersis fortes, contra iniurias & contumelias mites, docet delinquentibus citò ignoscere, si ipse delinquas, diu & multum rogare: tentationes expugnat, persecutiones tolerat, persecutiones & martyria consummat. Ipsa est quæ fidei nostræ fundamenta firmiter ponit: ipsa est quæ incrementa spei sublimiter prouehit: ipsa actum dirigit, ut tenere possimus uiam Christi, dum per eius tolerantiam gradimur: ipsa efficit ut perseueremus filij Dei, dum patientiā patris imitamur. Hæc Cyprianus. His si libet, colophonis uice adijcias licet ex Euangelio Christi breuem illam, sed euidentem sententiā, Per patientiam uestram possidete *Vires & effectus patientiæ.* *Lucæ 12.* *Hebr. 10.*

Hebræ. 10 animas uestras: denique hæc Apostoli uerba, Ne abieceritis fiduciam uestram, quæ magnam habet præmij retributionem. Nam patientia uobis est opus, ut ubi uoluntatem Dei peregeritis, reportetis promissionem. Adhuc enim perpusillum temporis & qui uenturus est, ueniet, & non tardabit. Iustus autem ex fide uicturus est: & si se subduxerit, non probabitur animo meo. At nos non sumus, qui subducamus nos in perditionem, sed ad fidem pertinemus in acquisitionem animæ. Cæterum cum patientia non innascatur nobis, sed conferatur cœlitus, orandus est pater cœlestis, ut hanc nobis conferre dignetur, iuxta doctrinam Apostoli Iacobi dicentis, Patientia perficit. Quòd si cui uestrum deest sapientia, postulet ab eo qui dat, nempe Deo, qui dat, inquam, omnibus simpliciter, nec exprobrat, ac dabitur ei. Sed postulet cum fiducia nihil hæsitans.

Iacobi 1.

De Spe fidelium.

Patientiam uerò Christianam fulcit spes solida fidelium. Spem aiunt esse opinionem futurorum, communem quidem tam ad bona quàm ad mala: sed reuera, Spes est expectatio certissima eorum quæ uerè & disertè à Deo promissa, fides credidit. Est ergo relatio quædam spei ad fidem, & mutuus quidam inter utramque nexus. Fides credit Deum esse ueracem, & intendit oculos in ipsum Deū. Spes autē expectat ea quæ credidit fides. At quomodo expectes, nisi scias id quod expectas à Deo promissum, quod suo tempore accipias? Fides credit remissa esse nobis peccata, & paratam uitam æternam per Christum: spes autem expectat illa ut accipiat ea suo tempore quæ promisit Deus, utcunque interim iactetur aduersis. Neque enim mergitur spes & euanescit, licet nō cernat quod sperat: imò nō euanescit, tametsi contraria prorsus se obijciant, quasi nulla sint quæ expectat. Ideoque Paulus dixit, Spe seruati sumus: porrò spes si uideatur, nō est spes. Quod enim quis cernit, cur idem speret? Si uerò quod nō uidemus, speramus, id certè per patientiam expectamus. Sperauit Abraham se accepturum promissam, in qua tamen ne latum quidem pedem obtinebat, & quam uidebat à potentissimis gentibus occupari, terram. Sperauit Moses se liberaturum ex Ægypto, & repositurum Izraelis populum in terram promissam, quanquā non uideret rationes & modum quomodo id perficeret. Sperauit Dauid se regnaturū super Izraelem, & tamen sensit imminentē sibi Saulem & Saulinos potentissimos, adeò ut non semel periclitaretur de uita. Sperarunt Apostoli & sancti Dei martyres uitā se accepturos æternam, & Deum nunquā ipsis defuturum: interim tamen sentiebant omniū hominum odia, eijciebantur in exilium, tandem & per uaria supplicia occidebantur. Sic inquam spes absentium & non comparentium spes est, & expectatio quidem, sed expectatio certa, imò longè certissima: nec quarumlibet rerum, sed quæ comprehendimus uera fide, adeoque earū rerum quæ ab ipso Deo uiuo, uero & æterno promissa sunt. Nam S. Petrus, Perfectè, inquit, sperate in eam quæ ad uos defertur gratiam. Perfectè autem sperant, qui indubiè & totos sese committunt diuinæ gratiæ, ac hæreditatem uitæ expectāt sine dubitatione. Sed & Paulus Apostolus spem appellat animæ, uelut ancoram tum tutam tum firmam. Ac quantò firmior est diuina promissio, tanto certior & securior est ipsa spes. Spes enim non est expectatio rei cuiuslibet, sed fidei, id est, quam fides credidit, & quam scimus uerbo Dei nobis promitti. Ideoque Paulus fidem per spem exponit, dum dicit, Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Fides ergo ueluti fundamentum est, cui innititur spes, adeoque ipse Deus & uerbum Dei infallibile obiectum est spei nostræ. Ideoque Paulus appellat Deum spem nostram: ita & prophetæ. Huc pertinet Psal. 91. in quo fidelis clamat, Tu es Domine spes mea, in edito collocasti habitationē tuam. Verùm innumera inuenias in Psalmis exempla. Nequit autem firma esse spes, ubi

Spes quid sit?

Spes est absentium.

Spes est rerum certissimarum.

ubi non est solida fides & diserta Dei promissio. Ea cùm sit rerum temporalium & æternarum, spes quoque est temporalium & æternarum.

Et ut fides diuinæ gratiæ donum est, non naturæ nostræ uis, ita spes cœlitus nobis donatur, & confirmatur per spiritum Dei. In expectatione enim est gemitus & desiderium. Impetunt tentationes & urgent, quasi prorsus negetur quod differtur, aut ignoret res nostras Deus, qui expectantes subinde, & quasi perpetuò negligere uidetur: multa ergo consolatione & confirmatione spiritus diuini opus habet spes nostra. Quæ si solida sit, sustentat & erigit animum cupidum quidē boni, sed interim tamē infirmitate grauatum. Et cùm Dominus differt promissa sua, ac uidetur plus æquò diutius nos negligere, aut afflictos alioqui satis, molestijs onerare, spes accurrit, faciensque officium suum, iubet nos longanimes expectare Dominum, qui ut non potest odisse cultorem suum, ita non fallit, nō mentitur uel in minimo, qui est æterna ueritas & bonitas. Hîc iam prosunt scripturæ loci de spei certitudine, & quòd non sunt confusi qui sperarunt in Deum, tametsi diutissimè auxilium protraxerit. Promittit terram Chanaan Dominus semini Abrahæ, sed tandem tradit possidendam demum post 430. annos, imò circūducit prius etiam per desertum uastissimū annis 40. Liberat ex Babylone, sed post annos 70. Exempla huius rei in scripturis innumera sunt. Quid quòd filium unigenitum ab initio mox mundi promissum, exhibet tandem in fine seculorum? Durandum est ergo sanctis, expectandum hoc potissimum nomine, quòd fallere non potest ueritas, quòd omnes expectantes ipsum seruati sunt. Clamat Dauid, In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt & liberasti eos. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Et iterum, Bonus est Dominus, beatus uir qui sperat in eo. Item, Qui confidunt in Domino ut mons Sion, non mouebuntur, sed permanebunt in æternum. Clamat etiam Paulus in suis tentationibus, dicens ad Philip. Noui quòd calamitas mea mihi cedet ad salutem, secundum expectationē & spem meam, quòd nulla in re pudefiam.

Spes à Deo est.

Non fallit, licet aliquoties diu protrahat promissa dominus.

Psalm. 22.

Hæc diximus hucusque de eo quomodo se gerant in calamitatibus uarijs fideles. Non enim despondent animum, sed obfirmant sese firma spe, & mala quælibet patienter sufferunt expectantes in omnibus Dominum, unicam omnium fidelium spem. His sub finem adijciemus generales aliquot consolationes, quæ spem fidelium confirment magis, patientiamque in malis perferendis commendent, ac in casibus quibuslibet afflictos & pressos erigant.

Generales consolationes.

Principiò expendat afflictus malis ante omnia, à quo proficiscatur afflictio. Affligunt sanè homines mali, affligit cacodæmon & morbus, affligit mundus: sed non sine Deo, imò permittente Deo. Iobum non potuit uexare satanas, uel in fortunis, uel in ipso corpore, nisi permittente Deo. Clamat item propheta Dauid, Tu es qui extraxisti me ex utero matris meæ, in te cōfisus sum cum adhuc penderem ab uberibus matris meæ: in te coniectus sum à partu. Deus meus es tu: in manu tua sunt tempora mea. Et in Euangelio dicit Dominus, Nónne duo passerculi minuto asse ueneunt, & unus ex illis non cadet in terram sine patre uestro? Vestri uerò etiam pili capitis omnes numerati sunt. Deus autem cuius imperio reguntur omnia, pater est, non modò Deus & Dominus mortalium. Et uoluntas eius optima & salutaris est hominibus, ut iam non dicam ipsum omnia ordine & iustissimè agere, quæ agit. Quòd si bona est uoluntas Dei erga nos, non potest non optimum esse nobis, quod euenit, illo permittente aut uolente qui nos amat. Atque hîc permultū discrepant à filijs Dei, filij huius seculi. Hi enim in calamitatibus suis sese consolantes dicunt, Feras non culpes, quod mutare non potes. Deus ita uult,

A quo sit afflictio.

cui nemo potest resistere: feras ergo imperium Domini, nisi malis malum necessarium conduplicare. Hi rogati quomodo ferant manũ Domini, & an Deo sese subijciant, respondent, Cogor quidem, Jch můß wol, cùm resistere non possim. Si ergo possis, audio quid facturus sis. Illi autem patienter ferunt manũ Dei, non quòd resistere nequeant & omnia in necessitatem reijciant, sed quia credunt Deum esse iustum & patrem benignissimum: ideò enim agnoscunt Deum iusto iudicio persequi mala, in maiora atrocioraq; meritis: agnoscunt præterea Deum benignũ patrem castigare ad emendationem & sanitatem: unde & pro castigatione magnas agunt gratias, penitusq; sibijpsis & suo arbitrio renunciantes, totos sese Deo uiuos & mortuos permittunt. Hoc ipsum impetrare uolens Apostolus à fidelibus dicit, Deus uobis tanquam filijs loquitur. Fili mi, ne neglexeris correptionem Domini, neq; deficias cùm ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Si castigationem sustinetis, ueluti filijs offert se Deus. Quis enim est filius, quem non castigat pater? Quòd si alieni estis à castigatione, cuius participes sunt omnes, igitur spurij estis, non filij. Itaq; cùm carnis nostræ patres habuerimus castigatores, & reueriti simus illos, an non multò magis subijciemur patri spirituum, & uiuemus?

Heb. 12.

Propter quid affligamur.

Deinde inspiciat calamitosus fidelis ipsas caussas propter quas affligitur. Vel enim propter studium iustitiæ & religionis diuexatur & persecutionem sustinet ab hominibus: Vel propter peccata commissa commeritas luit pœnas. Qui persecutionem patiuntur propter iustitiã, gaudeant & gratias agant Deo cum Apostolis, quòd digni habiti sint, ut pro nomine Christi patiantur. Dixit enim in Euangelio Dominus, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam illorum est regnum cœlorum. Beati estis cùm probra eiecerint in uos homines, & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbũ aduersus uos, mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlis. Sic enim persequuti fuerunt prophetas, qui fuerunt ante uos. Si uerò quis sustinet mala propter commissa peccata, agnoscat iustum Dei in se iudiciũ, humiliet se sub potenti manu Domini, cõfiteatur Deo, ueniam supplicibus postulet precibus, patienterq; ferat quod merito suo maximo fert. Exempla sequatur Danielis & Dauidis. Daniel confitetur peccata sua Domino, & ait, Peccauimus, iniqui fuimus, impiè egimus, neq; obediuimus seruis tuis prophetis, qui loquuti sunt nobiscum in nomine tuo. Tibi quidem Domine iustitia, nobis autem pudor. Visitasti nos et afflixisti, sicut prædixisti per Mosen seruum tuum. Dauid autem in exilium abiens, sacerdotibus arcam post regem portantibus, dicit, Reportate arcam Dei in urbem. Si gratiam inuenero coram Domino, me restituet, ostendetq; mihi & se & habitaculum suum. Quòd si dixerit, Non te delector, neq; mihi gratus es: præstò sum, faciat mecum quod sibi bonum uisum fuerit. Et sanè satius multò, melius & conducibilius est in præsenti seculo puniri, & postquàm hinc migrauerimus æternùm uiuere, quàm hic malorum esse exortes, & in alio mundo in sempiternum æternis subijci supplicijs. Certè Paulus disertè dixit, Cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum mundo condemnemur. Et finis quidem castigationum & calamitatum omnium, quibus exercentur sancti, alius non est, quàm ut calcato & spreto mundo, emendatiq; conuertantur ad Dominum & salui fiant. Verùm de fine afflictionum superius diximus.

Acto. 5.

Matth. 5.

Daniel. 9.

2. Reg. 15.

1. Corinth. 11.

Promißiones factæ afflictis.

Præterea præfigunt sibi calamitatibus subiecti, disertas & copiosas Dei promissiones, à quibus oculos non auertunt, ut neq; à sanctorum exemplis. Infinita sunt exempla diuini auxilij & liberationis præsentissimæ. Promittit autem bonus Dominus

minus auxilium & liberationem, nō illis modò qui affliguntur propter iustitiam, sed illis etiam qui propter peccata uisitantur à Domino. Dauid enim canit, Dominus sanat contritos corde, & obligat contritiones eorum. Dominus soluit compeditos: Dominus illuminat cæcos: Dominus erigit inclinatos. Non in perpetuum irascitur, neq; in æternum litigabit. Non secundum peccata nostra facit nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Et quàm longè distat ortus Solis ab Occasu, tam longè remouit à nobis scelera nostra. Huc pertinet integrū caput 30. Ieremiæ prophetæ. Et Apostolus testatur, & ait, Sicut abundant afflictiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio nostra. Neq; desunt nobis exempla quæ de his testantur, & præsentissimam liberationem sanctorum, adde & peccatorum pœnitentiam in maximis ærumnis positorum, oculis proponunt. Liberantur forti manu Dei ex diluuio omnem carnem sub cœlo præfocante, & ex incendio Sodomitico sæuo & horrendo, patres nostri Noe & Lot cum suis familijs. Varijs impliciti tribulationibus Iacob & Ioseph, explicantur à benigno Domino. Sicuti & filij Izraelis educuntur & liberantur ex seruitute Ægyptiaca planè ferrea. Peccat contra Dominum populus Izraeliticus in deserto, sub iudicibus & regibus creberrimè & enormiter, puniturq; grauiter à Domino, sed celeriter rursus liberatur à Domino, quoties peccata agnouit & se conuertit ad Dominum. Peculiaria sed egregia liberationis exempla sunt in Dauide, Iosaphat, Ezechia, Manasse, & multis alijs. Innumeræ extant in Euangelio liberationes per Christum à peccatis, à morbis, à malis, à periculis, & ab ipso cacodæmone. In Actis Apostolorum præclarissima leguntur liberationis exempla. Concluduntur Apostoli in carcerem, sed educuntur ab angelo Dei, & statuuntur in templum, in quo prædicent Euangeliū. Ita ex carcere liberatur Petrus Apostolus, cùm postridie Agrippa ipsum iugulare constituisset. Paulus Apostolus innumeris oppressus malis, semper præsentissimum expertus est Dominum. Hoc autem suæ tribulationis liberationisq; exemplum omnibus proponens fidelibus, ad Timotheum dicit, Tu nosti patientiam afflictionesq;, quæ mihi acciderunt Antiochiæ, Iconij, Lystris, quas persecutiones sustinuerim. At ex his omnibus eripuit me Dominus: sed & omnes qui uolunt piè uiuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Multò plura exempla idem Apostolus congerit in 11. cap. ad Hebr. Hæc inquam omnia colligunt sancti, ac in tempore tentationis afflictionisq; hisce sese consolantur & erigunt. Ita enim docet nos Paulus, cùm dicit, Quæcunq; scripta sunt, in nostrā doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.

2 Corin. 1.

Liberationis exempla.

Neq; hoc solum faciunt fideles, sed recordantur etiam mandatorū Christi Domini, quibus ille nobis patientiam præcipiens, crucem nobis imposuit omnibus. Dicit enim in Euangelio, Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim uoluerit animam suam seruare, perdet eam: rursus qui perdiderit animam suam mea caussa, inueniet eam. Quid enim prodest homini si totum mundum lucratus fuerit, animæ uerò suæ iacturam fecerit? Aut quid dabit homo cuius permutatione redimat animam suam? Futurum est enim ut filius hominis ueniat in gloria patris sui, cum angelis suis: & tunc reddet unicuiq; iuxta facta sua. Et rursus alio in loco, Si quis uenit ad me, inquit, nec odit patrem suum & matrem suam, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, præterea autem & animā suam, non potest meus esse discipulus. Et quisquis non baiulat crucem suam, & uenit post me, non potest meus esse discipulus. Post quæ uerba Dominus parabolas profert, quibus docet explorare uires priusquam recipiamus professionem Euangelicam. Ad præcepta certè præceptoris, Christi respicien

Mandata Domini de ferenda cruce.

tes fideles Apostoli, Petrus & Paulus, omnes nos ad crucem patienter ferendam adhortantur. Ille enim, Christus afflictus est pro nobis, inquit, relinquens nobis exemplum, ut insequeremini uestigia ipsius. Hic uerò dicebat, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

1. Pet 2.

Tēpus afflictionis breue, premium amplißimum & eternum.

Consolatur fideles uarijs calamitatibus oppressos, quòd tempus afflictionis breue est, quòd præmium & gaudium ineffabilibus modis est præstantius quàm sit tribulatio, adeò ut nulla sit inter ipsa collatio: denique quòd bonus Dominus non imponat grauiora onera, quàm simus ferendo. Sed libet iam de singulis scripturarum audire testimonia. S. Petrus appellat afflictionis tempus breue tempus. Nam & Isaias uel ipse apud Isaiam Dominus, prior dixit, I popule mi intra penetralia tua, & claude post te ostia tua, lateas paululum uel ad momentum, donec prætereat indignatio mea. Paulus uerò, Patres carnis uestræ, inquit, ad paucos dies pro arbitratu suo uos erudierunt, pater autem spirituum (breue tempus) ad commodum uestrum erudit, in hoc ut impartiat uobis suam sanctimoniam. Omnis autem castigatio in præsens quidem non uidetur esse gaudij, sed molestiæ. Ac postea fructum tranquillum iustitiæ reddit ijs, qui per illam fuerint exercitati. Et idem Apostolus, Cum Christo patimur, ait, ut & unà cum illo glorificemur. Nam reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam quæ reuelabitur erga nos. Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ mirè supra modum æternum pondus gloriæ parit nobis, dum non spectamus ea quæ uidentur, sed ea quæ non uidentur. Nam quæ uidentur temporaria sunt, ea quæ non uidentur æterna. Rursus in Epistola ad Corinthios dicit idem ille, Fidelis est Deus, qui non sinet uos tentari supra id quod potestis, imò faciet unà cum tentatione euentum, quò possitis sufferre. Quòd si diutius æquo uideatur nobis Dominus protendere tribulationē, cogitabimus nullos terminos esse diuinæ uoluntati præscribendos, sed permittendum ipsi, ut liberè quantum, & quandiu, & quibus modis uelit, affligat suæ manui subditos. Nouit ille qui est æterna sapientia, & qui amat homines impensissimè, quando finem imponat malis, & liberet nos à malo. Nec desunt exempla quæ diutius afflictos consolantur. Laborabat profluuio sanguinis mulier illa Euangelica ad desperationem usque annos duodecim. Alia quædam decubuit contracta ad annos decem & octo. Ad probaticam piscinam iacebat miser quidam, qui morbo fuerat graui obnoxius annos triginta & octo. Spatium hoc erat sanè quàm molestissimum. Sed in tempore tamen illis omnibus succurrit, qui optimè nouit quando maximè opportunum & utile homini sit auxilium. Illius ergo bonæ, iustæ, & sapientissimæ uoluntati permittamus, quando & quomodo nos liberet.

Isaia 26.

Rom 8.

1 Corin 10.

Pios nullæ afflictiones à Deo disiungunt.

Ioan 10.

In primis uerò illud consolatione & fiducia in tribulationibus refertissimum est, quòd fideles & electos Dei à Deo nō facilè ulla uis aut malum ullum disiungere potest. Clamat enim in Euangelio Dominus, Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est: & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater unum sumus. Huc pertinet illud S. Pauli tripudium ac celeusma, Quis nos separabit à dilectione Dei? num afflictio? num angustia? num persecutio? nū fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Quemadmodum scriptum est, Propter te morti tradimur tota die: habiti sumus uelut oues destinatæ mactationi. Verùm in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Nā mihi persuasum habeo quòd neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia

Rom. 8.

neque

neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla creatura alia, poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Sentiunt sanè in tribulationibus suis sancti dolores & incommoda multa, sed in ipsis incommodis interim habent multò plura commoda: ergo imminuuntur in uno quidem, at augentur in altero, ut ipsa crux non sit perditio, sed exercitatio & salubris medicina. Vbi reuocandam iterum existimo in animum uerè auream S. Pauli sententiã, In omnibus premimur, at non anxij reddimur: laboramus, at non destituimur: persecutionem patimur, at non in ea deserimur: deijcimur, at nõ perimus. Amittunt ergo fideles in hoc seculo facultates istas suas terrenas, sed nunquid ideo amittunt fidem? nunquid pietatem? nunquid interioris hominis bona, quæ ueræ sunt apud Deũ diuitiæ? Clamat Apostolus, Est quæstus magnus pietas cum animo sua sorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, uidelicet nec efferre quicquam possumus: sed habẽtes alimenta, & quibus tegamur, his cõtenti erimus. Et certè bonus dominus, qui cœlũ & terrã, & omnia quæ in eis sunt condidit propter hominẽ, qui pullos coruorum pascit, nequaquam animam enecabit iusti inedia aut fame. Præterea non amittit thesaurum suum in hoc seculo, qui eo modo thesaurizat quo præcepit Dominus, apud quem sciunt sibi repositũ esse ditissimum thesaurũ, quicunque spoliãtur facultatibus suis terrenis propter dominũ. Sed & Iob insignis ille dei seruus clamat, & dicit, Nudus exij de utero matris meę, nudus in terrã reuertar. Dñs dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit ita factũ est. Sit nomen domini benedictũ. Adijciendum his, abnegatione ueritatis & fuga afflictionũ, minimè retineri opes & tranquillitatem, sed amitti magis, imò infames nos reddi apud omnes omniũ seculorum bonos homines. Videmus enim eos qui noluerunt fortunas suas periclitari propter Christũ & ueritatẽ eius, sed elegerunt magis dissimulatione uel abnegatione ueri res suas uel retinere uel augere, retinuisse infamiam fœdissimã, auxisseque tormenta horribiliter excruciantia cõscientiam, ac amisisse nihilominus opes, nõ iam in nomine Christi, sed in nomine diaboli. Qui uerò unquã coniecerũt & se & omnes fortunas suas in discrimẽ, & contempserunt fortiter omnia pericula, semper suauẽ & iucundã in animis suis consolationem senserunt. Cum Apostolo enim clamant, Didicimus in ijs in quibus sumus esse contenti: nouimus & humiles esse: nouimus & excellere: ubique & in omnibus instituti sumus, & saturari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia possumus per Christũ, qui nos corroborat. Sciunt eundem Apostolũ dixisse, Direptionem facultatũ uestrarũ cum gaudio accepistis, sciẽtes uos habere potiorẽ substantiã in cœlis, ac permanentẽ. Nam & in euãgelio dixit dominus, Amen dico uobis, nullus est qui reliquit domũ, aut fratres, aut sorores, aut patrẽ, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros mea causa & Euangelij, quin recipiet centupla nũc in tempore hoc cum persecutionibus, ac in seculo uenturo uitã æternam, Mar. 10. cap. Ita quidem opprimuntur seruitute sancti, pij & fideles in hoc seculo: sed norunt ipsum quoque dominũ prius factum esse seruũ propter homines, adeoque seruos in mundo, per Christum factos esse liberos, adeoque per seruitutem terrenam aditum sterni ad libertatem cœlestem. Eijciuntur fideles in exilium. Cæterũ dicebat prophanus ille, Omne solum forti patria. Certè ubicunque sumus in hoc seculo, in exilio sumus. Pater noster in cœlis est, patria ergo cœlum est. Cum ergo morimur, ex exilio liberamur, & imponimur patriæ cœlesti & uerè felici. Eodem modo quos necat fame & inedia tyrannus, eos ceu morbus aliquis innumeris liberat malis. Quos autem non necat fames, sed excruciat, docet parcius uiuere, & productius ieiunare. Reuocant hic ueterum sanctorum exempla fideles esurientes,

Incõmoda per opposita cõmoda sartiuntur.

Negatione ueri nõ retineri res.

de quibus Apostolus loquens, Oberrarunt, inquit, in ouillis & caprinis pellibus, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat mundus: in desertis errātes & montibus, in speluncis & cauernis terræ. Considerant item Christiani longè meliorem fuisse sortem famescentis Lazari, inter linguas canum ulcera lambentium excedentis, quàm crapula distenti epulonis sepulti & demersi in inferos. Horrendum quidem & abominandum illud est, quòd uis infertur à barbaris militibus nō matronis tantùm, sed uirginibus etiam nondum uiri potentibus. Verùm consolatur nos illud maximè in scelere maximo, & contumelia intolerabili, quòd pudicitia animi uirtus est. Si enim bonum animi est, planè non amittitur etiam corpore oppresso: quemadmodum & fides hominis non expugnata creditur, licet totum corpus hominis comburatur. Et sanè castitas propter corpus uiolatum non perditur, quia ea sanctè utendi perseuerat uoluntas, & quantum in ipso est etiam facultas. Neq; enim eò corpus sanctū est, quòd eius membra sunt integra, uel eò quòd nullo cōtrectantur attactu: cum possint diuersis casibus etiam uulnerata uim perpeti: ac medici aliquando saluti opitulantes hæc ibi faciant, quæ horret aspectus. Quocirca proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatē uiolentia libidinis alienæ, quam seruat perseuerantia continentiæ suæ. Interea dubium non est, iustissimum dominum grauiter in belluas istas & naturæ monstra, qui tā nephanda audent, animaduersurū.

In cruce nihil euenit pijs noui

Confirmantur sancti tribulationibus diuexati exemplis sanctorum innumeris, ex quibus colligunt sibi noui obuenire nihil, cum Deus ab initio seruos suos & Ecclesiam sibi charissimam multis exercuerit tentationibus & afflictionibus. Ac plurimum hîc referre, & ad consolandum afflictos animos conducere puto, in numerato tenere optima & delectissima quidem exempla. Sunt ea priuata & publica plurima. Priuata sunt, ut multa ueterum transeam, patriarcharum posteriorum casus & peregrinationes. Euocatur enim diuina uoce pater noster Abraham ex Vra Chaldæorum in terram Palæstinorum, ex qua rursus fame eijcitur in Aegyptum, ubi iterum difficillimam experitur fortunam. Reuersus autem in Palæstinam, nunquam non habet ad ultimum usq; diem uitæ suæ, quod animum conturbet atq; affligat. Isaacum quoq; fames excruciat, quemadmodum & domestica infortunia eundem perpetuò excruciarunt. Iacobum à domino Israelem cognominatum, si quis ærumnosissimum hominem appellet, nihil peccauerit. Nam in ipso matris utero, necdum editus in lucem, certamen init cum fratre suo Esau: cuius manus parricidales uix euasit adolescens, dum in Syriam usq; exul profugit. Vbi iterū tanquam in exquisitissima afflictionum palæstra seu officina exercitatur. Dum redit in patriam, malis & periculis maximis inuoluitur. Liberorum scelera infanda, optimum senem tantùm non enecant. In senectute, fame pressus, descendit in Ægyptum, ubi in uera fide & patiētia sanctum Deo tradit spiritum. De Mose maximo & fidelissimo Dei seruo testatur scriptura, quòd in aula regis educatus quidem, sed grandior factus renuit uocari filius filiæ Pharaonis, potius eligens simul affici malis cum populo Dei, quàm temporarijs peccati commodis frui, maiores arbitratus diuitias probrum Christi, quàm Ægyptiorum thesauros. Idem grauissimam sustinuit persecutionem, primùm quidem à Pharaone & principibus eius, deinde à domesticis suis & suo populo, quem eduxerat ex Aegypto. Dauid quoq; unctus domini, diu Saulis furorem fugit, regnum adeptus difficillimis bellis grauissimè oppressus laborauit, tandem post multos labores exātlatos, à filio exutus regno, multis simul malis immergitur, rursus tamen restituitur.

Afflictionis exempla patriarcharum.

Exempla Christi & Pauli.

In nouo testamento excellentissima exempla sunt ipse Dominus & saluator noster

noster Christus, & singularis Apostolus eius Paulus. Dominus ab ipsis incunabulis coactus est tyrannorum fugere insidias & parricidales manus, innumera quoque mala in uita sua passus, postremò crucifigitur inter latrones. Et Paulus de seipso loquens, Si qui alij sunt ministri Christi, inquit, excellentius sum ego, in laboribus copiosius, in uerberibus supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas plagas una minus accepi, ter uirgis cæsus fui, semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi, in itineribus sæpe, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres, in labore & molestia, in uigilijs sępe, in fame & siti, in ieiunijs sæpe, in frigore & nuditate, præter ea quæ extrinsecus accidunt, incumbens mihi cura quotidiana omnium Ecclesiarum. Hæc inquam priuata sunt exempla.

Publicum autem exemplum est Ecclesia Israelitica afflicta in Ægypto, diuexata multis malis sub iudicibus & regibus, adde & abducta in captiuitatem ab Assyrijs & Babylonijs. Eadem restituta per Dei gratiam, uariam & difficilem experitur fortunam, idq; sub regno Persarum, Græcorum & Romanorum. Quid uerò dicam de Ecclesia Apostolica Christi, quæ ab ipsis incunabilis crucem experta, in ipsis afflictionibus floruit quàm felicissimè, & laborat in ijsdem grauiter, uel hodie adhuc? Commemorant historiæ persecutiones decem, quibus Ecclesia Christi ad imperium Constantini magni usq;, ab 8. Neronis anno, concussa, per 318. annos grauissimè laborauit, concessis tamen nonnunquã interuallis quibusdam, satis quidem accisis, quibus respiraret Ecclesia. Primus primam in Christianos mouit persecutionem fera illa bellua & monstrum libidinis, Nero, in qua etiam clarissimos Christi Apostolos Petrum & Paulum cecidisse ferunt. Secundam excitauit Fl. Domitianus, qui & Ioannem Apostolum relegauit in Pathmon. Tertius à Nerone grauia edidit in Christianos edicta Traianus, sub quo insignis Christi martyr & doctor Ignatius, unà cum alijs multis præclaris Christi seruis, dilaniandus bestijs obijcitur crudelissimè. Quartam in Ecclesiam persecutionem commouit per totam Galliam & Asiam Verus Imperator, in qua beatus Polycarpus igni uiuus comburitur, sanctus aũt Irenæus Lugdunensis Episcopus gladio obtruncatur. In quinta Ecclesię persecutione Septimius Seuerus per diuersas prouincias quàm plurimos laurea martyrij coronat: inter quos numeratur & pater Origenis Leonidas. Iulius Maximinus sextus à Nerone tyrannidem exercuit in Ecclesiam: in ea persecutione præ alijs petiti sunt Ecclesiarum doctores atq; ministri. Interierunt in ea strage inter innumeros excellentissimos uiros Pamphilus & Maximus, par clarissimorum luminum. Porrò septimus à Nerone feralia dispersit edicta Decius Imperator: sub quo & S. Laurentius Ecclesiæ diaconus ferrea in crate tostus est, & Apollonia uirgo laudatissima in extructum insilijt rogum. Nihilo mitior omnibus illis erat Licinius Valerianus octauam inferens Ecclesiæ persecutionem. Sustulit ea multas Christianorum myriades, & præsertim famosissimos in toto orbe doctores, S. Cornelium & Cyprianum. Cæterũ Val. Aurelianus nonam in Ecclesiã persecutionem decreuit magis quàm sit exequutus. Fulmen enim ante ipsum magno pauore circumstantium ruit, ac non multò post in itinere cæsus, sæuire desijt. At horribili hoc exemplo nihil commotus C. Aur. Val. Diocletianus, item Maximianus, Maxentius, & M. Iulius Licinius decimam commouerunt in Ecclesiam Christi persecutionem, quæ cum decem durasset annos continuos, innumerabilem Christianorum hominum turbam in toto orbe sustulit. Pingit illam

Exempla afflictionũ ueteris Ecclesiæ.

Decẽ Ecclesiæ Christi persecutiones.

graphicè Eusebius Cæsariensis, utpote multorum agonum certaminumq́ quæ narrat spectator, & pingit quidem in 8. lib. Historiæ Ecclesiasticæ. Cæsi sunt in illa laniena primi Ecclesiæ nostræ Tigurinæ Apostoli laudatissimi, martyres Christi præconesq́ Euangelici, beatus Felix, & soror eius germana S. Regula. Post illas persecutiones decem, insequutæ sunt multò plures & atrociores excitatæ à regibus, insuper & à barbaris hominibus in diuersis partibus mundi, insequuta sunt sanguinolenta flagra Saracenorum, Tartarorum, Turcarum deniq́: præterea infestarunt Ecclesiam Dei horribiliter pseudopontifices, qui exterorum domesticorumq́ armis plus hauserunt Christiani sanguinis, quàm ulla uox humana explicare posit. Nihil ergo noui nobis hodie obuenit, qui in Ecclesia Christi uarias sustinemus persecutiones & afflictiones, confirmamur exemplis ueteribus & nouis ijsq́ efficacissimis.

Anno domini 306.

Huc accedit, quòd prophetæ apostoliq́ & horum rex & dominus Iesus Christus ista pericula, illas calamitates & persecutiones prædixit omnes, nimirum ut animos nostros in singulas horas cōtra mala ista obfirmaremus, ne inopinato casu aut infortunio concussi à fide excideremus. Quia uos de mundo selegi, ait dominus ad discipulos, ideo odit uos mundus. Mementote sermonis mei quē dixi uobis, Nō est seruus maior domino suo. Si me persequuti sunt, & uos persequentur. Si sermonem meū seruauerunt & uestrum seruabunt: sed hæc omnia facient uobis propter nomen meum: quia non nouerunt eum qui me misit. Hæc loquutus sum uobis ne quid offendamini. Alienos à synagogis facient uos: imò ueniet tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo. Reliqua his similia ex Prophetis & Apostolis non recitabo, quòd paucis recitari nō possint. Deligat sibi quisq́ maximè euidentia & perspicua testimonia quæ ubiq́ occurrunt.

Prædictæ afflictiones.

Psal 22. 69. Isa. 49. 51. Dan. 7. 8. 11. Zach. 13.

Et quamuis sancti non gaudent de interitu persecutorum, quos mallent conuerti & seruari, quàm puniri in præsenti seculo, & in futuro æternùm damnari: gaudent tamen cum uident dominum supplicium sumere de persecutoribus, hoc potissimum nomine, quòd uident pios curæ esse Deo, Colligunt item ex præsenti Dei uindicta contra impios parata, afflictiones sanctis ut salutares, ita impijs esse perniciosas. Nam in direptione sua lacerantur, & dum Ecclesiam uiuentis Dei persequuntur, ignē excitant in se inextinguibilem. Sic enim legis Apud Zachariam de Ecclesia sua loquentem dominum, Ecce ego pono Hierusalem ut sit calix soporis omnibus circunquaq́ gentibus. Quin & in Iuda erunt qui obsideant Hierusalem. Eritq́ illo die ut ponam Hierusalem ceu lapidem grauem omnibus populis: quicunq́ eum sustollere conantur, omnino lacerabuntur, congregabunturq́ contra eum omnes gentes terræ. Ad eundem modum dicit apud Ieremiam dominus, loquens contra persequutores Ecclesiæ, Sume calicem uini furoris huius de manu tua, & fac ex eo bibant omnes gentes ad quas ego te mitto: & bibent commotiq́ insanient metu gladij quem in eos mittam. Ego enim incipio affligere in urbe quæ nomine meo appellatur, & uos impunè abiretis? Non impunè ibitis. Hoc nimirum illud est, ad quod alludens beatus Petrus dixit, Tempus est ut iudicium Dei à domo Dei incipiat: quòd si primum à nobis incipit, quis erit finis eorum qui non credunt euangelio? Recensui paulò ante hæc decem ordine persecutiones quas Romanorum Imperatores Ecclesiæ Christi intulerunt: sed testatur historiæ nullam non insigni aliqua calamitate esse repensam. Cui accedit quòd iustissimus dominus post annos 342. (totidē enim anni numerantur ab ultimo Neronis anno ad secundum usq́ annum Honorij & Theodosij Cæsarū) longe abundantius cœpit Romæ sanguinariæ rependere. Nam inter annos 139. sexies capta, in ma

Repēditur persecutoribus persecutio.

Zach. 12.

Ier. 25.

Vindicta sumpta de sanguinaria Roma.

in manus deuenit Barbarorum. Nam anno 412. qui erat 2. Impp. Honorij & Theo. Visigotthi duce Alarycho ceperunt quidem urbẽ & diripuerunt, sed clementer interim usi sunt uictoria. Deinde uerò Vuandali duce Genserycho urbẽ irruperunt crudelissimè, auarissimeq; diripuerunt. Post quos aduolantes Heruli, Atthilani exercitus reliquiæ, duce Odacre, urbẽ occuparunt, regnumq; sibi usurparunt, imperio Romano in Occidente prorsus extincto atq; sublato. Inde uerò exactis annis circiter 14. adest cum Ostrogotthis Theodorychus Veronensis, qui cæsis Herulis, urbe potitur. Restituitur uerò hæc demum, Bellisarij inclyti ducis opera & fide, Iustiniano principi orientali, sed eandẽ mox capit Totilas princeps Gothicus, direptamq; ferro & igni uastat, publicis ædificijs dirutis, & mœnijs bona parte subuersis, adeoq; tota Roma sic uastata, ut aliquot diebus nullum habuerit inhabitatorem hominem. Incidit ea uastatio urbis in annũ domini 548. Atque ad hunc modũ meritas pœnas dependit uindici suæ Ecclesiæ Christo Roma sanguinaria. Necdum retuli quæ hæc præterea sustinuerit ab Hunis & Longobardis. Nam satis est indicasse quàm miserè cesserint Romæ afflictiones illatæ Ecclesiæ, quæ interim salua, incolumis & uictrix mansit, regnabitq; cum Christo principe in secula seculorum. Ad eundem modum deleti sunt etiam maximis prius cladibus acceptis, uarijs difficilibusq; casibus per totam ferè terram exagitati Saraceni. Sed & Turcæ suas quoq; sentiunt calamitates quotidie, & sentient olim longè atrocissimas. Iam & pseudopontifices poculis ueneno temperatis sese mutuò confecerunt, ijdem mirificis exagitantur terroribus. Nuspiam ferè tuti in uita sua, sed & in corona amicorum suorum malis septi, semper & æternùm miseri sunt. Quibus accedit, quòd felicissimi illorũ fœdis computrescunt uoluptatibus, quo non est aliud mortis genus uel probrosius uel difficilius. Qui his adhærent & horum instinctu persequuntur Ecclesiam Christi, uel in fœdis & ipsi uoluptatibus computrescunt, uel morbis Antiochicis & Herodianis, lentaq; sed graui morte consumuntur, sed & bellis sese atterunt & conficiunt intestinis. Iustus ergo est dominus, & æqua atq; iusta sunt iudicia eius, qui amicorum suorum nunquam obliuiscitur, rursus hostes suos & suorum semper inuenit ac pro merito conficit.

Hæc cum ita habeant fratres, sustineamus quæso patienter manum domini Dei nostri, quoties calamitatibus premimur tentamurq; à domino Deo nostro, scientes benignum dominum percutere ut sanet, conturbareq; ut consoletur & in gaudia recipiat sempiterna. Hoc ut præstare possimus, qui alioqui sumus infirmi & imbecilles, oremus patrem nostrum qui in cœlis est per Iesum Christum dominum nostrum, ne in tentationibus nostris desit nobis, sed dirigat nos in uia constantiæ, pacis & iustitiæ. Proponat hic sibi quisq; saluatoris & magistri dominiq; nostri exemplum, qui passionẽ suam auspicatur à precibus. Ascendẽs enim montem oliuarum, patri supplicat, & intentissima quidem mente supplicat. Idem preces suas iterat, precandoq; patrem urget: ita tamen, ut omnia eius uoluntati subijciat. Hoc ipsum faciamus & nos, quò præsens auxilium patris nostri & consolationem animorum experiamur efficacissimam, laudemusq; bonitatem illius in secula seculorum, Amen. *Peroratio.*

De quinto & sexto secundæ tabulæ præceptis, quæ in Decalogo sunt nonum & decimum, nempe, Ne loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. Et, Ne concupiscas domum proximi tui, &c.

SERMO IIII.

Praeceptum Dei 9.

VENIMVS iam ad expositionem duorũ ultimorum in Decalogo praeceptorum. Nonum huiusmodi est, NE LOQVARIS CONTRA PROXIMVM TVVM FALSVM TESTIMONIVM. Sancitur hoc fides in pactis & contractibus, hoc præterea moderatur linguam, commendat item uirtutum pulcherrimam ueritatem, modestiam quoque & syncerit atem in dictis & factis. Hactenus de lingua in pręceptis Dei nihil audiuimus, nisi paucula quædam in præcepto tertio. Cæterum ex lingua exoriuntur commoda & incommoda uitæ maxima. Lingua enim pusillum membrum est, dicit Iacobus Apostolus, & magna iactat. Ecce exiguus ignis quantam materiam incendit. Et lingua ignis est, mundus iniustitiæ. Sic lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis, & inflammatur à gehenna. Omnis enim natura & ferarum & uolucrum, serpentiumq́ & marinorum domatur, & domita est à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest, incoërcibile malum, plena ueneno mortifero. Per ipsam benedicimus deo & patri, & per ipsam maledicimus hominibus, qui ad similitudinem Dei conditi sunt. Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio. Proinde rectè necessariò & utilissimè informatur hoc nono præcepto lingua hominum. Summatim uerò comprehendit & præcipit hoc mandatum, ut bene utamur lingua, néue uel priuatim uel publicè noceamus fratris nostri uitæ, famæ aut fortunis, sermone uel scriptis, uel picturis, uel dissimulatione aut etiam simulatione, adeòque ne nutibus quidem. Prohibentur omnia ueritati & synceritati aduersa. Requiritur abs quolibet nostrum simplicitas, ingenuitas, candor & integritas. Breuiter mandatur nobis, ut omnes ueritatem inter nos mutuò colamus. Nam Exodi 23. legimus præcepisse dominum, A uerbo mendaci longissimè absis. Et Leuit. 19. cap. Non furabimini, ait dominus, ne mentiamini; nemo dolo malo agat cum proximo suo. Et beatus Iacobus Apostolus, postquam linguæ mala attigisset, maximè quòd ex eodem ore proficiscatur bonum & malum, subiungit, Non oportet fratres mei hæc ita fieri. Nunquid fons ex eodem foramine emittit dulcem & amaram aquam? Nunquid potest, fratres mei, ficus oleas gignere, aut uitis ficus? Sic nullus fons salsam & dulcem potest edere aquam. Certè cum dominus homini linguam dederit, ut hac internuncia homo hominis mentem & animũ cognoscat, ut deum benedicat, & omnibus prosit hominibus etiam sibijpsi, decet omnino ut imago respondeat archetypo, atque ex bono corde proferat homo sermonem bonum, alienum à fuco & pernicie, à blasphemia & contumelia, denique ab omni petulantia.

Lingua.

Sed præstat per partes potissima huius generis & argumenti cognoscere penitius. Principiò prohibetur hoc mandato, ne quis in foro aut iudicio requisitus falsum dicat testimoniũ. Ergo nõ prohibetur simpliciter testificatio, sed falsa duntaxat, Ne dicas, ait, falsum testimonium. Verum ergo testimonium dicere licet, maximè si hoc à te requirat magistratus. Vnde significanter ex ueritate Hebraica legimus, Ne respondeas contra proximum tuum falso testimonio. Respondere autem rogatus. Et in testimonijs dicendis solus Deus & ipsa ueritas est dicenti spectanda, ponendusq́ affectus prauus, odium, metus uel studium partium: interim nihil uel celandum uel dissimulandum: nihil affingendum de tuo: neq́ corrumpendus sensus: sicut fecerunt falsi illi testes in Euangelio, illud apud iudices proferentes, Destruam templum hoc, & in triduo ipsum excitabo. Nam corruperunt sensum. Et in lege dicit Dominus, Non assumes rumorem falsum, neq́ pones manum tuã cum impio, ut sis testis iniquus. Nec eris post multos in malo in caussa, ut de-

De testimonio dicendo.

ut declines post multos ad peruertendum. Ergo qui falsum dicit testimonium, peccat contra Deum & contra proximum. Nam primùm quidem sacrilegio & periurio se commaculat, adeoq; sub nomine Dei mentiendo Deum contumelia afficit: proximo deinde tantum nocet, quantum is damni à iudice accipit, in corpore, fortunis & uita. Constat enim iudicem falso commotum testimonio, reum mulctare in corpore, in fortunis, aut in ipsa uita: quod non faceret, nisi tuo huc pertraheretur testimonio. Proinde minimè iniqua lex est, quam Moses hisce prodidit uerbis: Si mendax testis fuerit deprehensus, facietis ei quemadmodum ipse sceleratè cogitauerat facere fratri suo: & auferes malum è medio tui: ut reliqui id audiant & timeant, neq; audeant amplius designare rem usqueadeò sceleratam in te. Neq; hîc ulla afficieris misericordia: animam pro anima, oculum pro oculo, dentē pro dente, manum pro manu, pedem pro pede. Huc pertinet quod in Prouerbijs clamat Solomon, Testem fallacē odit Deus. Et, Testis mendax non erit impunitus. Exemplum nobis suppeditant iniqui testes contra pudicissimam fœminarum Susannā. Lex de dicendo testimonio

Deinde damnantur hac lege omnes sycophanticæ aut calumniosæ accusationes in foro, denique emptæ falsæq; iudicū sententiæ. Proindæ damnantur etiam illi quibus uenalis est lingua, hoc est, qui uel frusto panis conduci possunt, ut uel benedicant uel maledicant innoxijs. Cuius quidem generis maledicas & petulantes adde & assentatrices linguas plurimas inuenire licet in infimo & supremo, sacro & prophano hominum ordine. *Calumniæ.*

Præterea commendantur nobis contractus, pactiones & fœdera religiosè custodienda seruandaq;: ex aduerso damnantur artes, doli mali, imposturæ & circumscriptiones. De quibus dictum est cùm ageretur de Furto.

Inprimis uerò prohibetur fidelibus Mendacium, quo uidelicet nocendi uoluntate, aut ex leuitate uana, aut alioqui praua affectione, falsum profertur. Numerant enim mendaciorum species uarias. S. August. ad Consentium de Mendacio, capite 14. recenset genera 8. Ego paucula duntaxat ex multis cōmemorabo. Est mendacium iocosum, ueluti cùm dico me mentiri, & alij me mentiri sciunt, indeq; aliquid percipiunt utilitatis, aut uoluptatis potius. Id quanquam non sit grande peccatum, habet tamen leuitatis plurimū: quam Apostolus improbat in fidelibus, sicut extat in 5. cap. Epistolæ ad Ephes. Non arbitror autem huc referendos esse apologos, parabolas, & fictas narrationes: quas ut scriptura ubique adhibet rebus etiā grauissimis, ita plurimum habent gratiæ, necessitatis, & utilitatis. S. August. iocos collocat extra mendacia. Est præterea mendacium officiosum, quo uidelicet falsum uel fingo, uel refero, officij caussa, ut uidelicet ingens aliquod malum à proximi depellam ceruicibus. Huius generis plurima sunt in sacris literis exempla. Ægyptiæ obstetrices seruabant uiuos Hebræorum recens natos filios, quos Pharao trucidare præceperat: ac accusatæ coram rege legis uiolatæ, prætexuerunt officioso certè & ingenioso mendacio mirā quandam pariendi celeritatem, qua Hebræorum mulieres Ægyptias antecellant. Rahab mirifico figmento illudit ciuibus suis Ierichontinis, & mentiendo seruat populi Dei exploratores. Sed & Michol uxor Dauidis, mendacio seruauit maritum, seruos autem patris sui Saulis frustratos & hiantes dimisit. Fingit & Ionatham plurima in mensa patris sui, dum Dauid patrocinaretur, quē mox artibus & pijs dolis eripit ex cruentis manibus patris sui Saulis. Iudith quoq; uidua sanctissima, mentiendo & dissimulando penetrat in tentoria Holophernis, quem fortiter obtruncat, populumq; Dei afflictissimum liberat. *Mendacium et eius genera.* Mendacium iocosum Mendacium officiosum

Porrò disputatum est à primarijs theologis, peccarint ne illi mentiendo, quorum modò exempla adduximus. Ac Origenes & qui ipsum sunt secuti, permitte-

bat ſapienti bonoq; uiro mendacium, modò ijs ſalutare foret quorum gratia fieret. Nec caruit ſuſpicione Origenici dogmatis S. Hieronymus. Scripſit enim in Epiſtolam Pauli ad Galat. & Petrum & Paulum pro tempore uſos eſſe ſimulatione. Verùm S. Auguſtinus ea de re D. Hieronymum admonuit, negans in literis diuinis ullam mendacij ſuſpicionem eſſe recipiendã. S. uerò Hierony. ſuæ ſententiæ admonet fuiſſe optimos quoſq; ueteris eccleſiæ interpretes. Scriptæ ſunt ultrò citroq; Epiſtolæ doctæ & prolixæ ab utroq;: quæ cùm extent hodie, non eſt quòd his inhæream diutius. Idem Auguſt. lib. contra Mendacium ad Conſentium cap. 15. Nihil, inquit, iudicandus eſt dicere qui dicit aliqua iuſta eſſe mendacia, niſi aliqua iuſta eſſe peccata, ac per hoc aliqua iuſta eſſe quæ iniuſta ſunt. Quo quid abſurdius dici poteſt? Vnde enim eſt peccatum, niſi quia iuſtitiæ contrarium eſt? Ea uerò quæ contra legem Dei fiunt, iuſta eſſe non poſſunt. Dictum eſt autem Deo, Lex tua ueritas: ac per hoc, quod eſt contra ueritatem, iuſtum eſſe non poteſt. Quis autem dubitet omne mendacium eſſe contra ueritatem? Nullum ergo iuſtum poteſt eſſe mendacium. Et quæ ſequuntur. Rurſum uiſum eſt alijs uiris eruditiſſ. Auguſt. mendacio obſtinacius fuiſſe infenſum. Ergo non deſunt qui ueluti media ingredientes uia, iſtos (quorum adduximus exempla) non omni quidem peccato liberent, ſed leue interim fuiſſe exiſtiment. Certè ſi qui hîc ſibi aliquid permiſerint, caueant tamen diligentiſſimè ne affectibus ſuis nimium permittentes, officioſum putent mendacium, quod reuera pernicioſum eſt. Vltimum enim mẽdacij genus eſt pernicioſum, quod uidelicet proficiſcitur ex praua uoluntate, & tendit in detrimentum proximi tui, nihil malè meriti. Hoc in ſcripturis paſſim damnatur: & excreſcit quidem eius culpa iuxta detrimenti quantitatẽ. Nam pernicioſiſſimè mentiuntur theologi ac doctores eccleſiaſtici, utpote mendacijs ſuis ſiue doctrina corrupta perimentes animas hominum, ſed & corpora & facultates ſeductorum exponentes maledictioni Dei & mille periculis. Huc pertinet & hypocriſis, quam miris modis perſequitur & exagitat Dominus Ieſus in Euangelio. Exerit autem ſe hypocriſis non tantùm in uerbis doloſis, ſed etiam & amplius in conuerſatione uitæ tota, ut cùm ſimulamus uel diſſimulamus quæ non ſunt, atque ita mentimur Deo, & fucum facimus proximo noſtro.

Delationes & petulans ad maledicendum lingua.

Porrò proſcribuntur hac lege delationes, calumniæ, obtrectationes, ſuſurri, & ex his enatæ ſuſpiciones. Damnantur itaq; petulantia & ad maledicendum appoſita inſtructáue ingenia. Inuenias enim qui non reuereantur detrahere infimis & ſupremis, priuatis & publico munere inſignibus perſonis: in quem uſum ſpargunt famoſos libellos, conſcribunt Paſquillos, adduntq; picturas infamatrices. Ac diſerti quidẽ ſibi eſſe uidentur cum amaris lædorijs omnes taxant, imò effrænis linguæ petulantia garriendiq; temulentia, libertas quædam ſiue parrheſia appellatur. At qui peccant grauiſſimè, qui ex maledicentia uoluptatẽ capiunt, hoc eſt, qui circumferunt os plenum amaritudine, maledictione & dolo: ſicut & illi à peccato alieni

Iuſta increpatio.

non ſunt, quibus uolupe eſt uenenatã audire maledicentiam. Extra calumnias uerò & extra peccatum ponimus accuſationes iuſtas, ſiue ſcripto ſiue oratione uiua prolatas in medium, item obiurgationes & caſtigationes quæ fiunt ſacris in concionibus. Nam qui uitia & errores ſic caſtigant ac perſequuntur, non alium finem habent propoſitum, quàm gloriã Dei & animarum ſalutem, quæ omnibus modis cupiunt promota, non autem releuatam bilem & ſatisfactum prauis affectibus.

Detractio pernicioſa.

Cæterũ maximum eſſe ſcelus calumniari & detrahere proximis, multis colligi poteſt argumentis. Vix enim aliud eſt uitiũ, quod ita nos deformet atq; obtrectatio. Conditi ſanè ſumus ad imaginem & ſimilitudinẽ Dei, ut ſimus filij Dei: at ex filijs

Dei

Dei efficiunt nos calumniæ filios diaboli. Ac omnes quidem abhorremus à diaboli nomine, si autem sis calumniator, certè hoc ipsum es quod execraris. Nam à calumniando nomen habet diabolus, quod nihil aliud est, quàm si dicas calũniator. Iam etiam Deus in Prouerbijs dicitur odisse calumniatores, siue detractores. Item Prouerb. 19. cap. legimus, Cogitatio stulti peccatum est, & abominatio hominum detractor. Est enim nomen bonum, eodem Solomone teste, thesaurus pretiosus. Ergo cùm per calumnias & delationes hominis bona fama periclitatur, præstantissimum illud hominis periclitatur: ut reuera grauius uideatur peccare detractor quàm fur: nisi quis præferat putidas opes nomini glorioso. Proinde mirum est qui fiat hodie, quòd furibus non parcitur in furto deprehensis, delatoribus autem calumniatoribusq; nihil aut minimũ mali irrogatur. Vtinam res aliquando rectius perpendant principes, ac mala quidem puniant omnia æquis pœnis, inprimis autem supplicia digna sumant de sceleribus grandioribus. Deus certè ab uno quouis nostrûm requirit, ut proximis nostris fidelem operam, quoad licet, in asserenda ueritate commodemus, ad tuendam & nominis & rerum proximi integritatem.

Videtur item hac lege proscripta esse Adulatio, quæ ex stulto, ut uerè dicitur, reddit insanum, ex insano insanabilem. Itaq; Solomon pronunciat adulatorem publica dignum execratione. Qui dicunt, inquit, impio iustus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus. Et alibi, Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima cordis. Cùm submiserit uocem, ne crediderís ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius. Rectissimè ergo pronunciatur in Ecclesiasta, Melius est audire increpationem sapientis, quàm carmen uiri stulti, adulatoris nimirum. Ac cùm tantum malum sit adulatio, amatur tamen ab omnibus ferè, adeò ut pestis illa inuaserit, adde & occuparit sacram in templo cathedram, aulas regum, curias senatorias & priuatorum quoq; ædes. Habet enim illa Syren cantionem carni nostræ suauissimam. Impensè enim amamus nosipsos, stulti, non animaduertentes istas blanditias pellicere in amarum exitium. Doctores adulantes Ezechiel grauiter increpat, & ait, Væ illis qui dicunt populo pax pax, cùm non sit pax: qui liniunt maceriam absq; temperamento, qui consuunt blandos puluillos sub omni axilla aut cubito, & ceruicalia blanda sub omni capite, ad capiendas animas. De huiusmodi doctoribus & hominibus, adulatione magis mendacijsq; quàm ueritate syncera gaudentibus, loquens Apostolus quoq; Paulus dicit, Erit tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt: sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores, ij quibus pruriunt aures, & à ueritate quidem aures auertent, ad fabulas uerò cõuertentur. Iam Dauid quoq; hanc deprecans pestem, utpote omnibus regibus & principibus, uel in eminentia constitutis perniciosissimam, Corripiet me iustus, inquit, in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum. Et iterum, Domine libera animam à labijs iniquis, & à lingua dolosa. Hæc hactenus expositionis gratia in nonum præceptum Domini prodidimus. *Adulatio.*

Sequitur præceptum decimum, quod ad uerbum sic habet, NON CONCVPISCES DOMVM PROXIMI TVI, NON CONCVPISCES VXOREM PROXIMI TVI, NEC SERVVM EIVS, NEC ANCILLAM EIVS, NEC BOVEM EIVS, NEC ASINVM EIVS, NEC QVICQVAM QVOD EST PROXIMI TVI. Quæ quidem uerba Deut. 5. cap. hoc ordine & modo exponuntur, Non concupisces uxorem proximi tui, non concupisces domum proximi tui, nec agrum eius, nec seruum eius, non ancillam eius, nec bouem eius, non asinum eius, nec quicquam *Præceptum Dei 10.*

quod eſt proximi tui. Nec eſt ulla diuerſitas, aut contrarietas in reipſa, tametſi in Exodo domus proximi, in Deuteronomio autem uxor proximi, primo ponatur loco. Facit autem hoc nonnihil contra illos, qui ultimum hoc præceptum in duo diſſecant, cùm ſit inſeparabile: id quod ordo hic inuerſus utcunqꝫ indicat.

Cõcupiſcentia.

Prohibetur autem ante omnia concupiſcentia, nimirum mala, ſiue praua cupiditas. Concupiſcentia enim medium eſt uocabulum. Nam refertur ad bona & ad mala. Dauid enim teſtatur ſe affici concupiſcentia Dei & legis eius. Concupiui, inquit, ſalutare tuum Domine. Et, Concupiui mandata tua, Pſal. 119. Sanè diſcernere oportet inter affectionem à Deo bene creatam, & inter illam quæ innata eſt nobis radix malorum ex propagine primorum parentum. Erat in Adamo ante lapſum appetitus cum delectatione non malus. Non eſuriebat cum dolore (id quod peccati ſupplicium eſt) ſed edebat cum appetitu delectabili. Delectabatur amœnitate paradiſi. Amabat & concupiſcebat ſancta quadam concupiſcentia fœminam, quam ei adduxerat Deus. Atque hic appetitus non malus ab ipſo Deo creatore bono proficiſcebatur. Ac ſunt etiam hodie in hominibus naturales affectiones uel cupiditates, edendi uidelicet, bibendi, dormiendi, & aliæ his ſimiles, ad conſeruationem ac propagationem hominis pertinentes, quæ per ſe quidem ſub cenſum peccati non ueniunt, niſi quatenus originali uitio deprauatæ legitimos tranſiliunt terminos. In præſenti uerò negotio uſurpatur pro mala, ſiue pro malorum concupiſcentia. Ea in omnes ex Adamo transfuſa, fructus eſt corruptæ naturæ noſtræ, uel fœtus peccati originalis. Hæc ſedem habet in ipſo corde hominis, & eſt fons & origo omnium quæ in homine ſunt uel exiſtunt, malorum ſiue ſcelerum. Dominus enim diſertè in Euangelio dicit, Quicquid ingreditur in os, in aluum abit, & in ſeceſſum eijcitur: at ea quæ proficiſcuntur ex ore, ex ipſo corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſtupra, furta, falſa teſtimonia, conuitia: hæc ſunt quæ impurum reddunt hominem. Nec obſcurius beatus Iacobus Apoſtolus dicit, Ne quis cùm tentatur, dicat ſe tentari à Deo. Nam unuſquiſque tentatur dum à propria concupiſcentia abſtrahitur & ineſcatur: deinde concupiſcentia poſteaquàm concepit, parit peccatum, peccatum uerò perfectum progignit mortem.

Jacobi 1

Concupiſcentia quid ſit:

Concupiſcentia ergo eſt animi motus ſiue affectio, quæ ex ingenita corruptione in nobis inardeſcit contra Deum & legem eius, noſqꝫ ſolicitat ad malum, etiam ſi conſenſus aut opus ipſum non accedat ſubſequatúrue. Nam ſi hæc accedant cupiditati, increſcit gradibus & auctibus peccatum. In peccato enim primò conſideranda uenit ipſa imaginis uel ingenij Dei in nobis obliteratio aut corruptio, uitium agnatum, & morbus ille latens in membris noſtris, ſiue affectio praua. Deinde conſiderandum, quòd hæc increſcit delectatione. Inde ſequitur ſeu conſenſus conſiliúmque perficiendi ſceleris: quod & non raròin opus erumpit: quod & ipſum grandeſcit per circumſtantias accedentes. Veniunt autem ſingula illa ſub peccati cenſum, quanquam interim alia alijs fiant grauiora. De qua re copioſius dicetur, ubi, Deo uolente, uentum fuerit ad tractationem Peccati. Proinde affectio illa praua & illegitima, quæ eſt ex ingenita corruptione, ſed in natura noſtra latitat, exerit aũt ſe in cordibus noſtris contra puritatẽ diuinæ maieſtatis & legis, illud ipſum eſt peccatũ, quod hac lege damnatur. Tametſi enim non deſint quibus uideantur huiuſmodi animi motus, morbi, uitia, & affectiones nõ eſſe peccata, Deus tamen illas lege hac ꝓhibens, manifeſtè cõdemnat. Quòd ſi quis de noſtra expo-

In peccato quae ſint conſideranda

stra expositione ambigit, Paulum audiat Apostolum dicentem, Peccatum non cognoui nisi per legem. Nam & concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset, Nõ concupisces. Absq; lege peccatum erat mortuum: ac ipse quondam sine lege uiuebam: ueniente autem mandato, peccatũ reuixit, ego uerò mortuus sum. Et iterum, Affectus carnis mors est: affectus uerò spiritus, uita & pax. Propterea quòd affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subijcitur: siquidem ne potest quidem. Qui uerò in carne sunt, Deo placere non possunt. Damnat itaq; nos concupiscentiæ affectus, siue nos iusto Dei iudicio cõdemnamur meritò, propter concupiscentiam in nobis latentem atq; sese exerentem in horas, ac ueluti in momenta singula. Existunt sanè phantasiæ uariæ & plurimæ cogitationes in animis hominum: dum tamen non tendunt uel in offensionem Dei, aut proximi, nec impuritatis aut philautiæ quicquã habent, non ueniunt sub censum peccati: quod mox ab initio diximus. Roma. 7.

Et hactenus quidem Deus lege sua prohibuit crassiora quidem peccata, quæ ab hominibus committuntur contra Deum, sub finem uerò peruenitur ad ipsam concupiscentiam & corruptam hominis naturam, omnium malorum fontem, quem modò etiam sopit & obstruit: aut, ut rectius loquamur, infirmitatem generis humani omnium oculis exponit. Quis enim non concupiuit aliquando? imò quis non in singula propè momenta sentit concupiscentiæ stimulos? Quis obsecro non laborat ingenito omnibus morbo, siue labe illa geniali? Deprehensi ergo in peccatis coram Domino, non habemus quo extenuemus nostram culpam, aut elabamur ex sententia iudicis omnem carnem condemnantis. Damnat enim disertè iustus Deus corruptionem natiuam prauamq; inclinationem, quæ est perpetua auersio à Deo & rebellio cõtra integritatem, quam à nobis exigit Deus. Beati enim pronunciantur qui sunt mundo corde præditi, quoniam ipsi Deum uidebunt. Ergo quibus cor est cupiditatibus implicatum, morbidum, imbutum ueneno & pollutum, non uidebunt Deum. Huiusmodi autem sumus omnes quotquot censemur filij Adæ. Proinde ultima hæc lex omnes reuincit peccati & infirmitatis siue corruptionis humanæ, & quæ hanc sequitur, condemnationis. *Cõuincitur homo peccati.*

Deinde requirit Deus lege sua non tantùm corporis siue externam puritatem uel mundiciam, sed animi quoq;, spiritus & omnium affectuum: & præcipit ut in salutem & profectum proximi tendat quicquid cogitamus, consultamus, molimur & agimus. Referri ergo poterit hæc lex ad omnes ferè alias præcedentes. Nam ipse quoque Dominus Iesus exponens hanc legem, Non occides, addit, Quisquis irascitur fratri suo, obnoxius erit iudicio: & reliqua Matth. 5. Rursus ibidem explicans hoc præceptum, Non cõmittes adulterium, adijcit, Quicunq; aspexerit uxorem alterius, ad concupiscendum eam, iam adulterium commisit cum ea in corde suo. *Quæ requiratur ab homine puritas.*

Ac diligentissimè quidem recenset enumeratione quadam res, quas concupiscendo desideramus, & peccare solemus: rebus cõiungit personas. Res partim immobiles, partim mobiles sunt: id quod Helueticè eloquimur, Der güteren sind etliche ligende/etliche farende. Immobiles sunt domus, uillæ, agri, uineta, syluæ, prata, pascua, piscinæ, & alia huius generis. Mobiles sunt pecuniæ, iumenta, siue pecora, honores, officia, dignitates. Ad personas referuntur, uxor, liberi, serui, ancillæ. Hæc & similia quæ sunt in possessione proximi, nemo nostrum in detrimentum proximi concupiscat: aut si concupiuerit, ne consentiat concupiscentiæ, aut delectationem capiat ex ipsa: ne consilium capiat quomodo assequatur cupita, ne conceptum cõsilium protinus producat in opus, eripiatq; proximo uel *Non concupiscenda quæ?*

res uel personas. Huiusmodi uerò iustitiam requirit à suis cultoribus Deus, quæ ex ipso animo & propensa uoluntate nostra, nõ tantùm opere externo, integra & absoluta sit. Vnde in Euangelio dicit Dominus, Nisi abundauerit uestra iustitia plus quàm scribarum & pharisæorum, non introibitis in regnum Dei. Cæterum quomodo compleantur mandata Dei, & quòd fides sit absoluta iustitia, explicabo sermone alio, & dixi quædam in Sermone quem habui de Vera fide.

Hucusque per Sermones duodecim enarraui decem capita legis moralis, qua diximus tradi nobis uirtutum formas, adeoq; mores nostros informari, quomodo hos componamus ad uoluntatem Dei. Distinxit ipse omnium Dominus Deus hoc negotium in duas tabulas. Prima ostendit quid homines Deo debeamus, & quomodo uerè colamus Deum. Secunda autem per sex præcepta exposuit, quid quisque proximo suo debeat, & quomodo omnes commodè, tranquillè & humaniter uiuamus. Iubet ergo honorare parentes, & omnes eos qui sunt à Deo parentum loco constituti. Prohibet homicidium, & omnem iniuriam quæ infertur uitæ hominis corporiq;. Prohibet stupra, adulteria & libidines nepharias, cõmendat coniugium & mundiciam uitæ temperantiamq;. Prohibet furta, dolos, imposturas. Prohibet mendacia, falsa testimonia, cupiditates prauas & noxias. Iubet nos ex animo amare proximos, & his benefacere semper. Domino & legislatori nostro sapientissimo, sit laus & gratiarum actio in sempiternum.

De Legibus Dei Ceremonialibus, præcipuè autem de Sacerdotio, Loco & Tempore sacro. SERMO V.

IN partitione legum diuinarum, proximè post legem moralem posuimus legem Ceremonialem: unde morali lege per partes explicata, dicendum erit porrò, Deo iuuante, de lege Ceremoniarum. Ac ne quid dissimulem, scribunt alij Ceremoniæ, alij Cerimoniæ: & de uocabulo nõ idem sentiunt omnes. Est enim qui ex Seruij Sulpitij sententia ceremonias à carendo dictas esse arbitratur. Festus autem, Ceremoniarum caussam, inquit, alij ob oppido Cære dictam existimant. Nam Liuius in 5. commemorat à Cæretibus sacra Romanorum in bello Gallico, Gallis inquam occupantibus Romam, esse asseruata. Vnde uidetur in eius beneficij memoriam, omnem cultum Dei, & omnes ritus sacros, ceremonias esse appellatos. Vndecunq; uerò deriuatum sit uocabulum, nos illud in præsenti usurpamus pro actione sacra sacrorumq; ritu ecclesiastico.

Oppidum Hetruriæ.

Ceremoniæ in genere quid.

Sunt autem Ceremoniæ ritus sacri circa personas sacras, locum item & tempus cultumq; sacrum uersantes, qui quomodo legitimè fiant, leges quæ uocantur ceremoniales exactè tradunt atq; describunt. Ceremoniæ ergo actiones uel ritus sunt, quos formant leges siue præscriptiones, appellatæ leges Ceremoniales. Porrò instituit ceremonias uel Deus uel Homo. Et Deus quidem instituit alias in testamento uel populo ueteri, alias sub Christi primum aduentum in populo noui testamenti. De noui testamenti Ceremonijs dicetur, ubi uentum fuerit ad Ecclesiæ & Sacramentorum ecclesiæ tractationem. In præsenti disseremus de Veteris populi uel testamenti Ceremonijs. Eæ sunt instituta uel actiones seu ritus sacrorum, populo Israelis, ab ipso Deo traditi, ad tempus quidẽ correctionis, sed & ad repræsentanda uelandaq; Dei mysteria, deniq; ad cultum Deo præstandum, & ut his populus Dei retineretur in religione legitima, & societate unius corporis ecclesiastici.

Ceremoniæ Iudaicæ quid.

Ceremoniæ humanæ.

Porrò homines instituerunt Ceremonias uarias & multiplices: quod fecerunt apud

apud Ethnicos archiflamines sacerdotes & ministri idolorum, aliquando reges & principes. Apud Hebræos diuinas ceremonias Ieroboam rex Israeliticus in suum & suæ domus exitium, suis, id est, humanis & impijs, permutauit. Ceremoniarum ab hominibus institutarum, in hoc postremo seculo nostro nullus est neque modus nec finis. Id quod multi uiri docti deplorarunt, & deplorant adhuc. Conqueritur Augustinus suo seculo admodum auctas esse ceremonias in Ecclesia: quid putas hodie dicturum si reuiuisceret? Verum de his dicemus alias. Quoniam uerò uocabulum Ceremoniæ quibuslibet etiam ethnicis ritibus attribuitur, nos in descriptione nostra iam proposita disertè significamus, nos loqui non de quibuslibet ceremonijs, sed à deo traditis, nimirum populo Izraelis à Mose: non utique ex Mosis, sed Dei, arbitrio, per illius autem ministerium: iuxta illud quod Mosi dictum legimus, Vide ut facias omnia secundum exemplar quod ostensum est tibi in monte. Nostræ ergo Ceremoniæ prima origine referuntur ad Deum ipsum authorem uerissimum, ac ea de caussa Deo placuerunt, quia diuinæ fuerunt & fide exhiberi potuerunt. Damnantur contra Ceremoniæ in cultu diuino inuentæ & institutæ ab hominibus. Locus illustris est Deut. 12. Sed & 4. Regum 17. dicitur, Ambulauerunt in institutis siue ceremonijs Izrael, quas illi fecerunt. Notissimum est quid euenerit domui Ieroboam, & ipsi Ieroboã, denique omnibus regibus Izrael ambulantibus in uia Ieroboam. Ita Ceremoniæ hæ nostræ, id est, de quibus loquimur in præsenti, actiones sunt siue ritus, non prophani, sed rerum sacrarum: quas uidelicet instituit ipse Deus, & exercet Dei populus. Et fuerunt quidem traditæ non omnibus gentibus, sed populo Izraelis, & ad tempus quidem, ut Apostolus dicit, correctionis, utpote quæ humeris Iudæorum ad Mesiæ usque exhibiti tempora insiderent, inde autem deciderent aut deponerentur atque disparerent. Certè hoc nomine appellata est lex Apostolo Paulo pædagogia ad Christũ. Iam & finis in quem institutæ sunt Ceremoniæ inspiciendus est. Pertinent ceremoniæ ad doctrinam pietatis & fidei maximè. Nam adiectæ sunt primæ tabulæ, ueluti subsidium quoddam & fulcrũ. Tradunt enim cultum Dei ueri externum, quem uero Deo pij exhibeant, ac per eas abstrahantur, non tam ab alienis dijs, quàm cultibus peregrinis, quibus plus nimium in Aegypto assueuerant: non habentes utique modò ullam occasionem peregrinos cultus recipiendi, quando tam exquisitis instructi & quasi inuoluti erant sacris. Hanc caussam concessarum ceremoniarum commemorat ipse Moses Deuter. 12. Ergo ceremoniæ & ceremoniarum exercitium disertè appellãtur in diuinis legibus cultus Dei. His enim coli uoluit Deus: ac retinebãt populũ Dei in uero cultu Dei, & in uera religione & societate unius corporis Ecclesiastici. Dispergitur enim Ecclesia nouis aut peregrinis ceremonijs receptis: sicuti claret in rebus Solomonis & Ieroboami. Sed & Paulus Apostolus dixit, Nónne qui edunt uictimas, participes sunt sacrarij, adeoque totius religionis? Ad hæc, uelata abscondebantur potissima Christi & Ecclesiæ mysteria in ceremonijs, fueruntque sacramenta Iudaici populi, quibus dominus sibi hunc obstringere firmiter uoluit, adde & refricare sua beneficia, denique exerceri pietatem & obedientiam, adeoque fidem sui populi. Cumque in eis fidem & fidelem obedientiam exigeret ante omnia, non placuerunt ceremoniæ hæ domino, quoties populus sensu mysteriorum destitueretur, fide careret, atque externum modò cultum exerceret. Nam apud Ieremiam clamat dominus, Holocausta uestra addite uictimis uestris, & comedite carnem: quoniam nihil locutus sum cum patribus uestris, neque præcepi eis cum educerem eos ex Ægypto de holocausto & sacrificio: sed hoc uerbum præcepi eis, dicens, Audite uocem meam, & ero uester

Ceremoniæ diuinæ.

Ceremoniæ Iudaicæ.

Finis ceremoniarum.

Cultus Dei.

1. Cor. 10.

Quomodo probentur & improbentur ceremoniæ.

Deus, uos autem eritis populus meus. Alibi uerò legimus sacrificia oblata, & cultum illum exhibitum à populo, fuisse Deo gratisimum, odorisq; suauisimi. Vnde uerò illa diuersitas, nisi ex animis colentium Deum cultumq; exhibentium? Placuerunt enim sacrificia, placuit cultus qui fiebat ex simplici obedientia ac fide: displicebat qui sine fide & syncera obedientia animi, forinsecus non intrinsecus, persoluebatur Deo: quo nomine & Cain peccasse legitur: atq; eo modo sacrificare non præceperat. Rursus legitimè & in fide Christi uenturi Mesiæ sacrificare & colere Deum, instituto externo cultu, iusserat: non ut ex ipso opere patrato sperarent iustitiam, sed ex eo qui in omnibus præfigurabatur ceremonijs. Hic erat Christus, qui mens & uita est omniũ quæ in lege tradita sunt ceremoniarum.

Non inutilis cognitio ceremoniarum.

Sed præstat per partes, non omnes quidem aut singulas, sed potisimas tamen inspicere expendereq; ceremonias. Nemini autem hic labor noster curiosus aut inutilis esse uideatur. Nam mirè conferet ad sanam intelligentiam legis abrogatæ. Præterea quæ à Deo tradita sunt in scripturis sanctis, utilitatem habent luculentisimam, & authoritatem diuinam: adeo ut stulti simul ac impij sint, aut ut mitius loquar, ignari rerum bonarum & temerarij, qui fastidiunt & ceremonias diuinitus traditas & ipsarum tractationem sobriam atq; piam. Inuenias non paucos quibus utilisimum excellentisimumq; uideatur Homerum & Maronem allegoricè interpretari: in solis ceremonijs diuinis nulla stultis uidetur recondita uel utilitas uel sapientia: cum reuera nihil habeat orbis hic totus, utilius, iucundius, elegantius, excellentius, & eruditius in hoc argumento, quàm ceremonias sacras. Describuntur enim his mysteria Christi & Ecclesiæ catholicæ, idq; perspicuè, eleganter & excellenter.

Ceremoniarũ summa.

Atq; in his recensendis perstringendisq; sequar maximè ordinem naturalem. Ceremoniæ pertinent ad cultum Dei ecclesiasticum. Atqui necesse est ut sint personæ destinatæ in Ecclesia, quæ magistri uel ministri potius publici sint ceremoniarum, & eas exerceant in Ecclesia secundum instituta domini. Necesse est ut sit locus quoq; certus & tempus certum, quo maximè exerceatur cultus: sed & ritus sacros, hoc est, ipsas ceremonias circumscriptas, numeratas aut designatas certasq; esse oportet, ut norint cultores Dei, qualem Deo cultũ exhibeant. De personis, id est, Sacerdotibus siue Leuitis, primo loco dicemus paucula, ubique auditorem relegantes ad lectionem sacri codicis, in quo descriptiones singulæ plenius & copiosius continentur.

Sacerdotium.

Origo sacerdotij.

Origo sacerdotij in ueteri populo ad ipsa se extendit rerum exordia. Tradunt enim primogenitos in qualibet familia fuisse sacerdotes. Certè cæsis Ægyptiorũ primogenitis, Izraelitarum primogenitos lege sibi cõsecrat dominus. Ac semper fuit magna primogenitorum dignitas & excellentia uel in legibus ciuilibus. Tenuit primogenitus in domo paterna dominatum, adeoq; regnum inter fratres primogenito cedebat hæreditas, reliquis dabantur munera: primogenitus sacerdotij præfulgebat dignitate. Ergo cum Cain atq; Abel concertarent de primogenitura, non concertarunt de re leuicula, sed omnium præstantisima. Vnde cum uirgo mater dicitur à Luca primogenitum suum genuisse filium, nemo cogitet secundò genitum aut ipsam plurium liberorum fuisse matrem. Dignitas enim excellentiaq; notatur. Ad Christum enim Dominum pertinet regnum, sacerdotium & hæreditas. Huius liberalitate & munificentia adoptamur & nos in participatum, ut simus & nos reges, sacerdotes & hæredes uitæ æternæ & omnium bonorum cœlestium. Verùm ut redeamus ad id quod instituimus, sacerdotij dignitas iure primogenituræ Rubenis erat in populo Izraelis. Cæterum is nephando flagitio

Christus primo genitus.

gitio, incestu uidelicet admisso, ius suum amisit. Successit ergo Leui: sed & is dignitatem eam scelere perdidit, quòd Sichimitis perfidè cladem intulisset, atque prophanasset sacramentum circuncisionis. Quoniam uerò eadem tribus præclarè se gessit, non modò in educendis filijs Izrael ex Ægypto, sed in puniendis idololatris, uituli inquam cultoribus, sacerdotij functionem seu dignitatem ceu uirtutis præmium recepit, inque locum primogenitorũ uniuersi seminis Izrael Leuitæ sunt repositi. Sic enim legimus, Et ait Moses ad Leuitas, Consecrate hodie manus uestras dño, quisque in filio suo & in fratre suo, ut detur uobis hodie benedictio. Et iterum, Et loquutus est dñs ad Mosen dicẽs, Ecce ego selegi Leuitas è medio filiorũ Israel pro omni primogenito quod primum nascitur in filijs Israel: & Leuitæ erunt mei. Meum est enim omne primogenitum à die quo percussi omne primogenitũ in terra Ægypti, consecraui mihi omne primogenitum in Israele, &c. Ex his cõstat Leuiticam tribũ consecratam fuisse sacerdotio in Ecclesia Israelis. Porrò hæc dignitas seu hoc ministerium huic tribui singulariter confirmatum est mox à seditione Choritica, Dathanica, Abyramicaque, signum edente domino in uirga Aaronis, quæ floruit inter undecim surculos sola, in testimoniũ, quòd Deus sacerdotio Leuiticam tribum & solam quidem illam destinasset. Ideò uerò eadẽ illa uirga & in arcam reposita seu asseruata est in tabernaculo, ne post hac unquam aliæ tribus sacerdotium affectarent. Hæc fusius exponuntur Numeri 16. & 17. cap.

Leuitæ sacerdotes. *Exod. 32.* *Num. 3.*

Erat autem inter Leuitas ordo certus, erant gradus, erat dstributio quædam in partes certas. Diducebantur enim Leuitæ in tres familias, nempe Cahatitas, Gersonitas & Meraritas: ac hæ rursus distribuebantur in ordines quatuor. Principiò enim deligebantur ex familia Cahat principes, qui præsidebant: deinde qui reliqui erant inter Cahatitas, & duo alij ordines Gersonitæ & Meraritæ, uelut subditi præsidibus parebant. Omnibus enim præfulgebat Aaron summus pontifex cum Ithamar & Eleazar filijs. Ita enim legimus Numeri 3. Et dabis Leuitas Aaroni & filijs eius. Dedititij enim sunt ex filijs Izrael. Aaronem uerò & filios eius præficias, ut custodiant sacerdotium suum. Alienus si accesserit, interficiatur. Ea re præferebat summus sacerdos Aaron typum Christo regi & pontifici uero optimo maximo, cui subiecti sunt Christiani omnes, quorum ipse summus pontifex & caput in cœlis est.

Ordo inter sacerdotes certus

Sciendum autem est non omnes Leuitas inseruisse tabernaculo, neque omnes ubique per uniuersam Israelis terram docuisse. Certæ erant leges quinam uocandi ad ministerium sacrum ex Leuitis, qui repellendi. Leges non uacat hic recensere omnes. Præcipuæ extant Leuit. 21. & 22. cap. Numeri 8. cap. designatur & ætas idonea ministerio, nempe à 25. anno ad 50. usque annum. Præterea consecrabantur uocati & delecti ad ministerium sacerdotes. Ritus consecrandi copiosior operosiorque est, quàm per compendium referre liceat. Significabatur consecratione, donis uarijs instructos, & conuersatione sanctissima præditos esse oportere eos qui seruiũt Ecclesiæ in munere sacerdotali. Huc enim in primis pertinebat unctio sacerdotalis, typus sancti spiritus, quo nisi imbutus sit minister ecclesiasticus, munere sibijpsi ad interitum fungitur. Porrò sacerdotalis cõsecratio describitur à Mose Exodi 29. Leuit. 8. & Numeri octauo capite. Hoc loco commemorari oportet etiam cultum, siue uestitum sacerdotalem. Vtebantur sacerdotes extra ministerium uestitu politico, ut colligere ex Ezechiele possumus: sed in ministerio, sacro ceremonialique. Eius descriptionem copiosam exhibet nobis Moses Exodi uicesimooctauo & 39. cap.

Ex Leuitis ad ministerium deligebantur idonei. *1. Ioan. 2.*

Numerantur nouem uestium genera, alij octo duntaxat recensent. Iosephus

Vestis sacerdotalis.

decem. Ante omnia abluebantur aqua munda sacram rem facturi sacerdotes, deinde uestibus sacris induebantur. Fuerunt in his communes uestes sacerdotum atque Pontificis. Principiò lineis fœminalibus, quæ usque ad genua & poplites ueniunt, uerenda celantur, & superior pars supra coxendicem astringebatur, simile quippiam habens cum superiore caligarum nostrarum parte, ut si quando expediti mactarent uictimas, trahunt & portant onera, etiamsi lapsi fuerint, non pateat quod opertum est. Deinde lineis fœminalibus inducebatur tunica stricta, duplici sindone, quam & ipse Iosephus bysinam uocat. Adhæret corpori plana & sine ruga uel plica, descenditque ad crura usque. Solebant quondam militantes habere lineas, quas camisias uocant, sic aptas membris & astrictas corporibus, ut expediti essent uel ad cursum uel ad prælia. Ergo & sacerdotes parati ad ministerium Dei utuntur hac tunica, ut pulchrè tecti, interim & expediti suum perficiant ministerium. Tertium genus uestimenti zona, cingulum uel balteus, astringebat tunicam illam. Contexta erat purpura, cocco, bysso, hiacyntho que in similitudinem pellis colubri, dependebatque ad crura usque, sed in ministerio sacro retorquebatur in læuum humerum. Quartum genus uestimenti numeratur thiara, uel rotundum pileolum, quod caput obtexit fermè ad aures usque, ea forma, quasi media sphæra sit diuisa, superiorque pars imponatur capiti. Hinc fuit Ephod (cuius quidem in scripturis alibi, non in Exodo, ubi ex professo uestimenta sacerdotum describuntur, fit mentio) communis uestis omnibus sacerdotibus. Pallium fuisse putatur ex lino, quo & Dauid indutus erat cum saltaret ante arcam. De Sacerdotibus à Saule cæsis per Doeg Aedomæum legimus, Et interfecit eo die 85. uiros ferentes Ephod lineum: non quòd tum ferrent cum interficerentur, sed quòd essent in ea ætate eoque ordine ut ferre possent, hoc est, ut ministrarent in sacerdotio domini. Ergo in Osea legimus, Eris sine Ephod & Teraphim, nimirum sine sacerdotio & cultu. Nam Ephod cœpit usurpari pro ipso sacerdotio, uestis siue signum pro re signata. Quòd si quis hæc Oseæ de nobiliore Ephod, de quo mox dicemus, intellexerit, non refragabor. Nec multum uidetur distare Ephod lineum à ueste quam Papistæ hodie pallium, camisiam uel uestem chori uocant. His autem quinque uestibus communiter utebantur pontifex ac sacerdotes. Reliquæ quatuor propriæ pontificum sunt, quarum primam uocant Megil, ea fuit tunica talaris, uestis inquam sinuosa, tota hiacynthina, à collo demissa in solū, ad pedes, conclusa omni ex parte, nisi ubi exertum caput et brachia: infernè ex limbis eius dependebant septuaginta duo tintinnabula seu nolæ, & totidem mala granata uel punica, ita collocata, ut semper fuerit inter duo tintinnabula unum malum punicum, & inter duo mala punica unū tintinnabulum: caussaque redditur, ut cum ingreditur pontifex in sancta sanctorum, totus uocalis incedat, statim moriturus nisi sic fecerit. Sequitur Ephod pontificis, longè diuersum ab illo, de quo prius diximus. Hoc enim non erat lineum, sed contextum opere textorio polymito, ex auro, purpura, byssoque: etiā forma diuersum à priore. Pontificium enim hoc erat humerale uel pectorale, à collo ad coxendicem usque per cubitum extensum: contexit enim ueluti thorax pectus, scapulas & infra axillas utrunque latus: ea forma qua uidemus hodie thoraces mulierum, quos appellant Heluetice Lybli, præditos. Hoc supra talarem induebatur. In utroque humero singuli hærebant Onychini, schoham dicti, gemmæ pretiosæ, nomina filiorum Izrael habentes insculpta: contra pectus nihil contextum erat, sed locus Rationali apparatus. Nam Rationale, quod Hosen appellatur, octauum erat uestimenti genus, pectorale iudicij quoque nuncupatum: id erat ex auro, purpura, & bysso textus pannus, palmi habens magnitudinem

Marginalia: *Fœminalia.* — *Tunica stricta.* — *Zona.* — *Thiara.* — *Ephod.* — 1 Regum 22 — *Megil.* — *Humerale.* — *Rationale.*

per quadrum, & duplex, & limbis ex quatuor partibus munitum, ne facilè rumpatur. Intexti erant ei lapides siue gemmæ, miræ magnitudinis (in hoc genere) & pretij, per quatuor ordines, ita ut in singulis uersibus terni lapides collocarentur: quibus etiam ut onychinis inscripta erant nomina filiorum Israel. Radiabant uerò miro quodam fulgore: neq; enim alij lapides nisi splendentes pectorali inserebantur. Vnde Vrim & Thümmim non uidetur fuisse aliud quàm hic lapidum ordo. Significat enim Vrim & Thümmim splendores & integritates. Nam ut gemmæ hæ fulgurabant, ita erant integerrimæ, nullumq; in eis uitium apparebat. Ac arbitrantur sacerdotem summum nunquam in re graui dixisse ius, aut responsa oraculaq; rogatum edidisse, nisi cum pectorale hoc iudicij in pectore haberet positum. Connectebatur enim aureis annulis ipsi Ephod uel humerali seu thoraci, insuper & catenulis aureis suspendebatur ex humeris, sub onychinis lapidibus demissis. Præstantissimum hoc in ornatu ac uestitu pontificis habebatur. Erat enim scrinium pectoris & thesaurus omnis iuris & scientiæ, omnis denique æquitatis & iudicij, unde ueluti responsa petebantur, quomodo se gererent in caussis difficilibus Israelitæ. Proinde alij uertentes Vrim & Thümmim δήλωσις καὶ ἀλήθεια, id est, manifestatio, uel doctrina, inquiunt, Et ueritas in pectore sacerdotis est. Vltimo loco ponitur Lamina aurea. Fuit enim in capite sacerdotis summi uitta hiacynthina, in qua erat lamina aurea, acuminata quidem illa, ea propemodū forma, quam uidemus hodie in infulis Episcoporum. Inscriptum in ea continebatur, Sanctum domino, uel sanctitates domini. Solus enim sanctissimus & sanctificans est ipse Christus dominus: Antichristus est qui hoc nominis sibi usurpat. Sunt qui putent laminæ inscriptum nomen domini ineffabile. Constringebatur equidem hæc lamina apud pileolum illud lineum, commune omnium sacerdotum, in fronte per uittam hiacynthinam, adeoq; pontificem ueluti coronabat. Hic inquam, fuit uestitus sacerdotum sacer & Pontificis summi in primis.

Vrim & Thümmim.

Lamina aurea.

Significationem illa habent pulcherrimam & multiplicem. Vsum & finem ipse Dominus per Mosen indicauit, instituta hæc esse ad gloriam & decorem: non tantùm ad conciliandam ministris sacra peragentibus authoritatem, sed etiam ad commendationem sacrorum. Videntur enim hæc augustiora quæ tanto cum apparatu celebrantur. Ac utile & propemodum necessarium erat populum istum ad gentilium ritus recipiendos promptissimum, his in officio retinere. Præterea exhibent hæc quoque Christum uerum & summum sacerdotem nobis spectandum. Vestitus is erat ueste iustitiæ, temperantiæ & uirtutis, hancq; uestem nobiscum habet communem. Oportet enim omnes Christianos ipsum induere Christum. Excellit interim Christus tanquam Pontifex summus, non modò quòd ipse nos consecrat, & uirtutibus instruit: sed quòd peculiaria habet, utpote Deus uerus & saluator mundi. Gestat nos in humeris suis & in pectore suo, ueluti gemmas pretiosas. Non enim uiles, sed pretiosi sumus in conspectu eius. E pectore pontificis nostri Christi resplendet & emicat lux sapientiæ æternæ. Nam in ipso ut in scrinio æternæ Dei sapientiæ, sunt reconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ. Ipse est lux mundi, ueritas & integritas, ut totus mundus ab uno Christo iure poscat leges, iura, responsa, & quicquid ei opus est ad perfectionem & ueram beatitudinem. Ipse est sanctus sanctorum, diuina maiestas & sanctitas: cuius capiti rectè & iure optimo insidet corona gloriæ, utpote qui solus sanctificat, regnat gloriosus, & uiuit in secula. Iam etiam instituebantur hisce ceremonijs sacerdotes, ut uel ex uestitu intelligerent quid ab ipsis requiratur, & quales ipsos esse oporteat. Sint sacerdotes semper accincti ad officium, ambulent ho-

Significatio uestitus sacerdotalis.

nestè coram Deo & hominibus: sint temperati & alieni à luxu & libidine: sint lumbi eorum astricti balteo iustitiæ & ueritatis: pectus, latera & dorsum sint munita uerbo Dei: sit caput ipsum tectum galea salutis: super imponatur capiti ipse Christus saluator: sit hic caput ministrorũ & ministerij: in primis uerò sit sacerdos uocalis in Ecclesia. Nam si mutus sit, morietur: si autem strenuè prædicarit nomẽ domini & legem eius, odorem excitat in Ecclesia punicorum malorum fragrantia gratiorem. Ergo sub uestium inuolucro tegũtur mores, uirtutes & uitia. Post sermonem nil magis commendat hominẽ quàm uestis. Qualis animus, talis ferè sermo & uestis: ergo uestis conuersationem significat. Vnde iubemur in sacris aliam induere uestem, cum postulatur conuersationis immutatio: adeò ut bona pars doctrinæ sacerdotalis quid ipsos deceat in uestitu contineatur.

Officium sacerdotum. Verùm tempus & res ipsa postulat ut disertè iam loquamur de officio sacerdotum. Id erat uarium & multiplex, obtinebat tamen primas in omnibus institutio siue doctrina. *Doceant.* Nam præcipuè ordinati sunt à Deo sacerdotes, ut Ecclesiã instituant in uera pietate, doceantq; legem & instituta domini. Nam in hæc uerba legimus dominum dixisse ad Aaronem, Vinum & siceram non bibes, tu & filij tui qui sunt tecum, cum ingressi fueritis tabernaculum testificationis, ne moriamini. Statutum sempiternum sit in generationes uestras: & ut discrimen faciatis inter sanctum & inter prophanum, inter immundum & mundum: utq; doceatis filios Izrael omnia statuta quæ locutus est dominus ad eos per ministerium Mosis, Leuit. 10. Eandem legem repetit Ezechiel totidem propè uerbis in cap. 44. Ac illustrat eandem Malachias etiam in cap. 2. Errãt ergo quibus persuasum est, sacerdotes Leuiticos duntaxat ad lanienam esse conductos. Materiã quoq; quid doceant Leuitici sacerdotes hîc & ubiq; in legibus suppeditat dominus, non utiq; philosophiam ethnicam, edicta & placita regum aut decreta seniorum, sed ipsum uerbi Dei traditum à Deo. Iam uerò ut doctrina commodè proponi posset populo, sacerdotes populo quoq; indicebant Fastos.

Benedicant. Post doctrinam non minimum officiorum erat Benedictio. Ea non permittebatur eorum arbitrio, sed astricta erat ad certam formam, eamq; solennem, huiusmodi uidelicet, *Num. 6.* Et locutus est dominus ad Mosen, dicens, Loquere ad Aaronem & ad filios eius, dicẽs, Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis, Benedicat tibi dominus, & custodiat te: ostendat tibi dominus faciem suam, & misereatur tui: attollat dominus faciem suam super te, & det tibi pacem. Hæc formula erat, qua utebantur haud dubiè in cœtibus sacris, maximè cum dimitteretur populus. Alibi uerò dicitur benedicere Deus, hîc Aaron & filij eius: cæterum quod externis sensibus ingerunt sacerdotes, id internè operatur atq; præstat dominus fidelibus, ut benedictio proprium Dei opus maneat. Nam significanter solenni formæ subiungitur, Inuocabuntq; nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis. Proponunt ergo sacerdotes nomen domini: commendant diuinam naturam: ostendunt omne bonum profluere à Deo, & quomodo id possimus consequi per Christum, qui est semen benedictum, benedicens inuocantibus nomen eius. Comprehenduntur sex capita in benedictione solenni. Primò dicitur, Benedicat te Deus, id est, conferat tibi quæcunq; pertinent ad incolumitatem corporis & animæ. Secundò dicitur, Custodiat te. Non enim satis est accipere bona corporis & animæ à Deo, nisi etiam conseruentur integra, nec eripiantur nobis iterum per iram Dei, aut nos nostra amittamus negligentia. Tertiò dicitur, Ostendat tibi dominus faciem suam. Vel, Illuminet Dominus uultum suum super te. Ostendit nobis Deus benignam faciem, cum rediit nobiscum in gratiam, ac nobis beneuolus est. Ideò

quanto

quarto loco sequitur expositio planior, Et misereatur tui: semper tibi sit clemens & propitius Dominus in omnibus tuis institutis, dictis & factis. Quinto sequitur loco, Attollat Dominus faciem suam super te. Attollit uultum suum Dominus, quando respicit nos, uigilat super nos, & dirigit uias nostras. Vltimo loco ponitur Pax, quæ est salus & summum bonum, quanquam & bello opponatur: est & conscientiarum pax, iuge conuiuium. Hæc tanta bona imprecabantur populo sacerdotes, qui haud dubiè & orare Dominum docebant, & ad sedulas preces hortabantur. Extant uel hodie Psalmi compositi à sacerdotibus in gratiam populi. Postquàm enim Dauid in templum induxisset musicam, cantus quoque musicorum instrumentorum, suauis tractatio siue modulatio, ipsa inquã Psalmodia cœpit numerari inter officia sacerdotum. De Musica sacra multis agit prior liber Paralipomenon in rebus Dauidis, ubi etiam traditur, quòd Cantores ipse Dauid distribuerit in classes 24. idq́ per sortes.

Orare.

1. Par. 25.

Præterea iussi sunt sacerdotes rem facere diuinam, administrare inquam sacramenta, ac sacrificare. Circuncidebant enim infantulos, pascha procurabant, & sacrificia uarij generis offerebant Domino: de quibus mox dicemus suo loco. Vt autem commodius sacrificaretur à sacerdotibus, Dauid instinctu sancti spiritus, diuisit duas Eleasaris & Ithamaris familias in uices 24. Per uices enim obibant ministeriũ sacrum, sicuti copiosè exponitur 1. Paral. 24. Toto autem ministerij tempore in ipso tẽplo perseuerabant, nuspiã egredientes templũ. Erãt enim habitationes in ipso templo extructæ, pro ministrantibus in uice sua. Reuertebantur domum ubi expleuissent ministeriũ suum. Huc pertinet, quòd sacerdotes asseruabant uasa sacra, quòd ea purgabant: alebant lumina, ignemq́ fouebãt perpetuum: breuiter curabant illa omnia quæ ad rem sacram pertinere uidebantur, oleum, thus & similia.

Rem sacram faciant.

Priusquàm uerò extrueretur Templum, & sedes in terra promissa fixas Israelitæ consecuti essent, sacerdotes tabernaculum curabãt in portando, erigendo, ac deponendo. Numeri enim 3. cap. sic legimus, Leuitæ custodient omnia instrumenta tentorij constitutionis, & obseruationem filiorum Israel, ut obeant ministerium tabernaculi. Nam Tabernaculum ita constitutum erat, ut posset ad profectionem in multas dissolui partes. Ergo cùm Israelitæ iã uellent mouere castra, accessit Aaron cum filijs, & uelis ad hoc dispositis inuoluebat uasa sacra. Cahatitæ portabant arcam, mensam, aras & instrumenta ad ista pertinentia. Gersonitæ curarunt ligatilia, integumenta, aulæa, tapetia, uela & funes. Meraritæ portabant duriora ex ligno & ære, columnas, uectes, palos, asseres. Quæ qui exactius intelligere cupit, legat 3. & 4. cap. libri Numerorum. Extructo templo, ianitores ex Leuitis templiq́ custodes ordinati sunt. Sed & Tubæ quibus conuocabatur cœtus, erant in manibus sacerdotum. De qua re legitur Num. cap. 10. Adhibebantur etiam Bello sacerdotes: sicut uidere est Deut. 20. cap. Dominus enim noluit silere leges inter arma, imò uictorias maximè refert ad pietatem studiumq́ religionis.

Portent tabernaculum & uasa domini.

Ianitores.

Tubæ.

Bello intersint sacerdotes.

His accessit & aliud officium sacerdotale, nempe iudicare inter caussam & caussam, inter mundum & immundum. Vtrunq́ fusius describitur Deut. 17. & Leuit. 13. & 14. Nam exorta caussa aliqua difficiliore, referebatur ea ad metropolim: & si quis de lepra fuisset suspectus, iudicabant de morbo, iuxta leges præscriptas, Leuitici sacerdotes. Et hactenus quidem in arctum constrinxi sacerdotale ueteris populi officium, potissimas tantum partes commemorans. Iam ut sacerdotes ecclesiæ Izraeliticæ inseruiebant, ita uiuebant ex ecclesiæ reditibus. Certas enim habitationes & uectigalia certa his destinauit in terra promissa Dominus. Nam designauit urbes per totum terræ Izraeliticæ orbem, quadragintaocto, ex quibus sex

Iudicent.

Josue. 21.

Habitationes et uectigalia sacerdotum.

Josue. 14

refugij habebantur oppida. Sed & ſuburbana ſiue prædia pro iumentis & familijs ſacerdotum proximè ante ciuitatum mœnia, per mille cubita circunquaq; extendere ac deſignare iuſſit Dominus. In his oppidis erant ſcholæ, pulchrè per totam terram ſic diſtributæ, ut omnes ex uicinis locis non iniquo itinere ad ſynagogas haſce peruenire poſſent. In his non ſacrificabatur. Nam in uno duntaxat loco ſacrificabatur ex præcepto: ac ter in anno aſcendebant ad templum ſacrificaturi: in omnibus autem ſynagogis, ſingulis ſabbatis docebatur lex Domini. Porrò uectigalia fuerunt ampla. Deſcribuntur enim Numeri 18. & Leuit. ultimo. Amplæ ſatis opes erant ſacerdotibus, ad alendas ipſorum familias, honeſteq; uiuendum. Rurſus non uacabant otio, neq; diffluebant luxu, ſed temperanter uiuentes, literis inuigilabant & docebant fideliter. Hæc de Perſonis ſacris hucuſq;.

Scholæ.

De loco ſacro.

Et quoniam iuxta legem non licebat niſi in uno loco ſacrificare, certus utique fuit locus populo deſignatus, in quo ceu in officina ſacra, ſacerdotes ſacra ſacerēt, ut iam ordo ſeriesq; rerum requirat aliquid dicere etiam de loco ſacro. Is erat initio quidem Tabernaculū Moſis, poſtea uerò Templum Solomonis. Lex de ſacrificijs non ubiq; niſi per diſpenſationem, ſed in uno eoq; certo loco offerendis, extat apud Moſen Deutero. 12. Leuit. 17. cap. ac myſterium continet Chriſti, qui non niſi ſemel, uno in loco, oblatus eſt, ad expiationem peccatorum totius mundi. De quo paulò poſt plura. Tabernaculum autem ſiue Tentorium (conſtitutionis tentorium appellatum, eò quòd diuinitus conſtitutum eſſet, & ad reſponſa ibi danda & ad cultum Dei legitimum perficiendum) populo fuit in deſerto erranti templi loco. Quia enim per annos 40. per deſertum oberrabant, non conueniebat eis fixum aliquod templum, ſed portatile. Id in hunc modum erigebatur, & erat fermè huiuſmodi. Principiò infigebantur terræ foramina habentes argenteæ baſes, pro aſſeribus in parietem compingendis erigendisq;: ſingulis uidelicet aſſeribus aut tabulis baſes binæ. Nam ſingulæ tabulæ habebant inferius duos dentes, quibus inſerebantur baſibus. Tabulæ in utroque tabernaculi latere uicenæ & ad Occidentem in capite decem erant, omnes obductæ auro, altæ cubitos decē. Hæ inquam erectæ imponebantur aut infigebantur baſibus: à tergo habebant circulos aut annulos aureos, per quos uectes ex ligno Sittim (putatur ea eſſe ſpina alba) inſerebantur, ut aſſeres inter ſeſe aſtrictæ, ſibi conſtarent, nec hiaret ſtructura ſiue paries, tabulæúe aut antrorſum uel retrorſum inclinarent. Ab Oriente claudebatur uelo ſanctum. Porrò contextæ erant cortinæ ſeu aulæa decem opere phrygio, quæ anſulis ſeu fibulis inter ſeſe conſerebantur. Hæ autem ceu contignatio aut laquearium quoddam ſummitati tabularum erectarum imponebantur: quibus rurſus inducebatur tectum triplicatum, quorum ſupremum erat taxinum imbribus arcendis idoneum. Habebat autem tabernaculum in longitudine cubitos triginta, in latitudine decem. Id quod colligi poteſt ex menſura aſſerum. Diuidebaturq; in partes tres. Prima appellabatur Sanctum ſanctorum, & Adytum ædis, uel oraculum templi. Secunda ſanctum, longum cubitos uiginti, ut illud decem. Tertia uocabatur Atrium, cuius longitudo erat centum, latitudo quinquaginta cubitorum. Incluſum hoc erat columnis quinquaginta tribus defixis in æneas baſes, & altis quinque cubitis, ex quibus dependebant tapetia reticulata ac perſpicua: in ingreſſu ſuſpenſum erat ad columnas quatuor uelum uiginti cubitorum. Sanctum ſanctorum dirimebatur à Sancto per uelum pretioſiſſimum in quatuor columnis argenteis ſuſpenſum: ſed & Sanctum ab Atrio claudebatur uelo ſecundo, & ipſo pretioſo, quod quinq; auro obductis columnis ſuſtentabatur. In medio atrij ſtabat erecta domus interior, ipſum inquam tabernaculum, diſtincti

Tabernaculum quale fuerit.

ut mo-

ut modò diximus in Sanctum sanctorum & sanctum. In Sanctum sanctorum non ingrediebatur, nisi semel in anno summus Pontifex. In ipso reposita erat Arca fœderis Domini nostri inter Cherubim: cui alij ex authoritate Apostolica cõiungunt thuribulum aureum. Sunt alij tamen qui per θυμιατήριον nõ thuribulum sed altare suffitus intelligunt. Hi si non falluntur, apparet altare aureum eo tempore, quo illa scribebat Apostolus, intra uelum stetisse in adyto. Cæterum constat ex cap. Exodi 40. ab initio altare aureum (sicuti mox subijciam) collocatum stetisse in Sancto ante uelum. Nec diuersum uidetur colligi posse ex 1. cap. Euangelij secundum Lucam. Porrò Arca fœderis non apparebat ulli mortalium, nisi soli sacerdoti semel in anno incensum inferenti oraculo. Nam recondebatur Velo primo, uectibus, quibus ferebatur, nonnihil prominentibus in Sancto, obscurius tamen, forte impulsu ueli, in quo uectium extrema quasi ubera uel tubera exprimebant, quæ quidem in ipso Sancto propius stanti cernebantur, remotius non item. Nam 3. Reg. 8. cap. ita legis, Fecerunt quoq; ut prominerent uectes, ita ut uiderentur capita uectium de Sancto ante adytum, foris autem non uidebantur. Sanctum patebat quotidie sacerdotibus per uices sacra facientibus, seu ministrantibus. In ipso posita erat ante uelum Mensa aurea panibus propositionis instructa, in parte inquam australi: ex opposito autem in latere meridionali conspiciebatur Candelabrum aureum. Cæterum in medio, intra utraq; illa, ante uelum & arcam stabat Altare aureũ thymiamatis appellatum, quòd sacris consecratũ esset suffimentis adolendis. In Atrio autem non ita procul à uelo secundo Sancti apparebat Ara holocaustorum, ac inter aram & uelum collocatum erat solium siue labrum, è quo se abluebant sacerdotes, rem facturi sacram. Ad aram omni ex parte prospectare poterat populus, qui contemplandorum sacrorum gratia aduenerat. Huiusmodi uerò fuit locus sacrorum, ipsum populi Izraelitici templum. De quo copiosiora & pleniora leget, qui uolet, Exodi 26. 27. 36. 38. 40. &c.

Quæ fuerint in Tabernaculo reposita

Hebr. 9

Quæ autem hactenus protulimus de Tabernaculi structura, usum splendidum & significationem minimè obscuram habent. Vtile fuit in primis ad unitatem fidei catholicæ tum alendam tum retinendam. Vno enim hoc tabernaculo ceu uinculo firmissimo, primùm Deo & eius cultui, deinde ipsi inter sese, ueluti in unum corpus Israelitæ constringebantur. Nam ad hoc tabernaculum totus populus colligebatur tanquam ad unam parochiam, sub unius Dei cultum. Cumq; degerent in tabernaculis filij Izraelis, uoluit etiam sibi Dominus extrui tabernaculũ, & hoc in medio ipsorum collocari, ut uel ita testaretur se in medio ipsorũ habitaturum. Tabernaculum ergo ueluti palatiũ Dei ac regis supremi in medio populi stabat, præsentiæ diuinæ testimonium, & ut omnibus timorem reuerentiamq; incuteret præsentia numinis. Homines in tabernacula seu domos nostras recondimus res nostras, ac domi nostræ quæri uolumus. Reposuit ergo Dominus in tabernaculo res sacras ueluti thesaurum suum, ac se in tabernaculo requiri uoluit, promittens ibi se exauditurum preces & uota fidelium supplicum. Præterea reconduntur in his mysteria Ecclesiæ & Christi. Paulus enim appellat nos templum Dei & corpora nostra tabernacula. In nobis enim uult habitare Dominus. Tabulæ tabernaculi sunt ueluti tigna, trabes & columnæ ædis sacræ. Habet & ecclesia colũnas, doctores & uiros alios heroico uel principali spiritu præditos: ac singuli quidem fideles tabulæ sunt deauratæ, si custodiant fidei synceritatem, maneantq; in fidei unitate. Vectibus coniungebantur tabulæ: doctrina enim solida in officio & concordia retinere oportet fideles. Cortinæ quamuis multæ essent, coniungebantur tamen aureis fibulis ceu in unam texturam: ergo & diuersa ecclesiæ membra per

Significatio Tabernaculi.

charitatem colligi ac connecti oportet, ut sint unum inter se ac operimentum
quoddam iustitiæ in ecclesia. Tectum, ecclesiæ fides est, pœnitentiaq; uel studium
innocentiæ. Basis est ipse Christus. Nam fundamentum aliud poni non potest,
quàm quod positum est, Christus Iesus. Porrò uelum expansum ante Sanctum san
ctorum, significabat nōdum manifestatam esse, ut inquit sacer Apostolus Paulus,
Hebr. 9. sanctorum uiam, adhuc priore tabernaculo cōsistente. Ergo dum aduenisset Chri
stus & morte sua implesset omnia, uelum quod tunc in templo pendebat, à sum
mo imum usque scissum est, ut hinc omnes intelligerent uiam apertam esse in San
cta sanctorum, in ipsum inquam cœlum, & omnibus in lege satisfactum. Depen
debant & alia in tabernaculo uela, nimirum purissimæ carnis Christi umbracula.
Dependebant illa in ingressu Sancti & Atrij. At uia & ostium est Christus Domi
nus per cuius incarnationem & mortem aditus nobis patet in regnum Dei. Quid
quòd Christus ipse nostrum est tabernaculum, in quo habitamus & uiuimus,
Deumq; colimus ac Deo placemus: ipse cortina & integumentum, contignatio &
ornamentum ecclesiæ: ipse tectum firmissimum & tutissimum protegit nos con
tra omnes iniurias hominum & diaboli, ipse est uectis ecclesiæ, membra conne
ctens & in unitate fidei ac omnis boni conseruans, ipse est columna & basis suæ
ecclesiæ, caput & uirtus, breuiter omnia uitæ & salutis ueræ solus. In his ergo ha
buerunt ueteres potissima Christi & ecclesiæ mysteria abscondita, quibus qui
dem Christus nunc non aliter proponitur contemplandus, quàm olim ab ipso
mundi exordio patribus est expositus, nempe uerus Deus & homo, Rex & Pon
tifex summus & unicus, uerus mundi saluator, in quo solo fideles habent omnia
salutis.

Porrò Tabernaculum hoc iubente Domino erectum est in Silo, quamprimùm
ingressi essent terram promissam, & floruit ad tempora usq; Heli, sicuti clarè legi
tur Iosue 18. & 1. Samuelis 1. & 3. cap. Sub Heli autem capta est Arca Domini à Pa
læstinis & abducta in urbes Palæstinorum, mox tamen restituta, collocabatur in
Historia arcæ domini. Bethsemes, inde in Kiriathiearim, in domo Abinadab in Gibea, in excelso inquā,
siue in colle. Nam domus eius erat extructa in edito loco. Legimus enim 2. Sa
muelis 6. capite, Dauid abijt unà cum populo, ut transferret ex Baale Iuda (dici
tur autem Iosue 15. Baalam, alio nomine appellata Kiriathiearim) arcam Domi
ni. Et mox, Et tulerunt eam de domo Abinadab, quæ erat in Gibea, id est, in col
le. Locus enim in urbe eminentior erat, in quo habitabat Abinadab. Alij Ga
baa putantes proprium esse urbis nomen, dixerunt arcam translatam à Palæstinis
in Gabaa. Cæterum arca ex domo Abinadab, translata est in domum Obedo
dom, inde in ciuitatem Dauidis, hoc est, in Sion. Ita enim exponitur ciuitas Daui
dis 3. Regum octauo capite. In Sion extruxit tetenditq; Dauid arcæ Domini Ta
bernaculum nouum, in quod arcam collocauit, constitutis ibi sacerdotibus qui
ministrarent Domino. Id quod clarè describitur 1. Paralipom. decimosexto capite.
Historia Tabernaculi domini. Interea Tabernaculum constitutionis non neglexit Dauid. Hoc enim post tem
pora Heli & captam arcam à Palæstinis uariè translatum uidetur. Silo certè, in
qua primò collocatū fuit, desolata est, quod Psalmo 78. & Ieremiæ 7. capite indica
tur. Proinde regnante Saule erectum apparet in Gilgal, ubi is gratulatoria ob
tulisse sacrificia coram Domino dicitur 1. Samuelis undecimo. In eodem libro ui
gesimoprimo capite apparet Tabernaculum aliquandiu stetisse in Nobe (urbe
non ita procul dissita à Hierosolyma, Isaiæ decimo capite) ubi ab Achimelech sa
cerdote Dauid donatur panibus propositionis recentibus ex aurea mensa desum
ptis. Dauidis tempore ac regno erectum stetit in Gabaon Beniamitarum oppido

Sic enim legimus 1. Paralip. 21. Tabernaculum Domini quod fecerat Moses in deserto, & altare holocausti, erant tunc (cùm angelus stricto gladio Dauidi appareret) in colle uel excelso Gabaon. Eo loci erat & Solomonis regno, & hoc excelsum petijt Solomon cùm ante extructum templum supplicaret Domino. In hæc enim uerba legimus scriptum 2. Paralip. 1. cap. Abierunt Solomon & omnis cœtus cum eo in excelsum quod erat in Gabaon. Nam illic erat tentoriū constitutionis Dei, quod fecerat Moses seruus Domini in deserto. Cæterū arcam Dei adduxerat Dauid de Kiriathiearim, ad locum quem ei parauerat Dauid. Nam ei tetenderat tabernaculum Hierosolymis. Porrò altare æneū, quod fecerat Bezaleel filius Vri, erat ibi ante tabernaculum Domini, quod quæsiuit Solomon & cœtus. Ergo cùm legimus 3. Regum 3. cap. Solomon dilexit Dominum, ambulans in institutis Dauid patris sui, duntaxat in excelsis sacrificabat & adolebat: non in uituperium quidem, sed in laudem Solomonis profertur, nempe quòd non promiscuè in locis omnibus sacrificarit, sed in excelsis, nimirum in unica illa ara consecrata & destinata à Domino, cuius iam iam mentionē fecimus. Alijs uisum est Solomonem istis uerbis non simpliciter taxatum, quòd sacrificasset in ara holocausti (id enim maximè licebat) sed quòd hactenus distulisset templi ædificium. Verùm consequentia & præcedentia sensum priorem admodum adiuuant. Idem ille Solomon extructo templo, & arcam illam ueterem & tabernaculi omnia, tanquam thesaurum aliquē, ex Gabaon in ipsum templum ab ipso extructum, per sacerdotes inferri & reponi curauit. Sic attestante scriptura sacra, & dicente, Et adduxerunt arcam Domini & tentorium constitutionis, & omnia uasa sacra quæ erant in tentorio: adduxerunt, inquam, illa in templum sacerdotes & Leuitæ. Hæc leguntur 3. Regum 8. & 2. Paralip. 5. cap. Ita uerò tabernaculum Domini, quod stetit annis 478. abrogatū quidem, templum uerò in eius locum est repositum.

Templum porrò Domini paratum quidem à Dauide, sed extructum à Solomone, non est quòd pluribus describam, quod id in 3. libro Regum, & in 2. lib. Paralip. operosè & graphicè depictum exhibeatur. Locus templi indicatus refertur Dauidi ab ipso Dei angelo 1. Paralip. 21. ac ipsum Dauidē primùm ibi sacrificasse, his insuper uerbis additis, Hæc est domus Domini Dei, & hæc ara ad holocaustū Israelis. Quasi dixerit, Hæc area templo designata est, in hac ædificabitur domus Dei, imò in hac immolabitur unica illa & æternùm efficax hostia, ipse incarnatus Dei filius. Consentiunt enim omnes sacrorum interpretes, hunc locum Hierosolymis fuisse in monte Moria, ubi quondam Abraham filium suum Isaac immolare uoluit: & in hunc quidem locum fatalem impositum esse templum: nec procul hinc adeoq; in eodem montis iugo esse montem Golgotha, siue Caluariæ: illum inquam locum & montem sacerrimum, in quo sacra Euangelia commemorant Christum esse immolatum pro peccatis totius mundi, quem sacrificia & templi & ueterum omnia præfigurarunt. Vsus & finis templi non fuit alius quàm Tabernaculi. *De templo Solomonis.*

Grauissimè ergo peccarunt cùm Ieroboam reges Izraelis, qui deserto templo sacrificarunt Deo in excelsis, in suis cathedralibus ecclesijs, nempe in Bethel, & in Dan, denique in alijs locis editis & amœnis. Grauissimè peccauit cum regibus suis populus Iuda, qui uel in excelsis immolauit Deo, uel non in uniuersum excelsa excidit. Dominus enim uno in loco, quē ipse designarat, coli uoluit. Extat aperta lex Deut. 12. & texitur significantissimè Leuit. 17. cap. in hæc uerba, Quicunque è domo Izrael mactauerit bouem, aut ouem, aut capram in castris aut extra castra (uidelicet in sacrificium Domini. Alioqui enim licebat mactare extra sacrificium *Peccatum sacrificantium in excelsis.*

quouis in loco) & ad ostium tentorij constitutionis non adduxerit, ut sacrificet sacrificium Domino ante tabernaculum Domini, sanguis imputabitur illi uiro ac si fudisset sanguinem. Proinde quando filij Israel uolunt sacrificare, adducant sacrificia ad Dominum ante ostium tentorij constitutionis ad sacerdotem ut is offerat. Nec ultra sacrificent sacrificia sua Satyris uel dæmonibus, post quos scortati sunt. Ritus hic erit perpetuus eis & posteris. Qui autem hoc non fecerit, is excindetur de populis suis. Tria in his ueniunt obseruanda. Primum, quòd non licebat sacrificare nisi ante aram holocaustorum uno in loco. Secundum, quòd ideò hoc præcipiebatur, ut omnes intelligerent sacrificium Deo fieri, cuius erat tabernaculum. *Isaiæ 66.* Tertium, quòd extra hunc locum offerre, contra præceptum Dei, erat diabolo immolare: quòd iudicandus ut homicida: & quòd excommunicatus erat ab ipso Domino Deo, exclusus utique ex cōsortio Dei & sanctorum. Quòd uerò Samuel, Helias & nonnulli alij alibi sacrificarunt Deo concedente, ob certas caussas, dispensationis erat. Proinde qui in excelsis, etiam Deo ipsi, non tantùm alienis dijs immolarunt, peccauerunt primò inobedientia. Improbat Deus, imò execratur cultum quem ipsi nobis extra uerbum eius confingentes instituimus: placet ei fidelis obedientia Deinde quòd unitatem corporis ecclesiastici dilacerauerunt: hinc quòd mysterium Christi olim in monte Golgotha offerendi ueluti aspernantes, conculcarunt, & non omnia sua ad Christum tanquam ad unicum scopum sacrorum retulerunt: præterea quòd suis sacrificijs tanquam operibus operatis confisi sunt, & quòd neglecto Dei cultu ipsi sibi cultum peculiarem confinxerunt. Stetit Templum à prima sui fundatione Solomonis ad excidium primum, sub Zedechia rege annis 440. Reparatum uerò ad secundum excidium sub Vespasiano stetit annis 582. Alij aliam supputationem ineunt. Hæc paucis ex multis de Templo hactenus.

Restat ut nonnihil porrò attingamus instrumenta Tabernaculi aut Templi sacra, ipsaque ueluti per transennam inspiciamus. Primas in his tenet Arca fœderis, à Tabulis fœderis in ea collocatis sic dicta. Appellabatur etiam Arca Domini Dei exercituum, habitantis super ipsam, inter cherubim, adeoque ipse Dominus exercituum nuncupabatur sedens inter cherubim, eò quòd inde ederet responsa, & illam reposuisset in medio populi signum suæ præsentiæ inter ipsos. De materia & forma Arcæ hîc nihil dicam. Hæc enim suis coloribus uiuidè exhibentur depicta Exodi 25. cap. De significatione, mysterio & usu arcæ dicam paucula. Homines *Significatio & mysteriū arcæ.* in arcas aut cistas nostras reponimus nostros thesauros. Proinde intelligimus in Arca repositum esse thesaurum ecclesiæ, adeoque uniuersa fidelium bona. Nō ergo quærenda hæc erunt in hominibus, in Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Mose, Dauide, S. Maria, Ioanne, Petro aut Paulo, multò minus in cista Chananaica ac Romanensi indulgentiaria, sed in eo, in quo habitat omnis plenitudo, & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi, qui non in terris spectatur, sed in ipso sancto sanctorum, in ipso inquam cœlo uersatur. Is est Iesus Christus: cuius diuinitas significatur per aurum purissimum, humanitas autem per lignū Sittim, id est, cedri, uel potius spinæ albæ. Assumpsit enim carnem peccatrici similem, ueram quidem illam nostram, sed non peccatricem; nulla in eo peccati spina existente. Ex hac Arca depromunt pij quæcunque ipsis bona sunt necessaria. In Arca enim *Quæ recondita in Arca fœderis.* reposita leguntur hæc, Tabulæ testimonij, Vrna mannæ, & Virga Aaronis florens. Nam in Christo repositos audiuimus thesauros ecclesiæ. Christus est sapientia nostra, lex & uerbum patris, legis consummatio, impletio, iustus, & iustitia nostra. In Christo est alimentum cœleste. Ipse enim panis de cœlo descendit uiuus, ut quicunque de ipso edat, uiuat æternùm. In Christo refloruit sacerdotium. Visum

quidem

quidem illud mortuo Christo in cruce excisum esse, sed resurgens accepit sacerdotium æternum. Nunc enim consistens ad dextram patris in cœlo, intercedit pro nobis. Sed & corona circundabatur arca, quia Christus dominus rex est, qui nos fideles suos liberat ab omni malo, & filios Dei efficit. Ad arcam legitur applicitum uel impositum Propitiatorium, siue illud operculum arcæ, siue sedes quædam fuerit arcæ superimposita. Significabatur illo interpretibus apostolis Ioanne & Paulo, Christus, qui est thronus gratiæ, & propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed pro peccatis totius mundi. Ex propitiatorio item edebantur oracula. Vsus enim propitiatorij ostenditur in historia sacra. Nam Moses tabernaculum ingressus, accepit responsa eaq; retulit ad populum. Et Christus is est, per quem loquitur nobis pater cœlestis, & quem nobis unicè audiendum proposuit, dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea: ipsum audite. In propitiatorium duo Cherubim aspiciunt, & se mutuò quoq; contemplantur. Vnde nimirum S. Petrus dixit, etiam angelos desiderare in ipsum saluatorem mundi, qui per euangelium nunciatur, prospicere. Iidem angeli, ipsi domino nostro seruiunt, semperq; ei, ut domino uniuersorum, asistunt. Porrò Arcam domini nulli portant nisi sacerdotes domini. Nam soli inuncti per spiritũ sanctum & uera fide præditi Christum recipiunt, & donorum eius participes fiunt. Nec dissimulandum quod 1. Sam. 4. & 5. cap. traditur Izraelitas dum Arca abuterentur, iamq; in alium usum, quàm data erat, raperent, & plus ei tribuerent quàm tribuere docuit scriptura, cecidisse uictos à Palestinis, sed & arcam esse in captiuitatem abductam: nimirum ut discerent omnes Sacramentis aut mysterijs Dei non plus tribuere, quàm conuenit, neque in alium finem usurpare aut applicare quàm instituit dominus. Non enim in hoc erat instituta, ut haberetur pro Deo, licet nomen Dei gereret, non ut gratiam & auxilium ab ipsa peterent, sicuti fecisse leguntur, sed ut esset testimonium, Deum utpote confœderatum adesse medium in populo, si modò hic seruaret tabulas fœderis arcæ inclusas, soliq; Deo adhæreret, à quo omne bonum expectaret per Christum, qui per arcam præfigurabatur.

1. Ioan. 2. Rom. 3. Math. 3. Marc. 1. & 9. *Abusus & usus arcæ uetus.*

Egredientibus ex adyto uel sancto sanctorum in sanctum, primùm occurrit Mensa aurea, quæ quali fuerit forma & materia, exponitur Exodi 25. cap. Mensæ imponitur cibus & alimentum hominis, ex mensa reficiuntur homines, in mensa curas deponunt & fiunt hilares. Ergo non alia esse potest mensa, quàm Christus dominus & doctrina Christiana. Christus enim est alimentum uitale, gaudium & exultatio hominum fidelium, Aurea est foris, lignea intus tota, quia cibus noster Deus est & homo. Proponitur mensa in Ecclesia: non ergo quærenda est Athenis aut apud Sophistas, aut apud Gymnosophistas, aut in synagoga. Mensæ imponuntur panes recentes duodecim, diuisi in partes duas. Nam panis uitæ alit utrunque populum Iudæorum & Gentium, & recens quidem suauis & exaturans. Iam etiã panis hic sanctus est, non prophanus, quo soli uescuntur sacerdotes. Quia soli fideles eo digni sunt, soliq; eo participant. Panes autem appellantur propositionis siue facierum, eo quòd hunc uitalem cibum oporteat nobis uersari ob oculos. Et ut perpetuò oportet panes hos expositos esse coram domino in conspectu hominum: ita non decet abditam & reclusam esse doctrinam Christianam. Vasculum thuris imponebatur panibus. Quoniam isti qui uescuntur pane cœlesti, preces & gratiarum actiones sine intermissione Deo offerunt. Leuit. 24. multis describitur, quomodo panes facierum parentur.

Mensa aurea. *Panes propositionis.*

Candelabrum aureum in Sancto ex latere seu opposito mensæ ante uelum apparet. Descriptionem eius habemus Exod 25. cap. Lucernæ in domibus nostris

Candelabrum aureum.

ponuntur ut luceant omnibus in domo uersantibus. Et Christus Dominus datus est mundo lux, ut qui eum sequutus fuerit, indipiscatur lumē uitæ. Illuminat Ecclesiam Christus. Ex Christo cannæ & luminaria prodeunt, quæ ex ipso lumē habent. Dominus ad Apostolos dixit, Vos estis lux mundi. Stipes ergo candelabri Christus est: ex stipite prodeunt cannæ in suprema parte habentes lumina. Quicquid enim luminis est in ministris Ecclesiæ, id totum est ex fonte luminis Christo. Porrò aurea sunt candelabri omnia. Christus enim Deus lux & sapientia patris est: ministros quoq; Christi decet esse synceros & repurgatos ab affectibus carnis: quo & mysterium pertinet emunctoriorum.

Ara thymiamatis. In medio inter mensam & candelabrum stabat ante uelum in sancto aurea ara, quæ thymiamatis appellatur, uel incensi, ac diligenter describitur Exod. 30. cap. Vsus aræ huius erat duplex. Principio enim quotidie offerebatur in ipsa incensum siue suffimentum: quod nephas erat ulli creaturæ aut Deo apparare uel offerre. Id fiebat bis in die, mane & uesperi. In hoc ministerio dum esset Zacharias pater diui Baptistæ, uiso angelo, propter incredulitatem obmutuit ad certū tempus. *Luc. 1.* Deinde semel in anno offerebatur singulari quodam modo incensum, nempe in festo Expiationis, sicuti describitur Leuit. 16. cap. Per incensum uerò, thymiama uel suffimentum intelligendæ sunt sanctorum preces, teste Dauide, dicente, Dirigatur oratio mea tanquam incensum, in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum. Erat autem altare illud unicum planè. Si quis plura construxisset, extremæ fuisset damnatus impietatis. Per aram illam unicam figuratur Christus dominus Deus & homo, mediator & intercessor inter deum & hominem, per quem sancti omnes uniuersas suas preces domino Deo patri offerunt. Proinde plures sibi extruunt aras qui sibi deligunt creaturas pro intercessoribus, per quorum interuentum aliquid à Deo patre impetrent. Disertè profectò dicitur in fine 30. cap. Quicunque tale sibi fecerit incensum ut id olfaciat, peribit anima eius. Per Christū ergo solū omnes preces suas Deo patri offert fidelis dei Ecclesia. Ara illa nostra aurea corona est redimita. Nā Christus Dominus noster uerus est rex & pontifex. Orandū aūt est mane & uesperi, id est, perpetuò & iugiter. Orandum semper per Christum. Quid quòd unus est Christus, per quem Deo placuerunt preces & eorum qui mane, ab initio inquam mundi, & qui uesperi, id est, in fine mundi Deo supplicant? *In excelsis adolere.* Grauissimè ergo peccarunt contra Dominū, qui incensa obtulerunt passim in excelsis. Nam ut Deo inobedientes imò rebelles apparuerunt, deniq; suas inuentiones Dei legibus prætulerunt, adeoq; Dei leges neglexerunt: ita mysterium unici intercessoris Christi spreuerunt, dum ab unica illa ara recesserunt.

Ara holocaustorum. In Atrio altera stabat Ara, quæ dicebatur ænea & holocaustorum: quæ depingitur graphicè Exodi 27. cap. quæ ipsa unica & sola erat. Non enim licebat alibi, nisi per singularem quandam dispensationem, quàm in loco sancto ad hanc aram sacrificare cuiquam religioso. Proinde cum Rubenitæ unà cum suis socijs extruxissent aram in ripa Iordanis, idq; delatum esset fama ad alias tribus Israelis, decernunt hæ publico bello id sceleris esse persequendum. Vnde rursus æstimare licet peccatum eorum qui offerebant, hac præterita ara, in excelsis. De quo supra quoq; dictum est. Altare uerò nostrum unicum illud & catholicum Christus est: qui seipsum obtulit hostiam uiuentem Deo. Nec est ullum in toto mundo sacrificiū, quod peccata expiet nisi hoc unicum. Nec placent Deo patri fidelium sacrificia, nisi in ara Christo oblata per fidem. Sanctificat enim nos Christus, sanctificati per ipsum offerimus Deo gratam hostiam. Hæc sumpta sunt ex Apostoli

doctrina

doctrina ad Hebræos decimotertio, & ad Romanos duodecimo capite.

Vltimum uerò inter uasa sacra solium siue labrum æneum erat, collocatum inter uelum sancti & aram holocaustorũ in atrio. Describitur Exodi cap.30. Continebat aquam qua se abluebant sacerdotes ministraturi coram Domino. Significabatur & hoc Christus, qui est ablutio fidelium. Significabatur item non illotis manibus & pedibus sacra esse tractanda. Abluunt sese qui per spiritum sanctum purificantur, & per gratiam Dei idonei efficiũtur ad obeunda sacra munia. Morti autem obnoxius est, qui non fuerit particeps gratiæ uitalis. Cõmemorantur præter illa & alia instrumenta Tabernaculi sacra: sed illa ferè potissima sunt. Nolui uel singula operosius excutere, uel minutias persequi, ne molestiam adferrẽ charitati uestræ nimis prolixa tractatione. Porrò eadem in templo fuerunt uasa siue instrumenta sacra quæ reperiebantur in Tabernaculo, nisi quod in templo Solomonis maior apparatus & splendor in omnibus conspicitur: non alia de caussa haud dubiè, quàm quòd mysteria Christi & Ecclesiæ subinde magis ac magis, illustrius inquam, sese proferrent. Christus uerus Solomõ rex pacis & felicitatis, ipsa inquam æterna felicitas, ecclesiã in hoc mundo excitauit, quæ finibus mundi terminatur. De quo multis agunt prophetæ, Zacharias in primis, & clarissimus prophetarum Nathan, 2.Sam.cap.7. Hæc de Loco sancto.

Labrũ æneum.

Post Locum sacrum in sacris ceremonijs, sacrum Tempus occurrit tractandum. Vt enim religioni externæ locus certus est datus, ita eidem tempus fixum est designatum. Et feriæ quidem sacræ referuntur ad actiones sacras. Actiones autem aliæ sunt manuariæ & quasi prophanæ, pro uictu & amictu necessarijsq; uitæ parandis inuentæ. Aliæ sunt sacræ adeoq; religiosæ, pro exercitio religionis externæ susceptæ. Non insumendum est omne tempus labori manuum: nec rursus omne tempus externæ religioni potest impendi. At actiones illæ nõ sunt sine tempore. Omnis enim actio tempore continetur. Proinde distinxit Deus ipsum tempus ad actiones, ita ut uoluerit alios quidem dies prophanos manuarijs artibus, alios autem sacros exercitio religionis externæ inseruire. Nõ quòd prophani dies, in quibus laboratur manibus, nõ sint sancti & dicati Deo. Hic enim omne tempus & singulos sibi uendicat dies, quippe qui omni tempore coli postulat: sed quòd feriæ singulariter & magis quàm dies prophani externo Dei cultui sunt destinatæ.

Tempus sacrũ.

Est ergo festus seu sanctus dies, qui ex institutione Dei sacer est domino, susceptus ad cultum Dei externum religiosè exercendum. Ideo sancti dies & legitimæ feriæ non sunt, quæ non uni & soli Deo Iehouah celebrantur: neq; legitimæ sunt, in quibus non exercetur legitimus Dei cultus. Eas ob caussas non rarò in prophetis reijciuntur sabbata seu feriæ populi Izraelitici: nimirum quòd sine fide ac illegitimè celebrarentur.

Quid festus dies.

Omnes autem dies festi commune habuerunt uocabulum, appellati sabbata, item festa, feriæ, dies stati & sancti, panegyres & cœtus. Omnibus commune erat festis, quòd deo soli erant instituta, non creaturis, non uentri, aut Veneri. Commune erat omnibus, quòd in salutem, utilitatem & recreationem hominum erant inuenta. Feriæ enim non sunt onus, sed oneris leuamen. Sunt quidem utilia opera prophana, sed otium quoque necessarium est: sine quo labor non est durabilis. Vult ergo dominus cõcedere homini recreationem, adeoq; iubet in diebus festis suos lætari, lætari autem in sanctitate & modestia, ut sit honesta recreatio, non probrosa libido. Rursus otium per se bonum non est, sed respectu alterius bonum est. Iubet Deus cessare à laboribus, sed in hoc, ut interim aliud agant homines, ut desinant laborare corpore, animo laborare incipiant, totiq; sacris inuigilare. Opus

Ad quid instituti dies festi.

itaque hic erit cœtu sacro, lectione sacra, precibus publicis, sacrificijs, (etenim quod singulis ferijs offerre oporteat, præscriptum legitur Num. 28. & 29. cap.) sacramentorum celebratione, & si quid aliud est quod in ferijs facere iussit dominus. Vnum enim illud hic requiritur in primis, id uidelicet, quod Maria inuenit desidens ad pedes Iesu, & audiens uerbum ipsius. Habent & illud commune festa omnia, quòd maximarum rerum continent & refricant memorias: quanquã singula singulas suppeditent. Sabbatum suggerebat beneficium cõditi orbis à Deo, in gratiam & utilitatem hominum. Præterea signum erat, Mose teste Exodi 31. sanctificationis ueræ, quam suis cultoribus confert solus Deus sanctus. Alia festa alia Dei beneficia reuocabant in memoriam, suasq; peculiares (ut suo loco dicetur) habebant significationes.

Luc. 10.

Sabbatum.

Modus & numerus certus in Ferijs.

Porrò modus erat & numerus feriarum certus, ac distinctæ quidem habebantur: primùm in septimanas, quarum singulæ habebant sabbatum, diem inquam septimam: deinde in menses. Nam prima cuiusq; mensis consecrata erat Domino. Eas ferias appellarunt Neomenias siue Nouilunia, uel Calendas: & postremò in annuas ferias, eæ erant anniuersaria & stata festa: quorum tria commemorantur, Pæsa, Pentecoste & Septimi mensis. Præter hæc fuerunt & Conceptiuæ feriæ nimirum non præceptæ à Deo, sed receptæ ab Ecclesia ad gloriã Dei, & ad retinendam maximorum beneficiorum Dei memoriam. Festum enim sortium quod appellarunt Purim, à tota receptum fuit Ecclesia, ex relatione Mardochæi: sicut uidere est Esther 9. cap. Festum Enceniorũ instituit Iudas Machabæus cum totius Ecclesiæ consensu, in memoriam reparati templi liberationisq; ex tyrannide Antiochi regis, sicuti legitur 1. Machab. 4. cap. Et Christus dominus honestat Encenia illa sermonibus sacris. Fuerunt in populo Dei etiam instituta Ieiunia, ut quinto mense, quo inflammata est urbs: & septimo mense, quo cæsus est Godolias: & decimo mense, quo cincta fuit obsidione urbs. De quibus Zacharias disseruit capite 7. & 8. Iam institutum fuit tempore Esther ieiuniũ in mense Adar, in memoriam calamitatis Iudæorum, illatæ aut intentatæ ab Amano.

Ieiunia.

Sabbatum.

De Sabbato & eius significatione dixi modò ac quondam dum exponerẽ Decalogum. Id obseruatum est quasi naturali & diuina lege à condito orbe. Est autem caput feriarum omnium. Neq; enim institutum est primùm per Mosen, exhibito cœlitus Decalogo. Nam religio sabbati fuit recepta à sanctis mox à mundo condito. Ideoq; in Decalogo legimus dixisse dominum, Meměto ut diem sabbati sanctifices. Sed & ante legem latam manifestè fit sabbati mentio. Exodi decimosexto & Genesis secundo capite.

Noemeniæ.

Secundum genus sabbati siue feriarũ sunt Calendæ uel Neomeniæ, id est, nouilunia, ea celebrabantur in capite singulorum mensium. Eius mentio fit Numeri 10. & 28. 1. Samuelis 20. Psal. 81. Ezech. 46. & 2. Paralip. 2. Dicitur ea celebritas in memoriam creatæ lucis esse instituta, admonuisse cultores, ne menses uel Iano uel Marti, aut alij alicui diuo uel planetæ, sed uni soli Deo cõditori omniũ & temporum gubernatori seu moderatori subijcerent. Præterea significationem habuit reparationis uel renouationis animi fidelis, per illuminationem cœlestem: ut Nouilunium Christiani uerè celebremus, cum ex tenebris in lucem à filio Dei producti ambulamus ut decet filios lucis, omnibus tenebrarum operibus reiectis.

Conuentus & celebritates annuæ tres.

Tertium feriarum genus comprehendit festa anniuersaria, quorum tria numerantur Pascha, Pentecoste, & Festum mensis septimi. Ceterum uoluit dominus in hisce tribus festis in loco sancto, nempe ad Tabernaculum, & hoc translato ad Templum generales celebrari synodos ac panegyres. Sic enim ait Moses in

Deute-

Deuteronomio, Ter in anno apparebit omnis mas coram Domino Deo tuo, in loco, quem elegerit, nempe in festo azymorum, in festo hebdomadum, & in festo tabernaculorum; nec apparebit in conspectu domini uacuus. Quisq; iuxta donum manus suæ, & iuxta benedictionem domini Dei tui, quam dedit tibi: id est, Quisq; quod potest & pro modo facultatum suarum quas concesserit Dominus, Domino offeret. Distribuit autem ferias illas statas siue solennes in tres menses, peregrinationi seu profectioni conuenientes. Verno tempore celebrabatur pascha, cum iam aristæ seu spicæ erupissent. Circa messem, festum peragebant Pentecostes, ruris laboribus operibúsue primis confectis. Porrò collectis fructibus omnibus, proficiscebantur ad Festum tabernaculorum. Et proficiscebantur quidem qui uenire poterant. Putant quidam cum ijs dispensatum esse, qui semel in anno apparuissent coram domino, ita ut duobus alijs festis domi manere licuerit. Ego uerò arbitror homines religiosos rarò huiusmodi usos esse dispensationibus. Pollicetur alicubi Dominus se interca limites & facultates peregrè euntium defensurum atque custoditurum. Certè ex historijs constat hisce diebus festis conciones fuisse longè frequentissimas.

Pascha multas habuit appellationes, præcipuè tamen dictum est festum azymorum. Totis enim diebus septem, infermentatis uescebantur panibus. Ceremonia eius festi cum sacrificijs offerendis fusè describitur Exodi 12. & Leuit. 23. Exhibebatur in eo Epulum agni, nec alibi quàm uel apud tabernaculum uel templum. Lex extat Deut. 16. Memoriam memorabilis illius ex Ægypto liberationis populi Israelitici Izraelitis & omnibus pijs refricabat. Voluit sibi in eo festo primas offerri fruges, ut ita beneficium mannæ exhibitæ repararet. Habuit præterea festum illud significationem transitus & liberationis, quæ effuso sanguine, perfecta est per Christum. Vnde Apostolus dixit, Pascha nostrum immolatus est Christus 1. Cor. 5. Verùm de Pascha dicam plura consequenti mox sermone. *Pascha.*

Pentecoste dicebatur etiam festum hebdomadum, siue septimanarũ, & nouarum frugum. Proponebantur enim eo festo panes propositionum ex nouis confecti frugibus. Numerabant autem à proxima post pascha die septimanas septem, dies inquam quinquaginta, ac celebrabant die quinquagesima memoriam reuelatæ ac promulgatæ cœlitus ab ipso deo diuinæ legis. Nam quinquagesima die exitus ex Ægypto legimus Deum ipsum in monte Sinai fuisse cõcionatum, tulisseq; ac promulgasse legem. Erat itaque Pentecoste memoraculum illustratæ Ecclesiæ. Erat item typus eius diei, quo Christus dominus finis legis spiritum sanctum misit in discipulos, uniuersamq; illuminauit Ecclesiam. Ceremonias huius festi describit Moses Leuit. 23. *Pentecoste.*

Festum tabernaculorum peragebant mense septimo, ita præcipiente in Deuteronomio Mose, Cum collegeris de area tua, & de torculari tuo, celebrabis 7. diebus festum tabernaculorum: lætaberisq; in die festo tuo: tu & filius tuus & filia tua, seruus tuus atq; ancilla tua, Leuita, peregrinus, pupillus, atq; uidua, qui sunt intra portas tuas. Septem diebus ages festũ diem domino Deo tuo, in loco quem elegerit dominus: quoniã felicem rerũ successum dedit tibi Dominus Deus tuus in cunctis prouentibus tuis, & in omni opere manuum tuarum. Omnino igitur sis lætus. Adhæc extat formula celebrati huius festi legitimè in Nehemia capite 8. unde plura peti possunt. Fuit autem festum hoc Tabernaculorum siue mensis septimi quadripartitum. Nam primo die mensis fuit festum Tubarum siue clangoris: id quod grauia illa bella reuocabat in memoriã, quæ populus Deo auspice ac duce gesserat felicissimè, primò quidem contra Amalechitas, deinde uerò contra *Festum mensis 7. seu Tabernaculorum.* *Festum tubarũ.*

omnes hostes ethnicos. Significabatur item uitam hominis super terram esse militiam perpetuam. Decima die eiusdem mensis peragebatur festum expiationis. Præibat formula solenni sacerdos, peccata Deo confitens, confitentemque publicè quisque è plebe sequebatur, & priuatim apud se recitabat: mente colloquens cum domino. Addebatur hircus emissarius, & sacrificium illud, quod fusè describitur Leuit. 16. cap. Ita uerò peccatorum fiebat expiatio: quæ typus erat futuræ per Christum expiationis, qui semel oblatus, unica hostia sui corporis, omnia abstulit peccata totius mundi. Continebat præterea doctrinam de pœnitentia uera. Die decimaquinta incipiebat festum Tabernaculorum. Septem enim integris diebus, nempe à 15. ad 22. degebat populus in tabernaculis. Finis huius ceremoniæ indicatur ab ipsa scriptura, ut posteri scirent dominum maiores ipsorum collocasse in tabernaculis. Repetebatur ergo memoria beneficij in deserto exhibiti. Seruati enim sunt in deserto per annos 40. integros, ut nec uictus nec amictus defuerit. Significabatur & illud, hanc huius seculi uitam esse scenā, neque nos hic habere manentē locum, sed futurum inquirere: sicuti & Apostolus docuit 2. Cor. 5. & ad Hebræos 13. cap. Quartum huius septimi mensis festum celebrabatur in octaua, nempe 22. appellaturque Concio siue Cœtus. In eo congregabatur census, oblatio & uectigal sacrum, ad sarta tectaque templi, ad sumptus sacrificiorum sustinendos, denique ad conseruationem ministerij. In hoc festo arbitrantur cantatum Psalmū 84. Quàm dilecta tabernacula tua, &c. & alios nonnullos Torculares apellatos. Hæc hactenus de festis anniuersarijs.

Festum expiationis.

Festum tabernaculorum.

Concio & celebritas magna.

Annus iubileus.

Hic commemorare necesse est & Iubilei institutionem. Erat autem annus iubileus quinquagesimus quisque, qui multis describitur cum suis ceremonijs, Leuitici 25. Indicebatur toti populo in terra promissa per cornu arietinū, proclamabaturque libertas omnibus seruituti implicitis. In eo non obscurè continebatur mysterium Christi domini, qui ipse nobis huius ceremoniæ significationem aperuit ex Isaiæ 61. cap. apud Lucam in cap. 4. ubi dicit se esse illum qui reuera iubileum aperiat, & ueram denunciet libertatem, ipsum inquam annum domini acceptum. Annunciauit autem remissionem & libertatem omnibus fidelibus, non tuba quidem arietina, sed euangelica. Nam per misericordiam Dei in merito Iesu Christi filij Dei, remittuntur credentibus per uniuersam terram agentibus, omnia debita siue peccata: ea tamen conditione, ut nos quibus iam dimissa sunt debita, illis uicissim debita remittamus qui nobis debent, id est, contra nos peccauerunt. Ac in Christo quidem habemus uacationem & requiem ueram & sempiternam. Per Christum conceditur nobis reditus ad possessionem, uel patriam, unde excideramus, ueterem nimirum, ad terram uiuentium.

Hæc de tempore sacro & ferijs quanta potuimus breuitate disseruimus. Copiosiora inuenire licet de his Exod. 23. Leuit. 23. Num. 28. & 29. & Deut. 16. cap. Reliqua huius argumenti, nempe de Ceremonijs Iudaicis, absoluemus, Deo uolente, mox sequenti concione; iam uerò supplices Deo facti, oremus, &c.

De Sacramentis Iudæorum, de Sacrificiorum generibus varijs, & alijs quibusdam pertinentibus sub legem Ceremoniarum. SERMO VI.



DIXI sermone proximo de Personis sacris, ministris inquam diuini cultus, sacerdotibus Leuiticis, item de loco & tempore sacro: restat iam ipsa res consideranda, quam personæ illæ sacræ, in loco & tempore sacro, exercebant, ipse inquam cultus & ritus sacer, ab ipso domino sic institutus

tutus traditus & præscriptus, ut omnes intellexerint quid cultus Deo, id est, qualem cultum ei exhibeant. Veniunt autem hîc consideranda inprimis sacramenta, deinde sacrificia.

Duo sacramenta synagogæ.

Sacramenta ueteri ecclesiæ sanctorum, fuerunt duo præcipua, Circuncisio & Pascha. De singulis sigillatim dicemus, q̃d loqui dederit ex suo uerbo Dominus.

De Circuncisione quid sit.

Erat autem Circuncisio actio sacra, qua resecabatur præputium in obsignationem diuini cum hominibus fœderis. Vel ut copiosius describamus, Circuncisio erat signum æterni fœderis Dei, quod dabatur in membro genitali, in hoc instituta diuinitus, ut testaretur bonam Dei erga circuncisos uoluntatem, moneretq; regenerationis & puritatis, adeoq; & confœderatos Dei separaret ab alijs populis seu gentibus.

Origo circuncisionis.

Author ergo Circuncisionis Deus est: origo uetustissima. Etenim ipse in Euangelio Dominus, Non ex Mose, inquit, est Circũcisio, sed ex patribus. Repetijt quidem & reparauit Circuncisionis legem seu morem Moses, sed primus circuncisus est eximius ille Dei amicus Abraham cùm annum uitæ ageret nonagesimum nonum, ac eo ipso die est circuncisus, quo Dominus fœdere cum Abraham inito circuncisionem instituisset. Nam hanc adiecit ceu sigillum fœderi, quod pepigerat cum Abraham & semine eius in seculum. Locus extat Genes. 17. Annus is erat ab origine rerum 2046. à diluuio autem 390. cùm Sem filius Noe natus esset annos 487. Ergo Moses post institutam circuncisionem, nimirum post annos 320. demum natus deprehenditur: unde apparet patres usurpasse Circuncisionẽ ante legem latam annis circiter 400.

De fœdere Dei & hominum.

Quoniam uerò Circuncisio addita est fœderi icto inter Deum & Abrahamum signum uel sigillum, paucis & in transcursu perstringenda est nobis eius fœderis ratio. Imitatur Deus in pangendis fœderibus, ut & in alijs rebus, morem seu ritũ hominum. Hi fœderibus ceu uinculis arctissimis firmissimisq; sese constringunt in unius corporis aut populi societatem atq; compagem, qua ut ipsis bene sit tutiq; contra omnium iniurias agant, mutuò sibi communicant uitam ipsam simul & fortunas omnes. Atq; in his disertè exprimitur qui coaluerint fœdere, quibus conditionibus coierint, & quousq;. Proinde cùm Deus humano generi gratiã suam declarare uellet, & se totum & omnia sua bona ei communicare adeoq; in nos effundere, ut nobis bene sit, fœdus init cum homine. Id autem non primò inijt cum Abrahamo, sed cum hoc renouauit uetus. Pepigit autem primò cum patre omnium nostro Adamo, tum cùm ipsum iam profugum in gratiam reciperet, filiũq; unigenitum promitteret, in quo orbi placari & per quem se totum nobis impendere uellet, omnia bona sua nobis communicando: & uicissim nos sibi fide & obedientia obstringendo. Hoc fœdus primũ & uetustissimum reparauit deinde cum Noe, postea ferè clarius cum beato Abrahamo. Sed & post annos 400. sub Mose ad montem Sinai idem rursus est reparatum, conditionibus fœderis copiosius in Tabulas geminas relatis, adiectis simul ceremonijs multis. Excellentissimè uerò omnium, purissimè & clarissimè idem hoc illustrauit tandem ipse Dominus noster & saluator Iesus Christus, qui ceremonias, typos, figuras & umbras omnes expunxit rursus, ueritatem substituit, omniaq; perfectissimè impleuit, redactis omnibus salutis nostræ & pietatis ueræ capitibus in breue compendium, quod etiam nouum fœdus seu nouum Testamentum, nimirum propter innouationem & impletionem omnium ueterumq; ceremoniarum abrogationem, nuncupauit. In eo solus prædicatur Christus perfectio & plenitudo omnium: in eodem nihil post fidem & charitatẽ exigitur, libertasq; pijs conceditur sancta & admirãda.

De qua re aliâs. Sed redimus iam ad fœdus cum Abrahamo reparatum.

Qui coierint fœdere. Disertè in hoc indicatur nobis qui coierint fœdere, Deus inquam uiuus, æternus, omnipotens, ac summus rerum conditor, conseruator & moderator: ac Abrahamus cum uniuerso suo semine: id est, cum omnibus cuiuscunq; gentis & nationis sint fidelibus. Ita enim exponit Apostolus semen Abrahæ, præsertim cum Galatis dicit, Si Christi estis, igitur semen Abrahæ estis, & iuxta promissionem hæredes.

Galatas 3

Quousq; initum fœdus. Iam etiam tempus constituitur quo duret hoc fœdus, adeoq; nullum tempus definitur. Est enim æternum. Quanquam enim multa accesserint in renouationibus declarationibusq; fœderis, ceu accessoria, quæ postea euanuerunt, præsertim Christo ueniente in carnem, in substantialibus tamen nihil inuenias mutatum. Deus enim semper est Deus sui populi: semper ab eo flagitat ac requirit fidelē obedientiam. Id quod in nouo Testamento omnium significantissimè perspicitur.

Conditiones fœderis. Capita enim siue conditiones huius fœderis duæ duntaxat ex præcipuis ponuntur. Prima exponit quid Deus polliceatur, & quid nobis confœderatis uelit præstare, quid inquā expectemus à Domino. Secunda cōtinet officium hominis, quod Deo debet cōfœderato & principi suo. Ergo quod Deū attinet, Ego, inquit, ero Deus tuus, & Saddai, id est, omnisufficientia, quidē: tuus inquam Deus & seminis tui post te. Sibi sufficiens est Deus ad absolutissimam perfectionem & beatitudinē, neq; indiget alieno subsidio, cùm quod uspiam est, ex ipso sit & per ipsum subsistat. Solus sufficit homini Deus, solus pręstat quæcunq; sunt in uotis hominū, & ad perfectam felicitatem pertinent. Vnde & quondam ab Ethnicis Saturnus (fortassis ex occasione uocabuli Saddai) est nuncupatus, à saturando haud dubiè. Solus enim saturare potest, qui est satietas & perfectio. Quôd autem seminis Abrahæ futurus sit omnisufficientia Deus, demonstrat duplici argumēto. Principiô, Dabo semini tuo terram Chanaan. Qua promissione comprehendit omnia beneficia terrena & corporalia, nempe facultates amplas, felicitatem, tranquillitatem, rerum abundantiam, sanitatem, gloriam, splendidas uictorias, & quæcūq; ad conseruationem beatitudinemq; hominis temporalem pertinent. At quomodo hæc præstiterit semini Abrahę, multis illustrat historia sacra: eo modo declarans, Deum uerum seminis Abrahæ fuisse ita ut promiserat Deum. Deinde promittit semen in quo benedicendæ sint omnes gentes terræ: nimirum promittit saluatorem Christum, quem & antea Adamo promiserat. Benedicere uerò, est omni benedictione spirituali ditare: quo comprehendit omnia dona Dei spiritualia, remissionem peccatorum, innouationem uitæ, & gloriam æternam. Benedicere est & maledictionem tollere: ita ut hoc idem polleat cum illo, quod dicebatur Adamo, Semen mulieris calcabit caput serpentis. Veteris enim draconis caput nil aliud est, quàm uis & regnum satanæ. Vis eius est maledictio, peccatum, & mors. Calcato ergo capite, maledictio est sublata, & succedit benedictio. His inquā declarat se fore Deum Abrahæ & seminis eius.

Leuit: 16

Deus est omnisufficientia fœderatorum.

Ephes. 1.

Quid exigatur ab homine. Secunda fœderis inter Deum & hominem initi conditio, homini præscribit quid agat, & quomodo se gerat erga principem & confœderatum suum, nempe Deum. Ambula, inquit, coram me, & esto integer. Ambulant autem coram Deo, qui omnem uitam suam, dicta & facta sua omnia instituunt ad uoluntatem Dei. Ea est, ut simus integri. Paratur illa integritas fide, spe & charitate: in quibus comprehenduntur omnia officia sanctorum Dei confœderatorum. Docet ergo posterior illa conditio fœderis, quid agant fœderati, quomodo se gerāt coram Domino, nimirum habeant illum pro Deo suo, adhæreant ei soli qui est omnisufficientia, inuocent

inuocent solum, colant unum, & ex Messia expectent sanctificationem uitamque perennem. Hæ fœderis conditiones erant: quibus nondum coniuncta erat ceremoniarum turba, quæ postea sub ducatu Mosis accessit.

Huic confœderationi addidit signum, adeoque sigillum Dominus ipsam Circuncisionem. Sigilla appenduntur tabulis fidei faciendæ aut confirmandæ gratia. Tabulæ continent & exhibent omnem totius fœderis rationem. Circuncisio ergo & tabularum loco & signi uice adiecta est fœderi, eoque nomine fœdus ipsum appellatur: sicuti literæ uel tabulæ fœderis apud nos quoque uulgariter uocantur Die pündt, ipsum inquam fœdus, cùm nihil aliud sint quàm literæ fœderis, omnem rationē fœderis scripto comprehendentes, & sigillo confirmantes. Verùm uulgare hoc est, quòd signa rerū signatarum nomina accipiunt, ut nihil mirum sit circuncisionem appellari fœdus, cùm reuera fœdus sit communio & societas quam cum Deo habemus. Genes. 17. ita loquitur de signo hoc Dominus. Hoc est fœdus meum quod obseruabitis inter me & inter uos, atque inter semen tuum post te. Circuncidetur in uobis omnis masculus. Circuncidetis autem carnem præputij uestri: & erit in signum fœderis inter me & uos, &c. En Circuncisio in hisce uerbis Domini primùm fœdus, deinde signum fœderis explicandi gratia nuncupatur. Non alia ratione appellat eandem S. Stephanus in Actis cap. 7. testamentum. *Signum fœderis Circūcisio.*

Sed & modus Circuncisionis indicatur, Circuncidetis, inquit, carnem præputij uestri. Nam glandem, quæ summitas est penis, membri inquam uirilis, cutis uel pellis obtegit aut ambit, prominens nonnihil, ea uocatur præputiū, eò quòd præemineat. Hanc pelliculam resecabant cultro petrino, nudabantque glandis summitatem. Resectio inquam illa, putatio & incisio, dicta est Circuncisio. Quis uerò amputarit pelliculam, non exprimitur. Apparet autem honoratissimum quenque in domo aut gente, ipsum inquam primogenitum aut patremfamiliâs, aute legem, in lege sacerdotes circuncidisse. Singulare est quod Zipora uxor Mosis circuncidit, Exod. 4. cap. Iam & tempus indicatur circuncisionis, dies octaua, cùm puer recens natus ualidior paulò esset factus. Cæterum circuncidisse illos non ferreis, sed petrinis cultris, colligimus ex 5. capite Iosue: ubi Dominus apertè iubet filios Izraelis circuncidere cultris petrinis. At Deum nihil mutare in ceremonia sacramentorum, claret ex ipsis sacramentorum ritibus: unde coniicimus etiam Abrahamum non alijs quàm petrinis usum esse cultris, præsertim cùm & Zipora uxor Mosis petra filium circuncidisse legatur. Alias Iudæorum nugas, quas hîc spargunt, data opera transimus intactas. Indignæ enim sunt quæ audiantur, nec quicquam habent mysterij. Petrinus autem culter confert ad mysterium circuncisionis explicandum. *Ritus & modus circuncisionis.*

Mysterium enim & significationem certissimam habuit circuncisio. Principiò enim significabatur Circuncisione, impuram & corruptam esse totam siue uniuersam hominis naturam, atque idcirco omnes homines opus habere putatione regeneratione que. Hoc nomine dabatur in membro genitali. Nam omnes concipimur & nascimur filij iræ in peccato originali. Nec quisquam à damnatione illa liberat, nisi qui exors est peccati, nimirum benedictum semen, Dominus noster Iesus Christus, conceptus è spiritu sancto, & natus ex Maria uirgine: qui sanguine fuso (id quod in cruore circuncisionis præfigurabatur) emundat nos à peccato, & facit hæredes uitæ æternæ. Ac Circuncisio hæc ualde oppugnat negantes originale peccatum: ualde impugnat tribuentes nostris uiribus iustitiam & salutem. Si enim puri eramus, si nostris uiribus saluari potuimus, quid quæso opus erat patres nostros putari? Quæ putantur impura sunt uel superuacua. At nihil impuri *Mysterium & significatio Circisionis.* *Impura est nostra natura.*

aut superuacui condidit Deus. Condidit autem præputium. Si malum esset præputium, non condidisset Deus hominem præputiatum. Per se ergo malum non est, nec superuacuum præputium: sed significationi potius seruit præputij incisio, nimirum ut intelligeremus ex natiuitate & natura nostra nos esse corruptos, nec purgari posse nisi gladio petrino. Certè hac de caussa data est circuncisio in hoc membro & non in alio. Subijciemus mox & aliam ex Lactantio caussam, cur in membro genitali data sit, & non in alio membro. Deinde significabat, imò & attestabat circuncisio, Deum omnipotentē ex mera gratia & bonitate cohærere indissolubili fœderis nexu cum hominibus, quos uelit sanctificatos iustificare, omnibusq; cœlestibus donis locupletare per Christum. Ideò enim adhibebatur culter saxeus siue petrinus. Christus enim semen illud benedictum est petra, ex qua undæ profluunt purificantes, ac ipse nobis spiritu suo resecat quæcunq; amicitiā inter nos & Deum mutuam impediunt: idem confert & auget spem & charitatem in fide, ut Deo coniungi & cohærere possimus in æternum, quæ est uerè beata & felix uita. Huc pertinent iam testimonia legis & Apostolorum. In Deut. cap. 30. dicit Moses, Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum & cor seminis tui, ut diligas Dominū Deum tuum. Huius autem internæ circuncisionis externa et uisibilis signum erat. Deniq; Paulus de Abrahamo loquens, dicit, Et accepit signum circūcisionis, signaculum iustitiæ fidei quæ fuerat in præputio, ut esset pater omnium credentiū per præputium, ut imputaret̄ & illis iustitia. Et cætera. En circuncisio Abrahæ erat signaculū quòd Deus gratia sua iustificarat Abraham: quam iustificationē fide receperat, & receperat quidē antequā circunciderẽtur, in argumentū quòd qui præputiati credunt, iustificantur cum fideli Abraham: & rursus qui circunciduntur Iudæi, sciant se per fidem iustificari à Deo. Ideoq; dabatur circuncisio in ipsum hominis corpus, ut in corpore gereret fœdus Dei, admoneretur q; gratia per fidē se iustificari. Vnde illud quoq; colligimus gratiam Dei & iustificationē hominis pij, non fuisse alligatam signo. Alioqui enim Abraham non fuisset iustificatus ante circuncisionem, sed in ipsa demum circuncisione. Præterea non præcepisset Dominus, qui uult homines saluos facere, octaua demum die circuncidere. Multi enim pueri ante diem octauam excedebant è uiuis, neq; perueniebant ad circuncisionem, qui tamen non condemnabantur. Quibus accedit quòd Sara, Rebecca, Rahel, Iochabeth, & Maria soror Mosis, unà cum innumeris alijs matronis & uirginibus sanctis nō potuerant circuncidi, & tamen saluatæ sunt per gratiam Dei in fide uenturi Messiæ. Ergo sacramento Circuncisionis gratia Dei non fuit alligata: sed idcirco à sanctis ueteris ecclesiæ non spreta nec neglecta, sed usurpata in illum finem ad quem instituta erat, ut esset testimonium & sigillum gratuitæ iustificationis in Christo uero, qui circuncidit spiritualiter sine manibus per spiritum sanctum.

Gratia Dei nō alligata Circuncisioni.

Coloss. 2.

Præterea colligebat foris uisibiliter Deus in unam ecclesiam qui circuncidebantur, ex quibus electos prius spiritus sui uinculo sibi copulauerat. Nam S. Paulus hac de caussa appellauit populum unius religionis circuncisionem, ut claret in 15. cap. ad Romanos, & ad Philippenses 3. Ergo per circuncisionem separauit suum populum ab infideli populo. Vnde incircuncisi uel præputiati uocabulum abijt in probrum maximum & cōuitium intolerandum, perinde ut apud nos probrum Canis. Incircuncisus enim uel præputiatus reputabatur pro impuro & prophano homine, alieno prorsus à Deo & à testamentis Dei.

Circuncisione colliguntur circuncisi in unū corpus.

1. Sam. 17. Acto. 11.

Deniq; Circuncisio admonebat circuncisos per omnem uitam sui officij, nempe ut cogitaret quisque apud se, quòd nomen suum dedisset Deo, ac sacramentum Dei portet in corpore suo. Hac enim de caussa & in circūcisione indebantur

Circūcisio admonet hominē sui officij.

nomina

nomina Israelitis. Clare enim apud Lucam ostenditur nomen & Ioanni Baptistæ & saluatori nostro Iesu in circuncisione, sicuti & Abraham hoc nominis Abrahã, qui prius nuncupabatur Abram, fuisse datum. Admonebat hoc circuncisum sui officij, quippe qui dedisset nomen confœderato sibi Deo, adeoque se iam inscriptũ esse in registrum siue catalogum Dei, cuius nomine iam censeatur: unde ex pacto & officio uitam suam non pro sua libidine aut aliorum uoluntate, sed secundum uoluntatem Dei instituere debeat. Requirebat enim fœderis conditio, ne idololatria & peregrinis cultibus seipsos prophanarent circuncisi, ne impuritate uitæ corpora & animas Deo consecratas polluerent, sed in uera fide perseuerantes, sanctitati studerent, pœnitentiam agerent, Deoque obedirent per omnia. Sic enim dicit Moses Deut. 10. Circũcidite præputium cordis uestri, & ceruicem uestram ne induretis amplius. Ad quæ uerba alludens Ieremias in cap. 4. Circuncidimini Domino, inquit, & auferte præputia cordis uestri. Et Stephanus martyr infideles Iudæos obiurgans, Duri, inquit, ceruice, & incircuncisi corde & auribus. Vos semper resistitis spiritui sancto. Rectissime ergo S. Paulus Apostolus ad Romanos 2. ostendit duplicem esse circuncisionem: alteram literę, carnis, & externam, quæ hominum fit manibus: alteram uerò cordis, spiritus, & internam, quæ fit opera spiritus sancti. Hanc approbauit Deus in suis, illam hac non præsente reprobauit. Vtraque ex præcedentibus satis iam clara est, ut pluribus non sit opus.

Actorum 7.

Duplex circuncisio, spiritus & literæ.

Operæpretium uerò facturum me existimaui, si in præsenti recitarem Charitati uestræ, priusquam hunc locum de Circuncisione concludã, uerba uetusti scriptoris Lactantij, quæ de Circuncisione in hunc modum protulit lib. Instit. 4. cap. 17. Significabat Circuncisio, inquit, nudandũ esse pectus, id est, aperto & simplici corde oportere nos uiuere. Quoniam pars illa corporis, quæ circunciditur, habet quandam similitudinem cordis, & est pudenda: & ob hanc caussam Deus nudari eam iussit, ut hoc argumento nos admoneret ne inuolutum pectus haberemus, id est, ne quod pudendum facinus intra conscientiæ secreta uelemus. Hæc est cordis circuncisio, de qua prophetæ loquuntur, quam Deus à carne mortali ad animam transtulit, quæ sola mansura est. Volens enim uitæ ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, pœnitentiam in illa Circuncisione proposuit: ut si cor nudauerimus, id est, si peccata confessi satis Deo fecerimus, ueniã consequamur: quæ contumacibus & admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem sicut homo, sed intima & arcana pectoris intuet. Hæc hactenus uetustus ille ecclesiæ scriptor Lactan. Firmianus de mysterio Circuncisionis nobis retulit.

Lactantius de Circuncisione.

Hæc omnia quæ diximus hucusque de significatione & mysterio Circuncisionis, omnium oculis ceu in tabula proponebantur contemplanda, quoties in ecclesia quondã frequentabatur Circuncisio. Renouabatur quasi ipsum Dei fœdus ictum cum hominibus. Prædicabatur Dei gratia & eius sanctificatio, nostra item corruptio: elucebat in his Petra Christus, qui spiritu suo omnes maculas ecclesiæ resecat & abluit. Præterea discebant ex signo adeoque ex tota ceremonia sacra cultores Dei, quòd uno in corpore existentes ecclesiastico, uitæ puritate cõfœderato Deo sese debebant approbare. Quandoquidẽ circuncisione uisibili quodammodo fiebat religionis ueræ, & consensionis in ueram religionem confessio, & in eandem obligatio. Ergo qui contempsisset aut temerè neglexisset hanc sacram ceremoniã, puniebatur grauissimè: sicuti colligere licet ex Gen. 17. & Exodi 4. cap. Hæc de Circuncisione hactenus.

Summa Circuncisionis.

Sequitur secundum ecclesiæ ueteris Sacramentum Pascha. Ea uox Hebraica est, non significans passionem, ut ex etymo Græco uideri poterat, sed saltum,

De agno Paschali.

transcensum, seu transitum. Nam פסח significat transilire aut transcendere. Rationem huius uocabuli reddit ipse in lege Moses, dicens, Transibit Dominus ut percutiat Ægyptios, & ubi uiderit sanguinem in superliminari atque in duobus postibus: ופסח, id est, transiliet Dominus ultra ianuam istam, & non permittet interemptorem uenire in domos uestras. Insignitur hoc sacramentum etiam alijs uocabulis. Appellatur enim Signum, appellatur Memoria, item Celebritas ac πανήγυρις, Cœtus siue conuocatio sancta, Festum Domini, Cultus & Obseruatio, item Oblatio & Sacrificium. Quòd autem nuncupatur ceremonia illa transitus, non fit citra tropum. Nam Transitus illud ipsum est beneficiũ, quo angelus Domini ædes Iudæorum transijt intactas, eorumque uitæ pepercit: sed quoniam eius beneficij memoria & reparatio fuit, beneficij nomen induit. Sicuti prius admonui uulgare esse in negotio sacramentario, ut signa rerum signatarum nomina propter similitudinem & analogiam mutuùm accipiant.

Quid pascha. Videamus modò quid sit Pascha, & qualis fuerit eius ceremonia. Erat Pascha actio sacra diuinitus instituta in mactatione & epulo agni, ad hoc ut retineretur in ecclesia memoria beneficij semel in Ægypto præstiti, deinde ut esset testimonium diuinæ erga fideles beneuolentiæ, typum quoque Christo præferret, denique participantes in unius corporis societatem colligeret, gratitudinisque & innocentiæ admoneret.

Author & tempus pascha. Author huius sacramenti ipse Deus est, non homo ullus. Moses enim quæ acceperat à Domino tradidit filijs Israelis: sicut copiosè exponitur Exodi 12. cap. Ac eo quidem tempore Ceremoniam instituit, quo populum Israelis ex Ægypto eduxit. Cumque authore Deo profecta sit, consequens est omnia paschata insequuta, ad illud usque, quod cum suis discipulis proximè ante mortem suam Dominus celebrauit, diuinas fuisse actiones. Carni & sapientiæ humanæ multa imò omnia ferè huius sacramenti uidentur absurda & superuacanea, cæterum fides quæ in authorẽ Deũ intendit oculos, omnia suspicit & reueretur. Sicut enim Deus summa & perfectissima est sapientia, ita omnia & singula eius instituta absolutissima & inæstimabilis utilitatis sunt.

Iam etiam tempus indicatur quo primùm hoc sacrum sit traditum ecclesiæ Israeliticæ, annus uidelicet 430. (à promissione nimirum Abrahæ facta, siue ab eius peregrinatione supputata) qui erat annus ab origine rerum 2447. à diluuio 791. Definitur præterea tempus quando celebrandum sit pascha, nempe annis singulis, mense Nisan, qui respondet partim nostro Martio, partim Aprili. Sed & dies mensis indicatur, 14. mensis, supputatione nimirum inita ab æquinoctio uerno. Nam 10. die deligebant pecus ad festum, 14. die mactabant. Quid quod & partem diei denotat, qua sit mactandum: nempe inter uesperas, nimirum à tertia nostra pomeridiana ad 5. usque, iuxta nostra horologia, iuxta Iudæorum supputationem à 9. ad 11. usque. Ita uerò expressum est Christum in fine mũdi fore mactandum, imò ipse temporis articulus mortis seu immolationis eius ita prædictus est. Nam expirauit circa horam 9. Vnde S. Petrus dixit, prophetas scrutatos esse ad quem aut

1. Pet. 1. cuiusmodi temporis articulum significaret spiritus Christi, qui in eis erat, Christi uenturum atque passurum.

Locus pascha. Sed & Locus certus erat huic sacro designatus. In Ægypto quidem sparsim per sodalitia in domibus epulabantur. Vbi uerò peruenissent in terram promissam, non licebat alibi quàm apud tabernaculum, & postea apud templum Hierosolymis celebrare pascha. Dispersi ergo Hierosolymis per ædes, sed per sodalitia, ut & Lucæ 22. uidere licet, epulabantur. Illa præfigurabant Christum non nisi

semel

semel immolandum in monte Caluariæ, semper efficacem fore ad expianda populi peccata.

Designantur item qui celebrent pascha, uniuersus nimirum Izraelis cœtus circuncisus, per domos & familias tanto collectus numero, quantus sufficiebat agno absumendo. Nam ut Christus omnium est saluator, sic omnes sunt in caussa peccatores (sumus autem omnes peccatores) quòd Christus dominus in ara crucis est oblatus. *Qui conuiuæ.*

Præterea multa fide & diligentia describitur ritus epulandi mactandiq; agni. Principio deligebant sibi agnum hunc, eumq; ex agnis & hœdis: deinde iugulabant eundem quinto post die: in pateram cruorem eius excipiebant, quem mox aspergillo hysopi postibus ianuæ atq; superliminari aspergebant. Agnum ipsum, non elixatum quidem aquis, sed assatum igni, & integrum, hoc est, caput cum pedibus, nec non cum intestinis, publico edebant in epulo: additis lactucis siue amaris herbis, & pane azymo siue infermentato. Ipsi interim epulantes stabant, lumbos succincti, calceati, & baculos tenentes in manibus. Cæterum edebant agnum hunc festinantissimè: ossa nec confringebant, nec proijciebant canibus, sed exurebant igni. Ex ipsis domibus à uespera usq; mane nemo egrediebatur. *Ritus Paschæ.*

Hæc fines suos, magna mysteria, & euidentem habuerunt significationem rerum præteritarum, præsentium & futurarum. Compingebāt item totum cœtum Ecclesiasticum in unum corpus & in unam religionis professionem: sed & gratitudinis & studij pietatis admonebant epulantes. Id quod per partes quanta possumus breuitate perstringemus. *Scopus ceremoniæ.*

Principiò enim uoluit Dominus retinere hoc epulo in memoria, & quasi æternitati consecrare maximum illud beneficium, quod semel populo Izraelis in Ægypto contulit, illud inquam, quòd seruato suo populo mirabiliter, omnia Ægyptiorū primogenita una nocte peremit, postera uerò die suos ex Ægypto, ex dura inquam seruitute, eduxit. Hoc beneficium non tantùm uoluit prædicari uerbo (certum enim est eo festo conciones habitas ardentissimas de beneficijs Dei) sed etiam per actionē sacram siue ceremoniam, ceu per spectaculum & picturam uiuam, omnium oculis proponere ac renouare. Nam uisibilis actio prædicationem quodammodo subijciebat oculis sensibusq; alijs. Vnde Moses interpretans ceremoniam & actionem illam sacram, Cum filij uestri ad uos dixerint, ait, Quis hic cultus uester? Respondebitis, Victima hæc transitus domini est, qui præterijt domos filiorum Izrael in Ægypto, cum cæderet Ægyptios, & domos nostras liberauit. *Beneficium retinetur in memoria.*

Cæterum significatio hæc fuit rei præteritæ, proinde non fuisset admodum utilis insequentibus hominibus, quippe qui beneficium nihil ad se pertinens celebrassent, nisi idipsum & singulis adaptasset seculis. Voluit ergo Deus hoc ueluti testimonium extare apud posteros suæ gratiæ, bonitatis & liberationis perpetuæ: nempe quòd non tantùm patrum uel maiorum fuerit Deus, sed & omnium quoque posterorū Israelitarum Deus esse, & his quoque propter Christi sanguinem parcere, deniq; omnia ab eis depellere mala, & omnia conferre bona & uelit & possit. Nam Psal. 136. in hæc uerba legimus, Confitemini domino quoniam bonus est: quoniam in æternum misericordia eius. Qui percussit Ægyptiorum primogenita: quoniam in æternum misericordia eius. Et Israelem eduxit è medio eorū: quoniam in æternum misericordia eius. Manu ualida & brachio extento: quoniā in æternum misericordia eius. Ergo præterito Dei beneficio patribus collato, excitabant fidem suam posteri, fore ut & ipsis misereretur & benefaceret ex solita in- *Testimonium beneuolentiæ Dei erga suum populum.*

genitaq́ misericordia sicuti & patribus benefecerat. Eratq́ hæc ceremonia non uulgare fidei exercitium.

Agnus erat figura Christi, paßionis & redemptionis eius.

Præterea exhibebantur in his quoq́ futura Christi saluatoris mysteria. Nam præfigurabatur quis futurus Christus, quid mundo collaturus, quomodo eius fiant participes pij, & quomodo hi se gerant coram ipso. Etenim inter alia animalia multa, non aliud eligebatur huic sacramento magis idoneum quàm agnus, non tam propter significationē simplicitatis & patientiæ in Christo, quàm quòd uictima est. Paulus enim, Pascha nostrum, inquit, immolatus est Christus. Agnus quoque iuxta legem mane & uesperi immolabatur. Christus enim est agnus occisus ab origine mundi. De quo & Baptista testificans dixit, Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Et quoniam nos omnes sicuti oues errauimus, quisque in uiam suam, descendit ad nos filius Dei, & factus est ouis, nostræ scilicet substantiæ atq; naturæ. Sed hic noster integer est & purus, sine peccato & uitio: conceptus è spiritu sancto, natus ex Maria uirgine. Masculus erat & anniculus: fortis nimirum, idem hodie & heri, & idem usq; in secula, nimirum saluator uniuersi orbis. Sumebatur ex agnis & hœdis. Christus enim prognatus est ex peccatoribus & iustis: sicuti commemorat Matthæus in capite primo. Ac propter fusum sanguinē agni, parcitur toti Ecclesiæ Israelitarum. Nam sanguinem Christi oportuit fundi, ut purgarentur eius sanguine omnes fideles, iratusq́ pater propter effusum cruorē parceret toti ecclesiæ. Idem aspergitur aspergillo hysopino, postibus & superliminari domus. Contempta quidem & humilis est herba hysopi: & stulta uidetur humilisq́ & abiecta prædicatio euāgelij: at per ipsam oportet nobis, qui sumus domus Dei, aspergi siue prædicari sanguinē Christi in remissionem peccatorum. Recipimus autem agnum ad uitam, cum edimus, id est, credimus Christū pro nobis esse passum. Nam fide editur Christus: id quod ipse fusè exponit Ioan. cap. 6. Agnus igni paratur non aqua: nec crudus, sed tostus comeditur. Non enim homo duntaxat, sed Deus simul est uerus, uerum holocaustum. Potest is nos absoluere plenè ut nostra additione nihil opus sit. Aquæ & planè frigida sunt nostra additamenta. Iam & totus est edendus agnus, caput cum pedibus & intestinis. Nisi enim credamus Christum & Deum esse uerum, & hominem uerum, sapientiam quoque & iustitiā nostram, non totum edimus. Caput non edunt, qui Christum negant esse Deum. Pedes non edunt, qui negant esse hominem. Intestina non edunt, qui non agnoscunt, quæ intra Christum sunt & fidelibus communicantur dona, iustitia uidelicet, sapientia, sanctificatio redemptio & uita. Ossa in agno nec confringebantur nec proijciebantur canibus, sed cremabantur igni. Nam in Christo non est confractum os ullum. Id quod commemorat beatus Ioannes Euangelicæ historiæ cap. 19. Latet in hoc præterea mysteriū. Licet enim pateretur filius dei, in eo quod pati potuit, in humanitate, in diuinitate tamen mansit impaßibilis. Quæ uerò in Christo propter diuinitatis excellentiam non assequimur, meritò ardenti prosequimur desiderio. Sed & Christus cibus est animæ rationalis fidelisq́, nō canibus & impijs proijciendus. Idem edendus est præcipitanter, nec cunctandū. Nam protinus & citra procrastinationem & maximo cum desiderio manducandus est fide Christus. Simul autem præcipiuntur comedendæ acidæ herbæ, cum panibus infermentatis. Nam fidelibus agenda est pœnitentia uitæ præteritæ malæ, & studendum porrò puritati uitæ. Sequitur enim copiosius quomodo nos geramus erga redemptorem nostrum. Stantes edebant agnum, renibus uel lumbis accincti, calceati quoq;, & baculos tenentes in manibus. Erat is habitus peregrinantium. Ita ergo nos in præsenti seculo geramus oportet, ut decet peregrinos, qui hunc

mundum

mundum contemnunt, aliam inquirunt patriam. In itinere itaq; temperantiæ studeant: muniti sint pedes eorum euangelio pacis, ac innitantur interim baculo diuini auxilij, egrediantur q; qua possunt festinantia ex seruitute & corruptione huius seculi.

Hæc eadem ceremonia erat quasi confessio religionis ueræ, & tessera quæ ab alijs populis & gentibus Dei populum separabat. Ergo colligebantur omnes Israelitæ in unam Ecclesiam & societatem: in qua pascha celebrantes, profitebantur se esse Dei redemptos, Dei libertos & populũ. Huc enim pertinet quod præcipitur ne ex illo ullus edat extraneus: sed ut circuncisi duntaxat de eo participent: ne diuidatur in partes, neue alibi quàm uno in loco edatur, & edatur quidem per sodalitia ab uniuerso Israele: rursus ne quis exeat ex ædibus usq; mane. Qua re significabatur extra Ecclesiam in sectis & schismatis hæreticorũ nec Christum inueniri, nec salutem. Christus agnus ille Dei colligit omnes in unam Ecclesiam, & retinet in ipsa, saluat q; credentes. *Tessera & confeßio fidei.*

Postremò admonebat hic ritus populum Dei sui officij, gratitudinis præsertim & studij pietatis, siue innocentiæ. Agebant ergo Deo gratias pro hoc & pro alijs eius beneficijs, laudabant nomen eius: ac abstinebant in uniuersum ab omni fermento. Nec legas quicquam prohibitũ esse tam seueriter in hac ceremonia, quàm ut abstineant à fermento. Qui comederit fermentatum, inquit, peribit anima eius de cœtu Israelis, tam de aduenis quàm de indigenis terræ. Idem postea sæpe repetitur & inculcatur. Cæterum peritissimus & doctissimus in lege Mosis Apostolus Paulus, quid per fermentum sit significatum exponens, Itaq; festum celebremus inquit, non in fermento ueteri, nec in fermento malitiæ & uersutiæ, sed in panibus fermento carentibus, hoc est, synceritate & ueritate. Hæc hactenus de epulo agni paschalis. *Pascha participãtes admonet sui officij.* *1. Cor. 5.*

Sacramentis his accedunt porrò sacrificia, eaq; uaria & multiplicia. Hæc non primùm ab ipso Mose sunt inuenta & tradita, sed usurpata iam inde à rerum origine. Nam Cain ex frugibus terræ, Abel uerò è grege suo pecus obtulit in holocaustum domino conditori omnium. Ita & Seth, Noe, Sem, Abraham, Isaac & Iacob, omnes deniq; patres domino sacrificasse credũtur. Certè cum Gentilitia siue Ethnica sacrificia, cum sacrificijs Iudæorum, uel ipsis ethnicis scriptoribus testificantibus, plurimum affinitatis & similitudinis habere deprehendantur, non dissimile uero est, gentium genearchas à primis suis patribus Semo, Iapheto & Chamo, deniq; à sanctissimo patre Noe, sacrificandi ritum quemq; ad suam detulisse gentem. Atqui indubitatum est sanctos patres ex seipsis hic confinxisse nihil, sed omnia accepisse ab authore omnis boni Deo. Porrò Moses sacrificiorum discrimina, species & genera exactius distinxit, redegitq; in ordinem certum. Quod autẽ fecit, Deo authore fecit. Deus omnia tradidit Mosi. Nam liber Leuitici, in quo maximè describuntur omnes sacrificiorum species, mox ab initio testatur Mosen à Deo uocatũ, à Deo didicisse quæcunq; tradidit de ritu sacrificandi. Sed & Num. 7 legimus, Cumq; ueniret Moses in tentorium constitutionis, audiuit uocem colloquentis ad eum è propitiatorio. *De sacrificijs & eorum origine.*

Sicut autem modò dicere cœperam, sacrificia fuerunt uaria & inter se distincta, & tamen habuerunt quædam inter se communia & generalia. Generale id erat omnibus, quòd non nisi uno in loco offerebantur. Generale erat, quòd ex fide & legitimè, utiq; secundum uerbum Dei offerri debuerunt. Generale erat, quòd sacrificari præcipiebatur igne sacro, non alieno. Interierant filij Aaronis, Nadab & Abihu, non alia de caussa, quàm quòd prophanum siue alienum ignem usur- *Sacrificia quædam habent cõmunia, quædã particularia.*

passent in sacris. Deus enim cum Izraelitæ uel Leuitæ primùm sacrificarent iuxta ipsius mandatum in tabernaculo, demisso cœlitus igne, sacrificandi ritum sic approbauit. Vnde Leuit 6. cap. præcipitur ut sacerdotes perpetuum ignem foueant in tabernaculo siue templo. Id quod & Ethnicos inepta imitatione exprimere uoluisse constat, dum Virgines Vestales Romæ perpetuum iuberent souere ignem. Sed significabatur igne perpetuo perpetua in Ecclesia spiritus sancti operatio. Hic fouendus & excitandus est in Ecclesia: id quod fit pijs precibus & syncera doctrina domini, legitimoque sacramentorum usu. Generale erat & illud, quòd nec feræ syluestres nec immunda animalia offerebantur. Præterea legitur generalis canon traditus de sacrificijs à Mose in Leuit. cap. 22. hisce uerbis, Nullum uitium sit in eo quod obtuleris. Si cæcum fuerit, si fractum, si saucium, si papulas habuerit aut scabiem impetiginemque, non offeretis ea domino, nec dabitis ex eis super altare domini. Certè si quis obtulisset uitiosam oblationem domino, magnum de se argumentum præbuerat contemptus numinis ingratitudinisque eximiæ erga dominum. Ideo clamat apud Malachiam dominus, & ait, Cum hostiam cæcam sacrificatis, an non peccatum committitis? & quando adducitis claudum & ægrotum, an non peccatum committitis? Adduc quæso tale duci aut principi tuo: num id probabit? num suscipiet faciem tuam? dicit dominus exercituum. Ita inquam uile fit & sordescit uobis nomen meum. Requirit ergo omnibus temporibus iustus & uerax Deus ueritatem, liberalitatem, synceritatem, & integritatẽ à suis cultoribus, odit sordiciem, hypocrisim & mendacium. Sunt & alia quædã quæ oblationes diuinæ habent communia: sed nolumus prosequi minutatim omnia. Quæ uerò quæque aut singula habent peculiaria, inclarescit ex diuersis ipsarum speciebus: quas modò attingemus.

Ignis perpetuus non alienus.

Malach. 1.

Holocaustum.

Primo loco explicabimus sacrificij genus, quod uocant Holocaustum. Id totum igne absumebatur, ita ut nihil præter pellem aut tergus cederet sacerdoti. Origo uocis est Græcanica. Dicitur enim holocaustum quasi ὅλον καυσόν, hoc est, totum combustum aut igne consumptum. Constabat autem tribus speciebus, maioribus, inquam, animantibus, minoribus & minimis: boue nimirum, iuuenco uel uitulo: aut si cui non esset facultas tanta, offerebat agnum uel caprum: quòd si id quoque negatum esset propter paupertatem, licebat sacrificare auiculas: non quidem gallos uel anseres, uel alias aues immundas, sed mundas, turtures uidelicet uel columbas. Ritus autem holocaustorum erat talis, Sistebatur animal offerendum ad latus altaris, imponebantur ei manus, iugulabaturque protinus à sacerdote. Sanguis uerò excipiebatur, ut spargeretur per aræ circuitum: iugulato mox detrahebatur pellis, quæ sola cedebat sacerdoti. Crura truncabãtur, deinde abluebantur cum intestinis, mox excitato in ara igni, imponebatur tota hostia cum capite & trunco corporis, cum cruribus item & intestinis, ac concremabantur uniuersa in altari coram domino. Si uerò offerretur turtur aut columba, & obtorto sacerdotisque digito disrupto collo, iugulabatur: sanguis exprimebatur ad latera altaris. Struma & pennæ proijciebantur item ad latus altaris, in locum utique cinerum, alæ quoque findebantur, postremò tota comburebatur in ara. Hic ritus erat sacrificij uel oblationis, quam holocaustum appellarunt: cuius significatio ijs erat augustissima & iucundissima, quibus persuasum erat holocausto præfigurari ipsum Dei filium incarnandum ex illibata uirgine, & offerendũ pro expiatione omnium peccatorum totius mundi. Hi enim in sacrificij spectaculo cõtemplati sunt ipsam crucem & passionem domini, qui nostra in se peccata suscepit (huc enim pertinet maximè manuum impositio, quæ cõmunionis erat symbolum) ac cæsus sangui-

sanguinem suum effudit in remissionem peccatorum, totum se Deo patri in igne charitatis diuiniq́ʒ ardoris offerens. Hic idem turtur est ac columba. Cæterum requirebatur præter hæc in ritu holocausti, ne unquã de animantibus offeratur holocaustum sine oblatione, quam uocant Minha: quæ erat huiusmodi, Ex farre pugillus granorum, aut farinæ, aut crustularum panis cocti in cacabo, aut torta panis cocti in clibano aut frixorio, cum oleo & thure comburebatur in ara holocaustorum. Certè Christus est panis uitæ, qui per spiritum æternum, ut ait Apostolus, se Deo patri obtulit pro nobis in cibum uel conseruationem uitæ.

Holocaustis connumerantur Iuge sacrificium, & sacrificia initiationis. De Iugi sacrificio copiosa fit expositio Exodi 29. & Leuit. 6. Quotidianum id erat. Nam offerebantur singulis diebus mane & uesperi agni duo, unus nempe uesperi, alter mane. In his manifestè prænũciabatur Christus, qui est agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi, cuius uirtus semper efficax est ad tollenda omnia omniũ fidelium peccata. Est enim agnus ille occisus ab origine mundi: semel quidem cæsus & occisus in cruce, sed cuius meritum & efficacia semper durat, & omnes absoluit quotquot liberantur à peccatis. Porrò sacrificia initiationis, sacerdotum uidelicet, tabernaculi & omnium uasorum seu instrumentorum ministerij sancti, pleraq́ʒ habent communia cum holocaustis, quædam peculiaria. De quibus copiosè disseritur Exodi 29. & Leuit. 8. cap. Christus autem dominus noster initiatus est per passionem, ac sibi consecrauit in sacerdotes omnes fideles. *Iuge sacrificium.* Sacrificia initiationis.

Secundum genus sacrificiorum erat Oblatio, quam uocant Minha, munus inquam uel donum, farreum seu adoreum sacrificium, quod & cibarium cognominatur. Constat hoc frugibus terræ, quæ non uno modo adhibebantur. Nam commemorantur tres species. Offerebatur enim far tostum in spicis, aut farina siue simila munda nondum cocta, aut certè paratus ex farina panis: qui sanè triplici modo aut forma siue ratione parabatur. Vel enim coquebatur in furno aut clibano: uel in cacabo aut sartagine: uel in frixorio crustularum pleno. Accedebat his uelut auctarium & condimentum sacrificiorum sal, oleum, thus. Remouentur autem generali canone ab omnibus sacrificijs mel & fermentum. Non enim admittebantur libæ melleæ. In epulo tamen eucharistico admittebatur panis fermentatus ad esum. Proinde si quis offerret farinam, ungebatur ea prius à sacerdote oleo, & condiebatur sale, mox ei imponebatur thus: inde uolam plenam accipiebat sacerdos (in sacrificio pro sacerdote comburebatur totum) & adolebat in ara, reliquum sibi conseruabat. Et in omnibus quidem cibarijs oblationibus ponebatur thus, præterquam in sacrificio pro peccato, & in sacrificio zelotypiæ: id quod uidere licet Leuit. 5. & Num. 5. At Leuit. 2. cap. reliqua qui cupit inueniet, quæ pertinent ad ritum oblationis cibarij plenum. Non enim singula minutatim hic prosequimur. Porrò sicuti antea Christus in animantibus, hoc est, pecudibus, armentis & auibus præfiguratus est, ita nunc significatur in panibus. Est enim panis uitæ: & habet formas uarias infirmitatis & gloriæ. In Christo non reperias ullum fermentum, peccatum aut acerbitatem, hypocrisim aut superbiam. Nulla est in Christo dulcedo uoluptatis, mellea, inquã, affectio. Sed sal in ipso inuenias, temperamentum planè diuinum, & sapientiam absolutissimam. Propter Christũ omnia hominum grata sunt Deo: propter Christum exaudimur à patre: est ergo thus super Christo. Quanquam simul in his adumbretur qualia & nostra esse debeant sacrificia, utiq́ʒ sine hypocrisi, amarulẽtia, odio, inuidia, & citra uoluptatem carnalem, mixta autem pijs precibus. *Sacrificium cibarium.* 1 2 3

Sacrificio cibario connumerari possunt libamina. His enim uinum domino *Libamina.*

fundebatur in sacrificijs, sicuti claret Exodi 29. Leuit. 6. & Numeri 28. Est autem Christus uinum, potus & gaudium nostrum ad uitam æternam. Is effundit se in animos piorum, ut ipsos gaudio perfundat, uiuatque in eis & ipsi in eo. Ideo autem memoriam sanguinis effusi pro nobis in remissionem peccatorum uino consecrauit. Cibarijs oblationibus annumerari possunt sacrificia primitiarum, primogenitorum, & Decimarum. De quibus passim in lege multa commemorantur, ut Exodi 13. & 23. Deut. 18. Numeri 18. Est autem Christus primogenitus & primitiæ omnium, propter cuius dignitatem & meritum nobis parcitur, & per quem sanctificati, efficimur filij adeoque & hæredes Dei. Eidem ut authori & redemptori nostro debemus & animas nostras, & omnia quæ in nobis sunt præstantissima. Sed & illud gratitudinis est, quòd de terrenis facultatibus nostris, quæ ab ipso habemus, Deo liberaliter impartimur, ad sustentationē cultus Dei legitimi atque egenorum omnium.

Sacrificiū piaculare pro peccato.

Tertium sacrificiorum genus est quod offertur pro peccato, ac iccirco appellatur Hattah piaculare, & Ascham sacrificium pro delicto. Nos uno uocabulo appellare possumus sacrificium expiatorium. Immolabatur enim pro peccato commisso, uel per imprudentiam: quod gradibus hominum peccantiū quadrifariam distribuitur, nempe, si pontifex peccarit, aut tota Ecclesia, aut princeps, aut uulgaris quispiam. Vel offerunt pro peccato dedita opera uel à scientibus commisso, attamen mediocri: uel pro grādi & capitali scelere, quod nulla excusat imprudentia. Ritus huius sacrificij latissimè se extendit, & est copiosus ac multiplex, adeo ut in præsenti per compendiū commemorare non placeat. Describitur diligentissimè per partes Leuit. cap. 4. 5. 6. 7. Nec dubium est quin eo sacrificio Christus sit propositus, sicuti & in omnibus alijs oblationibus. Finis enim legis Christus est. Et Isaias in cap. 53. Cum nihil iniquum fecerit, ait, & dolus non fuerit in ore eius, complacuit tamen domino ipsum infirmando atterere, ut ubi posuerit animam suam hostiam delicti uel uictimam pro culpa (hic enim ponitur אשם ascham) uideat semen, & proroget dies, ac uoluntas Domini prosperè cedat in manu eius. Huc pertinet tota illa disputatio Apostoli Pauli in epistola ad Hebræos, in qua ostendit Christum esse ueram illam expiatricem pro peccatis uictimam, quæ purget uniuersam Ecclesiam & peccata omnia. Ritu partim peccatorum ingenia, partim passiones Christi & mortis uirtus adumbrata sunt.

Anniuersarium & uniuersale sacrificium piaculare.

Hæc uerò pro peccatis instituta sacrificia multa & uaria, conceptiua erant, quippe quæ offerri solebant ab his qui peccassent, & eo quidem tempore quo peccassent; statum porrò anniuersarium & uniuersale sacrificium illud erat, quod multis describitur Leuit. 16. cap. & huc sub piacularia referri debet. In festo enim propitiationis 10. die 7. mensis peragebatur annua solennitate pro omnibus omnium peccatis uniuersale expiatorium seu propitiatorium sacrificium. Eius ritum nolo in præsentiarum copiosius prosequi, cùm luce clarius proponatur omnibus in eo loco Leuitici, quem modò citauimus, & nos iam illum in explicando mysterio, quantum sat est, adumbrare cogitemus. De significatione enim & mysterio eius dicam paucula.

Figurabatur illo spectaculo, certè iucundissimo, tota passio & effectus passionis domini nostri Iesu Christi; quæ quotannis semel exhibebatur & renouabatur uniuersæ Ecclesiæ Dei. Placuit enim deo hic modus repræsentādi mysteria redemptionis & salutis per sacramenta, & non per picturas aut colores, aut denique per scenicos ludos: quæ non pauci hodie parum religiosè in delicijs habent. Solus autem pontifex summus in hac ceremonia obibat omnia; nisi quòd duo ei adiungebantur

bantur ministri, quorum alter educebat hircum emissarium piacularemq́, alter portabat extra castra iuuencum & hircum expiatorium. Imò diligentissimè præcipitur, ne quis hominum se coniungat summo pontifici tabernaculum ingredienti, & propitiationem pro peccatis facienti. Nullus homo, ait Dominus, sit in tentorio constitutionis, cùm ille ingreditur ad expiandum in sanctuario, donec egrediatur. Nam Christo in peragendo salutis redemptionisq́ nostræ negotio, nemo coniungendus est. Solus enim saluator est, calcauit solus torcular, nemo alius pro nobis crucifixus est. Excluduntur ergo Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli & Martyres, omnes deniq́ creaturæ, ne his unquam quicquam salutis acceptæ tribuamus. Solus Christus manet saluator & redemptor mundi. Creaturis aut operibus aut meritis nostris salutem tribuere, est cum summo Pontifice creaturas in tabernaculum admittere, & incurrere indignationem omnipotentis, id est, anathema horrendum ueri & in æternum uiuentis Dei. Nam per summum sacerdotem præfiguratur nobis saluator Christus, qui Apostolo teste sacerdotium habet, quod successione ad neminem transire potest. Aaron porrò de suis accipiebat iuuencum expiatorium & arietem pro holocausto, à populo autem duos hircos. Proinde Christus Dominus noster uerus & unicus ecclesiæ suæ sacerdos, quod pro nobis obtulit, à nobis accepit, substantiã carnis nostræ. Additur interim Aaronẽ (sub quo nomine quemlibet intelligimus summum populi Dei sacerdotem) sacrificaturum induisse uulgares siue communes sacerdotum uestes, sed tamen sanctas & cãdidas. Licet enim nostram assumpserit naturam Dei filius, & nobis similis factus, quasiq́ uulgari nobiscum ueste indutus sit, immunis tamen est ab omni corruptione & macula peccati. Principiò autem pro se & pro domo sua mactabat Aaron iuuencum. Qua re declarabat se nõ esse uerum illum pontificem summum, sed eius modò typum. Paulus enim, Nostro Pontifici, inquit, non est necesse, quemadmodum illis pontificibus, prius pro proprijs peccatis uictimas offerre, deinde pro peccatis populi. Nam id fecit semel cùm semetipsum obtulit. Postea sortiebatur Aaron ad ostium tentorij inter duos hircos, uter mactaretur uel dimitteretur in desertum. Hirci duo significant Christum Dominum, uerum Deum & hominem in diuersis, sed non separatis consistentem naturis. Mactatur & moritur secundum id quod mori potuit: non mactatur nec moritur secundum diuinitatem. Vnus tamen & idem indiuisus Christus redemptor est mundi, & perficit redemptionem. Sic & uterq́ hircus mysterio adhibebatur. Et quoniam Dominus temperat sortes, teste Solomone, non sine uoluntate patris sacrificatus est filius. Iam uerò Pontifex primùm quidem iuuenci sanguinem, deinde & hirci mactati cruorem, & cum his thuribulum accipiebat & intra uelum ingrediebatur, ubi thymiama coram propitiatorio excitabat nubis instar, sed & sanguinem aduersùs propitiatorium digito aspergebat septies. Quæ Apostolus Paulus exponens in 9. cap. ad Heb. dicit Christum non cum iuuenci aut hirci, sed proprio cum sanguine, non in tabernaculum manu factũ, sed in ipsum cœlum esse ingressum, reperta expiatione & remissione peccatorum perpetua. Ipse enim est propitiatio nostra, non pro peccatis nostris tantùm, sed etiam pro peccatis totius mundi. Huc spectarunt scilicet Apostoli, quoties appellarunt Christum propitiationem, sicuti S. Paulus ad Romanos 3. & S. Ioannes, 1. Ioan. cap. 2. & 4. Significat autem septenarius aspersionis numerus, purgationis plenitudinem & perfectionem. At necesse est interim ut aspergatur nobis digito, non hominis, sed Christi summi nostri pontificis. Cuius digitus est spiritus sanctus, per quem applicatur & confertur nobis purgatio. Accedit præterea thymiama uel incensum aromaticum contusum. Cum lachrymis

Heb. 9. enim, teste Apostolo, preces pro nobis obtulit Pontifex Christus, & exauditus est pro reuerentia. Vnde fumi nubes, id est, ingens fumi uis, significauit maximam precum efficaciam.

Illis peractis egrediebatur rursus in sanctum Pontifex, collocans sanguinem super altare thymiamatis aureum. Nam oportet in redemptione nostra coniuncta sint cruor innoxius & oratio ardentissima pro nobis. Inde porrò egrediebatur ad altare holocaustorum, quod stabat in atrio, ac alterum hircorum tradebat uiro tempestiuo abducendum in desertum, non sine singulari ritu aut ceremonia. Pontifex enim hirco imponebat manum utranque, confitebaturq; peccata populi, qui nimirum & ipse confitebatur iniquitates, præeunte formula certa pontifice: simul autem omnibus peccatis in caput hirci coniectis, ablegabatur hic, ut eo modo peccata totius ecclesiæ deferret in desertum. Hinc mutuati sunt sine dubio Gentiles sua illa, quæ uocarunt, καθάρματα siue piamina. Fuit enim mos ethnicis ut in maximis discriminibus, unus aliquis sese deuoueret pro omnibus, quem acceptum uel mactabant cremabantq; in ara, uel proijciebant in aquam, precantes ut simul omnia secum auferret mala, ac dij unius capite placati, rursus benefacerent. Sed aberrarunt toto cœlo miseri. Christus enim Dei filius factus est pro nobis peccatum, id est, sacrificium pro peccato, factus est pro nobis execratio, ut benedictionem ab ipso acciperemus. Huc scilicet spectauit Isaias, cùm dixit, Nos omnes tanquam ouis errauimus, quisq; in uiam suam respexit, Dominus autem effecit in illum incurrere omnium nostrum iniquitatem. Item, Ipse uulneratus est propter iniquitates
Esa. 53. nostras, attritus est propter scelera nostra. Et iterum, Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Portat autem hircus peccatum in desertum, non ut non sit, sed ne imputetur. Nam in ecclesia est quidem in sanctis peccatum, sed non imputatur eis. Extra ecclesiam, in deserto, omnibus imputatur. Et Vir ille tempestiuus alius esse non potest, quàm ipse Christus, qui ubiq; in diebus carnis suæ tempus & occasionem iustam obseruauit, subinde repetens horã suam nondum uenisse, & cùm tempestiuum esset mori, aiebat modò adesse horã suam. Moriendo autem abduxit hircum adeoq; peccatum totius mundi.

His ad eum modum absolutis, abluitur iterum Pontifex, & exutis uestibus uulgaribus, pontificijs induitur. Cæterum ablutio illa uaria & multiplex in hoc sacro ritu adumbrat plenissimam peccatorum remissionem: sicut & mutatio uestis glorificationem: id quod clarius uidere licet apud Zachariam in cap. 3. Glorificatus autem Christus cœlos ingressus est, ut ibi semper appareat pro nobis in cõspectu Dei, unica & in æternum efficax hostia. Ergo sacrificat Aarõ arietem in holocaustum. Christus enim est uictima æternùm durans & purgans. Misit præterea Aaron iuuencum & hircum alterũ in locum sacrum extra castra, ut ibi prorsus comburerentur. Id quod Paulus exponens, Animalium, inquit, quorum sanguis infertur pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra: quapropter & Iesus ut sanctificaret per proprium sanguinem populum, extra portam passus est, Hebr. 13.

Et quamuis in his quæ adduximus hucusq;, sparsim finem & fructum huius ceremoniæ indicauimus, non pigebit tamen hic eundem singulariter commemorare: quando uideo spiritum sanctum in scriptura illum inculcare tanta fide & diligentia. Finis omnium est, quòd peccata omnia, omnia inquã, totius ecclesiæ Dei unica hostia, semel duntaxat oblata, è medio, perfectissimè, sunt sublata & purgata. Audiamus ergo ipsa spiritus sancti in scriptura loquentis uerba, eaq; euidentissima & apertissima. 1. Et confitebitur Pontifex super hircum cunctas iniquitates

filiorum Israel, & omnes transgressiones eorum, omniaque peccata eorum. 2. Et 2
feret hircus ille super se omnes iniquitates illorum in terram desertam. 3. Eodē 3
die expiabitur pro uobis, ut mundi fiatis, & mundi sitis ab omnibus peccatis ue-
stris coram Domino. 4. Sitque uobis hoc statutum perpetuum, ut expiet filios Is- 4
rael ab omni peccato eorū semel in anno. At quis adeò stupidus & plumbeus est, ut credas animantium sanguine abluta esse omnia populi peccata? Si, inquit, Apostolus, semel expiassent peccata plenè, desijssent utique offerri. His ergo Christi uenturi mysterium omnibus inculcatum, & omnium oculis semel in anno est propositum. Ex hac enim ceremonia mutuatus est Zacharias suum de Christo uaticiniū in cap. 3. sic propositum, En ego adduco seruum meum germen. En lapis quem pō sui ante Iosuam, super lapidem unum sunt septem oculi: en ego sculpam sculpturā eius, ait Dominus exercituum: & auferam iniquitatem terræ huius uno die. Promittit Dominus Messiam, quem præfigurarunt sacerdotes, in primis autem summus sacerdos Iosue. Christus est lapis, in quem omnium oculi ut in unicum saluatorem sunt intenti. Foditur & scalpitur is in passione, & patiendo atque moriendo semel, omnia peccata expiat totius terræ. Ex hac ceremonia & hoc scripturæ loco mutuauit S. Christi Apostolus Paulus in Epist. ad Hebr. totam ferè disputationem suam de sacrificio Christi semel duntaxat pro peccatis totius mundi oblato: in qua toties ex lege, suum illud Semel inculcat.

Vnica Christi hostia sufficit uniuerso mundo.

Porrò alios constituere sacerdotes, aliud tempus, & aliam rationem sacrificandi pro peccatis, est calcare diuinam & clarissimā hanc ueritatē. Est autem hæc doctrina de unica Christi hostia, uera, & antiqua, & orthodoxa, et irrefragabilis perpetuaque doctrina: per quam saluantur quotquot saluantur, & saluati sunt per eandem quotquot saluati sunt ab ipso mundi exordio. Huius doctrinæ hostes appellauit legis peritissimus Christi & gentiū Apostolus Paulus, stultos, imperitos, amentes, insanos, instabiles, leues & cuiuis expositos uento, impios, apostatas, qui defecerunt à Christo, pseudologos, pseudoprophetas, pseudapostolos, seductores, conscissores, canes, incantatores, ueneficos, & anathemate implicitos, execrabiles & maledictos. Proinde si angelus è cœlis aliud nos docuerit, sit nobis anathema.

Id tamen minimè prætereundum, ab hominibus in anniuersaria illa expiatione requiri primùm quidem peccatorum confessionem: deinde afflictionem animarum, dolorem inquam serium, ex agnitione peccati conceptum: & postremò sabbatum, non utique otium ignauum à studijs honestis, sed quietem in fide Christi, & cessationem à sceleribus. Qui ita sese parat in festo propitiationis, nimirum in tempore prædicationis gratiæ Dei, per Christum, proculdubiò purgatur plenè per hanc uictimam unicam Christi. De qua paulò fusius non sine ratione disserui hucusque. Nam unus hic locus & multos alios scripturæ locos mirificè illustrat, & mysterium redemptionis Christique redemptoris, ita clarè, ut uix alius, exponit, exornat atque cōmendat: præterea docet nos intelligere Christi Domini in Euangelio Ioannis uerba, dicentis, Est qui accusat uos Moses, in quo uos speratis. Si enim credidissetis Mosi, credidissetis utique mihi. De me enim ille scripsit.

Sacrificium Vaccæ rufæ.

Porrò propitiatorio sacrificio & alijs piacularibus meritò annumeramus & sacrificium Vaccæ rufæ, adeoque ipsam lustrationem siue aquam lustralem, institutam contra omnis generis pollutiones. Erant enim pollutionis uariæ species. De quibus in lege disseritur copiosè, ijsdemque exhibetur nobis typus impuræ nostræ naturæ, & peccatorum nostrorum. Describitur autem in lege Numeri 19. primùm ceremonia ipsa siue ritus sacer, ostenditurque quomodo paranda sit aqua lustralis contra omnes pollutiones. Deinde eiusdem usus atque effectus subijcitur. Adduce-

batur ad ſacerdotem Eleazarum uacca rufa, eaq; ſine macula, & quæ iugum nunquam ſubierat, ea protinus educebatur extra caſtra & mactabatur. Partem ſanguinis excipiebat ſacerdos, ac digito ſuo ſepties aſpergebat contra tentorium conſtitutionis. Sed uaccam ipſam totam, ita ut nihil fieret ex ea reliqui, combuſſit igne, in quem etiam iniecit lignum cedrinum, hyſopum & coccum. Hic ſe eluebat ſacerdos aqua, ſuccedebat uir mundus, qui cinerem colligens, depoſuit in locũ ſanctum. Ergo quoties uſus poſtularet, ponebantur cineres in uas teſtaceum, affundebatur aqua uiua, & ita parabatur aqua luſtralis, quam pollutis aſpergebãt aſpergillo hyſopino. Hæc erat luſtrationis ceremonia, & hic finis & uſus ceremoniæ.

Luſtrationis myſterium.

Porrò euidentiſſimum hæc Chriſti typum nobis exhibere, teſtis eſt Apoſtolus, qui ad Hebr. 9. cap. dixit, Si cinis iuuencæ aſperſus eos qui communicant, ſanctificat ad carnis puritatem, quanto magis ſanguis Chriſti? Ergo & ſacerdos & uacca typum prætulere Chriſti. Sexus, infirmitatem denotat naturæ humanæ: rufus color admonet ſanguinis Domini, per quem abluti ſumus. Nulla uerò macula reperta eſt in Chriſto: quippe qui erat ſanctus ſanctorum, immunis prorſus ab omni peccato. Nec ulla fuit adactus neceſſitate ad mortẽ. Nam ſua ſponte ſeſe obtulit. Et obtulit quidem extra caſtra ſiue mœnia in monte Caluariæ. Id quod & Paulus attigit ad Hebr. cap. 13. Totus autem Chriſtus Deus & homo, corpore & anima oblatus eſt. Cuius ſanguis fit nobis ſalutaris, ſi ſpiritu ſancto aſpergatur animis noſtris. Simul autẽ & fideles cum Chriſto mori oportet, humiliari, ardere amore diuino & extolli: ergo in eundem ignem inijciebantur cedrinum lignum, hyſopus, & coccum. Iam & Cineres ex ſacrificio confecti colliguntur ad purificationem ſeu emundationem. Cineres autem aliud non ſunt quàm effectus mortis & ſacrificij Chriſti, ipſa inquam purificatio ſiue peccatorum remiſſio. Ideò enim ex morientis & iam extincti Chriſti latere aperto, ebulliens effundebatur larga aqua & ſanguinis copia, ut diſceremus ex morte Chriſti emanare nobis purgationem & uitam. Nam in ſanguine uita eſt, in aqua expurgatio. Cæterum cineres colligebat homo mundus, qui tamen immundus manebat ad ueſperam uſq;. Aqua deniq; pollutis ad ſanctificationem aſpergebatur aſpergillo hyſopino. Quid quod in loco ſancto hæc erat collocata? Nam canibus & porcis margaritæ & ſanctum minimè eſt obijciendum. Requirit item Dominus prædicatores, qui effectũ paſſionis Chriſti doceant, & Euangelij (coram mundo) contempta humiliq; prædicatione redemptionem & ſanctificationem in morte & ſanguine Chriſti annuncient: requirit, inquam, doctores ſanctos & fideles ſanguineq; Chriſti mundatos. Illi interim cum tota eccleſia ad finem uſq; uitæ orant, Remitte nobis debita noſtra. Nam & Dominus dixit, Qui lotus eſt, mundus eſt, nec opus habet, niſi ut pedes lauet. Huc pertinet & frequens in hac ceremonia ablutio, ſignificans & gratia Dei omnia peccata purgari, & ſanctos perpetuò inuigilare ſancta cura contra peccata, eaq; non alia quàm gratiæ Chriſti aqua abluere. Diligentiſſimè autem in lege inculcatur, impuros manere omnes quotquot coinquinati hac aqua luſtrali non repurgãtur. Dixit enim Dominus Petro, Niſi ego te lauero, non habebis partem mecum. Non omnia & ſingula huius ceremoniæ, ſed potiſſima ſic uolui perſtringere. Pergo ergo iam ad alia.

Sacrificia pro corporeis contaminationibus.

His piacularibus adiungi poſſunt Sacrificia, quibus corporeæ contaminationes, peccatorum uarias coinquinationes præfigurantes, purificabantur uel expiabantur, quales erant pollutiones ſeminis, eſus & tactus immundorum, item lepræ & puerperæ. De quibus fuſè agitur à Moſe à 12. cap. Leuit. uſque ad cap. 16. Neque aliud iſtis omnibus eccleſiæ Dei propoſitum eſt, quàm noſtra corruptio naturæ

& pec-

& perditissima, gratuitaq́ per gratiam Dei in sanguine Christi purgatio. Hic commemorare & recensere possumus etiam zelotypiæ sacrificium. De quo qui copiosa uidere cupit, legat 5. cap. lib. Numerorũ. Quamuis is ritus magis uideatur pertinere ad iudicialia. *Sacrificium zelotypiæ.*

Quartum sacrificiorum genus erat sacrificium Eucharistiæ, gratiarum actionis, uel gratulatorium, quod appellant Schelamim uel Schlomim, sacrificium, inquam, pacificorum uel salutis. Offerebatur enim gratitudinis ergò, nimirum pro salute indepta, & propter felicitatem & integritatem, accepto, inquam, beneficiõ, uel malo aut infortunio depulso. In hoc adhibebatur uel armentale uel gregale pecus: aues non offerebantur. Peragebatur enim iuuenco & bucula, agna & agnõ, capro & capra. Mactabatur ante atrium. Tergus aut pellis obueniebat sacerdoti. Sanguis spargebatur iuxta altare. Renes, reticulum epatis, agni cauda & omnis adeps comburebantur in ara holocaustorum. Armus dexter sursum eleuabatur, pectus agitabatur in cardines mundi. (Nam Thruma & Thnupha, hoc est, leuatio & motio siue agitatio, non fuerunt genera aut species sacrificiorum, sed tantùm ritus quibus utebantur sacerdotes in oblationibus seu sacrificijs peragendis. Eleuatione significabatur Christus exaltandus, & quòd exaltatus omnes ad se traheret. Motione in omnes mũdi cardines adumbrabatur prædicatio Christi spargenda in totum orbem terrarum) utrunq́ cedebat sacerdoti, similiter maxilla & uenter. Reliquæ carnes redibant ad offerentem, qui eas epulo sacro absumebat. Reliqua huius generis quæ pertinent ad ritum huius sacrificij require ex 3. cap. Leuitici. Si enim Thoda, confessio, laus & protestatio esset, addebatur & mola similaginis imbuta oleo, uel coctæ crustæ, uel lagana E quibus pars sursum eleuabatur & cedebat sacerdoti: reliquum redibat ad offerentem, sicut & panis fermentatus concedebatur in epulo manducandus. *Sacrificium Eucharisticũ.* *Thruma & Thnupha.*

Cæterum prædicabatur & in hoc sacrificij genere Christus cum effectu & uirtute mortis suæ: ostendebatur item tota ratio agendi gratias Deo pro beneficijs. Varia sunt beneficiorum genera. Si aliquid beneficij esset collatum: si ablatum malum, si quis reualuisset ex morbo, aut aliquod effugisset infortuniũ, offerebat Domino. Sunt beneficia uetera Dei, uidelicet quòd mundum condidit, & omnia quæ sunt in mundo: quodq́ per Christum fideles redemit. Sunt quotidiana: denique omnia plena sunt Dei beneficijs. Pro his omnibus Deo tantùm, non creaturis, est offerendum: offerendum autem ex toto corde: omnes affectus Deo consecrandi sunt. Deo enim separabantur partes animalium, in quibus maximè perspiciuntur uires animæ. In renibus uis est generãdi, in sanguine spiritus uitalis, in epate fons sanguinis, &c. Porrò agendæ gratiæ per sacrificium, id est, per Christum. Seruamur enim propter Christum: & omnia bona conferuntur nobis à Deo, non ꝑpter nos, non propter ullas creaturas, sed propter Christum. Concedebatur offerentibus epulum sobrium ac lætum: quia non ingratis conduplicatur ferè felicitas. Est & Christi cognitio epulum splendidissimum & conuiuium iuge.

Cum Eucharisticis congruunt maxima ex parte Spontanea & Votiua. Spontanea oblatio ea erat, quæ nulla necessitate cogente aut lege requirente, sed ex mera proficiscebatur beneuolentia & animi deuotione. Veluti cùm seruus non debitum quod debet Domino præstat, sed munus quod non debet donat, ad declarandam animi sui erga Dominum beneuolentiam. In hoc autem differunt ab Eucharisticis spontanea, quòd in illis mandatur ne quid postera die, quod prima quaq́ non absumptum sit epulo, edatur, sed igni crementur reliquiæ: in spontaneis licebat reliquias & postea edere. Tertia demum die iubebantur exurere. Votiua uerò *Spontanea sacrificia.* *Sacrificia uotiua.*

sacrificia erant quæ ex pacto offerebantur: ueluti si quis fuisset in periculo, uouisset autem Deo sacrificium si liberetur: quod ergo liberatus offerebat Deo, uotiuũ erat sacrificium. Congruebant hæc ritu cum Eucharisticis. Plura de illis traduntur Leuitici cap. 7. Significabatur & his sacrificijs propter Christum omnia nobis cœlitus concedi ac præstari beneficia, atque adeò ipsam quoq; beneuolentiam seruiendi Deo. Hæc hactenus de sacrificijs populi Dei attuli, non singula tractans, sed potissima ferè. Proponebatur istis ceu in actione uiua Christus Dominus, & passio eius, passionisq; meritum efficacissimum: ita ut possimus sacrificiorũ sacras actiones appellare conciones de passione Christi, & catecheses redemptionis nostræ de Christo.

De uotis.

Quoniam uerò dictum est de sacrificijs uotiuis, consequenter aliquid subiungendum erit in transcursu & de Votis. Pertinent enim & hæc ad ceremonias Iudaicas. De Votis autem nuncupandis, persoluendis ac redimendis multus est in lege Dei sermo, præsertim Leuit. 27. cap. Est autẽ uouere, aliquid sanctè Deo pro salute uel propria uel alterius promittere. Erat itaq; uotum actio quæ tantùm referebatur ad Deum, nec in alia quàm re sancta atq; legitima. Fuit autem in Votis diuersitas. Nam res uotiuæ fuerunt distinctæ quatuor generibus. Vouebant enim aliquando ipsos homines, aliquando animantia, aliquando domos, aliquando autem agros & alias res inanimes. Homines rursus distinguebantur per ætates, ac iuxta has permittebatur redemptio. In mundis animantibus nulla admittebatur redemptio. Porrò liberum erat domos uel relinquere usibus sacris, uel pro æstimatione sacerdotis æqua redimere. In agris permittebatur aliquando redemptio, aliquando non permittebatur. Iam etiam in Num. cap. 30. diligenter præcipitur de personis uouentibus, & quando rata, quando irrita æstimari conueniat uota. Vbi diligenter inculcatur, Deo facta uota legitimè minimè rescindenda, sed maximè seruanda esse uel præstanda. Temeraria uel illegitima uota nunquam approbauit aut recepit Dominus. De legitimis & uni Deo nuncupatis loquens uates diuinus dixit, Vouete & reddite. Non legimus quenquam sanctorum ulla diuis uel ulli creaturæ uota nuncupasse, nec illud uouisse quod non erat in potestate uouentis, aut pugnabat cum uoluntate Dei, cui nuncupabatur uotum, aut coniunctum esset cum iniuria proximi, aut non haberet luculentam aliquam utilitatem. Et certè non alia de caussa populo Israelis permissa sunt uota huiusmodi ad tempus usq; correctionis, quàm ut in cultu unius ueri Dei persisterent, & ne unquam ulli Deo uota sua nuncuparent.

Disciplina Nazaræorum.

Ad Votorum considerationem pertinet institutio uel disciplina Nazaræorũ. De qua dicuntur multa Num. cap. 6. Nazaræi erant, qui ut liberius uacarent rebus diuinis, uel quòd hactenus uixissent paulò indulgentius, iam ut cæteris essent exemplum uirtutis, sua sponte suoq; arbitrio seuerius uiuendi genus, disciplinæ loco, in se suscipiebant. Vnde sunt qui existiment Nazaræos dictos à separatione, quòd Nazir Hebræis significet separationem, & Nazaræi à cõmuni aliorum hominum uiuendi ratione se subducentes, peculiari cuidam uiuendi generi propter Deum se dediderunt. Durauit ea disciplina in Nazaræis aliquando per totam uitam, ut in Samsone & Samuele. Sed & studiosi diuinarum literarum à prophetis Amoz & Ieremia propter temperantissimam (quæ à studiosis requiritur) uitam, & quòd diuino mancipati essent ministerio, Nazaræi appellati sunt. Aliquando per certum tempus durauit disciplina illa, ad menses uel dies aliquot. Abstinebãt autem iuxta legem à quibusdam, à quibus nulla lege alioqui arcebantur, nec in alijs hominibus uoto solutis aut liberis erant illicita aut damnata. Principiò abstinebant

nebant à uino & ab omnibus quæ proferebat uitis, & quæ inebriabant. Atqui clarum est, ut uinum bonam esse Dei creaturam, sic nullum potum prohiberi lege. Quia tamen Nazaræi domino erant consecrati, uel sanctificati peculiari quodam uiuendi genere, & uinum gradum præstruit ad ebrietatem, quæ omnium flagitiorum colluuies est, meritò Nazaræi à uino sibi temperabant. Simul autem & otium, matrem uitiorum cauerunt, & omnem uoluptatem calcarunt. Deinde toto uoti tempore nutrierunt comam. Ex qua re quidam deriuarunt uocabuli originem. Quia enim Nazer significat comam, Nazareum appellatum existimant, quasi tu dicas comatum. Cæterum Apostolus Paulus non aliam ob caussam iubet mulierem tecto uel obuelato capite orare, aut concionem sacram audire in cœtu Ecclesiastico, quàm quòd non sit sui iuris, sed alienæ subdita potestati, nempe uiri. Proinde comam nutriebant Nazaræi, quòd iam propter uotum Deo nuncupatū, non amplius suæ essent potestatis, sed toti concessissent in ius Dei. Et caput quidē corporis humani arx & præstantissima corporis pars, cæsarie ueluti obuelata significabat totum hominem Deo esse deuotum siue consecratum, ad quē unicè spectare, & à quo uno pēdere debeat. Requirebatur pręterea ne se coinquinaret consortio & contagio sceleratorum impiorumq́ hominum. Quo & illud pertinet quòd Nazaræus prohibetur interesse funeri parentum, liberorum, uxoris & fratrum, atq́ sororum. Vnicè enim oculos animi in deum cōijcere debet, & præ hoc fastidire uel charissima & pretiosissima. Si uerò uel de improuiso contaminatus fuisset super mortuo, non reputabatur ei amplius ista uita ad uoti exolutionem. Nam 7. die iubebatur se sanctificare, deinde uerò uotum repetere. Ex istis omnibus colliquescit quale ac quantum fuerit peccatum Samsonis, qui erat Nazaræus domini. Quia enim non tantùm in ganea apud scortum delitescebat, sed insuper scorto prodebat secretū Dei, pactumq́ cum Deo initum & coma nutrita testificatum proculcabat, deseruit ipsum dominus, ac recessit ab eo miraculosum illud robur cœlitus concessum. Fortitudo enim Samsonis nō fuit in cæsarie, ut hac abrasa, simul rasa ceciderit, sed in spiritu diuino, qui ei à Deo dabatur. Ideo enim toties repetitur in historia, Et factus est spiritus domini super Samsonem. Proinde recedente spiritu Dei, recessit robur: recessit autem, cum scorto prorsus agglutinatus unus cum eo spiritus esset factus, & scorto iam Deum & institutū Dei post haberet, adeò ut sineret sibi detonderi sacram comam, ac prorsus recederet ab institutis Dei. Ita enim & spiritus Dei recessit ab eo. Vnde mox redactus est in potestatem Palæstinorum: in qua cum diuexaretur miserè, & propter ipsum, nomē Dei malè audiret blasphemareturq́, pœnitentiā egit, nomen domini inuocauit, unde fruticantibus capillis, rediјt robur, id est, rediјt spiritus domini, non adductus capillorum fruticatione, sed pœnitētia & inuocatione diuini nominis. Nec Samson tantopere cupiebat priuatam ulcisci iniuriam, quàm blasphemos coërcere, populumq́ dei (ad quos uocatus fuerat) liberare assererecq́. Rediјt ergo diuina uirtus, ex qua collisis theatri columnis, ruina palatij oppressus, moriendo plures interfecit, quàm confecerat uiuus. Sed redimus iam ad institutum nostrum, ut subiungamus & alia quæ pertinent ad plenam expositionem uoti Nazaræorum. Finito ergo tempore quod in se susceperat Nazaræus, ueniebat ad tabernaculū domini, offerens quæ in lege præscribuntur sacrificia: quibus se peccatorem esse testabatur, omneq́ bonum, id est, si quid uirtutis in ipso repertum esset, id inquam omne sibi cœlitus collatum fatebatur. Ergo & cæsariem detondebat, quam & protinus inijciebat in craticulam, in qua cremabantur gratulatoria. Post quæ ad eum modum perfecta, liberum erat Nazaræo iam uelut exauthorato redire ad uitam

1 Corin. 11.

Samson Nazaræus domini peccat grauiter.

pristinam. Hæc hactenus de instituto Nazaræorum.

De mundis & immundis.

Porrò de mundis & immundis multus est in lege sermo: nos in superiore tractatione quædam perfunctoriè attigimus; sub calcem tamen (his enim finem imponam dissertationi de legibus Ceremonialibus) de delectu ciborum, de cibis inquam mundis & immundis nonnihil adijciemus. Ab initio quidem condidit omnia Deus, & ita condidit, ut quemadmodũ conditor bonus est, ita res cõditæ omnes uel hodie sint ualde bonæ: neq; sibijpsi nunc contradicit cum cibos quosdam prohibet, quasi per se aliquid immundum sit. Alia sub hac doctrina recondita latent mysteria.

Quare Deus prohibuerit esum quorundã animalium.

Minutæ & leues uidentur leges, latæ de cibo siue uictu, sed uoluit re minuta in speciem admonere dominus & in minimis respiciendam esse diuinam authoritatẽ. Legis enim authoritas ex Deo pendet: ipse est legislator, lex ipsa Dei inuentũ est. Coërcent hæc audaciam humanam, quæ subinde leges figit ac refigit nouasq; in diem comminiscitur. Proinde cõmendauit huiusmodi legibus Deus obedientiam fidelem suo populo: sicuti ab initio quoq; Adamo præcipiens ne gustaret de arbore scientię boni & mali, fidelem ab eo requirebat obedientiam.

Constantia sanctorũ abstinentiũ ab immundis.

Certè obedientia & fides quæ erat in Machabæis, in Eleazaro & in pijs aliquot uiris Antiocho regi resistentibus, usq; ad sanguinem & mortem acerbissimam, Deo placuit. Plures alij à porcilla carne abstinuerunt, unde tamen nihil laudis uel gloriæ sunt consequuti. Cum uerbum Dei dicit rem aliquam esse sanctam, sancta est, idq; propter iubentem qui sanctus est. Cum Deus dicit aliquid esse impurum, impurum est, adeò ut edere aliquid contra uerbum Dei sit seipsum polluere. Vos iam mundi estis, ait dominus in euangelio, propter sermonem quem dixi uobis. Necesse est ergo ut uerbo Dei credamus, & præcedat obedientia fidei, inde uerò opus aut factum quod ex fide existit, quale fuit Eleazari porcillam carnem gustare nolentis, non potest non probari Deo, apud quem quicquid non est ex fide peccatum est. Præterea habuit dominus in quibusdam hisce suis legibus, de nõ edendis animalium quorundam carnibus, sanitatis humani corporis rationem. Quædam enim quæ hic è cibo hominum remouentur, & à medicis ueluti parum salutaria condemnantur. Vnde & illud syllogismo quodam colligunt sancti, Si corporis sanitas Deo curæ est, certè animarum salus ab eodem longè diligentius procuratur. Quid quod gentes multæ à quorundam animalium & esu & contactu sibi temperarunt? Ergo ne populus Israelis, satis alioqui superstitiosus & curiosus, hic aliquid sibi permitteret, proprioq; tentaret arbitrio, leges de his mysticas dedit, quibus & ab humanis retraxit inuentis, & ab alijs secreuit gentibus: dicente Mose in Deut. 14. cap. Populus es sanctus domino deo tuo, & te elegit dominus Deus tuus, ut sis tu ei populus peculiaris de cunctis gentibus super faciem terræ. Certè S. Petro obijcitur in Actis uisum quo per immunda animalia gentes repræsentantur. Deinde uoluit Deus respici naturam & ingenium animalium quorum esum prohibet. In mensa enim per symbola descripsit philosophiam cœlestem, suppeditans in ipsa mensa occasionem cogitandi & loquendi de sanctimonia uera animi, ne simus obscœni, impudẽtes, fœdi & impuri. Ideoq; subinde repetitur hæc clausula, Ego dominus Deus uester sanctus sum. Quasi dicat, Huc pertinent illa omnia, ut studeatis sanctimoniæ. Docuit ergo in illis symbolis quid sequantur pij, quidue fugiant.

Ponit autem primò in lege de immundis & mundis animalibus generalia quædam, deinde per species & per catalogum quendam prosequitur singula ordine maximè naturali. Locus est copiosè expositus Leuit. 11. cap. & Deut. 14. cap. Conceduntur in usum quæ ungulam findunt & ruminant. Vbi protinus duo ponuntur, in

tur, in quibus boni uiri officium comprehenditur. Si enim uolumus munda esse animalia, & diuidere ungulã, & ruminare oportet. Pes animi affectus est, qui minimè sequendus est, discretio habenda in rebus, & quemadmodum in fissura sunt partes duæ dextra & sinistra, ita uir bonus bonum eligit, fugit contrarium. Ruminatio iudicium est. Nõ enim quælibet admittenda sunt quæ uidemus & audimus, sed ea duntaxat quæ diligenti examine expendimus, deprehendimusq; Deo & legi eius non aduersari. Subiunguntur deinde animalia multa catalogo certo per species, quibus illicitum erat uesci populo domini. Hæc erant uel quadrupedia terrestria, uel aquatilia, uel uolucria, uel reptilia. Quadrupedia animantia quatuor nominatim prohibentur, Camelus qui est elata ceruice, docens superbiam ac arrogantiam modis omnibus fugiendã: Cuniculus item uel mus montanus. Nam improbantur Deo homines terrenis prorsus immersi. Lepus animal timidum, ignauum pauorem depellendum monet: sicut & Porcus immunditiem omnem. Nam typus & symbolum impuritatis est porcus, qui & Prouerbijs locum dedit. Et de Circe dicitur, quòd suis incantationibus Vlyssis socios cõuerterit in porcos. Porrò aquatilia conceduntur in cibum, quæ squamas & pinnas habent: si altero carerent, uetita erant, ut anguilla, quæ etsi pinnas habeat, squamis tamen caret. Vt enim corpora piscium reguntur pinnis: sic spe firma oportet regi totum hominem. Squamæ duræ sunt, ac contegunt corpora: nisi uerò constantes ac patientes simus in opere domini, meritò abominatur nos dominus. Ex uolucribus prohibentur maximè rapaces aues, uoraces, rebus impuris uictitantes & gaudentes, crepusculares, noctuanæ, lucifugæ, & subdolæ, instabiles, & parũ alacres. Commendatur ergo nobis beneficentia, abstinentia, temperantia, deniq; simplicitas, lux, constantia, alacritas, integritas & puritas uitæ. Iam ex reptilibus quoq; non pauca notantur. Nam displicent Deo homines in lutum immersi prorsus. Nolui singula uetitorum animantium uocabula recensere, cùm quòd id fuisset molestum satis, tum quòd mirè in his interpretandis laborant ac uariant expositores sacri codicis: ut hic non satis admirari possim extremè cæcam Iudaici populi pertinaciam in delectu ciborum mordicus conseruando, cum ipsorum Rabbini hic se non satis explicent, nec disertè & certò dicere possint quænam sint illa animalia quæ prohibuit dominus.

Huc pertinet, quòd ante legẽ, temporibus Noe, Deus sanguinis, & carnis cum sanguine siue morticini lacerati à feris, aut suffocati esum prohibuit. Ante diluuium oleribus fructibusq; terræ uescebantur patres, à diluuio concessit eis & animalium esum, sed iugulare illa, sanguinemq; elicere uel fundere iussit. Extat locus Gen. cap. 9. Porrò in lege magna cum seueritate dicit dominus, Quicunq; de domo Israel aut ex incolis qui inter uos habitant ullum sanguinem comederit, ponam faciem meam contra animam talem, & excindã eam de medio populi sui. Leuit. 17. Ac repetitur eadẽ lex Leuit. 19. & Deut. 12. & 15. Iteratur subinde Leuit. 3. & 7. cap. Nec caret iustis & maximis caussis, quòd sanguinis esum tanta seueritate prohibuit. Principiò enim post recitata uerba, mox subiungit, Nam anima carnis est in sangine: & ego dedi illum uobis super altare, ad expiandum animas uestras. Sanguis enim animam expiabit. Et ob id dixi filijs Israel, Nulla anima ex uobis sanguinem edat, &c. En ratio in his redditur luculentissima cur non liceat uesci sanguine, quia præstantissima res sanguis, utpote sanctificationi hominum destinatus. Dedit enim sanguinem Deus uelut pretium quo expient peccata, pretium inquam redemptionis, quo absoluantur à peccato. Præterea sanguis est anima, id est, alimentum uitæ. Sanguis ergo sanguinem Christi in cruce fundendum

Prohibetur esus sanguinis et suffocati.

ſignificauit, per quem ut propitiationem pleniſsimam expiati ac ſanctificati ſunt credentes: & in quo eſt alimentum animæ ad uitam æternam, & quemadmodum non licebat ueſci de carne ſacrificiorum, quorum ſanguis pro peccato inferebatur in ſancta, ſed extra caſtra cremabantur: ita nephas erat ueſci ſanguine, utpote expiatione pro peccato. Edebat ergo ſanguinem, qui expiationem ſanguine Chriſti perfectam ſuis attribuebat uiribus aut operibus, uel tanquam prophanũ æſtimabat, non plenam ei tribuens ſatisfactionem omnium peccatorum. Non edebat ſanginem, ſed effundebat ad aram, qui beneficium redemptionis unico Chriſti aſcribebat merito, & tanti æſtimabat quanti meritò æſtimari debet. Deinde uoluit Deus animis hominum altiſsimè impreſſum, ne quis hominis effunderet ſanguinem, aut ex hominis ſanguine & uiſceribus uiueret: quod faciunt milites mercenarij & impij, auari, uſurarij, & impoſtores, artibus malis, ui atꝗ iniuria effundentes uel deglutientes miſerorum cruorem. Horrorem autem minis & rationibus grauiſsimis, cum Noe colloquens, omnibus incuſsit, ac dixit, Ego, ſi ceſſent homines, ſanguinis effuſionem ultione perſequar. Cõditus eſt enim homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei: unde non poteſt nõ Deus in ſe recipere contumeliã, quæ illata eſt eius imagini. Qui enim regis deijcit imaginem, in ipſum peccat regem, & accuſatur criminis læſæ maieſtatis. Porrò de ſuffocato hæc lata eſt lex, Ne ederis cum ſanguine. Item, Ne ederis de cadauere uel morticino, aut diſcerpto à feris, &c. Cæterum ſuffocato & morticinis ſignificata ſunt opera mortuaria, à quibus ſe expurgare iubetur per diuinam gratiam quicunꝗ cupit placere Deo. Suffocatis ergo ueſcebatur, quicunꝗ uiuebat in ſceleribus ſine pœnitentia, neꝗ Chriſti ſanguinem magnopere curabat.

Tactus immundorum. Iam & Tactus tribus circumſcribitur notis in lege, nempe ſi attingas rem immundam, aut geſtes, aut ea tibi cadat in uas aliquod aut in ueſtimentũ. Caſu contaminatur, quiſquis peccat per imprudentiam. Grauius peccat, quiſquis ſciens & uolens aut dedita opera præuaricatur. Grauiſsimè uerò delinquit, qui defendit ſcelera, & alios in ipſa impellit. Quòd autem in attactu & in alijs locis dicitur immunditia duratura ad ueſperam, apertiſsima texitur de Chriſto prophetia, nempe uenturum ſub ueſperam, id eſt, in fine ſeculi Meſsiam, qui expiet peccata totius mundi. Satis ſuperꝗ ſatis uideor hactenus per duos Sermones, utinam multo cum fructu C. V. immoratus eſſe legibus Ceremonialibus, ergo ut his tandẽ omnibus finem imponam, in ſummam ſumma redigam capita de quibus dixi. Partitus ſum uniuerſam diſputationem in tria capita. Dixi enim de Perſonis ſacris, de loco temporéꝗ ſacro, & de ipſa re ſacra, quam exercuerunt perſonæ in loco ſacro, de ipſis inquam ſacramentis, ſacrificijs, & alijs nonnullis huius generis. Perſonæ ſacræ ſacerdotes ſunt. Oſtendimus horum originem primam, ordinationem, inſtitutum myſticum, & officium uarium. De loco & tempore ſacro diſſerentes deſcripſimus Tabernaculum, ubi etiam annotauimus quid fuerit in tabernaculo, nimirum Arca fœderis, Menſa aurea, Candelabrum aureum, Ara thymiamatis & holocauſtorum, & Labrum æneum: quorum myſteria quoꝗ perſtrinximus. In tractatione temporis ſacri attigimus omnis generis ferias uel feſta ſolennia, ſtata & conceptiua. Poſtremò autem cum exponeremus res ſacras & cultum ſacrum, diſputauimus de ſacramentis ueteris Eccleſiæ duobus, Circũciſione & Paſcha: item de Sacrificijs, quorum alia fuerunt holocauſta, alia cibaria, alia peculiaria, alia item gratulatoria ſeu euchariſtica, ubi dictum eſt nonnihil de Spontaneis & uotiuis, denique de Votis, de diſciplina uel inſtituto Nazaræorũ, de mundis & immundis, de delectu ciborum, de ſanguine & ſuffocato, & de tactu immundorum. Dominus

minus Iesus illuminet corda uestra, ut hæc omnia cedant ad gloriam nominis sui, & ad salutem animarum uestrarum, Amen.

De Legibus Dei Iudicialibus. SERMO VII.

SEQVVNTVR iam loco postremo in tractatione legum diuinarum leges iudiciales: de quibus dicam quanta possum breuitate, & quantum C.V. ad ædificationem fore existimauero. Non inutilis & iniucunda erit hæc tractatio licet sit forensis. Nam leges Iudiciales ab optimo & sapientissimo Deo traditæ sunt per Mosen, mira fide & diligentia. Deus autem nihil temere aut citra eximiam aliquam utilitatem, tanta diligentia hominibus reuelat. Licet autem leges hæ iudiciales paucula sint, si conferas cum libris legum decretorumque Imperatorum, Regum & hominum sapientissimorum uastissimis, in compendiosa tamen illa sua breuitate complectuntur præcipua capita iudicij & iustitiæ, adeoque tantum ferè quantum comprehenditur in libris legum & constitutionum Impp. & iurisperitorum. Noluit bonus dominus populo suo prolixitate & copia siue onere legum molestus aut onerosus esse: neque uerò necesse erat curiosius prosequi singula male feriatorum hominum cogitata: sufficit omnibus sapientibus, nationibus & populis, si tantum quibusque sit legum, quantum satis est ad conseruationem pacis, honestatis, tranquillitatisque publicæ. Tantum uerò fuisse populo Israelis testatur uniuersa historia sacra. Sunt autem antiquissimæ hæ leges, & fontes quidam omnium ferè aliarum in mundo bonarum legum. Præcessit Moses omnes alios legislatores celebriores. Vetustissimi ex his Mercurius ille trismegistus & Rhadamanthus Licius. Ægyptij legislatorem suum Mercurium appellarunt Thoth, qui & authore Lactantio, Argum multioculum illum occidit, & in Ægyptum profugit. Vixit autem Argus & Atlas circa Cecropis Diphyis tempora. Cecrops autem coætaneus fuisse dicitur Mosis. Rhadamanthus uerò putatur uixisse post tempora Iosue. At longissimo interuallo post Mosen succedũt legislatores famosissimi maximarum & antiquissimarum gentium, Draco & Solon Atheniensiũ, Minos Cretensium, Charondas Tyriorum, Phoronæus Argiuorum, Lycurgus Lacedæmoniorum, Pythagoras Italorum, Romulus & Numa Romanorum. Plato de Legibus cõmentatur paulò ante regnum Philippi Macedonum regis, Alexandri illius magni patris. Cicero quoque 2. lib. de Legibus, Hanc igitur, inquit, uideo sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingenijs excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod uniuersum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam & ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut uetantis Dei. Ex quo illa lex, quam dij humano generi dederunt, rectè est laudata: est enim ratio mensque sapientis ad iubendum & ad detrahendum idonea. Et reliqua. Commendantur ergo nobis Dei leges iudiciales, non tam antiquitate, quàm authoritate diuina.

Vtiles leges iudiciales.

Vetustißima leges.

Cæterum Iudicare, ut clarè & distinctè de hac re disseramus, actio est: & in præsenti forensis quidem actio: significans uidelicet discernere inter litigantes, uel ius dicere, audita inquam caussa pronunciare ferreque sententiam. Iudicare denique, est periclitantes asserere, oppressos releuare, afflictos tueri, & noxios sceleratosque punire ac coërcere. Proinde Iudicium non est consessus duntaxat iudicum, qui ad iudicandum conuenerunt: sed ipsa magis discussio diligens caussarũ, pronunciatio secundum æquum & iustum ex Dei legibus, item assertio & defensio

Iudicare, iudex, iudicium & leges iudiciales, quid.

qua asseruntur boni, atque supplicium quod sumitur de noxijs atque maleficis. Iam uerò Iudices sunt præsides iudicij & iustitiæ, illi uidelicet qui iustè secundum leges inter litigantes pronunciant, qui asserunt atque tuentur bonos, malos autẽ coërcent atque puniunt. Itaque leges Iudiciales istæ sunt, quæ iudices informant quid decernant in controuersijs & quæstionibus, quomodo iudicent iustè, quomodo puniant malos, & defendant bonos, ut apud omnes constet pax, honestas, iustitia & tranquillitas publica: qui sanè iudicis & omnium legum iudicialium unicus scopus est. Nam Deus legislator bonus dominus uult omnino bene esse homini, ipsumque beatè, honestè, & tranquillè uiuere. Vnde hîc ne curam quidem & defensionem puræ religionis excludimus, sed inter prima collocamus.

Iudiciales leges pertinent ad Decalogum.

Quemadmodum uerò Ceremoniales leges, sic & Iudiciales à Deo adiectæ sunt Decalogo, ad explicandum & muniendum decalogum. Decalogi enim præcepta primaria sunt præcepta, ad quæ omnes oportet referre leges, ceu ad mentem Dei æternam. Non puto autem necessarium esse, ut multis ostendam. C. V. ad quas Decalogi leges singulæ iudicialium referantur. Clarum enim est id negotij, & cuilibet conferre uolenti perspicuum. Nam quæ pronunciantur contra cædes & iniurias pertinent ad mandatum, Non occides. Quæcunque proferuntur cõtra adulteria, contra fornicationem & nephandas libidines, subiunguntur illi præcepto, Non mœchaberis. Quæcunque dicuntur in legibus contra dolum malum, contra artes, imposturas usurasque, pertinent sub legem, Non facies furtum. Quæ uerò disseruntur de coërcendis ui hæreticis & apostatis opprimẽdis, illustrãt primum & secundum, adde & tertium & quartum mandatum tabulæ primæ. Quædam enim leges ad plura possunt aptari præcepta Decalogi. Verum hæc obuia & protrita sunt quibuslibet: unde nolo ijs inhærere diutius.

Leges de Iudicibus.

Quoniam autem leges iudiciales ante omnia requirunt Iudices, legum in quam conseruatores & exequutores (leges enim mortuæ uidentur sine exequutoribus, uiuæ sub iusto magistratu, qui eam ob rem appellatur lex uiua) præcedũt sanè omnes alias leges, iudiciales illæ quæ latæ sunt diuinitus de magistratu siue iudicibus eorumque electione & officio. De Electione hæc legimus, Date ex uobis, ait Moses ad populum, sapientes, prudentes, & spectatæ probitatis uiros de tribubus uestris, & cõstituam illos uobis in præsides. Item, Iudices & præfectos constitues tibi secundum tribus tuas in omnibus ciuitatibus tuis, quas Dominus Deus tuus dat tibi, qui iudicent populum. Et adhuc clarius, Ex omni populo (ait ad Mosen Iethro diuinitus inspiratus) prospice uiros uirtutis seu fortes & strenuos, timentes Deum, uiros ueraces ac fideles, odientes auaritiam, nimirum qui oderint accipere pecuniam & munera, & præfice illos tribunos, centuriones, quinquagenarios & decuriones: illi iudicent populum omni tempore. Id si feceris, seruabis tum instituta Dei, tum populi incolumitatem. Huc pertinet quod legimus in Numeris precatum dixisse Mosen, Præficiat dominus Deus spirituum uniuersæ carnis, uirum super hunc cœtum, qui egrediatur & ingrediatur ante eos: ut non sit cœtus domini ueluti oues quæ pastorem non habent. Reliquit autem nobis exemplum Moses orandi Deum in electionibus. Sæpe enim fallunt nos nostra iudicia de hominibus: Deus autẽ spiritus, animos & corda intuetur, & nouit qualis quisque sit intus & in cute. Is ergo orandus est ut nobis det uel ostendat non hypocritas, sed uiros uirtutis & ueritatis. In eodem loco relinquit nobis Moses descriptionem ritus inaugurandi electos iudices. Nam statuebantur ante dominum, & imponebantur eis manus cum precationibus. Porrò officium iudicum paucis quidem uerbis, sed sententijs efficacissimis & absolutissimis in hæc uerba dominus

per

per Mosen describit, Audite caussas fratrum uestrorum, & iudicate iustè inter uirum & fratrem eius, & inter peregrinum eius. Non agnoscetis facies, non recipietis personas in iudicio: ut paruum ita & magnum audiatis: nec quenquam mortalem formidetis. Iudicium enim hoc Dei est. Item, Iudicate populum iusto iudicio: ne flectas iudicium, neq; agnoscas personam, neq; accipias munus: quoniam munus excæcat oculos sapientum, & peruertit caussas iustas. Iustitiam iustitia persequaris, ut uiuas & possideas terram quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. Et iterum, Ne feceris iniquum quid in iudicio, ne suscipias faciem pauperis, nec reuerearis faciem potentis, sed iustè iudicabis proximo tuo. Rursus, Ne receperis rumorem falsum, ne sequaris multos ad malefaciendum, neq; respondeas in iudicio declinando post multos ut peruersum quid committas. Id est, si uideris innoxium damnari à multis, noli ideò & tu ipsum damnare, quia maior numerus illum damnat, sed iustè iudica, neq; quicquam iniqui committas propter multitudinem suffragiorum. Ne ornaueris pauperem in caussa sua: neq; inflexeris caussam pauperis tui. A uerbo mendaci longissimè absis. Innocentem & iustum ne occideris. Non enim iustificabo impium. Aduenæ ne uim inferas, neq; opprimas eum. Fuistis enim & uos aduenæ in Ægypto.

Ac Deus quidem populo suo quem ex Ægypto à regum tyrannide liberauit, non iterum regibus ipsum substrauit, neque regalibus tributis impositis onerauit: rempublicam siue aristocratiam, optimatum inquam ex plebe delectorum regimen optimum instituit: sed quia non ignorauit populi sui stultitiam, & quòd libertatis pertæsus regem erat postulaturus, quam rem tum quoq; multis & ualidis rationibus per Samuelem dissuadebat, regi quoque dictauit leges, ut is intelligeret etiam ipsi uiuendum esse sub legibus, & iudicandum secundum leges. Institutio regis est huiusmodi, Cùm ueneris in terrã quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, & dixeris, Constituam super me regem, quemadmodum omnes gentes quæ circum me sunt. Omnino regẽ super te pones quem elegerit Dominus Deus tuus: de medio fratrum tuorum constitues super te regem: non autem poteris tibi præficere hominem alienum, qui non est frater tuus. Veruntamen hic non parabit sibi equos multos: neq; populum in Ægyptum reducat, quò equos multiplicet, id est, fortem sibi comparet equitatũ. Nam Dominus dixit uobis, Ne ultra redeatis per uiam istam. Deinde ne sibi multas mulieres paret, ne deficiat cor eius: neque multiplicet sibi multum auri & argenti. Cùm sederit in solio regni sui, describet sibi exemplar huius legis ad exemplar libri sacerdotum Leuitarum: eritq; illud penes eum, ut legat in eo cunctis diebus uitæ suæ, ut scilicet discat timere Dominũ Deum suum, & seruare omnia uerba legis huius, atq; statuta ista, ut faciat ea. Et ne extollat cor suum supra frarres suos, neq; recedat à præcepto uel ad dextram, uel ad sinistram, ut proroget dies in regno suo, ipse & filij eius in medio Israelis. Hæc de magistratu, iudicibus, & regibus hactenus. Puto autem in hac regia institutione comprehendi quæcunque ab alijs authoribus de principis educatione & institutione profusissimè proferuntur. In primis autem illud obseruari decet, quòd reges uerbo & legibus Dei non præficiuntur tanquam Domini & moderatores, sed subijciuntur ueluti à Deo per uerbum iudicandi, & qui omnia ad normam uerbi Dei debent moderari.

Institutio regis & principum.

1. Sam. 8.

Iam uerò recitandæ nobis ueniunt aliquot leges iudiciales, nõ omnes quidem & singulæ, sed aliquot & potiores: ex quibus alias liceat æstimare, & palàm perspicere Israeliticum populum nulla lege necessaria & utili fuisse destitutum. Per compendium autem illas enumerabo & ordine maximè naturali ac perspicuo.

Res sacræ.

De ædificijs sacris, & non alienandis rebus Deo consecratis, denique de tuenda & propaganda uera religione multus est sparsim in lege sermo. Nec puto operæpretium uerbotim omnes recitare leges aut proferre ea quæ de his præcipiuntur. Certè de Paganis eorumque templis & sacris subuertendis, breuibus hæc præcipiuntur à Domino, Cùm eiecerit ante te Dominus Deus Gentes multas, exterminabis eas, nec ferias cum eis pactum, nec miserearis eorum, nec iungas cum eis affinitatem: quoniam filium tuum seducent, ut seruiat dijs alienis, & irascatur furor meus contra te, & deleam te. Sic autem facies eis, Aras eorum diruetis, statuas eorum confringetis, lucos eorum succidetis, & simulachra eorum comburetis. Nam populus sanctus es tu Domino Deo tuo, & te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris. Eadem lex ponitur Exod. 23. & repetitur Deut. 12.

Idololatria.

Huc pertinent leges promulgatæ cōtra statuas & imagines. Leuit. 19. dicit Dominus, Ne respiciatis ad idola, neque deos fusiles uobis faciatis: Ego Dominus Deus uester. Item 26. cap. Ne feceritis uobis idolum aut sculptile, neque statuam erexeritis uobis, sed nec lapidem figuratum ponatis in terra uestra, ut adoretis ad eum: quia ego Dominus Deus uester. Item Deut. 16. Non plantabis tibi lucum ex ullis arboribus iuxta aram Domini Dei tui: neque eriges ibi statuam quā odit Dominus Deus tuus. Sunt autem huius generis leges plurimæ passim in scripturis expositæ.

Pauperes.

De pauperibus, uiduis, pupillis, orphanis & peregrinis bene tractandis ita præcipit Dominus, Nullam uiduam nec pupillum affligetis. Si uerò omnino illos affligere perrexeritis, indubiè ad me clamabunt, & ego certissimè exaudiā eos, & irascar uobis, ac interficiam uos gladio, & erūt uxores uestræ uiduæ, & filij uestri orbi. Huc pertinet bona pars cap. 15. in Deut. In 24. cap. Ne declines iudicium peregrini & pupilli atque uiduæ. Memineris quod & tu fueris peregrinus in terra Ægypti.

Testes & testimonia.

De testibus & testimonijs in iudicio recipiendis & repudiandis, paucula hæc traduntur in lege. Non stabit testis unus contra aliquem, quicquid illud peccati & facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium stabit omne uerbum. Quòd si steterit testis mendax cōtra hominem accusans eum præuaricationis, iudices diligenter inquirent ac scrutabuntur, cumque deprehenderint testem dixisse mendacium, reddent ei sicuti fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui. Cæterùm iuramentum quod exigant iudices & præstent litigantes, uel testimonia dicentes, iubet fieri Dominus sub obtestatione et inuocatione diuini nominis, & solius quidem, Deut. 10. &c.

Appellatio.

Porrò appellationis speciem habet, quod toties iubet Moses in caussa dubia & difficili recurrere iudices ad summum sacerdotem, adeoque ad ipsum Deum uel diuinum oraculum: sicuti uidere licet Exodi 18. & Deut. 1. & 16. cap.

Nuptiæ.

De Nuptijs legitimis contra incestas & inutiles nuptias, item de gradibus consanguinitatis & affinitatis, diligentissimè præcipitur Leuit. 18. cap. tum & alijs in locis librorum Mosis. Certè ubi non sunt legitimæ nuptiæ, ibi nullum matrimonium: qui ergo nascuntur liberi, spurij censentur: nec ulla ibi hæreditas, nullæ dotes.

Parentes & liberi.

Præcipit Dominus parentibus multis in locis legis suæ, ut liberos suos honestè educent, & sanctè instituant. Inter alia, Inculca, inquit, uerba ista quæ ego tibi præcipio hodie filijs tuis, & loqueris de eis cùm domi tuæ resides, & cùm ambulas in itinere, cùm abis cubitum, & cùm surgis. Ligabis denique ea in signū ad manū tuam, eruntque monimenta inter oculos tuos, scribes quoque ea super postes domus tuæ, & in portis tuis, &c.

Rursus de honorandis, colendis, alendisque parentibus, non modò in moralibus, sed etiam in iudicialibus legibus quædā proponuntur, quibus diligentissimè

commen-

commendantur. De quibus dicetur ubi uentum fuerit ad parricidium, sub quo & malam parentum tractationem comprehendimus.

Porrò quanta fuerit potestas patria, ex illis potissimùm possumus colligere, quòd Exodi 21. permittitur patri oppresso paupertate uendere filiam: item quòd alibi conceditur patri potestas constupratam filiam, ei qui compressit uel locandi in matrimonio, uel negandi: rursus quòd pater potuit uotum Deo nuncupatum, si inscio & non consentiente ipso fuisset nuncupatum, rescindere. Numeri 30. Cæterum exhæredationem liberorum non fuisse in arbitrio parentum, si liberi exhæredationem non meruissent, sed parentes corruptus aliquis affectus transuersum raperet, ostendit lex promulgata Deut. 21. prohibens ne pro primogenito secundogenitum substituat pater. *De patria potestate.* *Exhæredare.*

De adeundis hæreditatibus & successione bonorum, siue de legitima cognatorum successione, diligentissimè præcipitur Numeri 27. Ponitur casus filiarum Zelphad postulantium ne nomen deleatur paternum, sed ipsis concedatur cum nomine paterna hæreditas. Ex ea occasione fertur lex, decedentibus filijs ad filias hæreditatem transferri, aut certè ad proximos quosque sanguine iunctos. Eò pertinet etiam lex de suscitando semine fratris, ac totum ferme caput Numeri 36. Locum hîc habet Adoptio. *Hæreditas.*

Porrò de Stupris, adulterijs, & raptu uirginum multæ sunt leges utiles, honestæ & salutares. Deut. 23. dicitur, Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filijs Israel. Ibidem repellit oblationes collectas ex prostibuli mercede. In Leuitico præcipitur, Ne prostituas filiam tuam ut scortari eam facias, ne contaminetur terra & impleatur piaculo. Ergo Deut. 22. iubet uirgo quæ corrupta ad sponsum, mentita uirginitatem uenisset, lapidari proximè ante parentum fores: ut parentes tam diro facinore excitarentur ad accuratam custodiam liberorum. Exodi 22. ita præcipitur, Si quis seduxerit uirginem, dormieritque cum ea, dotabit eam, habebitque uxorem. Grauissimæ leges latæ sunt contra stupra & adulteria. Deuter. 22. cap. Supplicio enim capitis affecti sunt adulteri. Eodem fuit affectus supplicio si quis uirginem rapuisset. Suspicionibus & Zelotypiæ cõsulitur in Numeris cap. 5. Contra libidines nephandas illicitas & planè diabolicas, seuerissimæ sed iustissimæ leges sunt promulgatæ, uidelicet contra fœdissimos incestus, contra Sodomiã abominabilem, contra horribilem & cum natura pugnantem bestialitatem, contra muta inquam & à Deo maledicta scelera, Leuitici cap. 18. & 20. cap. *Stupra & adulteria.*

Diuortia & repudia permittit lex Deut. 24. & permittit quidem propter duriciem cordis Iudaici populi, & ne quid grauius eueniret, nimirum ne quis eam quam odisset ueneno è medio tolleret, aut aliàs strangularet uel confoderet. Repudio autem separatis permittebantur alia ac noua quidem coniugia. *Diuortium.*

Porrò ut iustitia colatur inter homines & suum cuique cedat, diligenter in lege præcipitur de rerum diuisione, de partienda terra promissa æquis spacijs, de diuidendis agris, de peculio, ut cuilibet tribui sorte distribuantur possessiones, & ne quis datas quouis modo alienet. Huc enim pertinent quæ dicuntur à Mose Numeri 32. 33. 34. & aliàs sæpe in alijs locis. *Rerum diuisio.*

Interea non prohibebatur commutatio. Nam leges quoque promulgatæ sunt multæ & æquissimæ de Emptione & uenditione, de Locatione & conductione, de Mutuo, accommodato, Vsuris & deposito. Loca si quis in lege requirat inueniet Leuit. 25. Exod. 22. Deut. 15. & 23. cap. Eò referendum puto, quod de Hypothecis seu pignoribus præcipitur, Si in pignus acceperis uestimentum proximi tui, sub Occasum Solis id ei restitues. Hoc enim est tegumentũ eius unicum: hoc est, uesti- *Emptio, uenditio, &c.* *Pignus.*

mentum eius quo carnem suam cōtegit, in quo dormit. Fiet autem, ut si ad me clamauerit, audiam eum: quia misericors sum. Item, Ne acceperis loco pignoris inferiorem & superiorem molarem: quia ille id unde uiuit tibi oppignerauit.

Depositum.

De deposito siue rebus creditis & iureiurando mandans lex, iubet quemlibet bona fide depositum alteri reddere. Si uerò ei apud quem fuerat depositum sit furto sublatum, purget se depositarius, interposito iureiurando, apud magistratum. Eadem ratio iubetur seruari in alijs rebus mutuò acceptis, amissis item, aut confractis. Legatur cap. 22. Exodi.

Seruitus.

Et quoniam non minimam facultatum portionem ueteribus positam constat in seruorum gregibus, lex diuina multis agit de Seruitute & seruis, de Mancipatione & manumissione. Diligentissimè interim iubet seruos humaniter & clementer tractare, sexennioq́ finito dimittere liberos. Quòd si seruo alicui sexennio exacto placuisset manere in domo herili, concedebatur id quidem: sed ut confirmaretur per mancipationis ceremoniam uoluntaria illa seruitus, nempe ut ductus seruulus ad iudices, testaretur se seruiturum uoluntariè, deinde & auricula eius inferior foderetur affigereturq́ ostio. Quod quidem obedientiæ & fidei erat symbolum. Nam Dauid huc respiciens, dixit Dominum perfodisse ei aurem, id est, per fidem obstrinxisse ad obedientiam. Iam uerò & manumissionem istis circumscripsit legibus, nimirum ne quid permitteretur auaritiæ aut crudelitati dominorum. Quæ quidem omnia multis describuntur Exodi 21. Ad clementiam illud quoq́ referre oportet, quod Deut. 23. dicitur. Non trades seruū domino suo, si ad te confugerit: sed habitet in loco aliquo ad quem confugerit. Simul tamen grauissimè prohibetur Plagium. Plagium committunt qui alienos solicitant seruos, ut uel à dominis suis aufugiant, uel qui abducunt seruos furto aut rapina, & hos sibi uel seruant uel alijs diuendunt. Contra hos hæc lata legitur lex Qui furatus fuerit hominem, & uendiderit eum, & conuictus fuerit noxæ, morte moriatur. Ac repetitur ea lex Deut. 24.

Mancipatio.

Manumißio.

Plagium.

Infames natales.

De Ingenuis paucula traduntur in lege: remouentur autem à publica administratione aut functione scorto nati & habentes obscuros natales. Excluduntur et administratione reipub. peregrini homines, Ammonitæ & Moabitæ, Deut. 23.

Furtū et fraus.

Omnis fraus, impostura, rapina, dolus malus & uersutia prohibetur in lege sub furti uocabulo. Nam Leuit. 19. legitur, Non facietis furtum, non mentiemini, nec decipiet quisq́ proximū suum. Et Deut. 19. Non transferes terminos proximi tui.

Restitutio.

Furtum punit Dominus Exodi 22. quadruplici uel quintuplici restitutione: quam nisi quis præstaret aut fecisset, uendebatur, in seruitutemq́ conijciebatur extremam. Quòd si apud furem res furtiua fuisset deprehensa & recuperata, rependebat duplum. Sub hanc legem pertinent quæcunq́ dicuntur contra sacrilegium, abigeatum & peculatum, item contra plagium, de quo iam iam paucula diximus.

Sacrilegium.

Merces laboris.

Huc pertinet æquissima & præstantissima hæc lex, Ne neges aut ui retineas mercenario pauperi & inopi, siue sit de fratribus tuis, siue de peregrinis qui sunt in terra tua, mercedem. Die suo dabis ei mercedē suam, & ante Solis Occasum quidem, quia pauper est & sustentat ex eo uitam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & cedat tibi in peccatum.

Damnum datū & acceptum.

De damno dato aut accepto, & de restitutione in integrum multæ sunt in lege Domini constitutiones. Si quis foderit cisternam, inquit lex, nec operuerit diligenter, cecideritq́ in eam iumentum aut pecus alterius, reseruet sibi dominus cisternæ animal quod perijt, animalis aūt domino pretium annumeret animalis. Similis est lex de boue cornupeta Exod. 21. In 22. cap. conceditur actio talionis, si pratū fuerit depastum.

depastum, si seges aut uinea fuerit uastata. Iubet enim lex aliud pratum, aliam segetem uel uineam, nec uilem quidem illam, sed optimam restituere ei qui damnum accepit. Ita si quis immisisset ignem in spinas, & ignis per incuriam immittentis inuasisset fruges uel stantes uel congestas, absumpsissetq;, cogebatur hic qui per incuriam suam alteri dederat damnum sarcire illatum. Repetitur hæc lex Leuitici 24. In Deut. 22. plurima ponuntur quæ sub hunc titulum referre oportet: cuius quidem generis est, quòd iubemur bouem errantem reducere, inuentas res restituere ei qui perdiderat: probè munire ædificia tua, ne quid damni inde fortè fortuna accipiat frater tuus. Ab his non est aliena lex illa quoq;, Locus sit tibi extra castra ad quem foras egrediaris, lignumq; præacutum in balteo, quo sedens fodias, conuersusq; operias excrementũ tuum. Etenim in iure ciuili tractatur etiam huiusmodi res: sed & ipsa necessitas requirit in repub. certæ sint leges de cloacis, de ædificijs, ne alter alteri excrementis egerendis, aut ædificijs nouis collocandis, molestus & oneri sit. Hoc loco licet & leges commemorare de leprosis separandis, nimirum ne contagium serpens damnum det uicinis. Multis tractantur leges de Lepra & leprosis in Leuit. 13. & 14. cap.

Pondus & mensura. Pondera æqua & mensuras iustas hac lege constituit Dominus, Ne sint tibi in sacculo tuo diuersi lapides, magnus scilicet & paruus: ne sint tibi in domo tua diuersa epha, magnum scilicet & paruum. Quin pondus æquum & iustum sit tibi, & epha æquum & iustum sit tibi, ut prorogentur dies tui in terra quam Dominus Deus daturus est tibi. Nam abominatio est Deo tuo quisquis ista facit, & iniquitatem perpetrat. Hæc habentur Deut. 25. & repetuntur eadem Leuitici decimo nono capite.

Pœnæ sontium. De publicis iudicijs, de maleficijs & pœna sontiũ, habentur leges in libro Domini multiplices. Maleficos, ait Dominus, non patieris uiuere. Item, Non interficientur patres pro filijs, nec filij occidẽtur pro patribus: sed quisq; pro peccato suo interficietur. Nec tacet lex modum suppliciorum, gladium, lapides & ignẽ dans in manus iudicis. Alicubi relinquitur iudici decernenda pœna sontis ex circumstantia commissi sceleris, quomodo uidelicet puniatur, in corpore ne an in fortunis, in membris an in uita, uirgis ne cædatur an proscribatur. Leuitici 20. cap. omnia ferè scelera morte expianda commemorantur. Ita cap. 18. & 21.

Malefici et mathematici. De Maleficis & Mathematicis copiosè differitur Deut. 18. Per compendium in Leuit. 19. cap. dicitur, Non augurabimi, neq; obseruabitis somnia. Non declinabitis ad magos, nec ab hariolis aliquid sciscitabimini, ut polluamini per eos. In hos mortis & extremi supplicij sententia profertur Leuit. 20. Exodi 22. pronunciatur districta sententia, Malefica mulier ne uiuat.

Hæretici & Apostatæ. Contra Hæreticos, schismaticos, & apostatas, siue pseudoprophetas, pronũciat lex Deut. 13. & 18. cap. docens significantissimè quomodo sint tractandi. Cognata his est lex de lapidandis blasphemis hominibus, quæ continetur Leuit. 24. cap. Itẽ lex de sabbati contemptoribus & uiolatoribus ex Num. 15. cap.

Seditiosi & calumniatores. Contra Seditiosos & calumniatores multa in lege passim tradunt. Seditiosi erãt Chore, Dathan, & Abyrom. De quibus dicitur Num. 16. Si quis uxoris suæ pudicitiam aut famam bonam malitiosè læsisset, uel in pecunia, uel uerberibus incussis mulctabatur, sicut uidere licet Deut. 22. Leuit. 19. præcipitur, Non eris criminator aut susurro in populis: ne oderis fratrem tuum, sed palàm argue eum. Item Exodi 22. dicitur, Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices.

Homicidia. Cæterum homicidij multa sunt genera, quorum alia alijs leuiora sunt, aut grauiora. Excellit in his dirum parricidium, sub quo comprehendimus & malam tra-

ctationem parentum. Qui percusserit patrem aut matrem, aut eis maledixerit, ait lex, morte moriatur. Iubetur item cædi rebellis, qui ausus fuerit se opponere æquis Seniorum sententijs & iudicio sancto. Deuteron. 17. cap. Rursus Deut. 21. Si quispiam filium habuerit defectorem, contumacem, proteruum & rebellem, qui uocem patris sui & matris suæ audire noluerit, cumque castigauerint eum, & noluerit obtemperare, apprehendent eum parentes eius, educentque eum ad Seniores urbis illius, & ad portam eius loci, dicentque ad Seniores ciuitatis illius, Filius hic noster defector est & rebellis, nec uult audire uocem nostram, comessator est & potator: & mox lapidibus eum obruent omnes ciues illius ciuitatis donec moriatur: & expurgabis malum de medio tui, ut omnes Israelitæ audientes timeant. Est præterea Homicidium aliud quidem inuoluntarium, aliud uoluntarium. Inuoluntarium quale sit, illustratur exemplo Deut. 19. cap. ubi talis proponitur casus, Eunt concordes amici duo cæsum ligna in syluam, inter cædendum autem excutitur ferrum è manubrio illius, & impetu fertur in hunc, quem & ad necem uulnerat. Huiusmodi factum non imputat Deus actori, sed sibi, nec uult illi imputari. Con-

Asylum. cedit ergo refugium in asylum. Huiusmodi enim homicidis, non latronibus aut sicarijs, non ueneficis aut parricidis uoluit patere asyla. De quibus copiosè agitur Numeri 35. cap. & Deut. 4. & 19. cap. Ad inuoluntarium homicidiũ, nempe quod non destinata mente patratur, pertinet etiam illud, Pugnant inter se uiri, & inter pugnandum fœminam grauidam impellunt, ut uel ante tempus pariat, uel moria-

Lex talionis. tur protinus. In eo casu quid fieri debeat exponitur Exodi 21. Vbi & lex Talionis proponitur, Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, &c. Ibidem ponitur & aliud homicidij genus quod fit per iumentum tuum, utpote taurũ cornupetam, uel lupum, aut canem quem domi tuæ alis, uel per instrumentum quodpiam, aut ædificium quod est in tua potestate. Nesciuisti autem, uel sciuisti animalis170ferociam, aut instrumenti, uel ædificij uitium. Si nesciuisti, excusatus es. Si sciuisti, nec prohibuisti malum, occidaris iubet Dominus. Si uerò ex clementia concedatur redemptio uitæ, nullam quantumuis magnã recusabis annumerare summam pecuniæ. Porrò cædes uoluntaria, quæ fit uoluntate destinata per insidias aut maleuolentiam, nulla necessitate impellente, nullam in lege Dei ueniam meretur. Talem, inquit lex, auelles ab ara mea ut occidatur. Nulla hîc admittitur redemptio, sed districtè deposcitur sanguis homicidæ. Causæ huius seueritatis ostenduntur multæ: sicuti & alia quædam huc pertinentia non pauca leguntur Numeri cap. 35. & Exodi 2. cap. In 21. cap. Deut. describitur actio partim ceremonialis, partim iudicialis, de incerto authore cædis patratæ in agro aliquo. Vbi etiam modus præscribitur cædis expiandæ: unde colligere licet, quàm horrendum peccatũ sit cædes in oculis Dei & ecclesiæ catholicæ.

Res militaris. Postremò non transit intactam lex rem militarem. Nam præcepta dat de bello suscipiendo, gerendo, & deponendo. Leguntur ea Deut. 20. cap. Sed & exempla bellorum non leuium proponuntur in lege, in primis Amalechiticum Exodi 7. & Madianiticum Numeri 31. cap. ubi & de spolijs uel manubijs diuidendis sermo habetur.

Epilogus. Scio fratres me hac Legum commemoratione C. V. satis molestum fuisse: quoniam uerò Deus summus & sapientissimus nihil agit sine causis grauibus, & sine luculenta utilitate hominum, nõ potui intactam hanc legis partem transire, quam uideo tanta diligentia traditam esse ab ipso Deo, & quæ facit permultum ad moralium legum & illustrationem & conseruationem. Nouit bonus & omniscius Dominus ingenij humani tarditatem, inertiam & malitiam, quod ad bonum perficiendum

ciendum fugiendumq; malum non raro uim requirit. Adhibuit ergo hominibus sanctam uim sanctus dominus per leges hasce iudiciales. Moralibus format mores, & docet quid faciamus, quid fugiamus. Ceremonialibus iuuat moralia, & mysteria regni Dei sub typis & imaginibus proponit oculis animi & corporis cōtemplanda. Iudicialibus uerò & perpellit nos ad legum custodiam, & integritatem legum conseruat. Omnia uerò & singula hæc huc unicè spectant, ut seruetur homo, ut Deum rectè colat, & uiuat secundum uoluntatem Dei. Hæc hactenus disserui, Deo iuuante de Lege Dei. Laudemus iam Dei bonitatem, qui nulla re necessaria populum suum destituit, sed & nos hodie istis omnibus erudit ad gloriam nominis sui, & animarum nostrarum salutem.

De Vsu vel effectu legis diuinæ, de impletione & abrogatione eiusdem: de similitudine & differentia vtriusq; cùm Veteris tum Noui testamenti & populi.

SERMO VIII.

QVANQVAM uerò Legem Dei cum suis partibus qua potui diligentia, & copiosis Sermonibus hucusq; enarrauerim, nondum tamen omnia necessaria dixisse & colophonem addidisse uideor, nisi iam adijciam disputationem de Vsu, effectu, impletione, & abrogatione Legis diuinæ, licet alicubi in hisce nostris Sermonibus idem argumenti attigerim. Ex ea uerò dissertatione uel expositione intelliget C.V. unicum esse testamentum ueteris & nouæ Ecclesiæ Dei, & unicam esse rationem salutis ueræ, omnium quicunque saluati sunt, & saluantur in hoc seculo: intelliget quid nouum testamentum differat à ueteri. Ac necessaria quidem & ualde utilis erit hæc tractatio, cùm ad intelligenda multa in scripturis sanctis loca, tum ad perspicuitatem quoque & saluberrimum usum eorum quæ hucusq; disputata sunt à nobis de Lege. Dominus author & mens perfectioq; Legis concedat nobis ea loqui, quæ illustrant gloriam nominis eius, & iuuant animarum nostrarum salutem.

Est autem uarius & multiplex Vsus diuinæ legis, sed patitur interim se astringi ad numerum ternarium: dicimus ergo usum legis diuinæ esse triplicem. Principiò enim præcipuum & proprium legis officium est, conuincere omnes homines peccato obnoxios ac sua culpa propria filios esse mortis. Exponit enim nobis lex Dei uoluntatem Dei sanctissimam, exponendoq; requirit à nobis iustitiā perfectissimam. Nam lex ea de caussa appellari solet testimonium diuinæ uoluntatis, & perfectissimum exemplar diuinæ puritatis. Et huc quidem pertinet quod in euangelio recolligens dominus summam mandatorum Dei dicit, Primum omnium præceptorū est, Audi Israel, Dominus Deus uester, Deus unus est: & diliges Dominum Deum tuū ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis uiribus tuis. Hoc est primum præceptum. Et secundum simile hoc est, Diliges proximum tuum ut teipsum. Maius his aliud præceptum non est. Ergo huc quoq; pertinet illud Apostoli Pauli, Finis præcepti est charitas, ex puro corde & conscientia bona, & fide non simulata. Cum autem perfectissimam iustitiam ac dilectionē, adeoq; cor purum requirit à nobis lex, certè omnes homines condemnat peccati, iniustitiæ & mortis. Nam lege Dei etiam hoc disertè pronunciatur, Maledictus omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis ut faciat ea. At quotusquisq; nostrum facit omnia legis? Quis oro hominum habuit uel habet etiam hodie cor mundum? Quis hominum ex toto corde, ex tota anima & mente semper dilexit aut diligit etiam nunc Deum? Quis hominum nihil

De usu & effectu legis Dei.

Summa perfectio lege requiritur à nobis.

Nullus mortalium perfectus.

unquam mali concupiuit? aut quis non concupiscit quotidie? Imperfectio ergo & peccatum lege uel indicio legis deprehenditur in homine, ut non dicam hic aliud grauius. Quid hic dicemus? Vbi oro apparet in homine diuina & perfectissima illa, quam lex requirit, iustitia? Iob clamat, Verè scio quòd non iustificabitur homo compositus Deo. Vel, Quomodo iustus inuenietur homo si cōferatur cum Deo? Si uoluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. Item, Si quidpiam iustum habuero, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor, &c. Succinit huic Ioannes Apostolus, & ait, Si dixerimus, Peccatum non habemus, nosipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Item, Si dixerimus, Non peccauimus, mendacem facimus eum, & sermo eius non est in nobis. Proinde hac ratione lex speculum quoddam est, in quo contemplamur nostram corruptionem, imbecillitatem, impotentiam, imperfectionem, iudicium nostrum, id est, iustā nostram condemnationem. Nam Apostolus disertè dicit, legem esse latam, ut palàm faceret transgresiones, atq; eo modo cogeret homines ad agnitionem suæ imperfectionis suiq; reatus. Nemo enim nostrum sibipsi in sinum & in proprij pectoris sui latebras inspicit, sed indulgemus nobis omnes, nec arbitramur res nostras ita corruptas esse, ut reuera sunt: lex ergo subit & excutit animi & pectoris nostri omnes latebras, & profert peccatum & omnem nostram corruptionem. Ante legem, inquit Apostolus, etsi peccatū esset in mundo, non tamen imputabatur uel reputabatur. Idem quoq;, Lex iram operatur, ait, Nam ubi non est lex, ibi nec præuaricatio. Et iterum, Per legem est agnitio peccati. Nam ad Rom. 7. idem Apostolus plenius dicit, Peccatum non cognoui nisi per legem. Nam & concupiscentiā non nouissem, nisi lex dixisset, Non concupisces. Sed occasione accepta peccatum per præceptum genuit in me omnem cōcupiscentiam. Siquidem absq; lege peccatum erat mortuum: ego autem uiuebam sine lege quondam: ueniente autem mandato, peccatum reuixit: ego uerò mortuus sum. Et repertum est mādatum quod institutum erat ad uitam, mihi cedere ad mortem. Et reliqua. Nam bona pars huius capitis huc pertinet. Est itaq; hoc proprium Mosis officiū, legisq; usus & effectus primarius, ostendere homini morbum siue peccatum.

1 Joan. 1.

Lex palàm facit peccatū, & nostram miseriam profert.

Gala. 3.

Rom. 4.

Qui autem hic subsistunt, nec ullum præterea legis usum & effectum ostendunt, & non progrediuntur ulterius, quasi Moses nihil aliud quàm iugulet, & lex duntaxat occidat, nòn uno modo nec leuiter hallucinantur. Repetimus quidem & dicimus proprijssimum legis opus esse peccatū proferre, item Mosis officium præcipuū esse docere quid agas, & minis execrationibusq; urgere, præsertim uerò in collatione, cum uidelicet lex confertur cum euangelio. Nam in 2. ad Corinth. cap. 3. Paulus legem appellat literam, mox & ministeriū mortis, deinde doctrinam literis & atramento exaratam, rursus insculptam tabulis lapideis, & nō perpetuam, sed caducam. Idem protinus & ex opposito euangelium uocat ministerium & doctrinam spiritus, quæ maneat, non intercidat, quæ inscribatur cordibus & uiuificet. Vnde sanè libenter agnoscimus, legem propriè proferre morbum, sed euangelium adhibere medelam, desperatisq; remedium. Cæterum cogitandum est interim, sanctos patres nostros non tantùm habuisse legem quæ peccati reuicerit, aut Mosen qui nihil aliud quàm iugularit laniaritq;, neq; hunc illò spectasse ut uulneraret, sed ut mederetur etiam: non sua quidem uirtute, sed per manuductionem ad eum qui alligat contritos corde, & sanat omnes contritiones eorum. Is est Christus, qui etiam operatus est per ministerium Mosis. Neq; enim putandum est ab initio mundi aut à Mose ad Christum usq;, literam duntaxat fuisse prædicatam, gratiam uerò spiritumq; Dei otiosum in sanctorum animis nihil effecisse.

Moses non tantum iugulat, neque lex duntaxat occidit.

effecisse. Etenim cum lex nobis ostendit, imò & irrefragabiliter euincit, in nobis seu in carne nostra non esse illam perfectionem, quam à nobis requirit in lege sua sanctissimus dominus & perfectissimus, profectò reuocat & retrahit hominem (non sua quidem, sed spiritus Christi uiuificantis uirtute) ab omni carne, utpote in qua non est ulla salus, ulla perfectio: atque ita per consequens occasionem nobis præbet diuertendi ad mediatorē Christum, qui solus est sanctificatio & perfectio nostra. Et iuxta hanc concomitantiam uel occasionem, lex quoque uia & compendium est adeoque & pædagogus quidam hominibus à Deo adhibitus, qui abducat nos ab omni uirium nostrarum fiducia, ab omni operum nostrorum respectu, denique ab omnibus creaturis, rectà per fidem ad Christum, qui factus est nobis, ut modò diximus, à Deo iustitia, sanctificatio & redemptio, extra quem non est ulla sub Sole salus. Proinde Moses non tantùm legem ursit, sed & Christum annunciauit, & in ipso uitam. Nam dominus in Euangelio ad Iudæos dicit, Nolite putare quòd ego accusaturus sim uos apud patrem. Est qui accusat uos Moses, in quo speratis. Si enim credidissetis Mosi, credidissetis utique mihi. De me enim ille scripsit. Et Paulus ad Galatas, Si data fuisset lex, inquit, quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iustitia: sed conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Cæterum, antequam uenisset fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ erat reuelanda. Itaque lex pædagogus noster fuit ad Christū, ut ex fide iustificaremur. En quid poterat dici planius, quàm legem omnes cōclusisse sub peccatum? Sed in quem finem? Vt promissio ex fide Iesu daretur credentibus. Et iterum, Antequam uenisset fides, id est, ille in quem fides nostra dirigitur & incumbit, sub lege custodiebamur. Quomodo? Conclusi utique in eam fidem quæ erat reuelanda. Conclusi ergo erant patres lege necubi erumperent, & alibi quàm in Christo salutē & uitam quærerent. Proinde ad Christum rectà per fidem adduxit lex. Et adhuc planius, Lex fuit, inquit, pædagogus noster ad Christum. En ducit lex ad Christum etiam. Et iterum subiungitur, Vt ex fide iustificaremur. Proinde lex promouet ueram doctrinam iustificationis, manifestè docens, fide in Christum nos, non operibus nostris iustificari. Qua parte miscetur apertissimè euangelio, euangeliique officium sibi sumit: nec mirum, cum multis ipsum Euangeliū ipsorum culpa fiat litera. Præterea idem Apostolus alibi dicit, in sacrificiis peccatorum factas esse commemorationes, in quibus & expiationem præfiguratam esse scimus. Manuduxerunt ergo ad Christum & ceremoniales leges, demonstrantes testificantesque illum solū nos repurgare ab omnibus peccatis. Iam ergo concludimus, Mosis legisque officium fuisse & esse, aperire nobis peccatum & iudicium nostrum, sed interim quoque & per occasionē adducere ad Christum, non tantùm damnare.

Moses etiā adducit ad Christum.

Gala: 3. & Rom: 3.

Ex quibus illud quoque discitur, legem nos docere non tyrocinia tantùm iustitiæ, sed ipsam ueram & absolutam iustitiam. Nam Moses disertè dicit se tradidisse perfectissimū doctrinæ genus, utpote in qua sit uita & mors. Dicit præterea Apostolus quòd lex nos manuducat ad Christum, ut ex fide iustificemur. At fidei iustitia, perfectissima est iustitia. Ergo quòd legalia alicubi appellantur elementa mundi, duas potissimum fit ob caussas. Prior, quòd legalia sint tanquam primariæ institutiones & elementa, quæ succedente Euangelii doctrina perficiuntur & absolutiori cedunt. Posterior, quòd ceremoniæ traditæ sint sub rebus uel signis externis, cum interim sub externis figurent atque proponant interna, ipsum Christum & mysteria eius.

Lex docet perfectam iustitiā.

Elementa mundi. *Colos. 2.*

Illud quoque discimus ex prædisputatis, ueteres sanctos qui sub ueteri testa-

mento uixerunt homines, salutem & iustitiam quæsiuisse non in operibus legis, sed in eo qui est perfectio & finis legis, nempe in Christo, ergo lege & ceremonijs usos esse tanquam manuductione & pædagogia ad Christum. Nam quoties audierunt perfectam à se legis iustitiã requiri, fide donata ex gratia intellexerunt, Christum perfectissimam iustitiam proponi, ad quem pro iustitia consequenda omnes confugere debeant homines. Quoties in loco sacro conuenerunt ad contemplanda sacra illa diuinitus instituta, non nudas inspexerunt figuras, neq; putauerunt se propter cultum illum placere Deo purgariq; à peccatis, sed oculos animi & fidei intenderunt in ipsum futurum Mesiam, qui in omnibus ceremonijs & legalibus præfigurabatur. Proinde lege abutebãtur, quicunq; putabant se Deo gratos esse ac Deo cultum exhibere, quòd opus illud facerent. Id quod & prophetæ in suis sermonibus grauissimè accusantes persecuti sunt. Atque eo nomine dictus est non rarò populus Israelis, populus carnalis: non quòd omnes ante natum Christum patriarchæ & patres fuerint carnales: sed quòd adhuc uiuerent sub illis externis elementis & figuris, & fortè essent in populo qui non perspicerent ipsas res spirituales externis illis adumbratas, & fortè putarẽt gratos & acceptos se esse propter opus externum operatum aut perfectum.

Quæ & qualis iustitia ueteris populi.

Populus carnalis.

Secundus usus & alterum officium legis est docere, quid sequantur uel quid fugiant iustificati in fide per Christũ, & quomodo p[illegible] ritè colant deum. Lex enim Dei cõtinet doctrinam perfectissimam & fidei in Deum & omnium bonorũ operum. In primo enim usu legis demonstrauimus, quomodo lex & moralis & ceremonialis fidem doceat in Deum & Christum eius, & quomodo hominem in sui cognitionem ducat, ut intelligat in seipso, id est, in natura hominis, non esse bonũ ullum aut uitam ullam, sed omnia dona uitæ, uirtutum & salutis esse ex unico omnium bonorum fonte Deo patre per Christum siue Mesiam. In præsenti, id est, in consideratione secundi finis, usus, uel officij legis Dei, agnoscere debemus omnes formas uirtutum & omnium bonorũ operum thesaurum lege Dei nobis proponi: & quòd diuus Apostolus legis præcepta accõmodat ad exhortationem & consolationem. Prima tabula in moralibus docet nos quid debeamus Deo, & quomodo colamus eundem. Secunda tabula informat officia uitæ, docens, quid debeamus proximo nostro. Et ceremoniæ quoque ad cultum pertinent. Iudicialia instruunt & œconomiam & politiam, ut uiuere posimus honestè & sanctè. Docet ergo lex omnem iustitiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam, instruitq; pium in omni opere, in quo instructum esse oportet sanctum Dei cultorem. Vnde quoties sancti prophetæ Dei, cultum Dei & religionẽ collapsam rursus erigere & restaurare, quoties uitia hominum erroresq; accusare & corrigere, denique bona opera adeoq; uerè bona opera docere uoluerunt, semper ac unicè respexerunt ad legem, & omnia sua ex lege protulerunt. Huius rei specimen exhibet nobis luculentissimus beatus Dauid in Psalmo decimoquinto, sanctus Isaias in capite 1. & 33. Diuus quoque Ezechiel in capite 18. Paulus ad Romanos 13. omnia officia uitæ refert ad legem charitatis. Nam & dominus ipse prior hoc fecit in euangelio. Præterea clamat diui[illegible] us uates Psalmo 94. Beatus uir ille quẽ tu in lege tua erudieris domine. Et in Psalmo 78. Ipse suscitauit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israel, ut cognoscat ætas postera, & ponat in Deo fiduciam suam, & non obliuiscatur operũ Dei, sed mandata eius obseruet. Item Psal. 19. dicit Dauid, Lex domini immaculata conuertens animas: testimonium domini fidele sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ domini rectæ, lætificantes corda: præceptum domini lucidum, illuminans oculos. Timor domini sanctus, permanens in seculum

Lex uitam hominum instituit & format.

seculi: iudicia domini uera, iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum & lapidem preciosum, & dulciora super mel & fauū. Huc facit plurimum totus ille alphabetaris Psalmus numero 119.

Tertius usus diuinæ legis est coërcere petulantes, & quos nulla commouet ratio, eos iubet supplicijs constringere, ut conseruetur honestas & pax atq; tranquillitas publica. Sunt enim in populo non pauci, qui non amore uirtutis, sed formidine pœnæ se continent & uiuunt tolerabiliter. Hac uerò ratione cautū & prouisum uoluit diuina bonitas tranquillitati hominum. Huc uidetur spectasse Apostolus cum dixit, Scimus legem non positam iustis, sed iniustis & inobsequentibus, impijs & peccatoribus, irreuerentibus & prophanis, patricidis & matricidis, homicidis, scortatoribus, pæderastibus, plagiarijs, mendacibus, periuris, & si quid aliud est quod sanæ doctrinæ aduersetur, &c. *Lex coercet.* 1 Timo 1

Post Vsum, finem & officium legis declaratum, restat iam explicandum quomodo impleatur lex Dei. Est autem imposibile hominem suis uiribus adimplere legem, diuinæq; uoluntati satisfacere per omnia. Constat enim lege non tantùm opus externum, sed intimorum affectuum puritatem, adeoq; diuinam quandam, sicut iam ostendimus, requiri perfectionem. Clamat enim aliàs quoq; dominus, Perfecti estote uos, quemadmodū pater uester, qui est in cœlis, perfectus est. Huiusmodi autem pefectio donec in hac carne uiuimus, non inuenitur in nobis. Caro enim ad finem usq; uitæ nostræ retinet corruptum suum ingenium, & per spiritum antagonistam licet sæpius repulsa, usq; tamen recurrit, ut nunquā in nobis inueniatur & ex nostris uiribus diuina illa deriuetur perfectio. Verùm audiamus de hac re diuini Apostoli Pauli testimonium, clamantis, Scimus quòd lex spiritualis est: at ego carnalis sum, uenditus sub peccatum. Quod enim ago, non probo. Non enim quod uolo hoc facio, sed quod odi, hoc ago. Et iterum, Noui quòd non habitet in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam uelle adest mihi, at ut faciam bonum, non reperio, Rursus, Delectat me lex Dei secundū internum hominem: sed uideo aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum me reddentem legi peccati, quæ est in membris meis. Tandē uerò concludit & ait, Itaq; idem ego mente quidem seruio legi Dei, carne uerò legi peccati. Cæterū putant nonnulli hæc Paulum non de sua, sed de aliorum, nempe carnalium & nondum regenitorum hominum persona esse loquutū. At ipsa Apostoli uerba uolentem nolentē lectorem adigunt cōfiteri, uerba recitata maximè spiritualibus competere. Ac Augustinus in 1. lib. Retractat. cap. 23. recitat se quoq; fuisse aliquando in ea sententia, quòd Apostoli uerba exponi debeant de homine sub lege non sub gratia constituto: sed fatetur se compulsum aliorum scriptorum & tractatorū authoritate, sentire iam Paulum loqui de hominibus maximè spiritualibus, & de sua ipsius persona. Id quod copiosius ostendit in libris contra Pelagianos. Certè beatus Hieronymus, qui dicitur horribile anathema contorsisse in docentes legem mandare imposibilia, disertè scribit ad Rusticum, Paulum hic de sua ipsius loqui persona. Si uerò remanet caro & carnis ingenium, secundum quod indesinenter reluctatur spiritui, profectò nunquam perficitur in nobis, quòad uiuimus, diuina illa perfectio: ergo donec uiuimus nemo nostrum implet legem. *Impoßibile est uiribus nostris implere legem.* Math. 5. Rom. 7. *Paulus loquitur in 7. cap. ad Romanos in propria persona.*

Hic quoq; locum habet Paulina disputatio, de eo instituta, quòd nemo mortalium iustificatur per opera legis: non legis quidem, sed corruptæ naturæ nostræ uitio, quæ nō præstat quod exigit lex Dei. Nam nō potest, ut idem ait Apostolus, Ac disertè quidem, Scimus non iustificari hominem, inquit, ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Iesum Christum credimus, ut iustificaremur *Nemo iustificatur per opera legis.* Gala: 2.

ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea quòd nō iustificabitur ex operibus legis omnis caro. Nec est quòd per opera legis intelligamus duntaxat ceremonialia. Hæc enim ut non iustificant, ita neq; moralia iustificant. De moralibus loquitur Apostolus, cum loquitur de operibus legis. Nam ad Rom.3.cap. idē Apostolus, Ex operibus, inquit, non iustificabitur omnis caro in conspectu eius. Et rationem mox subiungit, Per legem enim agnitio peccati. At in 7.cap. ostendit atq; declarat per quam legem, utiq; moralē. Moralis enim lex est, Nō concupisces. Dicit autem Apostolus, Peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset, Nō cōcupisces. In epistola ad Ephesios cum Gentibus loquens, opera simpliciter dicit non iustificare. Atqui cum Gentibus loquens non potuit ceremonialia opera intelligere, sed uirtutes ipsas morales, id est, omnis generis opera quæ uidebantur esse bona. Ad Galatas, Quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Id autem probans subiungit, Scriptum est enim, Execrabilis omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Nisi autem per opera legis etiam moralia, non ceremonialia duntaxat, intelligamus, non uideo quomodo constet probatio. Ac disertè quoq; dicit, In omnibus quæ scripta sunt in libro legis huius, ut faciat ea. Cæterum quis nesciat non ceremonialia duntaxat esse scripta? Et S. Augustinus multis probat in libro de Spiritu & litera, præsertim cap.8. Paulum per opera legis etiā moralia intelligere.

Opera legis quid.

Gala:3. Deut:27.

Iam ut locum hunc absoluamus, recitabimus Apostoli uerba ex 8.cap. epistolæ ad Romanos dicentis, Quod lex præstare nō poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio misso, sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit, ac de peccato cōdemnauit peccatum, per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis: qui nō secundum carnem uersamur, sed secundum spiritum. Duo autē docet hisce uerbis Apostolus. Principiò, legem non posse hodie nec potuisse unquam iustificare homines. Culpā huius impotentiæ non reijcit in ipsam legem, quæ per se bona & efficax est, perfectissimæq; iustitiæ doctrina: sed in corruptam carnem nostram. Caro nostra non potuit nec potest præstare, quod bona Dei lege requiritur à nobis. Vnde & S. Petrus in Cōcilio Hierosolymitano dixisse legitur, Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorū, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus? Posterius autem sequitur ex priore, nempe cum lex nos nec uiuificare potuit, neque nos præstare potuimus, quod lex requirebat à nobis, Deus qui diues est misericordia & bonitate, filium suum misit in mundum, ut hic incarnatus moreretur pro nobis, atq; ita peccatum imperfectionis nostræ tolleret, & perfectionem suam nobis conferret in fide, qui est perfectio & plenitudo legis. Constat ergo ex his Christum impleuisse legem, & hunc esse perfectionem fidelium in orbe omnium.

Christus impleuit legē, & est fidelium perfectio.

Requirit autem hic locus pleniorem expositionem eius, quod Christus legem impleuit ac factus est perfectio nostra. Principiô quæcunq; promissa & præfigurata sunt in lege & prophetis impleuit dominus noster. Nam promissiones illas, Semen mulieris conculcabit caput serpentis: Benedicentur in te omnes cognationes terræ: & quæ his similes aliæ & innumeræ sunt, impleuit dominus noster, cū natus in hunc mundum, perlitauit pro nobis, & uitam reduxit. Pari modo impleuit ceremonialia omnia, dum ipse sacerdos & sacrificiū se obtulit, at nunc & semper efficax & æternum duratura est hostia, pontifex quoq; æternus, semper in dextra patris interpellans pro fidelibus. Ipse etiam spiritualiter circuncidit credentes, & ijsdem in locum circuncisionis substituit baptismum. Ipse est pascha nostrū, qui

qui pro agno paschali subrogauit cœnam Domini siue Eucharistiam. Ipse deniq; est legis & prophetarum cõplementum, mens & perfectio. Deinde impleuit legẽ Dominus, quia uoluntati Dei absolutissimè per omnia satisfecit, cùm sit ipse sanctus sanctorum, in quo nulla est macula, cõcupiscentia praua nulla, peccatum nullum: in eo est dilectio Dei perfectissima, & iustitia per omnia absolutissima. Et hãc nobis imperfectissimis, communicat gratis, si credamus. Condonat enim nobis peccata, factus pro nobis expiatio, & communicat nobis suam iustitiam: quæ imputatiua uocatur. Quo iam pertinẽt testimonia Apostolica, Deus erat in Christo, ait Paulus, mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata sua. Eum enim qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei per illum. Item, Abraham credidit Deo, & imputatũ est ei ad iustitiam, certè absq; operibus. Ita si nos quoq; credimus in Deũ, per Christũ, imputabitur nobis quoque fides nostrà pro iustitia. Fide enim comprehendimus Christum, quem credimus absolutissimè pro nobis Deo satisfecisse, adeoq; Deum nobis placatum esse propter Christum, & nobis Christi iustitiam gratis imputari tanquam nostram (& reuera ex donatione nostram) quia nos sumus iam filij Dei. 2 Corin. 5.

Expensis his diligenter, facile erit illis respondere qui interrogãt, Quando nullus mortalium exactè satisfacit legi per se, quomodo itaq; promittitur iustitia, uita & salus seruantibus legem? Nimirum respicit ea promissio ipsam Christi perfectam iustitiam quæ imputatur nobis. Alioqui certum est diuinas scripturas inter se minimè uel tantillum confligere uel discrepare. Clarè autem dicit Apostolus, Si data esset lex quæ posset uiuificare, uerè ex lege esset iustitia: nunc uerò conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio daretur ex fide credentibus. Proinde seruat siue implet legem etiam Decalogi, qui id facit propter quod lex potissimum est instituta. Sed lex potissimum est instituta (sicuti superius demonstrauimus) ut peccati & condemnationis nos conuincat, & ita à nobis ipsis releget, & ad Christum manuducat, qui est perfectio legis ad iustificationem omni credenti. Ideoq; implet & seruat legem, qui non sibijpsi & suis fidit operibus, sed ueræ Dei gratiæ se commendans, in Christi fide omnem iustitiam quærit. Vnde iam clarum est, istas Christi Domini sententias æquipollere: Qui credit in me, habet uitam æternam. Et, Si uis ingredi in uitam, serua mandata. Nam & Paulus in Actis cap. 13. Notum sit uobis fratres, ait, quòd per Christum uobis remissio peccatorum annunciatur: & ab omnibus à quibus non potuistis per legem Mosis iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur. Et huc iam pertinet totum iustificationis negotium. De quo aliàs disseruimus copiosius.

Seruantibus legem promittitur uita.

Galat. 3. Rom. 3.

Quomodo seruemus legem 1.

Cæterum fides illa qua credimus Christum satisfecisse legi, & ipsum esse iustitiam & perfectionẽ nostrã, neq; ex natura neque ex nostris existit meritis, sed ex gratia Dei infunditur per spiritum sanctum, qui datur in corda nostra. Hic spiritus manens in cordibus nostris, incendit pectora nostra amore & studio diuinæ legis, ut conemur eam legitimè factis exprimere præstareq;. Quod studium, qui conatus, etsi ad plenum nunquam soluatur, propter carnis ingenium uel imbecillitatem humanam manentem in nobis ad extrema usq; fata, Deo tamen ex gratia approbatur, sed duntaxat propter Christum: nec quisquam piorum confidit in hanc alteram impletionem, sed in priorem tantùm, utpote solam perfectam. Exclamans enim Apostolus ad Rom. Miser ego homo, inquit, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Mox tamen respondet, Gratias ago Deo, nimirum quòd à morte me redemit, per Iesum Christum Dominum nostrum. Itaq; idem ego mente quidem seruio legi Dei, carne uerò legi peccati. Nulla igitur nunc est condem-

Quomodo seruemus legem 2.

Rom. 7. Rom. 8.

natio his qui insiti sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem uersantur, sed secundum spiritum, &c. Ergo quia in Christo sumus, in gratia sumus, ideoq; placent Deo nostra opera, quæ ex fide & ex liberali spiritu donata nobis, denique ex pectore amante Deum proficiscuntur. Ioannes enim dixit, Hæc est charitas Dei, ut præcepta eius seruemus. Et præcepta eius grauia non sunt. Rationem quoque huius subiungit, Quoniam omne quod natum est ex Deo, uincit mundum. Natus est autem ex Deo quicunq; credit: sicuti declaratur Ioan. cap. 1.

Præcepta Dei nō sunt grauia.

Ex quibus facile erit conciliare locos inter se in speciem discrepantes. Præcepta Dei grauia sunt, quæ neq; nos neq; patres nostri portare potuimus. Et, Præcepta Dei grauia non sunt. Nam grauia non sunt fidelibus insitis in Christo, & donatis spiritu Dei, hoc est, reconciliatis Deo per Christum. Sine Christo & fide in Christum quibusuis grauissima sunt. Ita fidelis sua sponte per spiritū Dei incitatus benefacit omnibus hominibus, quantum ipsius quidem permittit facultas, nocet nemini: non quia metuit pœnas destinatas in lege inobedientibus, iniustis & uiolentis, sed quia amat Deum. Sic implet etiam legem iudicialem.

De Abrogatione legis Dei.

Hic sat scio obijcis mihi, Si impletur lex, & locum habet apud sanctos & fideles, quid obsecro opus fuit legis abrogatione? quid necesse erat tam multis disputare Paulum & optimos quosq; theologos de Abrogatione legis? Dicam ergo paucula & de Abrogatione legis, ac primum quidem in genere, deinde uerò per partes siue in specie. Ante omnia autē insculpenda erunt animo pio hæc Domini uerba ex Euangelio, Ne existimetis, inquit, quòd uenerim ad destruendam legē aut prophetas: imò non ueni ut destruam, sed ut cōpleam. Amen quippe dico uobis, donec prætereat cœlum & terra, iota unum aut apex non præterierit ex lege, quo ad omnia facta fuerint. Quisquis ergo soluerit unum ex mandatis hisce minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum. Quisquis autem fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum. Teneat ergo quisq; firmissimo animo, legē Dei, quæ est optima & perfectissima Dei uoluntas, esse æternam, neq; dissolui posse ullis unquam temporibus, ab ullis uel angelis uel hominibus. Teneat quisq; legem quatenus est regula rectè & benè uiuendi, quatenus est frenum quo in timore Dei retinemur, quatenus est stimulus datus ignauiæ carnis nostræ, item quatenus data est ad instituendum, corrigendum & redarguendum homines, eatenus uidelicet manere intactam, suamq; utilitatem habere etiā hodie in ecclesia Dei: & proinde negotium abrogationis legis ita habet.

Diximus præcepta Dei totum requirere hominem & perfectionem planè diuinam, quam nisi quis præstiterit, eum maledici & condemnari à lege. Nemo autem hominum eam præstat iustitiam. Omnes ergo maledicti sumus per legem. Cæterum hæc maledictio sublata est, & confertur nobis perfectissima iustitia gratis per Christum. Nam Christus redemit nos ab execratione legis, dum factus est pro nobis maledictio, iustitia & sanctificatio. Hac uerò ratione lex abrogata est, id est, execratio legis fidelibus per Christū sublata & iustitia nobis uera collata est. Ipse enim est benedictum illud semen, in quo benedicuntur omnes cognationes terræ. Ipse est iustitia nostra. Nam Paulus, Ab omnibus, inquit, à quibus non potuistis per legem Mosis iustificari: per hunc omnis qui credit iustificatur. Ponitur ergo lex pro maledictione legis. Vel lex Dei id appellatur quod lege prodit & manifestatur, quod est peccatum. Per legem enim agnoscitur peccatum. Idcirco abrogatur lex, id est, peccatum tollitur, non ut non sit, aut nō exerat suas uires in nobis, sed ne imputetur nobis & nos condemnet. Nulla enim condemnatio iis, qui insiti sunt in Christo Iesu. Præterea usurpatur lex pro ultione & pœna, qua

quæ secundum legem irrogatur transgressoribus. Abrogata est ergo lex, quia pœna sublata est credentibus. Nam lex iusto non est posita: Nam liberauit Christus fideles à supplicijs æternis, dum innoxius afflictus est pro sceleratis. Deinde Apostolus, Affectus carnis, inquit, inimicitia est aduersus Deũ. Nam legi Dei non subditur, imò ne potest quidẽ. Hoc autem odium diuinæ legis eximitur per fidem ex animis piorum, inseritur autem amor diuinæ uoluntatis: ut etiam iuxta hanc rationem dicatur abrogata lex, quia legis odium est sublatum. Ideoq; Apostolus cõfert eos qui sub lege sunt seruis, liberatos à lege liberis siue filijs: quibus etiam tribuit spiritum, non seruitutis, sed adoptionis. Quoniam enim estis filij, ait, emisit Deus spiritum filij sui in corda uestra clamantem, Abba, pater, &c. His accedit quòd lex Dei typos habet & umbras, & quòd ceremoniæ satis alioqui onerosæ sunt, sicuti & tota lex iugum nominatur. Venit autẽ in hunc mundum Dei filius, & implens figuras, ipsam nobis ueritatem præstitit, umbras illas pepulit: ut iam nemo possit nos iudicare propter neglectas aut omissas ceremonias uel figuras: & ea quidem ratione abrogata est rursus lex Dei, hoc est, genus illud regiminis, quod à Mose institutũ est, ueniente Christo & docentibus Apostolis disparuit. Hi enim citra Mosis œconomiam ecclesiasticam, collegerunt ecclesias, nec genus illud regiminis ecclesiæ tradiderunt. Constanter enim neglexerunt cum sacerdotio Aaronico, sacramenta, sacrificia, delectus insuper dierum, uestium & ciborum à Mose institutos. Pro his omnibus unum prædicarunt Christum, & paucula sacramenta, &c.

Hæc in genere & breuiter quidem dixi hactenus de abrogata lege, iam idem negotij paulò fusius per partes atque species explicabo. Lex Dei tota diuiditur in Moralem, Ceremonialem & Iudicialem. Moralis autem continetur decalogo, cuius præceptum primum docet nos unum & solum Deum uenerari & colere, nullos ei alienos coniungere. Hoc autem Dominus Iesus in Euangelio ita inculcauit, ut uideamus nihil in hoc esse mutatum. Secundum prohibet idololatriam, id est, cultum & uenerationem imaginum, uel Dei ipsius uel creaturarũ. Atqui Apostoli idololatriam modis omnibus in doctrina Euangelica insectati sunt. Clamat cum Paulo Ioannes, Fugite idololatriã. Cumq; Christus & Apostoli diligentissimè docent diuini nominis sanctificationem & glorificationem, profectò ratum uolunt mandatum prohibens prophanationem diuini nominis. Solum mandatum quartum de sanctificando sabbato appellat S. Augustinus ceremoniale in uniuerso decalogo. Verùm id non intelligendum est simpliciter. Quatenus enim tempus certum requirit exterior Dei cultus & sacrificia legis externa habet, ceremoniale est præceptum: quatenus uerò cultum Dei, cœtum sacrum, preces, prædicationẽ & usum sacramentorum, deniq; spiritualia sacrificia tradit, perpetuum est. Id quod in expositione sabbati ostendimus. Quintum mandatum de honorandis parentibus ipse Dominus Matth. 15. cap. reparat. Sicuti & sextum contra cædes & septimum contra adulteria diligenter explicat Matth. cap. 5. Octauum cõtra furta promulgatum, renouatur ab Apostolo iubente ne quis fraudet in negotio fratrem, ne quis furetur amplius, sed quisque laboret manibus, ut & ipse habeat necessaria, & alijs possit necessaria suppeditare. Nonum præceptum de cohibenda lingua & non mentiendo, dicendóue falso testimonio, Christus & Apostoli cõfirmant, quoties linguam coërcent & ueritatem præcipiunt. Iidem malas affectiones & cupiditates damnant, ergo etiam legem prohibentem concupiscentiam reparant, non abrogant. Tota ergo decalogi abrogatio in illis, de quibus iam ante diximus, consistit, quòd scilicet Christus in fide est perfecta iustitia nostra, &c. Rursus Apostolo testante dicenteq;, quod lex pręstare non poterat, eò quòd imbecillis esset per car-

[Margin: Moralia non abrogata sunt.]

[Margin, handwritten: 1 Joan. 5.]

[Margin, handwritten: Rom. 8.]

nem, hoc Deus ꝑprio filio misso sub specie carnis peccatricis, præstitit, ac per pec-
catum condemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in no-
bis, qui non secundum carnem uersamur, sed secundum spiritum. Id quod extat
ad Rom. 8. Et breuius quidem de his disserimus, quòd in tractatione Decalogi o-
mnia ista plenius simus prosequuti.

Ceremonialia quatenus abrogata.

Venio iam ad Ceremonialia. Hæc data sunt ad tempus usq; correctionis, ui-
delicet donec ueniret Messias. Venit autem, ergo omnes ceremoniæ ad aduen-
tum, ad mortem, & resurrectionem, adde & ascensionem in cœlos Christi Domi-
ni nostri, disparuerunt, neq; ullum porrò locum habent in ecclesia Christianorũ.
Hîc tamen necessariò distinguimus inter scripta, & res ipsas ceremoniarum. Nam
scripta de ceremonijs, à spiritu Dei edita, non sunt sublata & abrogata, ne legãtur,
retineantur aut usurpẽtur in ecclesia. Id quod & Sermo. 2. Decad. 1. indicauimus.
Possunt enim nos erudire in Christo Iesu, dum uidemus quibus modis Christus
prædicatus & præfiguratus sit ueteri ecclesiæ. Certè Paulus significantissimè Chri-
stum ex ceremonijs prædicauit, quod nemo negabit qui Epistolam eius ad He-
bræos diligenter legerit. Mirificè enim in ipsa Christum cum omnibus suis donis
proponit ecclesiæ. Ergo possunt & debent in ecclesia legi ceremonialia, ita tamen
ut in eis quæratur & inuentus aptè prædicetur Christus. Ideoq; dum Sermones,
& 6. huius Decad. tractarem Ceremonialia, significationum notas ipsis apposui,
ut uiam aperirem studiosis scripturarum & diligentibus Christum, ulterius in hac
materia progrediendi. Res autem ceremoniales, cuiusmodi est sacerdotium, locus,
tempus, sacrificium, & si quid aliud est huius generis, abrogatæ sunt, ut porrò nec
fiant nec locum habeant in ecclesia Christi. Prædixit hoc Ieremias in cap. 3. & di-
xit, In diebus illis, dicit Dominus, non dicent amplius Arca fœderis Domini, neq;
in cor ueniet, neq; eius recordabuntur, neq; inuisent, neq; fiet ultra. Per Arcam ue-
rò intellexit propheta etiam alia legalia, quæ per aduentum Christi sunt abolita.
S. Paulus in Epistola ad Hebræos ex promissione Domini apud Ieremiã promit-

Hebræ 8. Iere. 31. Ephe. 2.

tentis se nouum testamentum conditurum, colligit, Per hoc quod dixit nouum,
antiquauit prius. Porrò quod antiquatur & senescit, in propinquo est ut euane-
scat. Idẽ Apostolus ad Ephesios, Christus est pax nostra, inquit, qui fecit ex utrisq;
unum, & interstitium maceriæ diruit, simultatem per carnem suam, legem manda-
torum in decretis sitam abrogans, ut duos conderet in semetipso, in unum nouum

Ceremoniæ medius paries.

hominem, faciens pacem. Ephes. 2. Diremit quidem Deus à Iudæis gentes, dum il-
los ceu peculiarem populum sibi delegit & consecrauit, non uocatione duntaxat
uerbi, sed & sacramentis. Nam præscriptæ sunt, datæq; ceremoniæ, quæ tanquam
intermedius paries inter Iudæos & gentes, hæreditatem Dei includerent: adeò ut
in Ceremonijs esset discriminis professio, ac Iudæis ceu iustis hæredibus addice-
retur hæreditas repulsis Gentilibus. At Christus uenit in mundum, hoc consilio,
ut ex utroq; populo unam constitueret ecclesiam, diruit ergo interpositum parie-
tem, hoc est, decreta ceremonialia sustulit è medio. Fecit enim hoc loco Christus,
quod solet princeps aliquis, qui ut dissidentes populos in suam redigat ditionem
seu potestatem, diuersas tesseras, pristinæ simultatis insignia, tollit, ut animis fiant
concordes. Sic enim & Christus sustulit Circuncisionẽ cum sacrificijs & omnibus

Ceremoniæ chirographum. Coloss. 2.

legalibus, ut fieret una ex Iudæis & Gentibus ecclesia. Ad Coloss. cõparat Paulus
ceremonias chirographo, quo Deus nos uelut obstrictos tenet, ne possimus rea-
tum inficiari. Dicit autem per Christum à reatu sic liberatos, ut chirographum
fuerit disruptum. At chirographi scissione liberatur & absoluitur debitor. Ideoq;
legimus in morte Domini Velum templi ab imo sursum usque fuisse disruptum,
nimirum

nimirum ut toti populo pateret & peccata iam esse dimissa, & liberatum esse Dei populum ab omni onere legalium. Certè cùm pergeret impius, pertinax & perfidus Iudæorum populus, in templo, post mortem Christi, ceremonias completas & abrogatas exercere, prorogare, & omnibus pietatis ergô obtrudere, Christus sedens ad dexteram patris, Romanorum principum opera dissipauit urbem penitus, & templum excidit funditus. Id quod ante Danielem, Balaam prædixerat. Neq; hucusq; per annos 1500. & amplius, ullus eis locus restaurandi templi uel urbis concessus est. Legimus apud Theodoretum & Ruffinum, Iudæos sub Imperatore Iuliano, maxima spe & præsumptione nouum templum molitos, fundamenta quæsijsse in loco templi olim à Vespasiani filio Tito combusti: uerùm conatus impios Dominum nostrum, qui in Euangelio ex Daniele desolationē prædicarat & inter alia dixerat, Et Hierusalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora Gentium, potenter repressisse. Comportatis enim gypsi & calcis multis modiorum millibus, derepente irruens uenti impetus, ac turbo cum fragore & procellis dispersit uniuersam materiam. Obortus est præterea ingens terræmotus, per quem totius penè ædificia loci complanabantur. Denique cum magna turba, quæ operi uidebatur insistere, ea nocte sub porticu uicina somnum caperet aut commaneret, delapsum repente ædificium unà cum tecto totum, oppressit qui sub illa manebant uniuersos. Luce uerò orta, concurrunt ad inquirendum eos, qui ruina fuerant oppressi: & cùm ne illis quidem plagis à proposito suo auerterentur, emicans exilijt è fossis fundamentis & è uicinis ædibus ubi seruabantur ferramenta & alia operi necessaria, formidabilis ignis, plurimosq; opus urgentes inflammauit, alios uerò ad fugam compulit. Nam sæpius ea die recurrit, tandemq; pertinacis populi temeritatē coërcuit. Et ne hæc casu fieri crederentur, illa ipsa nocte præcedente similiter & sequente, conspectum fuit in cœlo signum fulgidum crucis & ipsorum uestes Iudæorum crucibus replebantur, non ijs tamen fulgidis, sed nigris, quæ nulla ui aut arte poterant dilui atq; deleri. Inuiti ergo & coacti magnis terroribus & iudicijs flagrisq; Christi Domini, re infecta & deserta domū fugiunt, confitentes illum quem maiores ipsorum crucifixissent Iesum Christū, Deum esse potentissimum, licet cum Pharaone, & Iulianus & potior Iudæorū turba, in perfidia & blasphemia contra Christum perseuerarent. Vtcunque uerò isti in sua pergant pertinacia uel hodie, apertè tamē satis declarauit è cœlo Dominus, se nō amplius delectari legalibus, uel ceremonialibus, quandoquidē omnia illa instrumenta cultus sacri, deniq; ipsam sacri cultus officinam, templum uidelicet & Hierosolymorum urbem, solo æquauit. De Templo dixit in Euangelio discipulis cùm admiratione templum cōmonstrantibus, Nónne uidetis hæc omnia? Amen dico uobis, non relinquetur hîc lapis super lapidem. Idem plorans super malè gratam urbem, Non relinquent, ait, in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ. Et hæc quidem omnia ad uerbum completa esse, locupletissimus & oculatus quidē testis est Iosephus libro de Bello Iudaico 7.cap.18. Diximus autem modò nullum Iudæis locum iam inde à mille quingentis annis restaurandi templi concessum esse: unde nisi insanirent, colligerent missum esse in mundum Messiam, & hunc abrogasse ceremonialia omnia.

Vrbs & Templum exciduntur. *Daniel 9. Num.24.* Luc.19. Math.24.

Nihil his patrocinatur quod perfrequenter in lege Dei post descriptos ritus sic adiectum legimus, Ritu sempiterno custodietis illud. Nam sempiternum in hac caussa significat diuturnum & quantum attinet homines immutabile. Grauibus enim pœnis interminatis prohibuit Dominus, ne sacros ritus temeritas humana uel mutaret uel abrogaret. Interim quia ritus illos ad tempus correctionis insti-

Ritus quomodo sint perpetui.

tuit, non peccat Deus neq; inconstantiæ crimen incurrit, quando sic mutat quemadmodum mutare decreuerat ab initio. Præterea cùm nihil perit rei quæ per ritū est significata, umbra tantùm & quod temporarium est cadit & disparet, certissimum est ritum illum in substantia sua manere sempiternum. Viuit totus homo in sempiternum: sed quæ tamen in ipso sunt temporalia seu corruptibilia, intereunt in morte, & abolentur in clarificatione.

Sacerdotium abrogatum.
Psalm 109.

Cæterum ut omnia sint luce clariora, perstringemus speciatim per partes ceremonias illustriores. Abrogatum esse sacerdotium Aaronicum in uniuersum, id maximè arguit quod Apostolus ex Dauide profert, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchizedek. Christus ergo unus & solus summus est sacerdos, & perpetuus quidem, immutabile, & quod successione ad alium transire non potest, sacerdotium habens. Iam enim stans ad dexteram patris in cœlo, in templo uero, cuius adumbratio fuit Tabernaculum & templum Hierosolymitanum, intercedit pro nobis, omniaq; sacerdotis munia obit. De quo fusissimè agit S. Christi Apostolus Paulus, in Epistola ad Hebræos. Hic Pontifex noster Christus cōsecrauit sibi in reges & sacerdotes omnes Christi fideles. Interim ministros ecclesiæ quoque ordinat, qui doctrina & exemplo erudiant ecclesiam, qui sacramenta administrent, non uetera illa, sed quæ in ueterum locum Dominus substituit. Quid uerò doceant, disertè ostendit. Vestes illas mysticas & sacerdotales, nec Apostolis commendauit, nec suæ reliquit ecclesiæ, sed sustulit è medio cum alijs decretis interstitium maceriæ appellatis. Iustitia & honestate uestiri uult pastores populi, cū Apostolo Paulo ipse Dominus: qui disertè ecclesiarum ministros remouit à dominio, & à negotijs secularibus. Idem eis uectigalia constituit, sed non legalia illa, uerùm maximè conuenientia statui & conditioni cuiusq; ecclesiæ.

1. Corinth. 9.
Matth. 10.
Locus liber.
Joan. 4.
1. Timoth. 2.

Locum cultus & religionis liberum fecit Dominus, cùm in Euangelio Ioannis dixit, Veniet hora & nunc est, quando ueri adoratores, non in monte hoc, nec Hierosolymis, adorabunt patrem, sed spiritu & ueritate. Nam & pater tales quærit qui adorent ipsum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant ipsum, spiritu & ueritate oportet adorare. Dominū sequutus est in hoc dogmate Apostolus, qui dixit, Volo uiros orare in omni loco, sustollentes puras manus absq; ira. Nec frustra, sicut modò commemorauimus, excindi funditus templum passus est Dominus, qui moriens disciderat uelum templi. Interim tamen non damnantur Cœtus ecclesiastici. De quibus dictum est cùm exponerem mandatum, Sabbatum sanctifices. Tabernaculum certè & Templum typum prætulere ecclesiæ Dei catholicæ, extra quam nullæ preces nullæq; oblationes Deo gratæ sunt. At extenditur ecclesia ad fines usq; orbis. Sed non ideò omnes sunt in ecclesia qui sunt in orbe terrarum: in ecclesia sunt, qui in societate sunt Christi per fidem catholicam, & in communione sanctorum per doctrinæ consensionem, per charitatem & sacramentorum (nisi magna prohibeat necessitas) participationem.

Sacrificare in excelsis.

In excelsis autem adolent & sacrificant, quicunq; aliud sacrificium quàm Christi, per alium preces suas Deo quàm per Christum, & alium in orando & sacrificando modū tenent, quàm uerbo pastoris in ecclesia est traditum. Iam uerò ecclesiæ Dei nulla porrò opus est Arca, nulla Mensa, nullis propositionum panibus, nullo candelabro aureo, nulla ara uel thymiamatis uel holocaustorum, nullo labro æneo: unus enim Christus hæc omnia solus est catholicæ ecclesiæ, quæ in Christo spiritualiter & efficaciter hæc omnia habet, nec quicquam in alijs quærere potest, adeò ut si quem uideat hæc eadem aut alia huius generis reducere in ecclesiam, eum redarguat & execretur.

Quid

Quid enim uei umbris uel signis opus habet Ecclesia, quæ ipsa re, Christo uidelicet domino, fruitur per fidem? Præterea satis signorum habet Ecclesia, quæ à Christo accepit duo signa sacramentalia, omnia complectentia, quæ uetus Ecclesia habuit in uarijs & multis signis.

Porrò tempus sacrum liberum quocq; fecit qui in Euangelio dixit, Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum: itacq; dominus est filius hominis etiã sabbati. Et Paulus Apostolus, Ne quis igitur uos iudicet, inquit, in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorũ, quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi. De sabbato Christianorum dictũ est in expositione præcepti quarti. Neomenias uerò nõ celebrat Ecclesia Christi, quę per Christum docta, non tantùm principia mensium, sed totum annum totiusq; anni prouentum, Solis, lunæ & stellarum splendorem, Deo tribuit creatori. Christiani præterea pascha suum celebrant, & spiritualiter magis quàm corporaliter: ita & Pentecosten. Vt enim spiritum misit discipulis, ita eundem donat quotidie fidelibus. Semper autem hic clasicum canunt ad pugnam. Cõcupiscit enim caro aduersus spiritum, & impetitur homo pius à mundo & principe huius seculi diabolo. Iam uerò Expiationis festum semel in cruce peractum durat perpetuò: nec amplius hircũ peccati amandant sancti. Semel enim uenit, & oblatus est dominus noster, qui sustulit omnia peccata totius mundi. Denicq; cum pij quotidie meditentur se hic nullum habere locum manentem, sed futurum inquirere, non est quòd semel in anno celebrent festum tabernaculorum. Ita non agnoscunt fideles ullum porrò annum iubileum. Semel enim uenit Christus, & annũ acceptum nobis annunciauit, Euangelium, quo prædicatur remissa esse nobis omnia peccata. Hæc enim ad hunc modũ ipse declarat Christus dominus Lucæ cap. 4. ex 61. cap. Isaiæ. Ita uerò tempus sacrum & dies festi abrogati sunt per Christum in Ecclesia: quæ interim non destituitur ulla re sancta & necessaria.

Tempus liberum.

Colos. 2.

Gal. 5.

Sed quoniam hic annus, quo hæc primũ excuduntur typis, quinquagesimus est supra millesimum & quingentesimum, & secundum traditionẽ Romanã nuncupatur iubileus, ipsa me quasi necesitas adigit aliquid saltem per digresiunculam dicere de Romano iubileo. Romanum non Christianum ea de caussa uoco, quòd modò ostendi, Christi Ecclesiã post redemptionem Christi per Euangelium annunciatã, nullum alium annum iubileũ agnoscere. In ueteri anno iubileo consideratur litera & spiritus. Iuxta literã cõcedebatur seruis libertas, reddebaturq; patria, quæ uel mutata uel adempta fuerat iustis hæredibus, possesio. Is ritus ut citra rerum omniũ conturbationẽ omnibus regnis hodie obtrudi nõ posset, ita oppressos non admodũ curant beatisimi patres, qui iubileũ ut opibus suis plurimum accedat inuenerunt, & stulto mundo prædicant. Spiritus uerò iubilei ueteris, Christum & gratuitam eius remisionẽ omnium peccatorũ, fide percipiendã commendat. Hæc autem gratia non potest citra cõtumeliam Christi aliter prædicari quàm annunciata est per Euangeliũ. Idcirco caruit Ecclesia anno iubileo annis à Christo mille trecentis. Postea demum emersit Bonifacius eius nominis 8. Roman. Pont. cuius nomine & Sextus Decret. prodijt, qui primus impijsimum hoc institutum inuenit. Nam Platina in uita eius, Iubileum hic retulit, inquit anno 1300. quo plenam delictorum omnium remisionẽ his præstabat, qui limina Apostolorum uisitassent. Idem etiam centesimo quoque anno obseruari mandauit. Caruit ergo iubileo hoc Ecclesia citra salutis iacturam annis 1300. Possumus ergo & nos illo citra detrimentum, imò magno cum emolumento nostro carere. Nam si isti perrexerint hunc obtrudere tanquam necessariũ ad salutem, damnabunt uniuer-

Iubileus Romanus.

ſalem Eccleſiam quæ primum præceſsit iubileum. Cæterum non tantùm illo carere poſſumus, ſed modis omnibus execrari debemus, ueluti impium & blaſphemū inſtitutum, qui credimus iubileum omnino abrogatum eſſe per Chriſtum, præterea credentibus, ubicunq; in mundo uerſentur, propter Chriſtum condonari gratis omnia peccata. Hic Bonifacius & ſuæ mendaciſsimæ promiſsioni & loco impuriſsimo affigit peccatorum remiſsionem. Dubito autem ſi quid potuerit per hunc fieri aliud horrendum & execrandum magis. Polluitur enim hic gloria unigeniti filij Dei, unici ſaluatoris mundi. Polluitur hic ſalus multarum animarum, pro quibus mortuus eſt Chriſtus. Polluitur gloria fidei Chriſtianæ, per quam ſolam efficimur ſalutis æternæ conſortes. Sceleratiſsimus alioqui fuit Pontifex, de quo tritum illud fertur, Intrauit ut uulpes, regnauit ut leo, moritur ſicut canis. Equidem merebatur inſtitutio blaſphema talem habere authorem. Merebatur & populus ſtultus talem habere paſtorem. Scribit enim Platina, eo anno tantam ueniſſe hominum multitudinem Romam, ut uix incedere per urbem, quamuis ampliſsimam licuerit. Mundus enim uult decipi. Alioqui audiret dominum clamantem, O uos omnes qui ſititis, uenite ad aquas, & quibus non eſt pecunia adeſte. Cur expenditis pecunias pro re nihili? &c. Iſaiæ 55. & Ioan. 4. 7. Nec interim inſaniente ſic mundo dormiuit iuſtus Deus, diſsimulans quantopere ſibi hoc diſpliceat factum. Nam hoc eodem anno excitauit Otthomanum Turcici imperij patriarcham & caput, quo egregiè flagellat & Romanam Eccleſiam, & corruptos Chriſtianorum mores. Secuti ſunt poſt annos aliquot Clemens 6. Paulus 2. & Sixtus 4. homines peſsimi, ſicut ipſorum hiſtoriæ teſtantur, qui mutarunt annum centeſsimum in 50. & poſtremò in 25. quò uidelicet plus lucri caperent ex hominum ſtultitia. Sed redimus.

Sacramenta et ſacrificia abrogata.

Sacramenta quoq; ueterum planè ſunt abrogata, & in eorum locum ſubſtituta populo noui teſtamenti noua. In Circunciſionis locum ſubijt Baptiſmus. Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano contendentibus, Circunciſionem neceſſariam eſſe ad ſalutem, ſeſe oppoſuerunt, & Pauli dogma diuerſum ſtatuentis approbarunt. Hic alibi, Ecce ego Paulus dico uobis ait, Quòd ſi circuncidamini, Chriſtus nihil uobis proderit. Conteſtor autem omnem hominem qui circunciditur, quòd debitor eſt totius legis ſeruandæ. Chriſtus uobis factus eſt otioſus: quicunq; per legem iuſtificamini, à gratia excidiſtis. Neq; uerò æquum ac conueniens eſt manere in Eccleſia Chriſti ſignum ſanguinolentum, qualis erat circūciſio, poſtquam effuſus erat in cruce ſanguis ille, qui omnem ſanguinem ueteris teſtamenti ſiſtit & tollit. In locum agni paſchalis ſubijt Cœna domini, quæ & euchariſtia appellatur. Sic enim Dominus apud Lucam exponit edere ſe iam paſcha ultimum cum diſcipulis, ubi etiam protinus inſtituit Sacramentum corporis & ſanguinis ſui, quod celebrare iubet uſq; dum redeat in iudicium. Cœnam ergo reliquit Eccleſiæ dominus, ſacramentum immutabile ad finem uſq; mundi. Porrò ſacrificia omnis generis legalia, eſſe antiquata, nemo negauerit qui ſaltem cogitarit & templum & aram utranq; funditus eſſe cum inſtrumentis ſacris exciſa atq; diſsipata. Diximus illa fuiſſe commemorationes peccatorum, & expiationis futuræ typos ſiue figuras. Vbi ergo uenit Chriſtus & oblatus eſt pro peccatis totius mundi, certè finem aſſecuta ſunt ſuum omnia ueterum ſacrificia. Nam ubi eſt plenaria omnium peccatorum remiſsio, ibi nullum eſt amplius ſacrificium pro peccato. In nouo teſtamento eſt omnium peccatorum plenaria remiſsio: ergo in nouo teſtamento nulla eſt amplius oblatio pro peccato. Chriſtus enim unus & ſolus eſt uice omnium ſacrificiorum. Nam ipſe ſemel oblatus eſt, & amplius non offertur. Vnica autem

Luc. 22.

oblatione sui inuenit æternam redemptionem: ut quotquot sanctificentur non alia quàm semel facta in cruce Christi oblatione sanctificentur. Proinde Christus in cruce semel oblatus pro peccatis totius mundi, est holocaustum Ecclesiæ catholicæ: idem est oblatio cibaria, cibans nos carne in cruce oblata, si fide percipiatur à nobis, ad uitam æternam. Idem est libamen Ecclesiæ, qui sanguine suo potat fideles ad uitam æternam. Idem est piaculare & iuge sacrificium Ecclesiæ: quia ipse est agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Ipsius passio & mors omnia expurgat uitia mortalium, omnes errores, omnia scelera. Idem est gratulatorium Ecclesiæ sacrificium: quia per Christum offerimus laudes Deo, & gratias agimus per Christum Deo patri. Breuiter, Vnica domini Cœna, quam appellamus eucharistiam, omnia in se continet sacrificiorum genera, quorum in summa duo sunt, nempe expiatorium, quod uidelicet offertur pro peccato, & Eucharisticū, quod gratias agit Deo & laudes offert. Cœna uerò est testimonium & sacramentum adeoque memoria corporis Christi traditi, & sanguinis eius effusi pro nobis in remissionem peccatorum. Neque enim corpus & sanguis domini, quæ non nisi semel in cruce oblata sunt pro peccatis, & amplius offerri nec possunt nec debent ab hominibus, iterum sacrificantur in celebratione Cœnæ: sed eius rei, oblationis inquam, quæ semel facta est & sufficit, peragitur frequens memoria. Rursus in Cœna agimus gratias pro redēptione nostra, & laudes offert Deo uniuersa Ecclesia. Proinde Cœna domini iam totum hoc comprehendit, quod figurarunt omnia ueterum sacrificia: ut Ecclesia hac parte non destituatur ulla re necessaria & bona, licet non habeat amplius ueterum sacrificia. Imò non debent illa porrò celebrari in Ecclesia, quippe cum fuerint uenturi Christi figuræ, notæ & sacramenta, Ecclesia autem hodie credat, & rectè quidem credat uenisse Christum, & impleuisse absoluisseque omnia, sicut ipse testatus legitur clamando in cruce, Consummatum est. *Cœna domini uice omnium sacrificiorum.*

Iam etiam uota disparuerunt omnia, quia sacrificia sublata sunt. Ita Nazaræorum disciplina abrogata est, quia templum cecidit unà cum suis ceremonijs. Disciplina quidem Christiana & moderata, manet in Ecclesia, sed non legalis illa. Ac sancti uota Deo præstant, quæ nō contra fidem & pietatem in Ecclesia uouerunt. Sunt autem in uouendo parci, cauti & ualde religiosi. Quid enim habemus quod reddamus Deo, quod non prius ab eodem acceperimus, & ad quod præstandum non prius in baptismo simus obligati? *Vota abrogata.*

Mundum & immundum non eo modo distinguit Christus quo lex, Quicquid ingreditur in os, inquit, non contaminat hominem, sed quod egreditur ex ore. Et Apostolus dicit apertè, mundis munda esse omnia. Cuius generis plurima cōmemorat ad Rom. 14. & aliàs. In epistola ad Coloss. dicit idem, Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mūdo decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaris, neque contrectaris, quæ omnia ipso pereunt abusu. Et cætera. Audit etiam S. Petrus, Quod Deus sanctificauit, tu ne dixeris immundum. Ergo quòd sanguis & suffocatum prohibetur & remouetur è cibo hominum in synodali epistola, edita ab Apostolis Actorum 15. cap. nō perpetuum fuit mandatum, sed temporarium. Voluerunt enim Apostoli id dari Iudaicæ genti aliàs pertinaci, ex charitate. Audiebant quotidie lectionē legis, quæ cum tanta obtestatione prohibeat esum sanguinis & suffocati, ac non ita pridem cœpisset Euangelij prædicatio fieri inter Iudæos, non potuerunt non grauiter offendi, cum uiderunt Gentes tam procaciter uti prohibitis illis. Ad tempus ergo abstinere uoluerunt gentes à re maxime licita, si uel ea ratione lucrari liceret Iudæos. Nam epistolæ Pauli scriptæ post annos aliquot à concilio illo Hierosolymitano, satis arguunt decretum *Titum 1 Delectus ciborū abrogatus. Marc. 7. Coloss. 2. Acto. 10. Sanguis & suffocatum prohibita ab Apostolis.*

illud contra sanguinem & suffocatum non fuisse perpetuum. Decreta uerò contra idolothyta & fornicationem (quibus se gentes non admodum peccare arbitrabantur) pronunciata, perpetua sunt, quia moralia sunt, siue è numero legum primarum atq; decalogi. Sed ea de re disputaui aliàs.

Act.15.

Decretum concilij Hierosolymitani.

Et quoniam incidimus in mentionem decreti Synodalis constituti ab Apostolis & senioribus Concilij Hierosolymitani, placet hic auctarij & coronidis loco recitare C. V. totam synodalem Epistolam, quòd ea apertum, plenum, & summarium ferat testimonium legis, ad eum quem diximus modum abrogatæ. Sic habet epistola siue Decretum, Apostoli & presbyteri & fratres, his qui sunt Antiochiæ & in Syria, & in Cilicia fratribus, qui sunt ex Gentibus, Salutem. Quoniam audiuimus, quòd quidā è nobis egressi, turbauerunt uos uerbis, labefactantes animas uestras, iubentes uos circuncidi & seruare legem, quibus non mandaueramus: uisum est nobis unanimiter congregatis, dilectos uiros mittere ad uos, cum dilectis nostris Barnaba & Paulo, hominibus qui exposuerunt animas suas pro nomine domini Iesu Christi. Misimus ergo Iudā & Silam, qui & ipsi uerbis uobis referant eadem. Visum est enim spiritui sancto ac nobis, ne quid amplius imponeremus uobis oneris, quàm hæc necessaria, uidelicet ut abstineatis ab his quæ sunt immolata simulachris, & sanguine, & suffocato, & scortatione: à quibus si conseruaueritis uosipsos, bene facietis, Valete. Hæc est ad uerbū catholica, synodica, Apostolica, & Ecclesiastica Hierosolymitani Concilij epistola, breuis quidem illa & dilucida: quia ut ueritatis oratio simplex est, sic uera religio & fides Christiana paucis & clarissimis uerbis exponi potest.

Pseudoapostolorum doctrina.

Principiò post solitam subscriptionem & inscriptionem epistolarem, protinus perstringunt pseudoapostolos, quibus cum Paulo & Barnabæ intercesserat disceptatio, ac attingunt quale nam fuerit pseudoapostolorum doctrinæ genus, quod hactenus proposuerant Ecclesijs, ceu catholicum, orthodoxum, & Apostolicum, oportere uidelicet eos qui salui esse uelint, circuncidi & seruare legem Mosis. Neq; enim existimauerunt fidem in Christum sine legis adminiculo ad iustificationem plenam sufficere. Illi ipsi iactabāt se missos ex urbe sancta ab Apostolis & discipulis domini, qui omnes concorditer sic doceant, solum Paulum cum suo Barnaba peculiare quoddam dogma serere in Ecclesijs de fide iustificante absque operibus legis. Proinde mox ab initio quid de huiusmodi doctoribus & doctrina eorum sentiant proferunt, Fatemur sanè istos ex urbe Hierosolymorum prodijsse, inquiunt, sed addimus, per nos non fuisse missos aut instructos. Nihil enim talibus mandaueramus. Ita falsum esse attestantur, quod isti docuerant, Apostolos & discipulos domini docere, legem requiri ad plenam iustificationem. Imò clarius exponunt qualis fuerit ac sit eorum doctrina, Turbauerunt uos uerbis, aiunt, labefactantes animas uestras, iubentes uos circuncidi & seruare legem. Doctrinæ ergo summa erat, nisi quis circuncideretur & seruaret legem, saluum fieri non posse. Attribuebant ergo salutem legis obseruationi, siue merito operum. Caeterum huic doctrinæ tribuunt apostoli effectum duplicem. Prior est, Turbant uos uerbis, Verba sunt inquiunt, quæ profundunt, quæ animum non componunt, sedant, consolantur aut pacificant, sed perturbant. ut quid tandem credendum sit, aut in quo acquiescendum, ignoretis: sed & inter uos lites, dissidia, & rixas excitant.

Galat.1.

Ad hæc Apostolorū uerba allusisse uidetur Paulus cum Galatis scripsit, Miror quòd à Christo, qui uocauit uos per gratiam, adeò citò transferamini in aliud euangelium, quod nō est aliud, nisi quòd quidam sunt qui turbant uos & uolunt inuertere Euangelium Christi. Posterior est, Labefactant animas uestras. Nam

qui legi & operibus innituntur, nihil stabile & firmum in mentibus habent. Nam cum lex perfectissimam exigat iustitiam, & per illud occidat, quia talis in nobis non reperitur, labefactantur certè & subuertuntur mentes, quæ docentur inniti operibus legis, quam nemo sic præstat ut decebat. Paulus ergo ad Romanos, Si ij qui ad legem pertinent, inquit, hæredes sunt, inanis facta est fides, & irrita facta est promissio. Nam lex iram operatur. Et mox, Idcirco ex fide datur hæreditas, ut secundum gratiam, ut firma sit promissio uniuerso semini, &c. Subuertebāt ergo pseudoapostoli animas, docentes lege parari salutem. Quod certè graue iudicium est aduersus docentes cum illis similia.

Deinde pari libertate ex opposito pronunciant, quid sentiant de Paulo & Barnaba, imò legatos illos suos ornant sanctissimo testimonio & elogio, quò plus authoritatis habeant apud omnes, & ut omnes intelligant pulcherrimum esse inter ipsos doctrinæ consensum, Vnanimiter congregati, inquiunt, mittimus ad uos legatos. En de pseudoapostolis testati sunt, quòd ipsos non miserint, quòd ipsis nihil mandarint: hos autem mittunt, & unanimes cum mandatis mittunt. Sed quinam sunt illi? Dilecti nostri Barnabas & Paulus, qui animas suas exposuerunt pro nomine Iesu Christi. Hi inquam sunt Apostoli selectissimi & martyres cōstantissimi, gloriosissimiq́, dilecti & fratres nostri, eiusdem nobiscum religionis & doctrinæ, qui quales sint uita & doctrina, non semel uirtutibus editis, & periculis susceptis intrepidè, declarauerunt. Quoniam uerò Barnabas & Paulus non exigua erant portio istius cōtrouersiæ & disceptationis, coniuncti sunt eis duo alij selecti uiri, Iudas & Silas, in hoc ut uerbis referrent eadem, nimirum quæ hactenus recensita sunt de partibus utrisq́, & copiosius exponerent uerbis, quæ iam subijcientur in decreto generali.

Pauli doctrina probatur & commendatur ecclesijs.

Iam enim paucis uerbis ipsum decretum uniuersalis synodi comprehendunt, in quo exponendo primo loco authorem nominant decreti, dicentes, Visum est spiritui sancto ac nobis. Spiritum sanctum præponunt, se subijciunt, illum designantes authorem ueri, se uerò instrumenta per quæ ille operetur. Nam ille per homines operatur in Ecclesia. Hominum uerò authoritas sine instinctu spiritus sancti nulla est. Significantissimè ergo dicunt, Visum est spiritui sancto & nobis. Id est, Posteaquam conuenimus nos in concilium, de negotio iustificationis & legis (in quo Paulus cum suis pugnauit aduersarijs) tractaturi, non nostrum sequuti sumus arbitrium, non nostras sententias protulimus, sed spiritus sancti doctrinam inquirentes audientesq́, hæc ex ipso iam proferimus. Secundo loco ipsius decreti summam collocant, dicentes, Ne quid amplius imponeremus uobis oneris, quàm hæc necessaria, uidelicet ut abstineatis ab his quæ sunt immolata simulachris, & sanguine & suffocato, & scortatione. Proinde sufficit, inquiunt, ad salutem consequendam doctrina euangelij, quam nobiscum hucusq́ prædicauit Paulus. Nolumus post doctrinam Euangelij, & post illa paucula tria capita, quicquam uobis oneris amplius imponere. Qua sententia nimirum respexerunt ad sententiam S. Petri quam exprimere uoluerunt. Sic autem pronunciarat in Concilio S. Petrus, Vos scitis me uocatum cœlitus, profectum esse ad Gentes, & his annunciasse salutem per Euangelium. Scitis Gentibus, nec circuncisis nec legem seruantibus, dum fidem eis in Christum prædicarem, datum esse cœlitus spiritum sanctum, adeoq́ Gentium corda, fide, non lege, fuisse ab ipso Deo purificata, hæredesq́ factos uitæ aternæ. His iam infert, Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neq́ patres nostri, neq́ nos portare potuimus? Sed per gratiam domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros,

Decretū synodale exponitur.

Acto. 10.

quemadmodum & illi. En iugum & onus appellauit S. Petrus legem: unde apostoli dicentes se nolle quid amplius oneris imponere Ecclesiæ, significant legẽ planè esse abrogatam. Liberant ergo Ecclesiam à legis onere: liberãt præterea ab omnibus oneribus legi similibus. Colligimus nos ex illis apostolorum uerbis, Ceremonias illas onerosas multiplices & innumeras, quas accepit à Concilijs Ecclesia post Apostolorum tempora, iniustè & contra spiritum Apostolicũ & tunc impositas esse & hodie retineri atq; defendi. Dixerunt enim disertis uerbis, Visum est spiritui sancto, & nobis, ne quid amplius imponeremus uobis oneris. Quòd si aliquis obijciat propter ruditatẽ populi ceremonias illas esse iniectas, ceu pædagogiam, respondeo, Pædagogiam illam è medio esse sublatam, quam qui uult reductam, nihil aliud cupit reductum quàm Iudaismum. Non ignorauit Deus qualis futura erat Ecclesia collecta ex Iudæis & Gentibus, & tamẽ is è medio sustulit ceremonias. Quis uerò melius nouit quid expediat, uel non expediat Ecclesiæ, quàm Deus? Proinde nõ expedit, quod iste sustulit, rectissimeq; pronunciarũt Apostoli dicẽtes, Visum est spiritui sancto & nobis, ne quid amplius imponeremus uobis oneris. Pudeat ergo istos tantum imponere oneris Ecclesiæ humeris liberrimis.

Iniquè ab hominibus ceremoniæ multæ impositæ sunt Ecclesiæ Dei.

Verùm iam subiungitur quod absoluat sententiam, Quàm hæc necessaria, uidelicet ut abstineatis ab idolothytis, &c. Respexerunt autem hisce uerbis ad sententiam S. Iacobi Apostoli & fratris domini: hic enim cõfirmaturus & approbaturus sententiam prolatã à S. Petro de iustificante fide, & nõ imponenda lege Gentilibus, profert testimoniũ scripturæ ex Amos, qui prædixit Iudæos excindendos fore propter peccata, & in locũ eorum surrogandas gentes, quæ uidelicet futuræ sint uera Dei Ecclesia, quæ per Tabernaculũ Dauidis collapsum & reparatũ significabatur. Idem propheta prædixit rationẽ certam, & modũ propter quẽ recipiendæ sint Gentes in Ecclesiã, non utiq; propter circuncisionem & per adminiculum legis, sed ex gratia per fidem. Dicit enim propheta, Requirent qui reliqui sunt homines dominum, & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit dominus qui facit hæc omnia. Nota sunt à seculo Deo omnia hæc opera sua. Enrequirent dominum, & in eius consortium recipientur, super quos inuocatũ est nomen domini. Locutionis genus est, significãs filios Dei futuros qui sunt electi. Nã super eos inuocatur nomẽ Domini, qui nominãtur filij Dei, & sunt electi Dei. Ac uniuersa scriptura id fidei tribuit. Per fidẽ ergo efficimur membra Ecclesiæ & filij adeoq; & hæredes Dei. Si uerò aliquis obmurmurare Dei cõsilio pergat, & dicat, Quare ita agit Deus? is cogitet hoc opus, Dei esse opus, cui nõ liceat cõtradicere, & cuius opera nota sunt ab exordio mundi, quòd omnia facta sunt in iudicio & iustitia: unde cõsequens est, iustũ & bonum esse etiam hoc concilium, quo gentes sibi per fidem in Christum citra legis obseruationẽ coniungit & beatificat. Ex his autem prophetæ uerbis (subscribens S. Iacobus sententiæ S. Petri) colligit atq; infert, Propter quod ego censeo non obturbandum esse illis, qui ex gentibus cõuertuntur ad deum: id est, censeo non addendã esse illis ex lege molestiã, neq; ipsis exhibendum negotium. Porrò ne Gentes audientes sublatam esse legem, protinus putarent sibi licere quiduis, & sua illa libertate abuterẽtur, præterea & Iudæos fratres contra charitatem & contemnerent & scandalizarent, addit Iacobus, Sed scribendum ad eos censeo ut abstineant ab inquinamentis simulachrorũ. Erant enim illis temporibus cõuersi ex gentibus, qui arbitrabantur licere ingredi templa idolorum, & participare de sacrificijs idolo oblatis: eò quòd idolũ nihil sit, cum duntaxat unus sit deus uerus: unde & sacrificia illa nihil esse, nihil prodesse aut obesse, ideoq; & licita esse Christianis colligebant. At beatus Iacobus, sicut & S. Paulus 1. Cor.

S. Iacobus approbat sententiam S. Petri.

Amo 9. 11

Abstinendũ sanctis à quibusdã.

1.Cor.8..9.& 10. prorsus uult abstinere conuersos gentiles à cultura idolorum, hoc est, ab ipsis idolis, & ab ijs quæ immolata fuerunt in templis idolorum dijs falsis & fictis. Adiungit etiam aliud, Caueant sibi à scortatione. Adulteria, stupra uirginum & matronarũ prohibuerunt quidem bonis legibus gentes, & supplicijs coërcuerunt uiolentos illos constupratores, sed leue & quasi nullum existimabant delictum, si quis sua sponte prostituisset pudicitiam: aut si solutus cũ soluta mutuum haberet commertium. Iacobus ergo Apostolus sicut & Paulus 1.Cor. 6.& 1.Thess. 4. seueriter requirit sanctum & purum corporis usum, alienum ab omni pollutione. Ac idem in tertio loco prohiberi uult suffocatum & sanguinem. Causam subiungit. Moses enim ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet, qui ipsum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. De qua constitutione iam dixi priusquam digrederer. Quæ cùm ita habeant, apparet omnino illos iniquiores esse Iacobo Apostolo, qui putant illum hæc præter rationem & iniquius decreuisse aut proposuisse, esseq́ perniciosum fructum Concilij, & minimè sanũ, sed cum libertate Christiana pugnans consilium. Certum enim est illum aliud non uoluisse, quàm Apostolum Paulum, qui tamẽ optimè & cum laude omnium dixit, Quæ pacis sunt sectemur, & quę ędificationis, alius erga alium. Ne cibi caussa destruas opus Dei. Omnia quidem pura, sed malum est homini qui per offendiculum uescitur. Bonum est non edere carnes, neq; bibere uinum, neq; quicquam per quod frater tuus impingit aut offenditur aut infirmatur, &c. Rom. 14. Certum est & illud, S. Paulum acerrimum libertatis Euangelicæ propugnatorem, qui quondam Petro Antiochiæ palàm & in faciem restitit, planè non fuisse in S. Iacobo dissimulaturum, si putasset hanc constitutionem libertati Christianæ esse aut fore aduersam. Certè idem ille nec prædicasset neq; cõmendasset hanc Apostolorum traditionem ecclesijs, nisi credidisset eam omnibus esse salutarem. Prædicauit autem & commendauit ecclesijs, ut extat Act. 16. cap. Ideò præter rationem propter suffocatum & sanguinem prohibitum, malè audit à nonnullis S. Iacobus.

S. Iacobus defensus.

Gal. 2.

Postremò concludunt Epistolam, & scribunt, A quibus si conseruaueritis uosipsos, bene facietis. Valete. Laudant abstinentiam illam & prædicant tanquam opus bonum, quia eadem illa commendatur nobis in tota scriptura. Illa uerò per digressionem, non alienam opinor ab instituto nostro, attulimus hactenus super decreto Apostolorũ. Et hęc quidem hucusq; de Abrogatione legum ceremonialium.

Restat ut nonnihil dicamus etiam de iudicialium legum abrogatione. Hæ uerò hac ratione uidentur abrogatæ, quòd nulla respublica Christiana, nulla ciuitas, regnum nullum, cogitur alligatum esse & recipere illas leges, quæ à Mose pro illa gente, pro loco & tempore, & rerum qualitate tunc quidẽ promulgatæ sunt. Proinde conceditur libertas utendi legibus, pro cuiuslibet loci, temporis & personarum exigentia adaptatis. Ita tamen ut substantia legum diuinarum non calcetur, abijciatur, aut negligatur. Quæ enim congruunt cum lege naturæ & decalogo, & quæ Deus semper & apud omnes gentes punire iussit, ea minimè sunt negligenda. Omnia autem ad illum uidentur destinãda esse finem, ut constet honestas, pax & trãquillitas publica, ut ualeat iudicium & iustitia. De qua re cùm copiosius disseruerim in explanatione præcepti, Non occides, paucissimis hìc ero contentus.

De abrogatione legum iudicialium.

D. Apostolus Paulus præcipit parere magistratui: approbat ius gladij, quod fatetur principes non frustra accepisse à Deo. Ergo nec electionem magistratus, neq; administrationem gladij, aut executionem iudicij & iustitiæ, imò ne leges quidem ciuiles æquas improbauit.

Rom 13.

Quòd si quis conferat leges uel constitutiones principum, regum uel impera-

torum uel magistratuum Christianorum ex ipso Codice, ex lib. Digestorum seu Pandectarum, atque ex Nouellarum constitutionum opere, aut ex alijs uariarum Gentium legum bonarum libris, cum hisce iudicialibus Dei legibus, fateatur oportet magnam esse omnium istarum similitudinem atq; conuenientiam. Iustinianus Imp. prohibet, ne res Deo consecratę alienentur ab ecclesia. De Fide catholica syncerè confitenda, & purè conseruanda, elegantissimam & sanctissimam legem tulere Impp. Gratia. Valent. & Theod. Constantinus magnus Tauro P. P. præcipit ut gentium templa claudat, reserantes autem & sacrificantes gladio sternat. Pauperibus prospectum fuisse legibus etiam cura regum & principum, non unus tantummodo locus in legibus Cæs. ostendit. Certè Cod. lib. 1. Tit. 2. plura eius rei argumenta inueneris. Iam uerò de honestè educandis liberis, & benignè alendis parentibus extant ethnicorum non damnabiles leges. De patria potestate multa sunt conscripta: ita de Coniugio, nempe de Incestis & inutilibus nuptijs non intolerandas leges promulgauerunt cum Arcadio & Honorio principes etiam multi alij: qui & de repudijs diuortioq; scitè præceperunt. Quòd si perrexero ex legibus principum Christianorum singulis capitibus in Sermone de Iudicialibus legibus annotatis, singulas leges opponere uel coniungere, molestissimus fuero C. V. Nam extendet se Sermo hic in immensum. Ergo satis nobis fuerit, his quasi notis & uestigijs indicatis, diligentioribus uiam aperuisse aut ostendisse, qua perueniant ad alia quoq; quæ nos hîc non adduximus, tenereq; in præsentiarum substantiam legum iudicialium Dei, non esse sublatam aut antiquatam, modum autem limitationemq; in libertate & arbitrio optimorum principum esse constituta, ut hi quod æquum & iustum est ordinent pro loci, temporis, & personarum exigentia, ita ut honestas & pax publica conseruetur in gente quauis, honoreturq; Deus pater per unigenitum filium benedictum in secula. Videmus enim Apostolos Christi nulli genti negotium fecissę, aut postulasse ut in rebus politicis Mosis leges recipiant. Hoc ipsum decet omnibus conseruare temporibus. Beatus Petrus simpliciter præcipiens dicit, Subditi estote cuiuis humanæ creaturæ propter Dominum, siue regi, tanquam præcellenti, siue præsidibus ut qui per eum mittantur, ad uindictam quidem nocentium, laudem uerò rectè agentium. Idem tamen Apostolus censet, Deo magis obediendum esse quàm hominibus, cùm uidelicet homines, leges contra religionem ueram, æquum & iustum promulgant. De qua re dictum est cùm exponeremus locum de Magistratu. Tantum uerò dixi de Abrogatione legum Dei iudicialium.

1 Pet. 2

Act. 4

De similitudine & differentia ueteris & noui testamenti & populi.

Si uerò ea quæ hucusque protuli in medium de lege Dei, de partibus legis, de usu seu effectu, de impletione & abrogatione eiusdem, diligenter quisque apud se expenderit, haud operiosi fuerit operis constituere, quid sentiat de ultimo illo capite, quod de ultimùm me in principio huius Sermonis dicturum pollicitus sum, ostensurum uidelicet unicum esse testamentum ueteris & nouæ ecclesiæ Dei, & unicam esse rationem salutis ueræ omnium quicunque saluati sunt & saluantur in hoc seculo, & quid differat nouum testamentum à ueteri. Cùm enim apertissimè ostenderim, omnia legis in Christum respicere & hunc patribus propositum esse saluatorem, in quo solo saluati sint, quis non uideat eandem fuisse illis salutis rationem quæ hodie nobis est? Quò tamen omnia sint euidentiora, non grauabor rem illam, licet abundè satis hucusque declaratam, nihilominus maximè uulgari demonstratione omnium subijcere oculis.

Eandem ecclesiam, idem testament. esse, ueterũ et nostrum.

Idem certè populus, idem testamentum, eadem ecclesia, eademq; salutis ratio illis est, apud quos eadem inuenitur doctrina, eadem fides, idem spiritus, eadem spes,

spes, hæreditas, & expectatio, eadem inuocatio, & eadem sacramẽta. Si ergo ostendero ueteres commemorata illa omnia nobiscum communia habuisse, euici haud dubiè unicum modò, quod substantiam attinet, fuisse & esse testamentum, eundem ueteres nobiscum esse populum, in eadem ecclesia & societate agentem, necꝫ in alio quàm solo Christo Dei filio seruatum.

Eandem illis & nobis doctrinam fuisse & esse sic ostendo. Nostra quidem doctrina, Euangelij doctrina est. Atqui illa non caruisse ueteres, testis est Apostolus, dicens, Euangelium Dei, ante quidẽ promisit Deus per prophetas suos in scripturis sanctis, de filio suo, qui genitus fuit ex semine Dauid secundum carnẽ, qui declaratus fuit filius Dei cum potentia, &c. Quid poterat dici clarius? Euangelium quod prædicatur ecclesiæ, quondam per prophetas in scripturis sanctis promissum fuit, nempe uenturum in mundum filiũ Dei, qui saluos faciat credentes. Præterea docet hoc Euangelium, non per opera legis, sed gratis per fidẽ iustificari credentes. Verùm S. Paulus, Ex operibus legis, inquit non iustificabitur omnis caro in conspectu eius. Per legem enim agnitio peccati. Nunc uerò absque lege iustitia Dei manifestata est, dum comprobatur testimonio legis & prophetarũ: iustitia uerò Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt. Succinit S. Paulo D. Petrus, dicens in Concilio Hierosolymitano, necꝫ nos, necꝫ patres nostros iugum legis portare potuisse, credere autem nos perinde ut illos, per gratiam Domini Iesu, saluos futuros. In reliquis substantialibus nihil discrepat doctrina.

Eadem doctrina ueteribus & nobis. Rom. 1. Acto. 15.

Quorum uerò eadem est doctrina, eorum nequit esse fides diuersa. Fides enim ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Quid quòd patres nostri Abraham & reliqui statuuntur nobis exempla fidei? Videre id licet in sacrosancto Domini Euangelio, & in Apostolorum literis. Quis uerò statuat aliena exempla quæ imitemur? Paulus pluribus in locis, præsertim ad Rom. 4. cap. ostendit fidem nobis imputandam ad iustitiam, sicut ea legitur Abrahæ imputata fuisse: & fides quidem, non diuersa, sed ea quæ cum nostra innititur in promissionem Dei, ac in semen benedictum. Appellat enim illum patrem, non eorum duntaxat, qui genus ducunt ex circunciso, sed eorum quocꝫ qui ingrederentur uestigijs fidei, quæ fuit in præputio Abrahæ. His accedit quòd confirmatio regulæ Christianæ, quam aliàs appellamus Symbolum Apostolorum, aut Fidei articulos, ex scripturis patrum ueteris testamenti petitur. Quod sanè eiusdem nobiscum fidei clarissimum est testimonium. Crediderunt isti in uenturum Mesiam, quem nos uenisse credimus: qui etiam singula plenius & exactius perspicimus: sicuti mox dicemus, ubi uidelicet uentum fuerit ad declarationem discriminis utriuscꝫ testamenti.

Eadem fides ueteribus & nobis.

De spiritu uerò uno atcꝫ eodem gubernante patres nostros & noui testamenti populum, quis dubitet, postquàm unus duntaxat Dei spiritus est, ac disertis uerbis S. Petrus testatur in prophetis fuisse spiritum Christi? Sed & S. Paulus, Cùm habeamus, inquit, eundem spiritum fidei, iuxta illud quod scriptum est, Credidi & ideò loquutus sum, & nos credimus, quapropter & loquimur. Ergo quamuis idem ille Apostolus alibi dicat, fideles non accepisse spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed spiritum adoptionis, per quem clament Abba pater: non negat tamen ueteres fideles habuisse eundem spiritum. Clamarunt enim & illi ad Deum tanquam patrem, quanquam id non ex lege (quæ terret) sint consequuti, sed ex gratia Messiæ. Rursus idem Apostolus, Quicuncꝫ spiritu Dei ducuntur, ait, hi sunt filij Dei. Conuertitur autẽ hoc ipsum, ut filij Dei ducantur à spiritu Dei. Cæterum filios dei fuisse ueteres, ac ab ipso Deo & Mose sic appellatos, nemo negauerit, nisi qui scripturas nunquam legit. Quid quòd patres nostri appellati sunt reges & sa-

Idem spiritus ueteribus & nobis. 2 Corin. 4. Rom. 8. ibidem *Exodi 4. Deut. 14.*

cerdotes, adeoque regale sacerdotium, & sacerdotale regnum: Quod S. Petrus accommodauit & Christi fidelibus. Nequit autem regnum & sacerdotium tale sine unctione spiritus constare. Dixit quidem in Euangelio suo beatus Ioannes Apostolus, Nondum erat spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Sed quemadmodum non loquutus est de substantia spiritus sancti, quae est essentiae patris & filij coaeterna, ita non negauit in uniuersum ueteres accepisse spiritum sanctum. Loquitur enim de excellenti dono, quod post ascensionem Domini effusum est in omnes gentes credulas. Sic enim ipse Ioannes sese interpretans, praemittit, Hoc dixit (Qui credit in me, flumina de uentre eius fluent aquae uiuae) de spiritu quem accepturi erant credentes in ipsum. Donum ergo spiritus eo tempore, cùm haec diceret Dominus, non ita erat uulgare, & tanta in omnes effusum copia, quanta effundebatur post clarificationem Christi in credentes. Ac reuera non potuissent patres nostri & sancti prophetae tam disertè omnia Christi & ecclesiae mysteria praedicere, quae Euangelistae & Apostoli completa esse testantur ad uerbum, nisi eodem illo spiritu fuissent gubernati prophetae, quo postea instructi sunt Apostoli. Neque enim cogitare phas est, prophetas & patres nostros uerba non intellecta profudisse insanientium furientiumque instar. Vidit Abraham diem Christi, & gauisus est, capiens uidelicet & sentiens ex spirituali illa sua uisione spiritualem uoluptatem. Toties uerò testatur Dauid sibi sacra & coetus ecclesiasticos longè gratissimos fuisse: quod haud dubiè non propter externas ceremonias, sed propter Christum maximè, quem spiritu & fide contemplabatur in ceremonijs siue ritibus sacris, pronunciauit. Cumque constet patres nostros gratia Dei esse iustificatos, claret iustificationem illam non perfectam esse sine spiritu Dei nostri: per quem & nostra hodie iustificatio perficitur. Gubernati sunt ergo eodem nobiscum spiritu. De his non aliter iudicauit S. Augustinus, cuius uerba C. V. ex secundo libro de Peccato orig. contra Pelag. & Celest. ex capite 25. uerbotim recitabo, Eodem spiritu fidei, inquit, à prophetis illa futura uidebantur, quae à nobis facta creduntur. Neque enim qui nobis ista fideli dilectione prophetare potuerunt, eorum ipsi participes non fuerunt. Et unde est, quod dicit Apostolus Petrus, Quid tentatis Deum imponere iugum supra collum discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos potuimus portare: sed per gratiam Domini Iesu credimus salui fieri quemadmodum & illi: nisi quia & illi per gratiam Domini Iesu Christi salui facti sunt, non per legem Mosi, per quam non sanatio, sed cognitio est facta peccati: Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata per legem & prophetas. Si ergo nunc manifestata est, etiam tunc erat, sed occulta. Cuius occultationem significabat templi uelum, quod est ad eius significandam reuelationem Christo moriente conscissum. Et tunc ergo ista gratia unius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Iesu erat in populo Dei, sed tanquam in uellere pluuia, quam non debitam sed uoluntariam segregat Deus hereditati suae, inerat latens: nunc autem uelut siccato illo uellere, hoc est, Iudaico populo reprobato, in omnibus gentibus, tanquam in area cernitur patens. Haec ille.

Eadem ueteribus spes & hereditas quae nobis.

Iam uerò proposita est Israeli felicitas carnalis siue temporaria, sed non sola. Nam in peritura & externa illa felicitate, adumbrata est ei coelestis illa ac aeterna. Ostendit enim Apostolus in quarto & 11. cap. ad Hebraeos, patres ex uisibili & temporaria haereditate sperasse inuisibilem ac aeternam. Nec alium in finem tam diligenter ipsis Christus promissus est, & in ipso benedictio & uita proposita, omnibus quoque & singulis propè ceremonijs praefiguratus, quàm ut spem haberent uitae, non alienae aut diuersae utique ab ea uita, in quam & nos per Christum

recipimur

recipimur. Dominus enim in Euangelio dicit nos cum Abraham, Isaac & Iacobo in regno cœlorum congregandos, utiq; in eandem gloriam. At obijcitur mihi promissam illis duntaxat non præstitam esse uitam & salutem, sed reclusos in carcerem expectasse aduentum Christi. Ego uerò non lego in sacris literis quicquam de Carcere, in quem fuerint sancti patres reclusi. Petrus quidem Carceris meminit, sed in ipsum collocat spiritus inobedientes, non obedientes. Quòd si quis obijciat Christum descendisse ad inferos: non id quidem negamus, dicimus autem ipsum descendisse ad demortuos sanctos, id est, collectum esse ad cœtum beatorum spirituum, qui sanè cœtus non fuit in loco supplicij, id est, in tormentis, sed in cœlesti gaudio, confirmante hoc ipsum ipso ad inferos descendente Domino, ac dicente ad latronem, Hodie mecum eris in paradiso. Potest & multis alijs scripturæ locis demonstrari, ueteres ab Adamo ad mortem usque Christi sanctos patres, ex hac uita migrantes, propter Christum, in uitam non in carcerem concessisse. Nam Dominus noster in Euangelio secundũ Marcum, Deus, *inquit*, non est Deus mortuorum, sed uiuentium. Est autem Deus Abraham, Isaac & Iacobi: ergo Abraham Isaac & Iacob uiuunt: non corporaliter quidem. Corpora enim sepulta iam olim computruerant: ergo animæ ipsorum uiuunt in gaudio: corpora uerò & ipsa in iudicio resurgent. In Euangelio secundum Lucam meminit Dominus sinus Abrahæ, in quem colligantur beati spiritus, & de eo pronunciat quòd sit constitutus in edito, ac locus sit non cruciatus & supplicij, sed gaudij ac refrigerij. Ideóque frequenter legis in sacra historia de sanctis patribus, quòd collecti sint ad suum quisque populum, id est, recepti sint in consortium illud patrum, cum quibus in hoc seculo in eadem religione & fide persliterunt. Nam de sepultura corporali id non posse exponi, manifestè reuincunt sequentia locorum istorum, & circumstantiæ. Rursus dicit in Euãgelio secundum Matthæum Dominus, Dico uobis, quòd multi ab Oriente & Occidente uenturi sunt, & accumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum, filij uerò regni eijcientur in tenebras extremas, illic erit ploratus & stridor dentium. Quòd si gentes colligi debent in regnum cœlorum, si aggregandæ sunt patrum consortio, certè necesse est patres prius in cœlum receptos, tum quoq; sensisse gaudia, cùm hæc loqueretur Dominus. Qui in Euangelio secundum Ioannem clare dicit, Abraham exultauit, ut uideret diem meum, & uidit, atque gauisus est. Quod etsi de iustificatione & gaudio conscientiæ intelligamus, non tamen disiungimus gaudium uitæ æternæ, quòd certò hoc ex illo sequatur. Præterea expendenda uidetur occasio, ex qua illud Domini uerbum petitum ac pronunciatum uidetur. Dixerat Dominus, Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Eam uerò sententiam hisce uerbis exceperunt Iudæi, Abraham mortuus est, & prophetæ, & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum: Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est: & prophetæ mortui sunt: Quem teipsum tu facis: Ad hęc ergo respondens Dominus, ostendit Abrahamum per fidem in sermone Christi uiuificatum esse, aut in uita & gaudio conseruatum: hic utcunque corpore mortuus sit, uiuat tamen & gaudio perfruatur anima iam apud Deum. His accedit quòd Dauid spem, expectationem & hæreditatem suam exponens in Psal. 16. inter alia dicit, Dominus mihi semper à dextris est. Propter hoc lętatum est cor meum, exultauit gloria mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis ut sanctus tuus uideat corruptionem. Notam mihi facies semitam uitæ, satietas gaudiorum in conspectu tuo est, & iucunditates in dextera tua in perpetuum. Et quanquam S. Petrus

Præstitam non tantùm promissam fuisse patribus salutem.

Luc. 16.

Ioan. 8.

& S. Paulus hoc Dauidis testimonium aptauerint Christo in Actis Apostolorum, nemo tamen negare potest idem & suo modo congruere Dauidi, qui in illo Psalmo profitetur fidem suam, spem exponit, ac Michtam suum, id est, delicias suas, insignia, aureolum, aut cleynodium suum prædicat. Competunt ergo illa in primis Christo, deinde etiam Dauidi, & omnibus fidelibus. Nam uita & resurrectio Christi, fidelium est uita & resurrectio. Idem alibi, Credo inquit, uidere bona Domini, in terra uiuentium. Porrò in terra uiuentium non est mors aut dolor, sed satietas gaudiorum, & perpetua iucunditas. Hæc à Deo per Christum in fide expectauit, eadem migrans ex hoc seculo protinus recepit, licet post multos demum annos nasceretur ac adueniret Christus, qui & nos hodie saluat, licet uenerit ante annos mille quingentos quadraginta nouem. Quod uerò ad Hebræos 11. cap. Apostolus dicit, Atque omnes hi patres sancti testimonium promeriti per fidem, non acceperant promissionem, quòd Deus de nobis melius quiddam prouiderat, ne sine nobis consummarentur, simpliciter intelligendum putamus de consummata, ut ipse Paulus dicit, beatitudine seu felicitate, in qua patres sancti sine nobis non consummantur. Quia restat adhuc generalis resurrectio omnis carnis, quæ simul atque facta fuerit, consummata erit & omnium sanctorum perfecta beatitudo, quæ non animæ duntaxat, sed etiam corpori obuentura est. Certè S. Petrus quoque asseuerat salutem per Christum partam principiò animabus, sanctorum nimirum, mox à morte corporea communicari, deinde uerò in fine seculi sanctorum sepulta resuscitari corpora, quemadmodum omnium hominum, ac iudicari. Iudicabit, inquit, Dominus uiuos & mortuos. Nam in hoc innotuit Euãgelium mortuis, ut iudicentur quidem secundum homines carne, uiuant autem iuxta Deum spiritu. Id est, efficax fuit mors Christi, fide mortuis patribus: sic ut iam nunc uiuant animabus apud Deum, atque illi ipsi sicuti & reliqui homines omnes iudicandi sint carne siue in corporibus suis, tum uidelicet cùm uenturus est Dominus iudicare uiuos & mortuos. Nondum itaque salus nostra perfecta siue consummata est, consummabitur in fine seculi.

Eadem ueteribus inuocatio quæ nobis.

Præterea non inuocarunt patres nostri alium quàm unicum Deum creatorem, crediderunt que illum hominibus propitium esse propter semen benedictum. Et quamuis non adeò uulgaris fuerit illis sicuti nobis inuocatio nominis Dei per mediatorem & intercessorem Christum, quemadmodum & Dominus in Euangelio testatur, dicens, Hactenus non petistis quicquam sub nomine meo: petite, & accipietis: non tamen fuerunt prorsus ignari mediatoris propter quem exauditi sunt. Daniel in 9. cap. supplicans Deo postulat exaudiri à Deo, propter Dominum, nimirum propter Christum promissum. Quoties denique sancti orantes, dixerunt, Memento Abraham, Isaac & Iacobi, non utique respexerunt ad personas aut animas sanctorum patrum, sed ad promissionem patribus factam: quæ cum illa sit, Benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ: & Paulus testetur semen illud, Christum esse: consequens est patres respexisse ad semen benedictum, orasseque Deum, ut exaudiat propter Christum. Nam & alibi promittit Ezechiæ liberationẽ Deus, dicens, Protegam urbem istam propter me, & propter seruum meum Dauid. At Isaiæ 7. & 28. claret parsum esse urbi propter Christum uirginis filium, qui est fundamentum in Zion collocatum, quem & Ezechiel 34. cap. Dauidem, & Euangelium appellat Dauidis filium.

Ioan. 16.

Eadem ueteribus sacramenta quæ nobis.

Postremò eadem fuisse sacramenta ueteribus quæ nobis, ostendit Apostolus Paulus, qui aliàs quoque Circuncisionem & Pascha illorum sacramenta nobis communicat, ut Coloss. 2. & 1. Corinth. 5. In 10. cap. minatur Corinthijs graue supplicium

cium à domino, nisi abstineat ab idolothytis & gentili lasciuia. Profert ergo exemplum Israelitarum, & suo instituto ad hunc modum accommodat, Nolo uos ignorare, patres nostos fuisse Dei Ecclesiam, & habuisse eadem nobiscū sacramenta. Nam omnes in Mose, id est, per Mosen, siue per ministeriū Mosis, baptizati sunt in nube & mari. Nubes enim & mare fuerunt symbola baptismi. Deinde omnes eandem escam spiritualem ederunt, & omnes eundem potum spiritualē biberūt. Et mox per interpretationem subiungit, Bibebant enim de spirituali, quæ illos comitabatur petra. Petra uerò fuit Christus. Certè Manna & Petra typum præferebant spiritualis epuli, quo nos & illos reficit Christus, qui est panis & potus uitæ. Quanquàm uerò illi corporaliter, externè siue uisibiliter participassent sacramentis, quia tamen fide & spiritu destituebantur, quia cultu idolorum, crapula & fornicatione polluti sunt, displicuerunt Deo, & prostrati sunt in deserto. Nisi ergo uos quoq; abstinueritis à fœdis illis flagitijs, nihil proderit baptismus aut spirituale epulum, sed perdet uos Dominus.

Cum itaq; clarissimis his scripturarum testimonijs demonstratum sit, eadem fuisse ueteribus sacramenta quæ nobis, eandem inuocationem Dei, eandem spem, expectationem & hæreditatem, eundem spiritum, eandem fidem & doctrinam, confectum esse sperò id quod ostendere uolui, patres testamenti ueteris fideles & nos noui testamenti credentes, unam esse Ecclesiam, unum populum, qui omnes una sub congregatione, sub unico testamento, unica duntaxat ratione salui fiant, per fidem Iesu Christi.

Dixi ista hactenus de similitudine & congruentia siue unitate ueteris & noui testamenti ac populi Dei, dicam iam paucula & de utriusq; discrimine & differentia. In substantia quidem nullum reperias discrimen, in modo administrandi & accidentibus quibusdam circunstantijsq; existit differentia. Promissioni enim siue doctrinæ fidei & primarijs legibus accesserunt externa quædā, addita ad tempus correctionis, ita ut regimen totum Ecclesiasticum, modus tradendi doctrinam pietatis, & cultus Dei exterior apud ueteres alius cernatur, alius apud nos. Verū poterunt discrimina utriusq; potissima hisce pauculis numerari & exponi capitib. *De discrimine seu differentia ueteris & noui testamenti & populi.*

Principiò clariora seu illustriora sunt omnia noui testamenti. Reuelatio uetus habuit semper ferè subobscuri aliquid, instar nubis, tectaq; fuerunt pleraq; & inuoluta umbris seu inuolucris. Porrò prædicatio noui testamenti clara est, adeoq; lux dicitur quæ nihil obscuritatis habet. Moses imposuerat uelamen uultui suo, nec poterant filij Israel intendere oculos in faciem eius, nos autē non modò in faciem Mosis retectam, sed in ipsius faciem Christi clarissimam & amœnissimam inspicientes, gaudemus nos ipsam salutem reuelatam coràm cernere. Hoc nomine dominus discipulos suos prædicauit beatos, dicens, Beati oculi, qui uident quæ uos uidetis. Dico enim uobis quòd multi prophetæ & reges uoluerūt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt. Certè beatus Simon iustus, se felicissimum hoc nomine prædicat, quocirca & sponte moriturum se promittit, dicens, Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum uerbum tuum in pace. Quia uiderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorū, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Quamuis autem ueteribus non tanta fuerit lux quanta nobis in Christo exhibito radiat, satis tamen fuit illis ea quam habuerunt ad salutem in Christo consequendā. Videmus & nosipsi hodie in ænigmate, licet patribus nostris longè splendidius. Nam aliquando, nempe in gloria, uidebimus de facie ad faciem, sufficit tamen hæc nostra uisio ad salutem. Perplacet ergo similitudo istorum, qui dicunt, *Clariora omnia in nouo testamento & populo.* Luc. 10. Luc. 2.

Etsi sub auroram non tantus sit fulgor quantus diffunditur circa meridiem, non tamen expectant uiatores plenum solis exortum, sed accinguntur ad iter, ac sufficit eis uidere uiam qua eant. Ita enim existimant & patribus nostris eam lucis portionē quæ fuit in aurora, satis fuisse, quippe quæ fidè duce, per omnia impedimenta ad æternam beatitudinem perduxerit. Interim est quod nobis gratulemur, & propter quod æternas Deo nostro agamus gratias, quia exortus est nobis in nouo testamento post luciferum istum & stellas lucidissimas, ipse clarissimus sol iustitiæ Christus.

Nouū testamentum nullas habet figuras, sed omniū est complementum.

Deinde habuerunt ueteres in testamento ueteri typos, umbras, atque figuras, nos rem ipsam accepimus figuratam siue adumbratam. Ergo quod illis promisit Deus, id præstitit exhibuitq; nobis. Illi quidem uenturum Christum, & liberaturum credentes crediderunt: nos credimus illum uenisse, redemisse nos, & impleuisse omnia. Ergo in Euāgelio dixit dominus noster, Lex & prophetæ usq; ad Ioannem, ab eo tempore regnum Dei annunciatur, & quiuis in illud uim facit. Ex quibus iam illud quoq; deriuatur, ueniente aut præsente re figurata, cadere & disparere ultrò omnes figuras & umbras prænunciantes res futuras. Proinde tollitur hic ab humeris nostris iugum & onus, quod sustinuerunt patres nostri. Cultus illis erat operosus & onerosus, quo loco numeramus sacerdotium Aaronicum, tabernaculum uel templum instructissimum rebus & instrumentis exquisitissimis, item sacrificia multifaria, & huius generis multa alia. Ab his autem sumptibus & oneribus sumus liberati qui sumus noui testamenti populus. Liberauit autem Christus, in quo uno & solo omnia uitæ & salutis habemus. Placuit enim Deo patri in hoc uno recapitulare, ut Paulus ait, ac uelut in summam redigere, omnia uitæ & salutis, ut quæ hactenus uelut dispersa uidebantur, iam nobis exhibeantur uniuersa plenissimè in Christo. Est enim Christus complementum omnium figurarum & ceremoniarum: per cuius spiritum cum rem ipsam posideamus, nihil porrò opus fuerit figuris uel umbris. Christus paucula instituit externa, eaq; sine apparatu & sumptu. Magna ergo libertate gaudet noui testamenti populus. Huc pertinere arbitror elegantissimum S. Pauli locū, qui extat 4. cap. ad Galatas, ubi diligenter hoc negotiū tractans fingit duas matres, alteram quidem generantem in seruitutem, alteram uerò in libertatem, idq; sub typis Agar & Saræ. Qua re significat doctrinam duplicem, legalem & euangelicam. Legalis in seruitutem generat. Euangelica in libertatem. Idcirco generabat lex sanctos patres & prophetas in seruitutem, non ut manerent serui, sed ut ipsos retineret sub disciplina, imò & ad Christum adduceret legis perfectionem. Libertas patrum ceremoniarum mole opprimebatur, aut abscondebatur, ut quanquam liberi essent animis coram Deo, externa tamen specie nihil differrent à seruis, hærentibus adhuc in humeris ipsorum oneribus legis. Quia enim lex nondum erat abrogata, cogebantur eam diligenter præstare. At cum aduenit Christus & omnibus satisfecit, ceciderūt umbræ, cecidit & iugum illud graue ex humeris Christianorum. Sic gignit nos mater Sara in libertatem. Hæc est mater omnium nostrum. Ex illa matre (quæ & mater sancta Ecclesiæ nuncupatur) habemus semen uitæ, eadem formauit & edidit nos in lucem, fouet nos in sinu suo, habens lac & cibum, ipsum inquam uerbum Dei, quo nos educat, alit & seruat.

Luc. 16.

Tolluntur per Christum omnia onera.

Seruitus legalis in ueteri testamento.

Populus testamenti noui nouus & amplissimus.

Dirupta autem macerie & ruptis uinculis, Deus Ecclesiam suam regit liberalius, nec tenet amplius sub tam arcta custodia. Neq; enim continetur Dei populus intra terminos terræ promissæ. Nam expāditur ad fines terræ: neq; iam sunt illius populus circuncisi & seruantes legem, (quanquam tunc quoq; non dubium est quin

quin suos habuerit inter gentes, ut Iob & alios quos ipse nouit) sed qui Christum agnoscunt, licet nec circuncisi sint, nec lege occupentur. Nouus hic est populus, ex toto terrarum orbe collectus spiritu & fide. Idem nomen dedit testamento nouo: in quo Iudæi nullam hæreditatem habent, nisi legalibus desertis & Christo legis fine fide apprehenso. Sunt autem omnium prophetarum libri referti testimonijs de Vocatione Gentium in consortium populi Dei, item de repudio Iudæorũ qui propter pertinax legis studium abdicantur.

Præterea ponit aliud discrimen Apostolus Paulus, ex uaticinio Ieremiæ in 8. cap. epistolæ ad Hebræos. Tribuit enim noui testamenti populo eximia aliquot dona, nempe plenariam peccatorum remissionem. Dicit enim, Quoniam propitius ero iniustitijs eorum, & peccatorum eorum & iniquitatum non recordabor amplius. Tribuit ei & exactissimam mentium reformationem & illuminationem absolutissimam. Dicit enim, Ponam leges meas in mẽtes ipsorum, & in cordibus eorum inscribam eas: & non docebit unusquisq; proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicendo, Cognosce dominum: quia omnes me scient à paruo usq; ad magnum. De lege uerò scribitur quòd exarata sit in tabulas lapideas. Nemo tamen putauerit patres nostros nullam peccatorum ueniam consequutos fuisse. Vt enim & ipsi gratuitam peccatorum condonationem acceperunt per fidẽ, ita Deus eorum cordibus olim quoque legem inscripsit, & spiritum suum infudit. Quis enim hodie nostrum dicat, se superare scientia, fide, illuminatione ipsum Abrahamum, Mosen, Samuelem, Dauidem, Isaiam, Danielem, Zachariã? Discrimen ergo in hoc non est, quòd patres testamẽti ueteris & remissione peccatorum & spiritus illuminatione caruerint, nos qui sumus noui testamenti populus illa soli cõsequuti simus, sed in doni magnitudine, amplitudine, copia & ubertate discrimen agnoscitur, nempe quòd liberalissimè profunduntur illa iam in plures. Vocatæ enim omnes gentes, plenis uolis hauriunt aquam uitæ. Effundit Deus super omnem carnem spiritum suũ. Olim notus in Iudæa Deus, iam uerò cum Christus orbi exhibitus est, egrediũtur discipuli in orbem terrarum, & cognitione Dei imbuunt omnia regna terræ. Olim potuerunt numerari heroes, uiri excellentes & prophetæ: quia sola terra promissa tales ferè profundebat. Quis uerò iam numeret reges, principes, heroes, prophetas, episcopos, doctores, martyres, & omnis generis sexus & ętatis insignes personas, quas nobis dedit & dat hodie quoq;, non Iudæa sola, sed Arabia, Idumea, Phœnicia, Mesopotamia, Persia, Asia, Ægyptus, Aphrica, Græcia, Italia, Oriens, Meridies, Occidens & Septentrio? Omnibus regnis prædicata est gratuita peccatorũ remissio. Omnes fideles ex omnibus regnis totius mundi in gratiam Dei per Christum sunt recepti. Omnes acceperũt spiritus donum amplissimum. Omnes prophetarunt. Omnes cognouerunt dominum. Et lex quidem perficiebat neminem, sed ducebat ad spem potiorem. Euangelium simpliciter perficit, rectà, sine ullo interuentu, ad Christum ducit, & in ipso acquiescere facit.

Noui testamenti dona amplissima & uberrima.

Postremo loco non dissimulabo & hoc discrimen, licet leuiculum sit, & alia eiusdem generis obseruari possint nõ pauca, quòd lex ex parte intenta in terram certis metis distinctam, populo ueteri possessionem eius seruãti legem, eiectionẽ ex ea præuaricanti legem, & promisit & minata est. Nobis uerò nulla certis terminis distincta terra promittitur. Domini enim est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & quæcunq; sunt in ea. Quanquam uerò hic nihil certi, ut quondam, nobis designet, nuspiam tamen nos negligit: alit enim, benedicit & seruat in quauis terra. Proinde finem suum consequutæ sunt, & disparuerunt omnes promissio-

Nouum testamentũ non habet conditionẽ certæ & condictæ terræ.

nes factæ quondam de terra illa sancta patrum. Vt ante seculum unum & alterum insaniſſe uideantur, qui multas gentes commouerunt ad capienda arma pro recuperanda terra sancta. Christus aduentu suo in mundum tot terram sanctificauit. Nam sunt in omnibus terræ plagis aliquot filij Dei.

Paucioribus hæc de similitudine & congruentia, item de discrimine & differentia utriusq;, tam ueteris quàm noui populi & testamenti, perstrinxi, quòd hoc negotij attigerim Sermone 1. Decad. 1. itē Sermone 6. Decad. 3. deniq; in negotio de abrogatione legis, & quòd olim quoq; de Antiqua fide & de unico æternoq; Dei testamento tractatus ediderim, quos scio uobis esse familiarisimos.

Nolo per epilogū colligere potisima huius Sermonis capita, cùm quòd alias plus æquo prolixior fui, tum quòd perspicuo maximè usum me ordine existimē, cōfidamq; singula cuiusq; memoriæ insculpta sic satis hærere. Absolui autem his, per gratiā Dei, totum Legis diuinæ negotiū, quo de multis diebus sermonibusq; disserui. Deus & pater noster cœlestis sit benedictus in secula, & benedicat nobis per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

De libertate Christiana & Scandalo: de Bonis operibus & mercede siue præmio bonorum operum. SERMO IX.

DISSERVI diu Sermonibus multis de Lege diuina, quoniam uerò ex Legis consideratione tractationeq; quædam non contemnenda prætereundáue capita existunt, & cum illa ceu conserta & concomitantia cohærent, cuius generis est Libertas Christiana, Bonum opus & merces, siue præmium boni operis, deniq; Peccatum, & peccati præmium, uel supplicium, dicam & de his ordine, quæ dominus loqui dederit: quem modò orabimus ne quid de his, & de alijs dogmatibus sanctis, nos loqui contra eius sanctam uoluntatem patiatur.

De Libertate Christiana. Ex abrogatione legis dependet Libertas Christiana, ueluti effectus legis abrogatæ, quæ libertas mox suppeditat occasionē dicendi de Scandalo. Ac de libertate Christiana diligēter & copiosè disputauit sanctisimus Christi Apostolus Paulus, unde colligere possumus cōsiderationem libertatis Christianæ, nec parui momenti, nec exigui esse fructus. Præcipuè uerò necessaria est eius tractatio nostro seculo, in quo non pauci libertatem Christianam, uel nō intelligunt, uel malitiosè ea abutūtur ad explenda desideria carnis. Dicam ergo quis sit liberator, qui in libertatem asserit, Quos liberet, A qua re uel quatenus liberet. Quibus perspectis facile erit uidere, quid sit libertas Christiana, quod ingenium libertorum, & quantopere hi caueant ne uspiam quenquam offendant, aut sua abutantur libertate.

Liberator quis. Liberator non alius nobis promittitur, exhibetur & annunciatur quàm Christus Iesus Dei filius. Qui enim alios liberat, eum oportet liberū esse, nec ijs obnoxium, quibus constricti tenentur, qui expetunt & expectant liberationem. Nullus autem talis inuenitur in toto terrarum orbe, & in omnibus ætatibus, adde & in ipso cœlo, nisi unus Dei filius, qui eo nomine in Euangelio dixit, Si filius uos liberauerit, uerè liberi eritis. *Ioan. 8.*

Quos liberet. Liberat autem seruos dominus, ergo liberat à seruitute asseritq; in libertatem filiorum Dei. Et omnes quidem seruos liberat, nullum excludit nisi eum qui seipsum sua culpa, sua incredulitate & inobedientia excludit. Venit enim Dei filius liberandis omnibus seruitute implicitis. Eatenus ergo liberat, quatenus serui fuimus. Opponitur enim Libertati Seruitus, ut illa non posit nisi hac considerata plenè

plenè intelligi. Proinde dicendum erit hic quoque, quantum nostro seruit proposito, de seruitute: quæ nihil aliud est, quàm seruorum conditio. Serui autem uel nascuntur, uel fiunt. Nascuntur ex ancillis siue uernis. Fiunt, uel ex captiuitate, unde & nomē sortiti sunt. Pomponius enim, Serui ex eo appellati sunt, ait, quòd captiuos uendi imperatores iuberent, ac per hoc seruare nec occidere: qui & Mancipia dicuntur, eò quòd ab hostibus manu caperentur. Vel fiunt serui iure ciuili, cum homo liber, maior uiginti annis, ad precium participandum, sese uenundari passus est. Amiserunt ergo serui omnem libertatem, pendent toti ab imperio dominorum suorum, qui in ipsos habent potestatem necis & uitæ. Est autem seruitus duplex, politica siue ciuilis, & spiritualis. Ciuilem gratia & prædicatione sua non sustulit dominus ex Ecclesia fidelium, ne uidelicet sint serui, uel ne faciant suum officium, neque debita sua persoluant. Nam Apostolus Christi Paulus, Vnusquisque, inquit, ut uocauit eum dominus, ita ambulet. Et sic in Ecclesijs omnibus ordino. Seruus uocatus es? Ne sit tibi curæ. Attamen si potes liber fieri, magis utere. Et iterum, Serui obedite ijs qui domini sunt iuxta carnem, cum timore & tremore, cum simplicitate cordis uestri, tanquam Christi: non ad oculum seruientes, uelut hominibus placere studentes, sed tanquam serui Christi, facientes quæ uult Deus, ex animo, cum beneuolentia, seruientes domino, & non hominibus: illud scientes quod unusquisque quod fecerit boni, hoc reportabit à Deo, siue seruus fuerit, siue liber. Et ad Timotheum idem, Quicunque sub iugo sunt serui, inquit, suos dominos omni honore dignos ducant, ne nomē Dei & doctrina malè audiat. Qui uerò fideles habent dominos, ne contemnant, quòd fratres sint, sed magis inseruiant quòd fideles sint ac delecti, & qui beneficia rependere possunt. Habent tamen in hac seruitute fideles ex Euangelica prædicatione quod consoletur, nempe quòd liberi sunt animis, licet seruiant corpore. Rursus enim dicit Apostolus, Qui in domino uocatus est seruus, libertus domini est. Similiter qui liber uocatus est, seruus est Christi. Extenditur hæc consolatio ad omnes fidelium hominum afflictiones, qui sciunt saluum & liberum esse spiritum suum, utcunque atrociter uel uinciatur uel excrucietur corpus. Liberrimi ergo sunt sancti, quanquam in arctissima constricti teneantur custodia: uictores & superiores sunt, licet uinciantur & opprimantur: denique fruuntur uoluptatibus selectissimis etiam tunc, cum torquentur infinitis malis acerbissimè. Scio à filijs huius seculi hanc libertatem & has uoluptates fidelium rideri, tanquam somnia stultorum. Verùm dignas irrisionis suæ pœnas iusto iudici Deo persoluunt, nō tantùm in futuro, sed etiam in hoc præsenti seculo: quippe cum illi sint maximè captiui & ter miseri, etiam tunc, cum se arbitrantur liberrimos & omnium felicissimos esse. Seruiunt enim seruitium fœdum, & modis omnibus probrosum, addicti scortis fœtidis, ebrietati insanæ, mammonæ iniquitatis, & alijs uoluptatibus turpissimis, in quibus cum ignominia conficiuntur & computrescunt. De sanctorum uerò seruitio & afflictionibus, libertate nihilominus fruentium & exultantium in domino, loquens Apostolus, In omnibus premimur, inquit, at non anxij reddimur: laboramus, at non destituimur: persecutionem patimur, at non in ea deserimur: deijcimur, at non perimus: semper mortificationem domini Iesu in corpore circunferentes, ut & uita Iesu in nostra mortali carne manifestetur. Et iterum, In omnibus nitimur nos exhibere, ut decet ministros Christi, in tolerantia multa, in afflictionibus, in necessitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs: per gloriam & ignominiam, per conuitia & laudes: quasi impostores, & tamen ueraces: quasi ignoti, & tamen noti: quasi morientes, & ecce uiuimus:

Seruitus quid.

Duplex seruitus.

1 Corin. 7

Corporalis seruitus.

Ephes. 6.

Colos. 3

Timoth. 6.

Paradoxon de libertate.

quaſi correpti, & non occiſi: quaſi dolentes, ſemper tamen gaudentes: quaſi pauperes, multos tamen ditantes: ut nihil habentes, omnia tamen poſsidentes. Habetis quomodo in extrema ſeruitute ſancti conſolationem ſuam habent, & ſint liberrimi. Exempla infinita ſuppeditāt Acta Apoſtolorum, & hiſtoria eccleſiaſtica. Deſcendimus iam ad alteram ſeruitutis partem.

Spiritualis ſeruitus.

Spiritualis ſeruitus ſimilitudinem habet cum corporali ſeruitute. Nam factus eſt Adam ſeruus, & ſua quidem culpa: nos naſcimur ex ſeruo ſerui. Fuerat ille liber & habuerat dominum optimum & clementiſsimum, ſed ab eo defecit perfidè, aſciuitq; ſibi dominum alium, crudeliſsimum inquam tyrannum ſatanam, qui propter peccatum ius in ipſum aſſecutus, miſerum grauiſsimè preſsit. Naſcimur autem ex corrupto patre corrupti & peccatores, ac propter peccatum ſubijcimur & nos dominio diaboli: ſubijcimur legi & legis execrationi. Sumus enim ſerui peccati. Subijcimur uarijs calamitatibus propter peccatum. Spiritualis ergo dicitur hæc ſeruitus, non quòd in animo hominis duntaxat locum habeat, ſed propter oppoſitionem, quatenus uidelicet opponitur ciuili uel corporali ſeruituti. Alioqui enim peccatum ſubdidit & corpus noſtrum maledictioni. Neq; animo duntaxat, ſed & corpore peccamus. Nam peccato omnes partes, & omnia membra corporis ſeruiunt, deniq; & peccato afficiuntur. Proinde ſeruimus ſeruitutem miſerrimam, dum ſub diaboli dominio uiuentes facimus quæ carni libent, & quæ ſuggerit affectus prauus, fructificantes aut abortientes potius domino illi tetro noſtro, diabolo. Hæc uidelicet eſt grauiſsima ſeruitus noſtra.

Spiritualis libertas, & quatenus liberarit nos Chriſtus.

Videamus iam ex oppoſito quæ ſit libertas Chriſtiana, hoc eſt, à qua re, uel quatenus liberauerit nos Dominus noſter. Et uno uerbo rem totam comprehendamus, liberauit nos Chriſtus dominus à graui illa ſeruitute, quatenus uidelicet eramus ſerui, eatenus nos liberauit. Id copioſius modò ita exponimus. Venit
1 filius Dei in hunc mundum, ac principiò quidem oppreſſo per mortem tyranno ſatana, contritoq; capite eius, in ſuum nos regnum tranſtulit, dominus & rex no-
2 ſter factus. Deinde adoptauit nos in filios Dei, legisq; maledictionem ſua benedictione ſuſtulit. Nam omnia peccata ſuſtulit, & fideles ſuos purgauit. Hinc contulit donum ſpiritus liberrimum, ut filij Dei ſua ſponte & ultro ſubijciant ſe diuinæ uoluntati, & faciant quod uult Deus. Non enim remanet legis odium, licet rema-
3 neat infirmitas carnis. Poſtremò tulit idē dominus & rex noſter ex humeris ſuorum onera legis, typos ſeu figuras, cum omnibus ſumptibus, liberatosq; uetuit

Libertas Chriſtiana.

rurſus ſe ſubiugare legibus quibuslibet hominum. Ex quibus omnibus ſic conſtituimus, Liberare eſt à ſeruitute in libertatem aſſerere. Liber uel libertus eſt, qui liberatus à ſeruitute, iam libertate gaudet. Libertas ergo aliud nihil eſt quàm liberi conditio, fructus inquam quem liber ex liberatione percepit, & quo iam fruitur,
1 nempè quòd liberatus à dominio diaboli, à peccato, ab execratione legis, & à mor-
2 te, filius Dei factus, hæres eſt uitæ æternæ: item quòd ſpiritum accepit libertatis,
3 per quem totum ſe ſeruum ſtatuit Deo, cui tota uita ſeruit: deniq; quòd à lege Moſaica & ab omnibus hominū legibus aſſertus, ab unico iam pendet Euangelio, liberum habens uſum rerum externarum, uelut cibi, potus, ueſtimenti, aliarumq; ſimilium indifferentium. Atq; in his tribus iam ſecundùm recenſitis capitibus, potiſsimum continetur libertas Chriſtiana.

Teſtimonia de libertate Chriſtiana.

Illis porrò ſubijcimus hæc ſcripturarū teſtimonia, quæ expoſitionem noſtram & confirment melius, & illuſtrent ſplendidius. Collocabimus autem primo loco teſtimonia euangelica, ſecundo Apoſtolica. Zacharias ſacerdos pater Ioānis Baptiſtæ in hymno ſuo gratulatorio apud Lucam in 1. cap. prædicat ueritatem & bo-
nitatem

nitatem Dei, quòd ea quæ patribus promisit, nobis præstitit, nimirum ut sine timo re de manu inimicorum nostrorum liberati ipsi seruiamus, in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus uitæ nostræ. Habemus in hoc testimonio ueram liber tatem, illam uidelicet, qua liberati per Dominum ab omnibus hostibus nostris, tū inuisibilibus tum uisibilibus, his non seruiamus amplius in timore, sed citra timorem, cum gaudio, seruiamus iam ipsi Deo. Apponitur præterea seruiendi modus & ratio, In sanctitate & iustitia. Sanctitas resecat omnem impuritatem & intempe rantiam. Iustitia tribuit unicuique suum illud, quod uidelicet debemus singulis, comprehenditq; libertatem & beneficentiam. Hoc autem seruiendi genere seruiunt Deo liberati, non paucis diebus aut annis aliquot, sed omnibus diebus uitę. Vera ergo libertas Christiana est perpetua seruitus, qua seruimus Deo.

Ioann. 8. cap. iactantibus Iudæis uanam & ampullosam suam libertatem acceptam à suis patribus, hæc obijcit Dominus, Amen amen dico uobis, quòd omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum: filius manet in ęternum. Si ergo filius liberos reddiderit uos, uerè liberi estis. Meminit hisce uerbis Dominus seruitutis, meminit & libertatis. Seruit peccato tanquam crudeli Domino seu tyranno, qui facit peccatum. Obedit enim peccato. Tales serui sunt omnes filij hominum: id supplicij coniunctum, imò irrogatum habentes, quòd in domo paterna, in cœlesti utique patria, nulla participant hæredita te. Quos uerò filius Dei liberauerit, illi participant & consortes fiunt cohæredesq; filij Dei. Liberat autem credentes, filij ergo Dei & cohæredes Christi propter Christum liberatorem fiunt liberi. Neque est in cœlo aut in terra alius, qui præter solum Christum, in libertatem asserere possit.

Paulus ad Roma. 6. cap. Ne regnet, inquit, peccatum in mortali uestro corpore, ut obediatis ei per cupiditates eius. Neque accommodetis membra uestra arma iniustitiæ peccato, sed accommodetis uosipsos Deo, uelut ex mortuis uiuentes, & membra uestra arma iustitiæ Deo. Peccatum enim uobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia. Hortatur autem purgatos & liberatos per Christum, ut uiuant in sua seruitute spirituali sanctè. Non autem dicit, Ne sit peccatum in uobis, aut in mortali uestro corpore: sed ne regnet peccatum in uobis, aut in mortali uestro corpore. Quando autem regnat? Quando obedimus peccato per cupiditates eius, id est, cùm non repugnamus, sed explemus cupiditates carnis. Non regnat ergo in mortali nostro corpore, quando sentitur quidem in corpore, sed non obeditur aut permittitur ei imperium, quin calcantur magis cupiditates. Hanc ipsam sententiam per aliam magis illustrem declarat, Nolo uos membra uestra peccato ceu tyranno permittere, quibus ceu instrumentis utatur ad perficiendam omnem iniustitiam. Hoc potius flagito, ut uosipsos Deo gubernandos regendosq; offeratis. Quia enim is ex morte liberauit, & reuocauit in uitam, æquum est ut membra uestra ceu uitalia instrumenta detis Deo per quæ omnem perficiat iustitiam. Atq; id quidem facilè poteritis, quia sub gratia estis, non sub lege. Huc iam pertinent reliqua omnia, quæ in eo capite ad finem usq; subijciuntur. Quid igitur, inquit, peccabimus, quòd non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An nescitis quòd cui accommodatis uosipsos seruos ad obediendum, eius serui estis cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam? Gratia autem Deo quòd fuistis quidem serui peccati; sed obedistis ex animo, in eam in quam traducti estis formam doctrinæ. Cæterum liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ. Demonstrat autem libertos Christi non abuti sua libertate, & sese regendos præbere Domino ueteri. Fingit enim duos dominos, Peccatum & Iustitiam. Apponit cuiq;

suum præmium aut stipendium, mortem & uitam. Sed & generalem ponit sententiam, eius nos esse seruos, cui nosmetipsos ad obediendum tradimus. Inde sic colligit, Gratia Dei cùm simus redempti à seruitute peccati & stipendio eius, morte certè, translati sumus in seruitutem iustitiæ ut uiuamus. Significantius enim subiungit, Humanum quiddam dico, propter infirmitatem carnis uestræ, Quemadmodum enim præbuistis membra uestra serua immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem: sic & nunc præbete membra uestra serua iustitiæ, ad sanctificationem. Cùm enim serui essetis peccati, liberi eratis iustitiæ. Quem igitur fructum habebatis tunc in his, de quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors. Nunc uerò manumissi à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem autem uitam æternam. Etenim stipendia peccati mors, donum autem Dei uita æterna, per Iesum Christum Dominum nostrum. Hæc autem omnia tam sunt clara & simplicia, ut nostra non indigeant explicatione fusiore.

Illa uerò omnia adhuc plenius exponit per collationem parabolicam in capite 7. Mulier, inquit, uiro subiecta & obnoxia est, quandiu uiuit uir. Si diuertat à uiro, ipso adhuc uiuente, iudicatur adultera. Si uerò moriatur uir licet alteri cui libet nubere. Sic inquam nos legi sumus mortui. Christus enim mortuus est pro nobis, oblatus in expiationem peccatorum nostrorum corpore suo, ut porrò ipsi copularemur, imprægnatiq; spiritu eius, pariamus pulcherrimā bonorum operum prolem uel sanctissimum fructum: qui dum peccato seruiebamus, eiq; ceu Domino subiecti essemus, pariebamus tetram mortis sobolem, iniquitatem uidelicet & flagitia, quibus puniendis mors destinata est. Sed libet ipsa audire apostoli uerba. Itaq; fratres mei, uos quoq; mortificati estis legi per corpus Christi, ut iungeremur alteri, nimirum ei, qui ex mortuis surrexit, ut fructificemus Deo. Cùm enim essemus in carne, effectus peccatorum, qui sunt per legem, uigebant in membris nostris, ad fructificandum morti: nunc autem liberati sumus à lege, mortui (ei) in quo detinebamur, ut seruiamus per nouitatem spiritus, & non per uetustatem literæ.

Notus est locus in 8. cap. Lex spiritus uitæ per Christum Iesum liberum me reddidit à lege peccati & mortis. Modum autem liberationis huius mox suppingit, Etenim quod lex præstare non poterat, hoc Deus proprio filio misso præstitit. Et quæ sequuntur. Nam uerba illa notissima sunt omnibus.

In 1. ad Corinth. 7. Pretio empti fuistis, nolite fieri serui hominum. Hortatur autem Apostolus ne seruitutis mundanæ uel ciuilis prætextu, serui aliquid designent in gratiam dominorum, quod pugnet cum synceritate & integritate religionis: ne uidelicet legibus hominum iniquis, quia serui uocati sunt, pareant. Ratio autem quæ hinc retrahat est, Quòd pretio sanguinis Christi redempti & assertisumus in libertatem. Indignissimum ergo foret, si contra libertatis ingenium, prauis legibus hominum obtemperemus. Hoc extenditur etiam ad leges humanas in negotio religionis conditas. Nam Matth. 15. dicit saluator, Frustra me colunt docentes doctrinas præcepta hominum. Et, Omittite illos, duces sunt cæci cæcorum. Et Paulus, Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, ait, quid quasi uiuentes in mundo decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaris, ne contrectaueris: quæ sunt omnia in corruptionem ipso abusu, secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ speciem quidem habent sapientiæ, in superstitione, & humilitate animi, & neglectu corporis, non in honore aliquo ad expletionem carnis. Principiò ostendit Christi fidelibus nihil negotij esse cum decretis hominum, neq; eos ijs teneri: quoniam decretis sint mortui cum Christo, id est, per mortem Christi redempti à decretis, quæ in morte Christi interierint, dum ipse nos suos fecit, & liberos quidem.

Liberi ab humanis constitutionibus.

2 Colos.

quidem. Deinde qualia sint illa decreta commemorat per Mimesim, Ne tetigeris, ne gustaueris, neq; prorsus contrectaueris. Latissimè se hæc extendunt ad multas constitutiones. Quas & protinus refutat argumentis. Principiò quia in rebus, quę usu corrumpuntur, constituunt cultum Dei. At regnum Dei non est esca uel potus, sed uersatur in rebus spiritualibus. Et quæ ingrediuntur os, non coinquinant hominem. Deinde quia conditæ sunt non à Deo omnis boni authore, sed ab hominibus. At frustra me colunt, ait in Euangelio Dominus, docentes doctrinas præcepta hominum. Nec dissimulat aut præterit illa Apostolus, quæ decreta illa hominum maximè commendant. Commendantur primùm specie sapientiæ. Videntur enim à sapientibus non insipienter constituta esse, quæ personis, tempori & loco inseruiant appositissimè. Clamant propugnatores legum humanarum, Sanè non fuerunt stulti patres nostri, sed leges eorum sunt sapientissimæ. Verùm clamat Ieremias, Verbum Domini proiecerunt, quę ergo illis sapientia reliqua esse poterit? Commendantur deinde ἐθελοθρησκείᾳ. Est is cultus electitius, quem nostro uidere & arbitrio ex nobis ipsis confinximus. Atqui hominibus ualde probantur humana commenta, quòd consentanea sint ingenio humano. Sed & Christus dixit, Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret: iam quoniam selegi uos de mundo, odit uos mundus. Atqui idem ille rursus in Euangelio dicit, Quod hominibus excelsum est, abominandum est coram Deo. Commendantur præterea humilitate: id autem duplici nomine, Principiò enim humilitas esse dicitur, si quis promptè obediat, nec difficulter recipiat quod à potentibus obtruditur. Deinde uidentur leges hominum exercere humilitatem, & retinere homines in humilitate. Cæterum sacrilega uerius dicitur illa esse obedientia & humilitas, quæ uerbo Dei non gubernatur, nec uerbum Dei unicè obseruat, sed præterea authoritatem Dei transfert ad homines. Postremò commendantur traditiones hominum ex neglectu carnis. Videtur enim illis tradi egregia corporis disciplina & castigatio, qua opprimatur carnis insolentia. Adhæc autem Apostolus, Non per honorem aliquem, inquit, ad expletionem carnis. Id est, quæ tametsi speciem habeant religionis & pietatis, reuera tamen nihil honoris habent, cùm externa illa à Deo ordinata sint ad subleuandam hominis necessitatem. Imò uituperat Paulus decreta illa, quòd honorem corpori nullum habent, pro corporis expletione, id est, pro modo necessitatis. Corporis enim cura moderata non tantùm est permissa, sed etiam mandata, ne uidelicet corrumpamus corpus inedia, aut inutile reddamus ad opera bona. Nec damnatur ullibi carnis solicitudo simpliciter, nisi quatenus seruit cupiditatibus. Proinde Apostolus dicit, Ne habeatis carnis curam ad concupiscentias. Ad necessitatem ergo cōceditur homini à Deo cibus, potus, somnus, uestis, quies, licita uoluptas, & aliarum necessariarum rerum usus.

Quibus rebus commendentur humanæ traditiones. *Joan. 15.* *Luc. 16.* *Corporis cura.*

Ad Galat. cap. 4. Vbi uenit, inquit Paulus, plenitudo temporis, emisit Deus filium suum, natum ex muliere, legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Quoniam autem estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda uestra, clamantem abba pater. Itaq; iam non es seruus, sed filius: quòd si filius, ergo hæres per Christum. Et mox, In libertate igitur qua Christus nos liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini.

Ad Hebr. cap. 2. Christus, inquit, carnis & sanguinis nobiscum particeps factus est, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum: & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. Illa scripturarum testimonia instituto nostro sufficiunt.

Eadem probè expensa, docebunt clarè quale sit libertorum ingenium, nempe *Libertorum ingenium.*

religiosissimum sanctissimisque deditissimũ rebus, hoc est, per omnia addictum spiritui, sine quo nulla est libertas, & per quem reguntur omnes filij Dei. Cauent liberti diligentissimè, ne quenquam sua libertate offendant temerè, necubi abutantur ipsa. Semper enim mentibus & oculis ipsorum obuersantur grauissimæ sanctissimorum Christi Apostolorum sententiæ. Petrus scriptum reliquit, Tanquam liberi, & non ueluti prætextum uel uelamen habentes malitiæ, libertatem, sed tanquam serui Dei. Paulus uerò dixit, Vos in libertatem uocati estis fratres, tantùm ne libertatem in occasionem detis carni, sed per charitatem seruite inuicem. Etenim cùm liber sim ab omnibus, omnibus meipsum seruum feci, quò plures lucrifaciam.

1 Pet. 2.

Gala. 5

Abusus libertatis Christianæ.

1

Abutuntur ergo Christiana libertate illi primùm, qui carnalia sub prætextu spiritus & libertatis quærentes, iactitant se Euangelica prædicatione liberatos esse ab omnibus corporalibus debitis & officijs: ideoque dominis suis, creditoribus, magistratibus & principibus debita negant officia, adeoque & deficientes ab eis rebellant. Seditiosi hi sunt turbatores, non Euangelicæ prædicationis cultores. Paulus clamat, Reddite omnibus quod debetur, cui tributum tributum, cui uectigal uectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi hoc ut inuicem diligatis. Deinde abutuntur illi quoque libertate Christiana, qui cùm nondum acceperunt spiritum libertatis & filiorum Dei, cùm nondum à satana liberati, nec dum iustificati sunt, omnibus tamen libertatem promittunt, quiduis sibi propter libertatis opinionem licere putant, ac bonis legibus & disciplinæ seueriori contradicunt, clamantes, legibus irretiri, prodi & pessundari libertatem. Contra hos & inprimis contra doctores uanæ & perniciosæ libertatis destomachans S. Petrus, Isti sunt fontes, inquit, aqua carentes, nebulæ quæ à procella feruntur, quibus caligo tenebrarum in æternum seruata est. Siquidem ubi uehementer fastuosa uerba sonuerint, inescant homines per concupiscentias carnis uoluptatibus, eos qui uerè aufugerant, ab his qui in errore conuersantur, dum illis libertatem pollicentur, cùm ipsi serui sint corruptionis. Siquidem à quo quis superatus est, huic etiam in seruitutem est addictus. Et quæ sequuntur. Cùm autem ad eum modum libertate homines abutuntur, ea quidem licentia seu libido est, indigna libertatis sancto uocabulo. Postremò abutuntur Christiana libertate, quicunque indifferentibus abutuntur, nec ullam infirmorum rationem habent, sed hos offendunt temerè. Obseruanda est itaque in præsenti negotio hæc nobilis S. Pauli sententia, Omnia mihi licent, sed non omnia conducunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Plura ea de re petas licebit ex 14. capite Pauli ad Romanos.

Rom. 13

2

2. Pet. 2.

Licentia.

3

1. Corin. 10. et. 6.

De scandalo.

Atque hîc per occasionem, imò necessitate adactus, dicam paucula & quantum pijs nosse satis fuerit de Scandalo. Scandalum uox petita à Græcis, significat ruinam & impactionem, item offendiculum, remoram, & impedimentum: cuiusmodi sunt in itinere eminentia saxa, uel pedicæ collocatæ aut absconditæ ex insidijs, ad intercipiendum prodeambulantes. Qui enim in has incidunt aut impingunt, concidunt uel detorquentur ab itineris rectitudine. Transfertur hoc ad res religionis & mores hominum. Scandalum enim dat, quisquis dictis uel factis prauis, ineptis aut intempestiuis, obijcit alteri unde peccandi occasionem accipit. Proinde scandalum est oblata ad peccandum præuaricandumque occasio, sed & ipsa ad ruinam uel in malum impulsio & impactio. Alij, Scandalum, inquiunt, est offensio coniuncta cum contemptu. Solet enim offensio post se trahere contemptum, aut exoriri ex contemptu. Ponitur ergo alicubi pro illata iniuria.

Quibus modis præbeatur scandalum.

Offendimus autem alios, uel dictis nostris, uel factis. Scandalum quod dictis

datur

datur, partim est in doctrina praua, inepta & intempestiua, partim uerò in colloquijs quotidianis. Grauissimum scandalum est prauæ doctrinæ pugnantis cum uera Euangelij doctrina. Proximum est scandalum ineptæ & intempestiuæ doctrinæ: quæ quamuis deriuetur ex fontibus uerbi Dei, non applicatur tamen aut proferatur commodè & prudenter: Vel enim peccatur nimia licentia & lenitate: uel nimia mordacitate & morositate, ut audientes offensi, resiliant in uniuersum ab omni doctrina Euangelica. Interim lucerna Euangelica non est abscondenda, aut dissimulanda ueritas, propter offendicula hominum, aduigilandum tamen ut uerbum Dei prudenter annuncietur, siue ut rectè secetur. Quæcunque pugnant cum legibus Dei, constanter sunt accusanda & refutanda intrepidè ac diligentissimè, utcunque insaniat mundus. Colloquijs uerò quotidianis scandalizant fratres, qui linguæ fræna laxant, nec quid dicant expendunt, sed pro libidine sua quiduis effundunt: cuiusmodi sunt dicta obscœna & spurca, inprimis uerò blasphemæ uoces eiaculatæ contra Deum, contra scripturas sanctas, & contra fidei articulos. Corrumpunt enim mores bonos colloquia praua. Hîc non excludimus literas uel scripta temerè offendentia fratres.

Iam obijciuntur etiam scandala hominibus per promissiones & minas: quoties uidelicet per promissionum illecebras, & minas terrificas horrendasq́ue, homines à recto itinere auertuntur in auia & errores. Sic enim posuit Pharao scandalum regi Zedechiæ, quem pellexit in fœdus, cui plus fidebat, quàm potentiæ & liberationi diuinæ. Tyranni perfrequenter ponunt infirmis Christianis scandala, quando per tormenta ipsos adigunt ad abnegationem nominis Christi.

Cæterum facta quibus offenduntur homines, uel licita sunt ac libera, uel illicita & prohibita. Licita autem abusu fiunt illicita. Nam licitum est pijs uesci quibuslibet. Omnia enim mundis munda. Fit tamen manducatio tua illicita, si edas cum offendiculo fratris. Non enim intelligit hic licere quibuslibet uesci: nec tu ignoras illum iri offensum si edas, nihilominus tamen edis, & illum aspernaris, ponis ergo offendiculum facti, & peccas non leuiter in fratrem tuum. Hîc collocamus omnem intempestiuum usum rerum liberarum aut indifferentium.

Attamen rectè hîc monent doctores ecclesiastici, distinguendum esse diligenter inter Infirmos & Contumaces. Infirmi sunt rerum imperiti, sed tamen timentes Deum & tractabiles, non malitia pertinaciter errantes, sed imbecillitate quadam fidei & religione attacti, erudiri interim sustinentes. De his scriptum reliquit Apostolus, Eum qui infirmatur fide assumite, non ad dijudicationes disceptationum. Porrò Contumaces sunt, qui nec ueritatem nec libertatem sanctorum ignorant, interim animi sui pertinacia obstinati, sese ueritati & libertati opponunt, cupientes sibi concedi multa, non ut aliquando locum cedant ueritati, sed ut hac sibi data occasione, aliquando & ueritatem & libertatem subuertant, suam autem superstitionem stabiliant. De huiusmodi hominibus pronunciauit Dominus, Omittite eos, duces sunt cæci cæcorum. Et Paulus ad Galatas 2. cap. Titus cùm Græcus esset, non tamen circuncisus fuit, propter obiter ingressos falsos fratres, qui subintroierant ad explorandum libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, quò nos in seruitutem adigerent. Quibus ne ad tempus quidem cessimus, per subiectionem, ut ueritas Euangelij permaneret apud uos.

Infirmi & Contumaces.

Rom 14.

Præterea huc pertinet quod alij distinguunt prudenter inter scandalum datum & acceptum. Scandalum datum est, quando tua culpa, tua inquam importunitate aut leuitate facis uel dicis, unde frater tuus meritò offenditur. Aliud uerò non est datum, sed acceptum uel ascitum, non tua quidem, sed alterius malitia &

Scandalum datum & acceptum.

culpa: uidelicet cùm tu nec dicto nec facto peccas, neque quicquam insolenter aut intempestiuè dicis uel facis, sed id dicis uel agis quod dicere uel agere licitum & liberum est, alius tamen hac tua libertate offenditur. Perinde ac si quis in plano itinere, in quo nulla posita est offensio, impingat, existimans sibi obiectum esse scopulum.

Iam illicita & prohibita hominis facta, quibus offenduntur homines, tendunt contra Deum & leges eius, & fiunt contra decorum, contra æquum, contra phas & ius, alios quoque incitantia ad paria studia & scelera. Hic enim commemoro idololatriam, cædes, stupra, auaritiã, luxum & superbiam. Ita collocat uitulos aureos in scandalum toti genti Izraeliticæ impius Ieroboam. Sic multi suis perpotationibus & luxu uestium non tantùm offendunt alios, sed & deteriores reddunt, cùm eos exemplo suo in similia secum abripiunt scelera.

Grande est peccatum scandalum.

Math. 18.

Porrò peccatum scãdali atrocissimum esse, uel unica Domini in Euangelio sententia confirmat. In Matthæo enim dicit, Ve mundo ab offendiculis. Necesse est ut ueniant offendicula: ueruntamen uæ homini, per quem ueniunt. Qui offenderit unum de pusillis illis, qui credunt in me, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collum eius, ac demergatur in profundum maris. Paulus quoque Apostolus ad scandalizantes fratres dicit, Per tuam offensionem perit frater tuus, pro quo Christus fuit mortuus. Et iterum, Sic autem peccantes in fratres, & uulnerantes eorum conscientias infirmas, in ipsum Christum peccatis. At hoc quid poterat uel cogitari atrocius? Caueamus ergo omnes, ne scandalum ullum, abutentes Christiana libertate, obijciamus infirmis: sed ea quæ charitatis sunt faciamus semper.

Non ex Euangelio, sed hostibus Euangelij scandala.

Luc. 12.

3 Reg. 18.

Ante omnia tamen obfirmandus est hic animus contra hostes Euangelij, congerentes in Euangelicæ doctrinæ & concionatores & studiosos, ingentes aceruos scandalorum seu offensionum. Vobis debemus, inquiunt, omnes turbas, omnia dissidia, bella & mala, quibus hodie conturbatur orbis. Obfirmandus est, inquam, animus celeberrimo dicto Christi in Euangelio dicentis. Non ueni ad mittendum pacem, sed gladium. Nam ueni, ut dissidere faciam hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & sponsam aduersus socrum suam: & inimici hominis erunt domestici eius. Reuocanda hic sunt ponendaq; ob oculos prophetarum & Apostolorum illustria exempla. Audit à rege Achab propheta Dei Helias, se esse conturbatorem ac pestem regni. Sed regerit in ipsum regem propheta malum. Obijciunt Iudæi rebelles Ieremiæ, ab eo die quo relicto cultu deorum, uerbum Dei prædicari cœperit, nullum ulli felicitati fuisse locum, sed agminatim omnia in ipsos irruisse mala. Sed audiunt id esse ex peccatis, & præcipue ex ingratitudine ac rebellione ipsorum. Contra Paulum & Silam clamant increduli Thessalonicæ Iudæi, Hi qui terrarum orbem conturbarunt homines, huc quoque uenerunt. Cæterum Paulus contra calumniatores & persecutores suos Iudæos, loquens, Hi, inquit, ut Dominum Iesum occiderunt, & proprios prophetas, ita & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur, qui obsistunt nobis ne prædicemus gentibus Euangelium, ut saluæ fiant, ut expleant peccata sua semper, & tandem perueniat ira Dei super eos in finem. Hæc & similia cogitent & uersent secum pij, perseuerentq; patientes & constantes in propaganda doctrina Euangelica, utut fremat hic mundus & offendicula obijciat. Hæc autem hactenus de Scandalo.

De bonis operibus.

Restat modò, ut postremo huius Sermonis loco, sicuti initio promisimus, dicamus & de Bonis operibus. Didicimus enim libertatem Christianam non esse licentiam, sed adoptionem in numerum filiorum Dei, qui omnem uitam suam studio

uirtutum

uirtutum impendunt. Didicimus legem Dei regulam & doctrinam esse bonorum operum. Ordine itaq; disserendum est de bonis operibus.

De significatione certa operum, cōstituamus ante omnia, quòd uarius sit usus uocabuli & pateat latissimè. Opera enim sunt labores & exercitia hominum, quibus uictum sibi parant. Præcipit enim Apostolus proprijs operari manibus. Vetat lex ne ullum opus faciamus in sabbato. Et Izraelitæ opprimebantur in Ægypto operibus duris. Sunt & operarij quibus in Euangelio dominus iubet numerare mercedem. Opus est illud quoq;, quod fit uel exprimitur ab artifice uel operante. De figulo enim loquens Ieremias, Faciebat opus, inquit, super rota. Significat opus officium. Nam Paulus, Opus perfice, inquit, euangelistæ. Et spiritus sanctus loquens in ecclesia Antiochena, Segregate mihi, inquit, Paulum & Barnabā in opus ad quod delegi eos. Vocantur autem opera domini magnifica Dei facta, quibus suam potentiam & bonitatem declarat hominibus: adeoq; cœlum, terra, & ipse homo dicitur esse opus manuum Dei. Opera sunt etiam beneficia Dei. In euangelio enim dicit, Opera bona multa ostendi uobis. Iam sunt opera mala, opera inquam, iniquitatis. Vnde appellantur operarij iniquitatis. Illis respondent opera carnis & tenebrarum. Rursus sunt opera bona, uirtutes, inquam, uariæ, fidei fructus, cuiusmodi est iustitia, charitas, temperātia, patientia, spes, &c. Dixit enim in Euangelio dominus, Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra opera bona, & glorificent patrem in cœlis. Apostolus ait cōditos esse nos ad opera bona, ut in eis ambulemus. Eadem appellantur fructus pœnitentiæ, & operæ pœnitentiæ digna. Appellantur opera lucis & fructus spiritus. Eadem sunt humanitatis beneficentiæ et charitatis opera, qualia commendantur in Tabitha illa, quæ legitur fuisse plena bonorum operum. Paulus, Operemur bonum, ait, dum habemus tempus, cū erga omnes, tum maximè erga fidei domesticos. Huiusmodi opus humanitatis & charitatis impendit Maria seruatori nostro, qui dixit, Bonum opus operata est in me. His ad hunc modum explicatis, describemus iam bona opera suis coloribus & attributis.

Operum in scripturis significatio. 1 ephes. 4. 2 3 Acto. 13. 4 5 Joan. 10. 6 Math. 5. ephe. 2. Gala. 5. Mar. 14.

Bona opera actiones sunt, quæ fiunt à renatis ex spiritu Dei bono, per fidem, & secundum uerbum Dei, ad gloriam Dei, uitæq; ornamentum & honestatē, deniq; ad utilitatem proximi. Hāc breuem descriptionem, per partes prosequentes, quantum gratiæ concesserit dominus, explicabimus.

Bona opera quid.

Principiò fontem bonorum operum nō alium indicamus, quàm ipsum Deum omnium bonorum authorem. Propheta enim, Omnis homo mendax, ait, solus Deus uerax. Et dominus in Euangelio, Nemo, inquit, est bonus, nisi solus Deus. Oportet itaq; bona opera non oriri ab homine, qui mendax & corruptus est, sed ab ipso Deo omnium bonorū fonte. Regenerat autem hic omnes per spiritum suum, & per fidem in dominum Iesum, ut renati iam non sua propria, id est, carnis, sed spiritus, gratiæ, adeoq; Dei ipsius opera faciant. Opera enim renatorum enascuntur ex inhabitante Dei spiritu bono, qui ut succus uitalis plantas uegetat ad proferendos fructus, ita ille uarias ex homine progerminat uirtutes, attestante Domino & dicente in Euangelio, Ego sum uitis: uos palmites estis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite: sic nec uos nisi in me manseritis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Ad eandem refertur caussam, cum dicimus bonum opus fieri per fidem. Nam fides donum Dei est, qua Christum apprehendimus, per quam & iustificamur, & uiuificamur, dicente scriptura, Iustus ex fide sua uiuet. Et alibi Paulus, Per fidem inhabitat Christus in cordibus uestris. Et iterū idem ille, Viuo

Caussa bonorū operum. Joan. 15. ephes. 3. Gala. 2.

iam non ego, sed uiuit in me Christus. Et uitam quam nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Cæterum uiuus uiua facit opera, per eum haud dubiè, per quē uiuificatus est: & iustificatus operatur opera iustitiæ, nimirum per eum, per quem iustificatus est: id est, iustus per Christum facit iustitiam: ac iustitia totum comprehendit chorum uirtutum. Ita solus Deus manet fons & origo bonorum operũ. Sed uideamus testimonia, ex quibus liquidè discamus, ipsi Deo in renatis per spiritũ & fidem operanti, renatorum

Deu. 30. opera tribui. Moses testatur & ait, Benedicet tibi dominus, & circuncidet dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, ac uiuas. En quòd pij legitimè Deum diligūt, ex circuncisione profluit. Circuncidit autem dominus. Isaias propheta clarius dicit, Domine tu ordinabis pacem: quoniam tu etiam operatus es in nobis omnia opera nostra. In Euangelio secundum Ioannē dicit ipse saluator, Qui operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut conspicua fiant opera eius, quòd per Deum facta sint. Et iterum, Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Quia sine me

Philip. 1. et 2. nihil potestis facere. Apostolus quoq; ad Philippen. Vobis, inquit, donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, uerùm etiam ut pro illo patiamini. Et adhuc illustrius, Deus est qui agit in uobis, & ut uelitis, & ut efficiatis pro bono

Jacob 1. animi proposito. Sic & S. Iacobus Apostolus, Omn〈i〉s, ait, donatio bona & omne

1 Pet. 5. donum perfectũ, è supernis est, descendens à patre luminũ. Sed & S. Petrus Apostolus omnes boni operis partes Deo transcribens, ait, Deus omnis gratiæ, qui uocauit uos ad æternam suam gloriam per Iesum Christum, instauret uos, fulciat, ro-

2. Corinth. 3. boret atq; stabiliat. Nam nos non sumus idonei, ut iterum dicit S. Paulus, ex nobisipsis, cogitare quicquam, tanquam ex nobisipsis, sed omnis idoneitas nostra ex Deo est. Proinde solus Deus manet unicus bonorum operũ fons, profundens per sanctos opera uerè bona.

Dei opera imputantur homini.

Hoc tamen hic oportet additum, ipsa opera bona, tametsi reuera Dei & propriè loquendo spiritus & fidei fructus sint, dici nihilominus & esse etiam nostra, id est, hominum fidelium opera, partim quòd per nos operatur Deus, nostroq; ministerio in his conficiendis utitur, partim quòd per fidem filij Dei facti, atq; idcirco fratres & cohæredes Christi, effecti sumus. Ex hoc enim hæreditatis iure, omnia Dei opera donaq; nostra, nō ueluti aliena, sed maximè propria esse incipiunt. Sed & scriptura illa nobis tribuit, tanquam filijs & ingenuis. Nam dominus in euangelio, Seruus non manet, inquit, in domo in æternum, filius manet in æternū.

Joan 8. Quemadmodū ergo omnia quæ sunt in domo paterna, iure hæreditatis proprietatisq; filio obueniunt, tametsi ipsa non sua pararit industria, sed acceperit liberalitate parentum: ita & opera Dei, quæ ille in nobis & per nos operatur, dona quæ ab ipso habemus, nostra dicuntur & sunt, quia sumus filijfamiliâs, seu adoptati, & idcirco iusti hæredes. Interim ingratissimi animi foret indicium, si filius adoptatus, paternæ munificentiæ & liberalitatis immemor, omnes illas facultates hæreditate acceptas, suo studio suaq; uigilia partas gloriaretur. Vnde religiosissimè

1 Corin. 4. dixit Apostolus, Quid habes quod nō accepisti? Quòd si accepisti, quid gloriaris quasi nō acceperis? Religiosè sentiebat S. Dei martyr Cyprianus, qui dicere solebat, In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Huc pertinere uidetur quod apud Isaiam legitur, Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat cum ea? nunquid glori〈a〉bitur serra contra eum qui ipsam agitat? Certè nos sumus organa

1. Corin. 3. Dei per quæ op〈e〉ratur. Nā Apostolus, Dei inquit, sumus cooperarij, Dei agricolatio, Dei ædificatio estis, iuxta gratiam Dei, quæ data est mihi. Ergo secundum scri-

ptura

pturæ Apostolicæ sensum pronunciauit S. Augustinus, cum lib. de Gratia & libero arb. in 6. cap. ita scribit, Cum data fuerit gratia, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per gratiam tamen. Nam si illa sese subtraxerit, cadit homo, nō erectus, sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter quando cœperit homo habere merita bona, non debet sibi tribuere illa, sed Deo, cui dicitur in Psalmo, Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Dicendo, Ne derelinquas me, ostendit, quia si derelictus fuerit, nihil boni ualet ipse per se. Proinde hisce uerbis euidenter satis ostendit S. Augustinus, opera bona ita esse nostra, ut interim Dei esse non desinant, imò debeantur nihilominus gratiæ operantis Dei.

Ex his uerò quæ iam de uera bonorum operum caussa protulimus ex scripturis, facile erit intelligere quomodo tribuat scriptura operibus nostris iustitiam. Alibi enim euidenter satis demonstrauimus (& adijciemus quædam ubi uentum fuerit ad tractationem Euangelij) fidem, non opera nostra, iustificare. Id quod caput & fundamentum est euangelicæ & apostolicæ doctrinæ. Opera nostra in uniuersum omnia, uel naturæ aut carnis, uel legis aut legalia, uel fidei aut gratiæ opera sunt. Naturæ autem uel carnis opera damnant, non iustificant: Quia quod natum est ex carne, caro est. At affectus carnis mors est, & inimicitia contra Deum. De operibus legis quid pronunciarit Apostolus, copiosè exposui proximo sermone. Ex operibus legis non iustificabitur, ait, ulla caro. Cæterum si opera gratiæ uel fidei excutiamus, inueniemus, ea fieri uel facta esse à fidelibus & iustis. Vnde manifestum est quòd iustificatio præcessit opera iustitiæ. Iustus enim operatur iustitiam, ut iustitia iusti sit fructus. Gratis quidem homo iustificatur, non per opera, quæ iustificationem sequuntur. Quid quod scriptura aperte testatur, ne ipsum quidem Abrahamum, omnium credentium patrem, ex operibus gratiæ uel fidei fuisse iustificatum? Vixit is ante legem annis 430. credidit Deo, & ex fide uera excellentissima opera fecit: uerùm ex his suis fidei operibus minimè est iustificatus. Paulus enim manifestè sic argumentatur, Si Abrahā ex operibus iustificatus est, habet quod glorietur: at non apud Deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Ei uerò qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Porrò ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiā. Quòd autem concludimus & nos ad Abrahæ exemplum fore iustificandos, ex fide, non operibus, non ex nobisipsis, sed apostolica doctrina cōcludimus. Dicit enim Paulus, Non scriptum est autem propter Abraham tantùm imputatam illi fidem ad iustitiam, sed etiam propter nos, quibus imputabitur, si credamus in Christū. De hac re disputatum est etiam 6. Ser. Decad. 1. Certè imo pectore recondendum censeo fidelibus hoc dogma apostolicum & euangelicum, Gratia Dei, nō meritis nostris, per fidem in Christum, non per opera nos iustificari.

Nulla opera iustificant.

operum nostrorum divisio

Gal. 3.

Rom. 4.

Cum autē hoc dogma urgemus & inculcamus, dicimur à multis patroni esse omnis nequitiæ, & hostes omnium uirtutum aut bonorum operum. Nos uerò doctrina & assertione illa nostra de sola fide iustificante, non uituperamus bona opera, non putamus illa esse superuacua, non dicimus illa non esse bona: oppugnamus potius abusum bonorum operum, & doctrinam de operibus bonis corruptā uel ui[illegible]atam fermento pharisaico. Docemus enim facere bona opera, sed nolumus illa uenum exponi, & emi nescio quibus contractibus, nolumus illis fidere quenquam, nolumus de donis dei gloriari quenquam, nolumus illis simpliciter tribui uel uim iustificandi, uel promerendi uitam æternam. Ita enim uilesceret & oppugnaretur Christus, qui solus morte sua promeruit nobis regnum cœlorum. Neq;

Bona opera nō reijciuntur: sed damnatur eorum abusus.

hoc modo, sicuti multis uidetur, separamus opera à fide. Docemus illa ab hac minimè auelli, sed cohærere arctißimè: ita tamen ut propriè tribuatur fidei iustificatio, non operibus. Hæc enim in nostram dignitatē incumbunt, fides innititur promissioni Dei, quæ nobis iustitiā & uitam in solo Dei filio proponit. Ac satis quidem per seipsum & suapte uirtute efficax est Christus ad iustificandum credentes, nec ullo nostro indiget operum supplemento.

Quomodo scriptura tribuat nostris operibus bonis iustitiam.

Simul autem agnoscimus scripturam paßim bonis operibus in speciem tribuere uitam & iustitiam. Atqui scriptura secum non pugnat: inquirendum est ergo qua ratione aut quomodo & uita & iustitia nostris tribuatur operibus. S. Augustinus ita soluit, ut bona opera ad gratiam Dei referat. Nam in libro De Gratia & libero arbitrio cap. 8. hæc scribit, Si uita æterna bonis operibus redditur, sicut apertißimè scriptura dicit, Quoniam Deus reddet unicuique secundum opera sua: quomodo gratia est uita æterna, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur? ipso apostolo dicente Ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum meritum. Et iterum, Reliquiæ, inquit, per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Et mox addit, Si autem gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia iam non est gratia. Quomodo ergo gratia est uita æterna, quæ ex operibus sumitur? An forte uitam æternam non dixit Apostolus gratiam? Imò uerò sic dixit, ut negari omnino non poßit: nec intellectorem acutum, sed tantummodo intentum desiderat auditorē. Cum enim dixisset, Stipendium peccati mors, continuò subdit, Gratia autē Dei uita æterna, in Christo Iesu domino nostro. Ista ergo quæstio nullo modo uidetur mihi posse dissolui, nisi intelligamus & ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur uita, ad Dei gratiam pertinere: propter illud quod ait dominus Iesus, Sine me nihil potestis facere. Et ipse Apostolus, cum dixisset, Gratia salui facti estis, per fidem addit, Et hoc non ex uobis: Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur. Hæc Augustinus hactenus. Et quamuis satis sit pia & clara hæc beati Augustini responsio, ueritatem simpliciter indaganti, non dubito tamen pluribus ea non fieri satis. Illi ipsi conabuntur, sat scio, ex Augustini uerbis colligere, etiā opera, non fidem duntaxat iustificare. Sic enim colligunt,

Paralogismi eorum qui operibus tribuunt iustificationem.

Per gratiam iustificamur, & æternam uitam consequimur: at opera bona pertinent ad Dei gratiam: illa ergo iustificant. Libet autem cum his paululum conserere manus, ut hisce pauculis colliquescat sophismata esse quæ isti uenditant pro solidis argumentis. Et principiò norunt omnes non stupidi Paulinæ doctrinæ studiosi, non posse hasce propositiones simul consistere, Gratia iustificamur: &, Operibus iustificamur. Sole enim clarior est illa Pauli sententia, Si ex gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia non est gratia. Vtranque propositionem fatemur ingenuè, uidelicet & gratiam iustificare, & Opera pertinere ad gratiam Dei. Cæterum consequentiam esse falsam deprehendimus. Similiter enim uerè diceretur, Homo quidem uidet: & manus pertinet ad hominem. Quis uerò inde colligat: ergo manus uidet? Omnes enim intelligunt hominem constare membris, & singula habere suas uires & sua officia. Rursus Gratiam Dei, indiuisam alioqui, distingui secundum operationes, quis est qui ignoret? Est enim gratia in Deo ueluti generalis, qua cunctos condidit mortales, qua pluit super iustos & iniustos. Sed hæc non iustificat. Alioqui iustificarentur omnes impij. Deinde est gratia singularis illa, qua gratis nos propter filium unigenitum adoptat pro filijs: non omnes quidem, sed credentes duntaxat, quibus uidelicet peccata non reputat, iustitiam uerò filij sui unigeniti imputat. Et hæc uerè & sola iustificat. Rursus est gratia, quæ diffusa in animos nostros, opera bona per iustificatos profert. Hæc non iustificat, sed ex

iustifica-

iustificatis iustitiæ fructus progignit. Concedimus ergo ad gratiam pertinere bona opera, sed sua ratione, suo modo & ordine.

Obijciunt iterum, Verùm gratia uel fides & opera, item iustificatio & sanctificatio inseparabiliter coniuncta sunt: ergo quod uni congruit, competit alteri. Ac nullo quidem modo inficias eo fidem & opera inter se cohærere: nego autem modis omnibus utraq; illa unum esse, ut quod uni attributũ est, alteri quoq; congruere posit. Fides enim quanquam sit imbecillis & imperfecta in nobis, nititur tamẽ perfectione Christi, huiusq; solius, & eatenus iustificat. Opera uerò nostra semper aliquid uitij, ut ne quid dicã acerbius aliud, habent aspersum, propter morbũ nobis omnibus agnatum: sed inde non sequitur gratiam Dei ullo nostro pollui uitio. At hoc consequi oporteret, si propter coniunctionem arctisimã unius esset quod est alterius. Solis lumen quanquam nunquam separetur à calore, attamen calor non est. Nec sequitur, Sol orbem illuminat, ergo calor omnia illuminat. Quia in sole sunt calor & lumen indissociata. Quinimò Sol secundum lumen orbem illuminat, interim minimè illuminat secũdum calorem. Et tamen Sol calefaciens illuminat etiam. Sic iustificamur gratuita Dei misericordia propter Christum dominum gratis, non secundum gratiæ opera: licet hæc progignantur & prouehantur per illam. Ita uerò oportet omnem gloriam in solidũ gratiæ Dei tribuere, nec phas est ut inde nobis partiamur quicquam.

Rursus uerò sophisticantur illi, Etiamsi doceamus non solùm propter fidem in Christum, sed etiam propter opera fidei, fidelibus reddi à Deo uitam æternam, Deo nihilominus omnis cedet gloria: præsertim cum fateamur opera illa per gratiam Dei fieri in nobis. Respondemus, Deo gloriam ita tribuendã prout ipse uult sibi tribui. Si Dei uoluntas aut cõsilium esset, nos in suam amicitiam recipere propter opera quæ in nobis facit Dei spiritus & gratia, temerè unigenitũ filium suum misisset in mundum, temerè destinasset illum morti acerbisimæ. Deus autem nihil in uniuersa creatura sua, nec in cœlo nec in terra, multò minus hac in caussa omnium maxima, frustra fecit. Quare certisimum est, consilium Dei nunquam fuisse, nos propter uirtutes & opera fidei redimere à diabolo & acceptare pro filijs, sed propter unicam Christi filij sui unigeniti domini nostri hostiam uel satisfactionem. Firmum enim & inuictum perstat hic Pauli iudiciũ dicentis, Si ex operibus legis est iustitia, ergo Christus frustra fuit mortuus. Inuicta triumphat hæc S. Petri diuina sententia, Non est in alio quoquam salus.

Iam uerò & scripturæ aliquot locos inter se committentes colligunt, Quanquam Paulus alicubi dicat, Gratia salui facti estis, per fidem, idem tamen alibi scribit, Spe seruati sumus. Quis autem nesciat spem patientia quasi uegetari? Christo etiam in Euangelio astipulante & dicente, In patientia uestra posidebitis animas uestras. Proinde non sola fides seruat, sed & spes ac patientia. Dicimus diuũ Apostolum satis se explicare, si quis omnia eius legat ex integro, expendatq; quo quæq; dicat consilio. Gratia, inquit, estis seruati, per fidem: idq; non ex uobis, Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur, &c. An non pauculis hisce uerbis quid de gratia uel fide & operibus sentiat exposuit clarisimè? Quis planiora postulauerit? Nemo tam bardus, qui non intelligat gratiæ in solidum & merè tribui totum salutis beneficium. Neq; enim partitur salutem uel iustitiam, operibus partim, partim fidei uel gratiæ, neq; potiores fidei, inferiores operibus tribuit. Excludit omnem gloriationem. Gratia per fidem, inquit, seruati estis: & addit mox, Idq; non ex uobis. Caussam subiungit, Dei donum est. Et iterum, Non ex operibus. Caussam subnectit, Ne quis glorietur. Qui hæc non intelligit, nihil profectò intel-

Handwritten marginal notes: obiectio; Gal. 2; Acto. 4; Ephes. 2; Rom. 8. 24

ligit. Qui hæc torquet & calumniatur, expuit in solem, & dicit lucem esse tenebras. Quod uerò idem Apostolus alibi dicit, Spe seruati sumus, ex totius loci contextu colligitur ipsum tale quid enunciasse, Dixi eos qui credunt Christo, esse filios atque hæredes Dei, eoque uerè saluos atque beatos: uerùm hoc uelim quemlibet intelligere spe & expectatione, nondum reipsa aut præsenti perfruitione. Quis uerò hinc colligat, Ergo spes iustificat? Quinimò nos sic colligimus, Patientia prorsus nulla est, nisi patiens uera fide prius iustificatus sit: idcirco patientiæ laus & uirtus tota pendet ex fide: non autem fidei ex patientia, etsi declaretur & exerceat se per patientiam.

Nam omnibus modis homine Christiano indigna est sententia, quæ asserit operibus nostris perfici fidem, id est, per opera sarciri quod fidei diminutum uidetur. Cum enim fidem dicimus, non qualitatem in animis nostris hærentẽ dicimus, sed ipsum cum iustitia & donis suis Christum dominum: cui ut unico fundamento innititur fides nostra. At uelle imperfectionem Christi supplere, quid aliud est, quàm filium Dei satanica defœdare blasphemia? Operibus quidem exerit & declarat se fides sanctorum: sed opera nequaquã perficiunt quod perfectioni Christi uidetur deesse. Nihil enim desideratur in liberatione, redemptione & iustificatione Christi. Dixit sanè Apostolus Iacobus, Vides quòd fides ex factis perfecta fuerit? uerùm non uoluit aliud dicere, quàm, Vides fidem insequentibus operibus declarasse, quòd uera & iusta sit, non hypocritica? Nam ante hæc uerba dixit, Vides quòd fides eius efficax fuerit per opera? Rursus dixit Apostolus Paulus, Suppleo uel adimpleo ea quæ desunt afflictionibus Christi, in carne mea, pro corpore eius. Cæterum τὰ ὑστερήματα rectius uerteris quæ supersunt, quàm quæ desunt afflictionibus Christi. Nam Græci τὰ ὑστερήματα appellant nõ modò ea quæ desunt, sed ipsas quoque reliquias (quo uerbo usus est S. Ambrosius) quæ inquã supersunt,
1. Pet 2. & posterius relicta sunt. At beatus Petrus, Christus, inquit, passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequeremur eius uestigia. Hasce ergo reliquias explesse patiendo asseuerat Apostolus.

Posthæc proferunt Apostoli Pauli uerba, Si habeam omnem fidem, adeò ut
1. Corin 13. montes loco dimoueam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Hinc enim colligunt, Ergo non tantùm fides, sed & charitas: imò magis charitas quàm fides iustificat. Nos uerò dicimus Paulum in præsenti nec negare fidem solam iustificare, nec charitati sanctorum iustificationẽ tribuere. Nam cum fide nos iustificari asserimus, uel fidem iustitiæ caussam constituimus (id quod sæpius repetendũ adeoque & inculcandum uidetur) non intelligimus fidem tanquam uirtutem in nobis esse, & qualitate sua nobis adhærente mereri iustitiam apud deum: sed quoties fidem nominamus, intelligimus gratiam Dei in Christo exhibitam, quæ per fidem gratuitò nobis applicatur, uelutique gratuitum donum Dei apprehenditur recipiturque. Et eo modo usurpat & Paulus fidei nomen, cum fidem iustificare contendit. At in loco ad Corinthios 13. cap. fidei uocabulum non ita usurpat, sed pro uirtute miracula designandi. Id quod ex his patet, quæ protinus sequuntur, Ita ut montes transferam. Ea non apprehendit totum Christum, sed tantùm potentiam in edendis miraculis. Ideoque interdum esse potest in homine iniusto uel hypocrita qualiter erat in Iuda Iscariota, cui nihil profuit fides signorum, cum careret fide iustificante, quæ protinus progignit ex se charitatem.

Rursus cum obijciunt illud ex euangelio Ioannis, Qui habet præcepta mea &
Joan. 14. seruat ea, ille est qui diligit me: & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus; ergo propter obseruationem præceptorũ, id est,

propter

propter opera coniungitur nobis Deus. Nos uicissim illud eiusdem Ioannis Apostoli & Euangelistæ obtendimus, Ex hoc cognoscimus quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Est autem is Dei spiritus, munus gratuitum, ergo obtigit nobis coniunctio illa cum Deo gratis. Sequitur in Ioanne, Et nos uidimus & testamur, quòd pater misit filium seruatorem mundi. Audis opinor per quid seruetur mundus, & quis sit saluator mundi, Christus. Quis uerò nescit hunc à patre nobis missum esse mera Dei gratia? Sequitur quomodo illa gratia recipiatur, Quisquis confessus fuerit quòd Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Cæterũ Ioan. 6. pro confiteri reponitur credere. Nec mirum, cùm ex uera fide exoriatur confessio uera. Fide ergo recipimus salutem, fide coniungimur cum Deo. Sed præteritis rixatoribus, quibus nunquam deerunt sophismata, reuertimur ad institutum nostrum, ut ostendamus qua ratione operibus tribuatur uita & iustificatio. 1. Ioan. 4.

Exercitati in literis diuinis ad reconciliandas in speciem dissidentes scripturæ sententias, docent fidem & opera non disiungi reipsa. Nam idem spiritus sanctus, qui fidem largitur, simul regenerat intellectum & uoluntatem, ut fidelis ardenter cupiat & conetur Deo per omnia inseruire. Dicimus ergo propter inseparabilem illam coniunctionem fidei atque uirtutum, quæ comitantur & sequuntur fidem, illis aliquando minus propriè tribui, quod magis est proprium fidei, propriissimum autem Christi per fidem apprehensi, fideique fundamenti. Hoc ipsum conabimur adhuc clarius exprimere. In fide uera spectantur duo, Reconciliatio & Obedientia. Reconciliatio quidem, quia fide intelligimus & firmiter tenemus Deum nobis reconciliatum esse, propter Christum, per quem adoptati sumus in numerum filiorum Dei. Obedientia autem, quia reconciliati sese totos ei dedicant, cui reconciliati sunt, cupientes facere uoluntatem eius. Iam ergo dicimus duplicem esse iustitiam, nempe iustificantem & obedientem. Iustificantis meminit Apostolus, cùm dixit, Iustificati ex fide pacem habemus erga Deum, per Dominum Iesum Christum, per quem reconciliati sumus. Obedientis idem meminit cùm dixit, An nescitis quòd cui accommodatis uos ipsos seruos ad obediendum, eius serui estis, cui obeditis: siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam? id est, quæ obedientia efficit ut faciatis ea quæ iusta sunt, sitisque serui iustitiæ, quod cedet uobis ad uitam: & non serui peccati, quod cedit ad mortem. Iam ergo iustitiæ reconciliatrici per Christum propriè tribuitur iustificatio, impropriè iustitiæ obedienti. Nam hæc ex illa existit, & sine illa non appellaretur iustitia. Quibus & hoc accedit, quòd iustificati in hanc obedientiam prorsus nihil confidunt, utpote semper propter carnem nostram in hoc mundo contaminatam.

Conciliantur in speciē pugnantes loci de fide & operibus.

In fide uera duo spectantur

Rom. 5.

Rom. 6.

Huic non dissimilis est & hæc, quam addimus, explicatio, Fidei propriissimum opus est purificatio & sanctificatio. Nam S. Petrus disertè dicit, fide purificari corda. Cæterum in sanctificatione duo præcipua ostendunt sacræ literæ. Prius Iesu Christi sanguine purificari gratis omnes credentes. Iterum enim S. Petrus, Scitis uos redemptos esse, inquit, non caducis rebus uelut auro & argento, sed pretioso sanguine uelut agni immaculati. S. Paulus, Per uoluntatem, ait, Dei sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui sanctificantur. S. Ioannes quoque, Sanguis, inquit, Iesu Christi filii Dei emundat nos ab omni peccato. Proinde propriissimè loquendo sanctificat nos per fidem sanguis Christi, qui dixit, Ego sanctifico me pro ipsis, ut sint & ipsi sancti per ueritatem. Posterius est, sanctificatos Christi sanguine per fidem, indies se sanctificare & studere sanctimoniæ. Vt autem hoc 1. Petri. 1. Hebræ. 10. Ioan. 17.

1 Pet. 1. faciant ſancti, ſedulò adhortantur Apoſtoli. Petrus enim, Quoniam is, inquit, qui uocauit uos ſanctus eſt, ita ipſi quoque ſancti in omni conuerſatione reddamini, propterea quod ſcriptum eſt, Sancti eſtote: nam & ego ſanctus ſum. S. Paulus, Hæc, inquit, eſt uoluntas Dei, ſanctificatio ueſtra, &c. 1. Theſſal. 4. S. Ioannes,
1 Joan. 3. Nunc filij Dei ſumus, nondum tamen quid futuri ſimus apparuit. Certò autem nouimus quòd cùm ille apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam uidebimus eum ſicuti eſt. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, purificat ſe, ſicuti & ille purus eſt. Hæc autem purificatio, quæ uidelicet noſtra cura fit & induſtria, dicitur ſanctificatio, non quia facta ſit à nobis, ſed quia à ſanctificatis Chriſti ſanguine ſit facta. Nã enim ea ſanctificatio, quæ ſola eſt uera, præcedat, noſtra certè nulla eſt: ſin uerò præcedat illa, hæc noſtra imputatur pro ſanctificatione, licet interim ſordes peccatorum manentes in nobis hanc coinquinent, nec quicquam fiduciæ in ipſam collocemus. Quoties ergo operibus noſtris bonis iuſtitiã in ſacris literis aſcribi legeris, eas ob cauſſas, quas hactenus expoſui, factum putabis. Nequit enim ſpiritus Apoſtolicus ſibijpſi aduerſari.

Apoſtoli cõtra iuſtitiam operum. His permultum lucis acceſſerit, ſi cogitauerimus & hoc, Apoſtolis Chriſti certamen fuiſſe cum duobus hominum generibus, quorum alij contendebant ſe ſuis uiribus legi poſſe ſatisfacere, ſuiſque meritis uel bonis operibus promereri uitam æternam: imò meritum Chriſti per ſe non eſſe ſufficiens parandæ ſaluti, niſi & hominum accedat iuſtitia. Contra hos conſtanter & acriter pugnauit Paulus in omnibus epiſtolis. Nam iſti & Chriſtum & gratiam Dei euacuabant. Alij uerò doctrina gratiæ & fidei abutentes, uolutabant ſe in ſceleribus, putantes ſatis eſſe ad ſalutem, ſi dicerent ſe credere. Fidem autem ſuam nullis declarabant, etiam cùm daretur occaſio, bonis operibus. Contra hos conſtanter & acriter certauit S. Petrus 2. Epiſtola cap. 1. & S. Iacobus cap. 2. Contendit enim hic Abrahamum iuſtificatum eſſe non tantùm fide, ſed per opera: id eſt, non inani opinione eſſe iuſtificatum, ſed per fidem bonorum operum feracem. Aliter enim uocabula Fidei & Iuſtificationis uſurpat Iacobus, aliter Paulus. Huic fides eſt certa fiducia meriti Chriſti: Iuſtificatio, abſolutio à peccatis, & adoptio in numerum filiorum Dei, adeoq; & imputatio iuſtitiæ Chriſti. Illi autem fides ſignificat inanem opinionem; iuſtificatio non imputationem iuſtitiæ, ſed declarationem iuſtitiæ ac adoptionis. Nam in dubitatum eſt, fideliſsimos Chriſti Apoſtolos S. Petrum & S. Iacobum noluiſſe ſcriptis illis ſuis, gratiam & meritum Chriſti euacuare, & merita hominum attollere: ſed illorum potius impuritati obſtare, qui fidem Chriſti magno cum offendiculo bonorum omnium iactabant, uiuentes interim in ſceleribus, ſine pœnitentia, impuriſſimè. Requirentes ergo opera bona à fidelibus Apoſtoli Chriſti, ueram fidem inprimis requirunt, & omnia ad gratiam Dei referunt.

Apoſtoli cõtra abutentes gratia & fide.

Fides abſq; operibus iuſtificat. Retineamus ergo firmiſſimè, Apoſtolos impropriè operibus bonis: fidei autem ueræ propriè: ſed proprijſſimè ipſi Chriſto quo fides fundatur, tribuere iuſtitiam, uitam, & ſalutem hominis. Quanquam enim communi lege fides non ſit abſq; operibus bonis, iuſtificat tamen abſque operibus bonis, & ſola quidem. Certiſſimum enim eſt ita nobis uitam & ſalutem communicari, quemadmodum concedebantur filijs Izrael in deſerto dipſadum ueneno infectis, ſanitas & uita. At non per opera ulla, ſed ſola inſpectione aut contemplatione ænei ſerpentis reſtituebatur ſanitas: ergo & nobis per ſolam fidem, quæ Chriſti uera inſpectio & contemplatio eſt, participatur uita. Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ait Saluator, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Et Apoſtolus Paulus, Gratia eſtis ſeruati per fidẽ, idq; non ex nobis

Joan. 3.
Ephe. 2.

Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur, &c. Congruunt cum Euangelica & Apostolica doctrina & doctorum quorundam ecclesiæ testimonia. Quæ C. V. recitabo, non quòd diuina nobis non sufficiant, sed ne uideamur esse noui dogmatis authores. Quanquam nouum esse non possit, quod petitur ex doctrina Euangelica & Apostolica, tametsi omnes ecclesiæ doctores contradicerent: iam uerò eximij quidam & ipsi disertè ostendunt, non tantum loquuntur aut scribunt, solam fidem iustificare.

Origenes in 3. cap. Epistolę Pauli ad Roma. scriptor peruetustus, scriptum reliquit, Dicit Paulus sufficere solius fidei iustificationem, ita ut credens quis tantummodò iustificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum. Quòd si exemplum requiramus, quis sine operibus, sola fide, iustificatus sit, sufficere arbitror illum latronem, qui cum Christo crucifixus, clamauit de cruce, Domine Iesu, memento mei, cùm ueneris in regnum tuum. Nec aliud quicquam describitur boni operis eius in Euangelijs, sed pro hac sola fide, ait ei Iesus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Per fidẽ ergo iustificatus est hic latro, sine operibus legis. Quia super hoc Dominus non requisiuit quid prius operatus esset, nec expectauit quid operis cùm credidisset expleret, sed sola confessione iustificatum comitemq; sibi, paradisum ingressurus assumpsit. Sed & ad mulierem quæ in Euangelio secundum Lucam refertur, ex nullo legis opere, sed pro sola fide, ad eam ait, Remittuntur tibi peccata tua. Et iterum, Fides tua te saluam fecit, uade in pace. Sed & in multis Euangelij locis hoc sermone usum legimus seruatorem, ut credentis caussam dicat esse salutis eius. Et paulò post idem Apostolus dicit, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mũdus crucifixus est, & ego mundo. Vides Apostolum non gloriantem super iustitia sua, neq; super castitate, neq; super sapientia, neq; super cæteris uirtutibus aut actibus suis, sed apertissimè pronunciantem & dicentem, Qui gloriatur, in Domino glorietur: & sic exclusa est gloriatio. Et quæ sequuntur alia plurima in hanc sententiam. *Origenes in 3. cap. ad Roma.*

Beatus Ambrosius in Enarratione Epistolę Pauli ad Romanos in cap 3. & 4. sic scripsit, Iustificati sunt, inquit Paulus, gratis, quia nihil operantes, neque uicem reddentes, sola fide, iustificati sunt dono Dei. *Ambrosius.*

Secundum propositum gratiæ Dei, sic decretum dicit Paulus à Deo, ut cessante lege, solam fidem gratiæ Dei posceret ad salutem.

Hoc ipsum munit exemplo prophetæ beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus, beatos dicit de quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore, & aliqua obseruatione, sola fide iustificentur apud Deum.

S. Ioannes Chrysostomus de fide & lege naturæ ac spiritu sancto disertis uerbis, Eum, inquit, qui operatur opera iustitiæ sine fide, non possum probare uiuum fuisse. Fidelem autem absque operibus possum monstrare & uixisse, & regnum cœlorum consequutum. Nullus sine fide uitam habuit. Latro autem credidit duntaxat, & iustificatus est à misericordissimo Deo. Atque hic ne mihi dixeris, defuisse ei tempus, quo iustè uiueret & honesta faceret opera. Neque enim de hoc contenderim ego: sed illud unum asseuerauerim, quòd sola fides per se saluum fecerit. Nam si superuixisset, fideiq; & operum fuisset negligens à salute excidisset. Hoc autem nunc quæritur & agitur, quòd fides per seipsam saluum fecerit, opera autem per per se nullos unquam operarios iustificauerunt. Id quod Chrysostomus pluribus ostendit exemplo Cornelij Centurionis. Sufficiunt hæc testimonia minimè rixosis ingenijs. Alioqui plura possem proferre. Verùm nolo C. V. onerosus esse, ac uideri spinosus in negotio planissimo. *Chrysostomus*

De meritis uel præmio bonorum operum.

Quoniam uerò huic tractationi de iustitia operum, confinis est quæstio de Bonorum operum meritis, adijciam istis paucula de Merito, imò potius de mercede & præmio bonorum operum. In hoc potissimum, ne quis perperam & irreligiose de meritis bonorum operum sentiens, non iam bona, sed mala potius opera habere mereatur.

Merita bona hominũ nulla.

Vocabulum meriti extraneum seu alienum est à scripturis. In ea enim significatione, qua uerè usurpatur, nempe pro opere nostro meritorio, cui uidelicet meritò rependitur uita æterna aut gratia Dei, obscurat Dei gratiam, & reddit hominem superbum. Quid oro mereantur opera nostra, quæ nemo sanctorum protulerit in conspectum Dei? Clamat Iob, Si iustificare me uoluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint uelut mundissimè manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me uestimenta mea. Clamat Dauid, Ne introieris in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo ullus uiuens. Clamat in Euangelio Christus Dominus. Cùm feceritis omnia quę præcepta sunt uobis, dicite, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus. At paulò superius dixerat, Num Dominus gratiam habet seruo illi, qui fecit quæ imperata sunt? Clamat item Paulus, Non aspernor gratiam Dei. Nam si per legem est iustitia, igitur Christus frustra mortuus fuit. Rursus apud Lucam uituperatur grauiter Pharisæus, quòd nedum fideret suæ iustitiæ, sed & de suis gloriaretur meritis. Et Nabuchodonozor grauissimum sentit supplicium, quòd dixisset sua arte, industria, uirtute, & potentia paratum esse regnum Babylonicum. Quanto uerò grauiori supplicio dignos arbitrabimur illos, qui arbitrantur, adde & iactitant suis meritis meruisse regnum cœlorum?

Psal. 142.

Luc. 17.

Gala. 2.

Luc. 18.

Præmium uel merces datur bono operi.

Hæc autem non eò tendunt, ut præmium uel mercedē boni operis euacuemus, aut negemus præmium esse uirtutibus paratũ. Nam Deus uerax est qui promisit, & quod promisit præstat. Promisit autem præmia operantibus iustitiam: sicuti pro iustitia & ueritate sua supplicia interminatus est sceleratis & impœnitentibus. Cæterum promissiones Dei duplices sunt, proponentes uidelicet præmia uel mercedem præsentis uitæ & futuræ. Nam Dominus in Euangelio secundum Marcum, Amen dico uobis, inquit, nullus est qui reliquit domum, aut fratres, aut agros, mea caussa aut Euangelij, quin recipiet centupla nunc in tempore hoc, cum persecutionibus, ac in seculo uenturo uitam æternam. Sed & Paulus, Pietas, inquit, ad omnia utilis est, ut quæ promissiones habeat uitæ præsentis & futuræ. Indubitatus sermo dignusq; qui modis omnibus approbetur. Nam in hoc & laboramus & probris afficimur, quòd spem fixam habemus in Deo uiuente, &c. Ac profuerit quidem in promptu aut numerato habere testimonia scripturarum de mercede uel præmio boni operis. Paucula, sed euidentia hic recitabo. Dominus apud Isaiam clamat, Dicite iusto quòd bene habebit, quia fructum studiorum suorum comedet. Væ item impio malo, quoniã retributio manuũ suarum fiet ei. Apud Ieremiã legimus, Prohibe uocẽ tuam à fletu, quia merces est operi tuo. Et in Euangelio dicit Dominus, Beati estis cùm dixerint homines omne malũ uerbum aduersus uos, mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniã merces uestra multa est in cœlis. Apostolus quoq; Paulus, Gloria, inquit, honor & pax omni operanti bonum, Iudęo simul & Græco. Item, Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque ea quæ fecit per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum, siue malum. Et iterum, Vnusquisque suam mercedem accipiet, iuxta suum laborem.

Mar. 10.

1 Timo. 4.

Math. 5.

Quibus sint proposita præmia.

Meminerimus autem strenuè laborantibus mercedem promitti, magnamq; ipsis

parari

parari præmia. Inertibus & segnibus incumbunt mala præsentis & futuræ uitæ. Certantibus & legitimè, debetur corona. Quòd si prȩmium diu differatur, nec pro missiones accipiant certantes, cogitent afflicti ad utilitatem ipsorum afflictiones tendere, sed & ab ipso patre cœlesti imponi. Non ergo despondeant animum, sed fortes sint in pugna, inuocent auxilium Dei. Nam qui perseuerauerit in finem usque hic saluus erit. Reuocet quisque exempla sanctorum patrum, quibus complures factȩ sunt promissiones, quarum tamen fructum serò tandem multoq; cum certamine perceperunt. Clamat Apostolus Paulus. Certamen bonum decertaui, cursum consummaui, fidem seruaui: quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, qui est iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum ipsius. Reuocanda est ob oculos ueritas Dei, dicentis, Cœlum & terra transibit: uerbum meum non transibit. Diu quidem in Ægypto captiui detinebantur Israelitȩ: sed non obliuiscebatur uerbi sui Dominus. Commodo enim & maximè opportuno tempore, & maxima quidem cum gloria illos in libertatem asseruit. Amalechitæ diu quidem exultabant in suis sceleribus, sicut & Chananæi. Verùm ubi impleta esset mensura iniquitatis, meritas iusto uindici pœnas persoluerunt. Hortatur ergo scriptura ad spem firmam, patientiam longanimem & constantiam perseuerantissimam. De qua re dixi Sermone 3. Decad. 3. Huc pertinere maximè puto præclara illa S. Pauli uerba. Certus sermo: Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sufferimus, & conregnabimus: si negamus, & ille negabit nos: si increduli sumus, ille fidelis manet: negare seipsum nō potest. Et iterum, Ne abieceritis fiduciam uestram, quæ magnam habet præmij retributionem. Nam patientia uobis opus est, ut ubi uoluntatem Dei peregeritis, reportetis promissionem. Adhuc enim perpusillum temporis, & qui uenturus est ueniet, & non tardabit. Iustus autem ex fide uicturus est, & si se subduxerit, non probabitur animo meo. At nos non sumus qui subducamus nos in perditionem, sed ad fidem pertinemus in acquisitionem animæ.

2 Timo. 4.

Hebræ. 10.

His tamen & similibus de mercede & præmio operum testimonijs, aut ipso etiam meriti uocabulo, quo utuntur S. Patres, non abutendum est contra prædicationem meriti Christi & meræ gratiæ. Cogitabimus regnum cœlorum & præcipua alia Dei dona non esse mercedem seruorum, sed hæreditatem filiorum Dei. Quanquam enim multa opera iudex in extremo iudicio enumeraturus sit, propter quæ, uitam quasi rependere uidetur electis, præmittet tamen omnibus operibus, hæc, Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Quòd si rogas, Quare in iudicio Dei ultimo non fidem potius quàm opera commemoret iudex? Respondeo ad legitimum iudicium pertinere non tantùm ut sit iustum, sed ut intelligatur etiam ab hominibus esse iustum. Adde, Deum nobiscum agere humano more. Ideò non solùm iudicat iustè, sed uult agnosci ab omnibus hominibus iudex æquus & iustus. Cȩterum nos non possumus aliorum hominum fidem, quæ mentis est, intueri: sed ex dictis & factis iudicamus. Honesta dicta & facta testimonium ferunt fideli cordi, inhonesta produnt infidelitatem. Opera charitatis & humanitatis declarant nos credidisse uere: contraria contrarium euincunt. Igitur scriptura monet, iudicium fore secundum opera. In hanc sententiam Matth. 12. dicitur, Ex dictis tuis iustificaberis, & ex ijsdem condemnaberis. Sic audit sanè Abraham postquā Isaacum filium immolare statuisset, Quandoquidem fecisti hanc rem, nec pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, & multiplicabo te uehementer, &c. Verùm constat Deum Abrahamo illam fecisse promissionem antequam nasceretur Isaac, imò simul atq; ipse Abraham educere-

Mercede uel merito non abutendum.

tur ex patria sua: ergo non nunc primùm operi tanquam merces rependitur, &c.

Quomodo dicatur deus rependere operibus nostris bonis mercedem.

Deus itaque pro sua indulgentia, non iure summo opera nostra examinat, sed quia ex fide in Christum proficiscuntur, licet sint propter inhabitans in nobis peccatum impura & immerita, infinitis beneficijs remunerat. Sic autem testatur se nostri & nostrorum operum habere rationem. Quia ad testandam dilectionis suæ erga nos magnitudinem, non modò nos, sed & illa quæ nobis largitus est dona, sic honorare dignatur. Imitatur hic Deus benignus, patres secundum carnem, uel in hoc seculo benignos. Donant enim hi quoque liberis suis munera ueluti laboris mercedē, & his ad ampliores uirtutes ipsos prouocant, cùm tamen iure hæreditatis ad filios omnia pertineant, & uera propriáque caussa mercedis uel recompensationis non sit obedientia filij, sed magis mera parentis gratia. Insuper ueniunt in hac re duo obseruanda. Prius, Quanquam Deus humano more præmijs nos alliciat, mercede trahat & in opere bono retineat, præmium tamen & merces non debet in operante bona opera esse præcipuum, ut magis nostram spectemus utilitatem & gloriam, quàm amorem & honorem diuinum. Gratis uult Deus coli, gratis amari. Nam ut hilarem datorem requirit: sic filialem amorem & spiritum spontaneum atque liberalem probat. Posterius, Opera nostra, quæ alij merita dicunt, aliud nihil esse quàm mera Dei dona. Esset autem longè ingratissimus, si qui ex aliena liberalitate frueretur usufructu agri alicuius, interim & proprietatē sibi in integrum usurparet. Verùm ne prolixius hanc disputationem protraham, recitabo C. V. egregiam scripturarum collationem à S. Augustino factam, ex qua clarè intelligatis præmia bonorum operum, uel merita sanctorum, ipsissimam esse Dei gratiam.

Sententia S. Augustini de Meritis sanctorū.

Ergo lib. de Gratia & lib. arbitrio cap. 7. sic dicit, Ioannes præcursor Domini nostri ait, Non potest homo accipere quicquam, nisi ei datum fuerit de cœlo. Si ergo Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. Consideremus itaque ipsa merita Apostoli Pauli, id est, ex ipso ei comparata, an dona sint Dei. Bonum, inquit, certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Primò ista bona opera, si non præcessissent cogitationes bonæ, nulla essent. Attende itaque quid de ipsis cogitationibus dicat, Non quia idonei sumus cogitare aliquid ex nobis, tanquam à nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Deinde singula inspiciamus, Bonum, ait, certamen certaui. Quæro qua uirtute certauerit? Vtrum quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ desuper data sit? Sed absit ut tantus doctor gentium ignorarit legem Dei: cuius uox est in Deuteronomio, Ne dicas in corde tuo, Fortitudo mea, & potentia manus meę fecit uirtutem magnam hanc, sed memoraberis Domini Dei tui: quia ipse tibi dat fortitudinem & facere uirtutem. Quid autem prodest bonum certamen, nisi sequatur uictoria? Et quis dat uictoriam, nisi ille de quo dicit ipse, Gratia Deo qui dat nobis uictoriam per Dominum nostrū Iesum Christum. Et alio loco cùm commemorasset testimonium de Psalmo, Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus ut oues occisionis, subiecit atq; dixit, Sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Non ergo per nos, sed per eum qui dilexit nos uincimus. Deinde dixit, Cursum cōsummaui. Sed ille hoc dixit, qui alio loco dicit, Non uolentis neq; currentis, sed miserentis est Dei. Quę sentētia nullo modo conuerti potest, ut dicatur, Non miserentis Dei, sed uolentis atq; currentis est hominis. Quisquis enim hoc ausus fuerit dicere, apertè ostendit se Apostolo contradicere. Postremò dixit, Fidem seruaui: sed idem hoc dixit qui alibi ait, Misericordiam consequutus sum, ut essem fidelis. Non autem dixit, Misericordiam consequutus sum,

ſtim,quia fidelis eram,ſed ut eſſem:hinc oſtendens ipſam etiam fidem haberi, niſi deo miſerante non poſſe, & eſſe donum Dei:quod apertiſsimè docet dicens. Gratia ſalui facti eſtis per fidem:& hoc non ex uobis,ſed dei donum eſt. Poſſent enim dicere,Ideo accepimus gratiam,quia credidimus: tanquam ſibi fidem tribuentes, gratiam deo:propter hoc Apoſtolus cum dixiſſet, Per fidem, Et hoc,inquit,nō ex uobis,ſed dei donum eſt.Rurſus ne dicerent ſe ſuis operibus donū tale meruiſſe, continuò ſubiecit, Non ex operibus,ne quis fortè extollatur. Non quia negauit aut euacuauit bona opera, cum dicat deum unicuiꝗ reddere ſecūdum opera ſua: ſed quia opera ſunt ex fide, non ex operibus fides: ac per hoc ab illo ſunt nobis opera iuſtitiæ,à quo eſt ipſa fides,de qua dictum eſt, Iuſtus ex fide uiuit.Hæc omnia uerbotim ex Auguſtino hactenus recenſui. Quæ quidem omnia, ea quæ de merito bonorum operum dici poſſunt,ſatis probè complectuntur,& adeo ſolidè ſcripturis munita proponunt,ut ijs nihil adijcere uelim, & ſatis clarum eſſe exiſtimē, quomodo ueteres ſcripſerint de hominum meritis. Quid enim breuius & ſyncerius,adde & plenius dici poteſt,quàm eſſe mercedem operibus paratam bonis:ſed illam aliud non eſſe quàm gratiam:ſed & ſanctorum merita gratiam eſſe Dei: quæ merita cum coronat, ſua ipſius munera coronat. In his omnibus firmū perpetuò manet dogma eccleſiaſticum & Apoſtolicum,ſola nos gratia dei per fidē,non per opera uel merita noſtra iuſtificari & ſeruari.

Redimus iam ad opera bona & ad explicandam bonorum operum deſcriptionem ſiue conſignationem,quam ab initio huius tractationis poſuimus. Niſi uerò opera noſtra ex Deo per fidē naſcantur, nequaquam bona dici poſſunt. Si uerò à deo per fidem progignuntur,etiam ſecundū regulam uerbi Dei formantur. Ideo ſignificanter expreſsi in deſcriptione,fieri ipſa à renatis ex ſpiritu dei bono, per fidem,& ſecundum uerbum Dei. Deo enim non placent opera, quæ ex nobiſipſis confingimus propria noſtra authoritate & intentione bona. Nam probat in nobis fidem & obedientiam; quod uel in exemplo patris noſtri Adæ inclareſcit maximè:electitia noſtra opera & bonas noſtras intentiones, in & ex nobis enatas improbat. Id quod hiſce ſcripturarum teſtimonijs demonſtramus. Deut 12. ſic ſcriptum legimus,Non faciet unuſquiſꝗ quod rectum eſt in oculis ſuis. Quicquid ego præcipio uobis,id obſeruabitis ut faciatis: nec addes quicquam ſuper ipſum: neꝗ minues ab eo. Porrò in hiſtoria Samuelis huius rei memorabile ponitur exemplum.Accipit enim præceptum Saul rex Iſraelitarum, iubeturꝗ cædere omnes Amalechitas & res ipſorum: ipſe uerò per bonam intentionem & electitiā religionem boues pinguiores ſacrificio reſeruarat: uerum à propheta audit, An tam uolupe & gratum ſacrificium domino,quàm eſt obedientia? Ecce melius eſt audire,quàm ſacrificare:& melior eſt auſcultatio,quàm adeps arietum. Quoniā peccatum magiæ eſt,apoſtaſia ſiue rebellio, & uanitas idololatriæ, indurare animum, uel nolle obſequi. Habes in his pauculis uerbis egregium encomium electitiæ religionis ac bonorum noſtorum operum ex bona noſtra intentione natorum. Qui præceptis dei neglectis ſuas intentiones ſequuntur bonas, magi, apoſtatæ & idolatræ à ueritate diuina appellantur. Sibijpſis quidem uidentur egregij eſſe cultores dei, & obſeruationum ſanctorum patrum,epiſcoporum, regū & principum zeloſi ſectatores:ſed qui mentiri neſcit deus,diſertè pronunciat,opera iſtorum nihil diſtare à magia,apoſtaſia,& idololatria, quibus nihil poteſt uel fingi atrocius. Dominus ergo in euangelio ex uaticinio Iſaiæ prophetæ ſemel damnat, abijcit & conculcat omnia illa electitia opera nata ex bonis noſtris intentionibus, cum dicit,Fruſtra me colunt, docentes doctrinas præcepta hominum. Omnis plantatio,

Bona opera fiant ſecundum regulam uerbi Dei.

1 Sam. 15.

Luc. 15. quam non plantauit pater meus, eradicabitur. Omittite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Inde nimirum est quod S. Paulus tanta confidentia pronunciauit præcepta hominum ueritatem auersari esseq; mendacia. Alibi uerò idem ille, Quicquid, inquit, non est ex fide, peccatum est. Et iterum, Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Ex quibus colligere licet, opera quæ non sunt ex uerbo dei expresso formata, aut per certam consequentiam inde deducta, adeo non esse bona, ut etiam dicantur peccata. Ingere tu quæso alicui uel ingens beneficiũ contra uoluntatem eius, & uide quam apud ipsum gratiam ineas. Requirunt ergo bona opera ante omnia disertã & expressam dei uoluntatem. Ad Coloss. idem Apostolus manifestè damnat ἐθελοθρησκείαν, uoluntariã inquam, electitiam & sua sponte susceptam religionem. Et quæ obsecro necessitas est, alias nobis bonorum operum formas comminisci, cum nondum ea fecimus opera, quæ ipse deus iure à nobis requirit & disertis uerbis præscribit? Ex his colliquescit non damnare nos bona opera simpliciter, sed illa quæ relicto Dei uerbo, nostro nobis arbitrio confingimus: cuius generis multa sunt monachorum & sacrificorum. Quæ uerò modis omnibus cum uerbo Dei pugnant opera, nullo dignamur honore & loco.

Rom 14. Rom. 10. Coloss. 2.

Verè bona opera. Ephes. 2. Joan. 15.

Et ut rectius bonorum operum ingeniũ perspiciamus, obseruanda nobis censeo hæc Apostoli uerba, Conditi sumus in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus ut in eis ambularemus. Duas autem notas uerè bonorum operum ponit. Prior conditi sumus, inquit, in Christo Iesu ad opera bona. Necesse ergo est bonum opus ab eo fieri, qui est insitus uera fide in Christum. Nisi enim palmes in uite manserit, fructum proferre nequit. Omnia ergo fidelium opera utcunque splendeant iustitiæ titulo, reuera non sunt bona opera. Posterior, Quæ præparauit Deus, inquit, ut in eis ambularemus. Non ergo sunt hic commemoranda quæuis opera, quæ possunt facere homines: sed illa quæ ab antiquo præparauit Deus, ut ambularemus in eis. Quæ uerò illa sint, deus lege sua, quæ æterna est dei uoluntas, expressit. Inde est quod dominus in Euangelio rogatus de uita æterna, & ueris uirtutibus, ad legem remittit, & ait, In lege quid scriptum est? Et iterum, Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Proinde Decalogus certissima & absolutissima est formula bonorum operum. Quod ut plenius intelligatur, breui id enumeratione ceu in tabula spectandum oculis uestris proponam.

Math. 19.

Decalogus plena bonorũ operum forma.

Ad primum præceptum referes timorem Dei, fiduciam & dilectionem, spem deniq; in aduersis certissimam, patientiam, & constantiam infractam. Ad secundum pertinet uerus synceriorq; Deo placens cultus, omnis item superstitionis & cultus peruersi abnegatio. Ad tertium colliges reuerentiam numinis, confessionem ingenuam, inuocationem nominis Dei sanctam & perseuerantem, & sanctificationem eiusdem. In quarto locum habebit moderata Ecclesiasticarũ ceremoniarum conseruatio, prædicatio uerbi Dei, preces publicæ, & quæcunq; sunt exterioris cultus. Ad quintum referes pietatem in parentes, in patriam & affines, obedientiam iustam, quam debemus magistratui, & omnibus superioribus, item officia uitæ ciuilis. Annumerabis sexto iustitiam & iudicium, defensionẽ uiduarum, pupillorum, afflictorumq;, & oppressorum assertionem, beneficentiam, & innocentiam. Septimo adijcies fidem coniugalem & matrimonij officia, educationem liberorum liberalem & piam, studium item castitatis, temperantiæ & sobrietatis. Ad octauum referes iustitiam in contractibus, liberalitatem, munificentiam, hospitalitatem. Ad nonum adijcies ueritatis studium per omnem uitam, fidem in dictis & factis, sermonem compositum, honestum & utilem. Decimo loco recensebis bonos affectus & uota sancta, deniq; omnes cogitationes sanctas & honestas.

Hæc

Hæc scilicet est compendiosa bonorum operum formula. Quòd si his aliquid breuius cupis, audi dominum omnia hæc in duo capita colligentem atque dicentem, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: & proximum sicut teipsum. Omnia itaq; quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Deu: 6. Math. 22.

In hæc domini præcepta intendant oculos & mentem cuncti fideles bene operari cupientes, & hoc diligentius cõstantiusq;, quo certius & perspicacius uident & intelligunt, deum & in lege & in prophetis nihil aliud & nulla alia opera à suis requirere electis seruis. Agitè uerò audiamus aliquot quæ cum lege consentiant sanctorum prophetarum de bonis operibus diserta testimonia. Moses in Deuter. suo, Et nunc Israel, inquit, quid dominus deus tuus petit à te? nisi ut timeas dominum deum tuum, & ambules in cunctis uijs eius, diligas eum, & seruias domino Deo tuo, in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut scilicet cũstodias præcepta domini & statuta eius, quæ ego præcipio tibi hodie. Dauid quoq; rex & uates interrogat Psalm. 15. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Et mox respondet, Qui ambulat in integritate, & operatur iustitiam. Et reliqua quæ continentur in Decalogo. Iam & Isaias in 33. cap. mouet eandem quæstionem. Nec aliam eius adfert solutionẽ quàm Dauid. Ieremias in cap. 22. hæc ingerit & urget, Sic dicit dominus, Facite iudicium & iustitiam, & liberate ui oppressum de manu calumniatoris: peregrinum quoq;, pupillum & uiduam ne contristetis, neq; iniuriam faciatis, & sanguinem innocentem ne fuderitis in hoc loco. Neq; alium catalogum, licet bene longum, bonorum operum contexit Ezechiel in cap. 18. Apud Oseam dicit dominus, Beneficentiam, pietatem seu misericordiam desidero, non sacrificium: & cognoscere deum magis quàm holocausta. Micheas quoq; interrogat diligenter quid agat Dei cultor, ut deo placeat, placitaq; opera faciat: & protinus ex inspiratione diuina respondet, Indicabo tibi homo quid sit bonum, & quid petat à te dominus: nimirum facere iudicium, diligere beneficentiam, & reuerenter ambulare cum deo tuo. Ad eundem modum Zacharias propheta interrogantibus de uirtutibus & operibus bonis deo placẽtibus, dicit, Sic ait dominus exercituũ, Iudicate iudicium ueritatis, & facite pietatem atq; misericordias unusquisq; cum fratre suo. Viduam & pupillum, peregrinum & pauperem nolite calumniari: neque cogitet unusquisq; uestrum in corde suo malum contra fratrem suum: & iuramentum falsum ne diligatis: quoniã omnia ista sunt quæ odiui, dicit dominus. Quæ uere bona opera, prophetarum testimonia. Oseæ 6. Math. 9. Mich. 6. Zach. 1.

A prophetica doctrina nihil discrepat doctrina euangelica & Apostolica, quæ ubiq; charitatem, iustitiam & innocentiam docet, scopum uidelicet & summam omnium bonorum operum. S. Iacobus Apostolus, Religio, inquit, pura & immaculata apud deum & patrem hæc est, inuisere orphanos & uiduas in afflictione sua, & immaculatum seipsum seruare à mundo. Iacob. 1.

Restat ut quod ad finem descriptionis bonorum operum adpendimus, scripturarum collatione roboremus atq; explicemus. Diximus autem uerè bona opera fieri à renatis ad gloriam Dei, ad ornamentum uitæ, & ad utilitatem proximi. Dominus enim in euangelio hunc finem præscribens bonis operibus dicit, Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, & glorificẽt patrem uestrum qui in cœlis est. Apostolus quoq; Paulus non semel adhortans ad bona opera, id tanquam ualidissimum, quod permoueat adiungit, ut suis illis operibus doctrinam seruatoris nostri Dei ornent. Iam uerò ut decens & honesta uestis hominem ornat, ita uerè bona opera uitam commendant hominum. Hinc enim Apostoli Christi toties suaserunt exuere ueterem hominem, & induere nouũ, qui In quem finem fieri debeant bona opera. Math. 5.

secundum deum est conditus. Inde enim accedit nobis gloria & honor. Dicimur & sumus serui, imò filij Dei nostri, cuius ingenium & uirtus relucet in nobis ad gloriam & laudem nominis eius. Ac ut requirit ille à nobis opera bona, ita si faciamus ea, placent ipsi & honoramur ab ipso uicissim: id quod multis scripturæ testimonijs demonstrari posset. Verùm hoc est extra omnem controuersiam. Certè is subinde magis ac magis auget nobis bene operantibus dona sua. Dicit enim in euangelio, Omni habenti dabitur, & abundabit. Qui uerò nihil habet, etiam id quod non habet, auferetur ab eo, & dabitur ei qui habet. Accedit huc quòd operantibus deus recta, propitius est, eosq; multis etiam temporalibus donis locupletat, tandem & perpetua uita donat. Disertè enim Apostolus Paulus, Deus, inquit, reddet unicuiq; iuxta facta sua, his inquam qui perseuerantes in benefaciendo gloriam & honorem & immortalitatem quærunt, uitam æternam. Et iterum, Gloria & honor & pax omni operanti bonum. Quanquam in omnibus bonis suis operibus pij sibi non præcipuum quidem scopum (quemadmodum & superius quoq; monui) recompensationem & priuatum compendium, sed dei gloriam & uoluntatem, deniq; proximi utilitatem sibi proposuerunt. Paulus enim, Omnia, ait, in gloriam Dei facite. Et iterum, Nemo quod suum est quærat, sed quisq; quod alterius: quemadmodum ego per omnia omnibus placeo: non quærens meam ipsius utilitatem, sed multorum ut salui fiant. Pij ergo omnes omnia sua studia & opera in hoc dirigunt, ut deo placeant, ut Deum glorificent, ut prosint multis. In eo enim dei naturam, cuius filij sunt exprimunt. Nam is beneficia sua in omnes creaturas suas effundit: sunt itaq; & filij eius benefici.

Math. 25.

Hæc habui in præsenti de natura uel ingenio, de caussa, fine & effectu, hoc est, de uera & iusta ratione bonorum operum: ex quibus etiam illud perspicuè intelligi posse spero, quomodo operibus sanctorum bonis iustitiæ nomen & iustificationem tribuat, mercedemq; reddere dicatur dominus in scripturis sanctis, & quòd immotum nihilo minus ac firmum consistit orthodoxum & primarium religionis nostræ dogma, Gratia Dei nos propter Christum per fidem, non per opera iustificari. Nunc ergo nihil aliud superest, quàm ut pro uera in dominum Iesum fide supplicemus domino, ac per eiusdem gratiam, disputationem hucusq; habitã de bonis operibus, in opus deducamus, id est, ut fidem quam uerbis profitemur nos habere in dominum nostrum Iesum Christum, operibus uerè bonis exprimamus.

De peccato & eius speciebus, nempe de peccato originali, actuali, & de peccato in spiritum sanctum, certissimaq; & iustissima peccatorum pœna. SERMO X.

RESTAT ultimum, quod cum lege cohærere diximus, Peccatum. De quo ut legitimè, religiosè, orthodoxè, & multo cum fructu omnium uestrum disserere queam, oremus supplices dominum.

Peccati uocabulum. Peccatum plerique pro errore accipiunt, quo uidelicet aberramus, non tantùm à uero, æquo, iusto & bono, sed etiam sequimur deteriora. Latini uocabulum hoc suum deriuant à pellicatu, quod uitium est corruptorum fornicationis spiritu maritorum, præferentium pellices legitimis uxoribus. Ac mirè hoc quidem nostro negotio seruit. Nam fideles fide copulati sumus deo nostro tanquam sponsæ, cui si præferamus alios deos, aut his seruiamus etiã, aut si ueris bonis præteritis sequamur umbratilia bona, uanas spes, & mundi perniciosas uoluptates, peccamus reuera. Peccatum autem ferè à delicto discriminant, Delictum enim appellant,

pellant, cum nō fit, quod fieri debebat; peccatum, cum fit, quod fieri non debebat. S. Hieronymus uidetur delictum accepisse pro primo lapsu ad peccandum. S. Augustinus, Peccatum, inquit, à sciente, Delictum ab ignorante fit. Ego uideo uocabula illa alicubi confundi, alterumq; usurpari pro altero, alicubi errorem ac delictum mitius esse uocabulum, peccatum uerò grauius, crimen uerò, scelus, defectionem & impietatem multò grauissimum. Etenim & S. Augustinus, Neq; quia peccatum est omne crimen, inquit, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominū uitam quandiu in hac morte uiuitur, inueniri posse dicimus sine crimine: peccatum autem si dixerimus quia nō habemus, ut ait S. Apostolus, nosmetipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Apud Hebræos uarijs uocibus effertur peccatum, significantibus prauitatem & peruersitatem, delictū, errorem, defectum, infirmitatem, uitium, ignorantiam & præuaricationem, siue transgreßionem. Nam præuaricari, est discedere à recto, & ab officio, nō ingredi rectā uel transgredi regulam præscriptam à Deo. Regula uerò illa, lex est, ab Hebræis ideo nuncupata Thora, deductio inquam uel directorium. Nam dirigit hominem in uijs quæ Deo placent. Idcirco Græcè appellatur peccatum ἀνομία καὶ παρανομία. Rursus significat Hebræis peccatum auersionem, nimirum à bono ad malū: item defectionem, ueluti cum te eius subtrahis imperio cui obnoxius es ac seruis: denique & reatum siue crimen, quo nosipsos pœnæ subdimus. 1. Joan 1

Certè S. Augustinus multum operæ impēdit, ut propriè definiret Peccatum. De Consensu euangelistarum lib. 2. Peccatum, inquit, est legis transgreßio. Ad Simplicianum lib. 1. Peccatum est inordinatio & hominis peruersitas, id est, à præstantiore conditore auersio, & ad condita inferiora conuersio. De Fide cōtra Manichæos cap. 8. Peccare quid aliud est, inquit, nisi in ueritatis præceptis, uel in ipsa ueritate errare? Et contra Faustum Manichæum lib. 22. cap. 27. Peccatum est factum, uel dictum, uel concupitum aliquid contra legem dei. Idem de duabus animabus contra Manichæos cap. 11. dicit, Peccatum est uoluntas retinendi uel consequendi quod iustitia uetat, & non liberum est abstinere. Et Retract. lib. 1. cap. 15. Voluntas illa est, ait, animi motus, cogente nullo, ad aliquid uel non amittendū uel adipiscendum. Quas finitiones omnes ut non prorsus repudio, ita hanc expendendam propono, Peccatum est corruptio natiua hominis, & quæ ex ea existit actio legi Dei repugnans, huius iram, mortem inquam, & supplicia uaria nobis concilians. Audis hanc peccati descriptionem suis constare partibus. Audis corruptionem natiuam: iuxta quam non competit hæc definitio peccato primorum parentum, in quibus nulla fuit natiua corruptio. De quo suo loco. Audis actionem quæ ex illa existit, pugnantem cum lege Dei. Audis peccatum nobis dei iram conciliare, hoc est, mortem & supplicia uaria ore dei peccato intentata. De quibus consequenter & ordine quantum dederit dominus, dicemus. *Peccati definitio.*

Videtur autem hæc dissertatio commodißimè sumere initium à peccati origine, caussa & authore. Mali uel peccati originē, deriuant alij ex fato stellarū, dicentes, Peccaui, quia infausto sum sydere natus. Alij dum peccāt, & propter peccatū obiurgantur, respondent, Non ego sed diabolus in culpa est quòd hoc admisi facinus. Aliquando dimißis omnibus excusationibus, directè in deum homines culpam conijcientes, aiunt, Deus ita uoluit. Nam si noluisset, non peccassem. Alius, Cum deus, inquit, prohibere potuisset, nec tamen prohibuit, ipse peccati mei author est. Cæterum nouum non est hominibus blasphemā acuere linguam contra omniū dominū. Primi enim parentes nostri dū peccassent, & peccati cōmißi accusarentur à deo, à seipsis cōmissum scelus transferūt in alios, nec ingenuè ueritatem *De caussa siue origine peccati.*

confitentur. Ea est hominum malitia abominabilis. Adam enim ueluti ex aduerso responsaris Deo, criminis sui culpam non tam in uxorem sibi copulatam à Deo quàm in ipsum Deum regerit, Mulier, inquit, illa quam tu dedisti mihi sociam, dedit mihi pomum, & comedi. Quasi dixisset, Nisi illam mihi coniunxisses, non peccassem. At non coniunxerat ei coniugē dominus ut esset occasio mali, sed ut uiro melius esset. Porrò mulier simpliciter malū imputat diabolo, dicens, Serpens seduxit me, & comedi. En hæc sunt corruptissima nec non falsissima de origine peccati iudicia, impia & detestanda, quibus grauiter offenditur Dei iustitia & ueritas. Nam ne ipsa quidem natura hominis caussa est peccati. Deus enim qui omnia, ipsam etiam naturam hominis creauit, bonam omnino creauit, ac erant omnia quæ condiderat ualde bona. Idcirco erat & hominis natura bona. Aduentitia qualitas est, quæ accidit homini in lapsu aut post lapsum, non substantialis proprietas, mox ab initio talis qualis nunc est indita. Nunc quidem cum in peccato à peccatoribus nascimur, peccatum naturalis est hominum proprietas. Scribit enim S. Augustinus de Fide contra Manichæos cap. 9. Sed etsi quos naturaliter dicimus malos, propter originem ueteris peccati dicimus, in quo tota iam nostra mortalitas nascitur. Atqui requirunt hæc diligentiorem & copiosiorem declarationem.

Natura hominis non est caussa peccati.

Diabolum non unum esse peccati authorem, qui nobis quidem peccantibus, ipse peccati culpam sustineat solus, nos immunes simus à crimine, id maximè declarat, quod ille homini suadere & malum ingerere potest, cogere autem non potest. Deus enim suo diabolum imperio premit, ut non possit quod uelit. Sed hoc tantum, quod & quantum Deus permittit: imò ne in fœdissimos quosque porcos imperium habet, nedum in nobilissimas hominum animas. Habet sanè suadendi astutiam & maximas uires: at fortior est Deus, qui & ipse nunquam cessat homini suggerere bonum. Nec plus permittit satanæ, quàm prosit homini. Id uidere licet in exemplo sanctissimi uiri Iob: denique in exemplo Pauli 2. Cor. 12. & in uerbis eiusdē dicentis, Fidelis est Deus, qui non sinet uos tentari supra id quod potestis. Ergo uani sunt qui culpam scelerum in humeros exonerant diaboli.

Diabolus solus non est caussa mali.

1 Corin. 10.

Porrò si roges illos qui fatum peccatis obtendunt, quid sit fatum? respondebunt, uel seriem connexam per æternitatem se inuicem tenentem, ac catenā quandam & necessitatem perpetuam consiliorum operumque secundum consilia Dei uel ipsas stellas malas. Si roges iterum quis fecerit stellas? nō habent quod respondeant, nisi Deus: restat ergo ut Deo rursum malum suum impingant. At fatū tale non asseruerunt uel seniores philosophi omnes, nedum Christiani. Præterea qui ex nostris, id est, ex ijs, qui Christiani uideri uolebant, fatum seu constellationem asseruerunt, huiusmodi fuerūt, ut pigeat authorum. Bardesanes fato ascripsit conuersationes hominum. Priscillianistæ uerò, in Toletano concilio primo damnati, docuerunt hominem stellis fatalibus alligatum, ipsum corpus habere secundum duodecim signa cœli compositum, constituentes arietem in capite, taurum in ceruice: & sic consequenter. S. Augustinus in opusculo Octoginta trium quæstionum, quæst. 45. grauiter confutans fatum stellarum, inter alia, Conceptus, inquit, geminorum, quoniam uno concubitu efficitur, attestantibus Medicis, quorum disciplina multo est certior atque manifestior disciplina astrologorū, tam paruo puncto temporis contingit, ut in duas minutas minutarum non tendatur. Vnde ergo in geminis tanta diuersitas actionum & euentuum & uoluntatum, quos necesse est eandem constellationem conceptionalem habere, & amborum unam constellationem dare mathematicos tanquam unius hominis? His S. Augustini uerbis lux quædam affulgebit si adhibueris exemplum Esau & Iacobi. Idem Augustinus

Fatum non esse caussam mali.

Contra fatum.

contra duas Pelagianorum Epistolas ad Bonifac. lib. 2. capite 6. Fatum, inquit, qui affirmant, de syderum positione, ad tempus quo concipitur quisque uel nascitur, quas constellationes uocant, non solum actus & euenta, uerùm etiam ipsas nostras uoluntates pendere contendunt. Dei uerò gratia non solùm omnia sydera, & omnes cœlos, uerùm etiam omnes angelos supergreditur. Deinde fati assertores & bona & mala hominum fato tribuunt. Deus autem in malis hominum merita eòrum debita retributione persequitur: bona uerò per indebitam gratiam misericordi uoluntate largitur: utrumque faciens non per stellarum temporale consortium, sed per suæ seueritatis & bonitatis æternum altúmque consilium. Neutrum ergo pertinere uidemus ad fatum. Concluduntur hæc uerbo Domini per Ieremiã in hanc sententiam pronunciato, Hæc dicit Dominus, iuxta uias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum uanæ sunt. Ergo quòd sydus Saturni inclemens & asperum, uel crudele, Veneris benignum & mite ab astrologis appellatur, uanitas est uanitatum. Non enim astra ullam habent uim, uel benefaciendi, uel malefaciendi. Proinde culpa peccatorum nequaquam illis imputari debet. Iere. 10.

Restat demonstrandum, ne Deum quidem esse caussam peccati, uel authorem mali. Deus, inquiunt isti, ita uoluit. Si enim noluisset, non peccassem. Quis enim eius potentiæ resistat? Item cùm prohibere potuisset, nec tamen prohibuit, ipse utique author est peccati. Quasi uerò hominum calumnias & sophismata non agnoscamus. Quis oro ignorat Deum non absoluta potentia, sed ex pacto & lege condicta, nobiscum agere, per media inquam commoda & ordine legitimo? Posset sanè Deus per absolutam suam potentiam prohibere malum: cæterum nõ potest nec uult interim, uel creaturam suam & ordinem iustum corrumpere, atque turbare. Agit ergo cum homine humano more: proponit ei leges, proponit præmia & supplicia: iubet amplecti bonũ, refugere malum; ad quam rem conficiendam nec gratiam suam negat, sine qua nihil possumus: nec diligentiam & laborem nostrum aspernatur. Hic si cesset homo, negligentia & peccatum ipsi homini ascribitur, non Deo, licet hic prohibere potentia sua potuisset, nec tamen prohibuit: quia prohibere non debuit, ne turbaret ordinem, & suum opus destrueret. Proinde Deus non est author mali, uel peccati. De qua re subiungemus modò clara aliquot scripturę testimonia: deinde uerò respondebimus ad obiectiones uarias: simul autem originem & fontem peccati aperiemus.

Deus non est author mali, siue peccati.

Testimonia docentia Deum non esse authorem mali siue peccati, plurima sunt, sed in ijs insigne est illud, quòd Deus natura bonus esse dicitur: & omnia quæ condidit ualde bona dicuntur. Vnde Sapiens ille dixit, Deus mortem non fecit, nec delectatur uiuorum interitu, Creauit enim ut essent omnia: & initia mundi salutifera sunt, nec inest in eis medicamentum perniciosum: nec orci regnum in terra. quippe iustitia immortalis est. Impij uerò manibus ac uerbis accersiuerunt illam ac contabuerunt. Et reliqua quæ extant Sapientię 1. cap. pulcherrimeq; congruunt cum primis capitibus excellentissimi prophetarum Mosis.

Deus bonus, omnia quæ condidit, bona condidit.

Psalm. 5. dicit Dauid, Quoniam non Deus uolens iniquitatem tu es: non habitabit tecum malitia: neq; permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes eos qui loquuntur mendacium: uirum sanguinum & dolosum abominatur Dominus. En nihil fingas alienius ab ingenio Dei, quàm malum atque peccatum. Cuius generis plura legas & Iob cap. 34.

Ecclesiastici 7. dicit Sapiens, Deus hominem probum condidit, ipsi autem quęsierunt adinuentiones multas. Ideoq; Apostolus Paulus ad Roma. 5. cap. deriuat

peccatum, damnationem & mortem non à Deo, sed ab Adamo, à Deo autem per Christum gratiam, condonationem & uitam. Illustrior est is Pauli locus quàm copiosioribus declarari debeat: inspiciatur modò & expendatur diligentius à lectoribus & auditoribus. RECITA, Quemadmodum per unum hominē peccatum in mundum introijt, & per peccatum mors. Et reliqua.

Idem ad Romanos 7. clarè ostendit legem esse sanctam, præceptum bonum & iustum, adeoq; in Deo & eius uoluntate nullam hærere, aut ex lege, quæ Dei uoluntas est, existere uel exoriri, peccati labem. In nostra carne, inquit, malum latet, ex nobis erumpit enasciturq; malum, Noui, inquit, quòd non habitet in me, id est, in carne mea, bonum. Reperiuntur in eo capite plurima, quæ caussam hanc nostram pulchrè illustrant.

Idem Apostolus ad Rom. 3. cap. Quòd si iniustitia nostra, inquit, commendat iustitiam Dei, quid dicemus, Num iniustus est Deus, qui inducit iram? (Humano more loquor, id est, hominum impiorum uerbis utor.) Absit. Nam quomodo iudicabit Deus mundum? Etenim si ueritas Dei per meum mendacium excelluit in gloriam ipsius, quid posthac & ego ueluti peccator iudicor? &c. Certè si Deus peccati & omnium malorum author esset, ac uellet tales esse sceleratos, quales sunt: quid oro iudicaret siue puniret illos tanquam transgressores, cùm peccando fecerint uoluntatem eius?

Huc pertinet illud quoq; beati Ioannis Euangelistæ & Apostoli testimonium, in Canonica sua dicentis, Si quis diligit mundum, nō est charitas patris in eo. Quoniam omne quod est in mundo, ueluti concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & fastus uitæ, non ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia eius: qui autem facit uoluntatem Dei, manet in æternum. Et liberatur Deus penitus à malo: malum, inquit, non est ex patre, sed ex mundo. Et, Qui facit uoluntatem Dei, non facit quod uult mundus, sed quod uult Deus. Pugnant ergo inter se ex diametro, bonum & malum, peccatum & uoluntas Dei. Hæc scripturarum testimonia, licet paucula, non impio sufficere putamus auditori.

Origo mali uera.

Ex his uerò concludimus, primùm quidem catholicum illud dogma, quod ab Apostolorum temporibus semper multa cum diligentia contra impuram philosophiam (non totam interim damnamus: scimus aliquot eius partes oppidò utiles esse pijs & pietatis studijs) defensum est, Deum non esse mali authorem uel caussam peccati. Deinde ex ijsdem colligimus, originem mali siue peccati, ex ipso deriuari homine, & impulsore seu incentore satana: ita tamen ut dicamus, hunc initiò quidem corruptum, corrupisse hominem, nihil tamen potuisse per se efficere, nisi sua sponte in malum consensisset homo. Atq; hic reuocandus est primus patris nostri Adæ lapsus ob oculos, ut rectius de origine mali iudicemus. Condidit Deus patrem omnium nostrum Adamū ad imaginem & similitudinem suam, hoc est, condidit ipsum optimum, integerrimum, sanctissimum, iustissimum & immortalem, instruxitq; ipsum donis & facultatibus præstantissimis quibusq;, ut ad beatitudinem ipsi in Deo nō deesset quicquam. De hac imagine paulò post plura dicemus ex Paulo. Polluit ergo intellectu planè diuino, puro & acutissimo. Voluntas ipsi erat liberrima & sanctissima. Facultates habebat faciendi bonum & malum. Præterea data est ipsi à Deo lex, quæ quid ageret aut quid fugeret ostenderet. Dicens enim Dominus, Ne comederis ex fructu scientiæ ligni boni & mali, postulauit Deus simpliciter obedientiam ac fidem, & ut totus penderet à Deo, idq; totum, nō necessitate adactus, sed liberè faceret. Nam & Sapiens ille Ecclesiastici 15. cap. sanctè & uerè scripsit, Deus ab initio creauit hominem, & permisit eum in manu consilij

filij sui. Adiecit mandata & præcepta sua, Si uolueris, mandata seruabis, ipsáque te uicissim conseruabunt. Ergo dum serpens animum hominis tentaret, suaderetq; gustare de arbore prohibita, homo quid ei obijceretur intellexit, nec ignorauit consilium serpentis pugnare cum mandato Domini. Non cogebat interim ipsum Dominus, non cogebat repugnantem satanas in serpente. Dixerat enim Deus, Ne comederitis ex illa arbore, neq; attigeritis, alioqui moriemini: ergo liberum & in manu consilij sui erat edere, uel non edere. Imò declarauit ei Dominus suam sententiam disertè præcipiens ne edat: & periculo adiuncto retraxit ipsum ab esu dicens, Ne fortè moriaris. Satanas quoque ut non potuit, ita non adhibuit uim ullam, probabiliter autem suasit, tandem & persuasit. Nam declinante uoluntate mulieris in uerbum diaboli, recessit mens eius à uerbo Dei, reiectaq; bona lege, malum opus ex peruersa uoluntate patrauit, denique maritum sponte sequentem traxit in mali consortium. Id quod scriptura hisce uerbis inculcat significantissimè, Et uidit mulier quòd bonum esset lignum ad uescendum, & oculis desiderabile & concupiscibile ad contemplandum, tulit de fructu eius, & comedit, dedit denique & uiro suo secum, qui & ipse comedit. En habes mali initium, diabolum, habes quid commouerit mentem seu uoluntatem hominis, falsum uidelicet diaboli elogium, seu fructus arboris præconium, adeoq; merum mendacium, & species delectabilis arboris. Sponte autem faciunt homines quod faciunt, spe ducti excellentioris uitæ sapientiæq; consequendæ, quam promiserat mendaciter seductor. Concludimus ergo peccatum oriri non ex Deo odiente & prohibente malum, sed ex diabolo primorumq; hominum libera electione, & deprauata per mendacium diaboli & falsam boni speciem, uoluntate. Ideò diabolus & obsequens deprauataq; hominis uoluntas, caussa sunt peccati seu mali uerissima.

Peccatum ex diaboli suggestione & praua nostra uoluntate existit.

Porrò malum hoc dimanauit ex primis nostris parentibus in omnem posteritatem, ut peccatum uel hodie non aliunde quàm ex nobisipsis, id est, ex corrupto iudicio & praua nostra uoluntate, deniq; diaboli suggestione exoriatur. Nam mali radix ex prima illa corruptione in nobis est, & progignit ex seipsa germen suæ conueniens naturæ, putridum: quod satanas nunc quoque sicuti ab initio rerum, suis artibus, dolis & mendacijs, ueluti plantans prolicit, prouehit & excolit: qui frustra alioqui laborat, nisi formandos nos ei præbeamus. Quò uerò in his minus sit dubij, & plus lucis, subiungemus confirmandi & declarandi gratia duo testimonia euidentissima, alterum quidem ex doctrina Euangelica, alterum ex doctrina Apostolica. Dominus in Euangelio dicit, Diabolus homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit: quia nō est ueritas in eo. Cùm loquitur mendaciū ex proprijs loquitur, quia mēdax est, atq; eius rei (mendacij inquā) pater. Ex hisce Domini uerbis disertissimis intelligimus malū referendū esse ad ipsum diabolū, qui in ueritate & bonitate conditus, in ueritate & bonitate non perstitit, sed defecit à sua natura, in qua bonus erat conditus, & desciuit sua culpa in naturā aliam, nempe malā, ac ex se sparsit omne malū (sicut modò patuit ex historia primorū parentum) in mundum, nempe cædes & mendacia (cōprehenduntur aūt sub his omnia mala) quorū dicitur disertè pater, id est, caussa, author, fons & origo: non quia cōditus sit talis à Deo, sed quia in ueritate nō stetit. Proinde obijcientibus hic nobis, A qua sit origine profectus satanas, an non & ipse cōditus à Deo? Respondemus, Deū cōdidisse omnes angelos, eos etiā qui postmodū facti sunt refugæ seu cacodæmones: cæterū ea de caussa malū non reflectitur in Deum. Nam scimus Deum ab initio omnes angelos creasse bonos. Omnia enim quæ condidit erant bona. Præterea dicitur dæmon in uero non stetisse, id est, defecisse à uero: à quo utiq; deficere non potuisset,

Ioan. 8.

nisi aliquando in ipso stetisset. Stabiliuit ergo omnes angelos Deus in uero ab initio. Requisiuit ab eis ueritatem, fidem seu fidelitatem & officium debitum: quod præstare si uoluissent, potuissent. Exciderunt autem perfidè à fide & peccarunt, ut Petrus Apostolus testatur, contra Dominum, ideoq́ culpa perfidiæ & omnis mali hæret non in Deo, sed in angelo refuga. Ex eo enim quo cecidit, nulla est in ipso ueritas, nulla fides, nulla integritas, nullus Dei timor, nulla lux aut bonitas. 1 Ioan. 3. Verè itaque dixit beatus Ioannes in Canonica sua, Qui committit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Est enim primus peccator & peccatorum origo. Est in his omnibus illud quoque obseruabile, quod à Petro & Ioanne dicitur dæmon peccasse. Peccatum enim pugnat cum uoluntate Dei: ergo Deus noluit illum perire, unde cùm periit, sua non Dei culpa periit.

Audiamus iam alterum testimoniũ de praua hominis uoluntate, uera utiq́ caussa peccati. Iacob. 1. S. Iacobus Apostolus dicit, Nemo cùm tentatur dicat se tentari à Deo. Nam Deus ut malis tentari non potest, ita nec ipse quenquam tentat: imò unusquisque tentatur, dum à propria concupiscẽtia abstrahitur & inescatur: deinde concupiscentia, posteaquã concepit, parit peccatũ, peccatũ uerò perfectũ progignit mortem. Clarè satis opinor Deum S. Iacobus omni culpa peccati liberat, totũ illud ex nobis deriuat, ostẽdens interim genesim & progressum peccati. Nec cõtradicit Iacobus mox ab initio Mosi dicẽti, Tentauit Deus Abrahamũ. Tentare enim in Mose significat periculum facere & experimentum capere. In præsenti uerò tentare significat solicitare aut pertrahere ad malũ adeoq́ & corrumpere. Deus ergo ut malis, inquit, tentari non potest, id est, sicut Deus natura bonus est & incorruptus, ita corrumpit, deprauat, & malo immergit neminem. Alienum enim hoc est à natura Dei. Vnde ergo exoritur malum? Respondet beatus Apostolus, & ait, Imò unusquisq́ tentatur siue corrumpitur, & in malum coniicitur, dum abstrahitur & inescatur à propria concupiscentia. En exoritur peccatũ ex nostra concupiscentia, præterea nostro opere proprio absoluitur perficiturq́. Ac singula quidem hæc sancti Apostoli uerba sunt emphatica. Primùm enim, Concupiscentiam nobis propriam facit, quemadmodum & de satana dixit Dominus, Cùm mendacium loquitur diabolus, ex propriis loquitur. Et quia concupiscentia nobis propria est, certè peccatum nobis quoq́ proprium est. Concupiscentia enim abstrahit, abstrahit autem à uero, iusto ac bono, nimirum ad falsum, iniustum & malum. Eadem inescat, id est, falsa spe facta aut proposita, decipit: ut solent aucupes esca allicere aues in retia, & deceptas capere & iugulare. Quid oro poterat dici clarius? Concupiscentia propria coniicimur in malum. Hæc abstrahit à Deo, & hæc inescat ac decipit. Deinde collocato peccati fundamẽto apertoq́ fonte, indicat peccati genesim, id est, ortum & progressum, idq́ allusione festiua per allegoriam. Concupiscentia, inquit, illa nobis propria ceu matrix concipit in nobisipsis peccatum, ac idem mox progignit, cum uidelicet exit in opus, & id quod concupiuimus cupidè prosequimur, & consecuto contra legem fruimur: quod protinus ipsa sequitur mors. Rom. 6. Stipẽdium enim peccati mors est. Demonstrauimus, opinor, his lucidissimis scripturarum testimoniis clarè satis, caussam peccati esse non Deum ipsum, sed corruptam nostram uoluntatem siue concupiscentiam ac diabolum, quippe qui illam agitat, excitat atq́ inflammat, utpote tentator & hostis omnis boni totiusq́ generis humani.

Respondetur ad obiecta.

Operæpretium fuerit aũt post illa audire quorundam contra hæc obiectiones, & quid secundum ueritatem ad ea responderi possit. Cùm ex praua hominis uoluntate & suggestione satanica non ex ipsa Dei natura peccatum deriuamus, obiiciunt quidã, Deum cõdidisse Adamum, ergo & peccatũ. Respondemus peccatum

esse

esse corruptionem bonæ naturæ à Deo conditæ, non creaturam à Deo in homine aut cum homine conditam. Bonum condidit Deus hominem, qui relictus suo consilio, suasore satana, bonitatem à Deo conditam in se suo actu & uoluntate sua praua corrupit: ut iam peccatum proprium sit hominis, actio inquam praua contra legem Dei, non creatura creata in homine Dei. Regerunt, An uerò uoluntas & facultas quæ erant in Adamo aliunde quàm ab ipso Deo erant? Sanè non aliunde. Aiunt, Ergo & peccatum est ex Deo. Nego. Deus enim non dedit uoluntatem & facultatem operandi Adamo, ut malum faceret. Nam lege lata malum prohibuit. Ipse ergo Adam uoluntatem & facultatem acceptam à Deo, malè collocauit, malè ipsis utens. Accepit pecuniam filius prodigus à patre, non ut prodigeret luxuriosè uiuendo, uerùm ut haberet quantum satis esset necessitati. Proinde cùm iste pecuniam malè collocat ac perit, sua, non patris culpa perit, tametsi pecuniam acceperit à patre. Præterea habere facultatem faciendi bonum & malum, quam à Deo Adam habebat, omni culpa & uitio caret: perinde ut uenenum habere, gladium aut sicam gerere. Ac habent hæc uim & commodandi & incommodandi. Abusus uitio uertitur. Et qui tibi illa suppeditat, usum earum tibi relinquit. Quòd si iustus est, ad uerum ea tibi usum, non ad abusum concedit. Quapropter cùm illis abuteris, culpa tibi abutenti non autem concedenti imputatur. Iam cùm Deus, qui uoluntatem & facultatem Adamo dedit, iustissimus sit, nimirum illas ad bonum non ad malum patrandum dedit: cur ergo iustissimo impingitur quod homini peccatori non impingitur? Concludimus ergo, quandoquidem affectus in Adamo per sensum commotus, & à serpente instigatus suasit edere de pomo prohibito, cùm interim intellectus adhuc teneret uerbum Dei prohibentis edere, cumque ipsa eius uoluntas libera esset, ut in hanc uel illam inclinare posset partem, in peiorem autem inclinauit, & illud ipsum elegit ac uoluit quod prohibuit Deus, profectò peccatum est hominis propriè præuaricantis, & nō legislatoris præuaricationem prohibentis.

Hîc rogant, Cur autem ita condidit Deus hominem, ut uoluntate sua in malum quoque inclinare posset: quare non potius bonitatem naturæ in eo confirmauit, ut non posset cadere uel peccare? Respondet adhæc scriptura, & dicit, Quis tu, ut ex aduerso respondeas Deo? Væ ei qui contēdit cum factore suo. Vę qui dicit patri, Quid generas? & matri, Quid parturis? Nisi uerò labilem condidisset hominem Deus, nulla fuisset laus operis siue uirtutis. Nam necessitate fuisset bonus. Quid quòd labilem omnino oportebat condi hominem? Ita enim poscebat ipsum Dei ingenium. Deus gloriam suam non dat ulli rei conditæ. Adam homo erat, non Deus. Et ut Deus benignus & liberalis, sic etiam iustus est. Benefacit hominibus: sed idem uult, ut homines agnoscant Deum eiusque beneficia, obediāt & grati sint. Innumera autem beneficia contulerat in Adamū, restabat ergo ut occasionem ipsi daret declarandæ gratitudinis & obedientiæ seu subiectionis. Eam uerò lege lata obtulit. Videmus ergo hîc Deum non sanciuisse legem, ut impingeret homo & caderet: sed magis ne impingeret. Lege enim quid fieri uelit, indicat. Indicat autem quòd nolit mortem & interitum Adami: indicat quid agat, quo effugiat mortem, felix & beatus sit. Vnde etiam facilis & exposita erat lex, De arbore scientiæ boni & mali, inquit Dominus, nequaquam comedes, alioqui morieris: de omni autem ligno horti comedes aliàs. Hoc quid erat aliud quàm si dixisset? Me respicies in omnibus, mihi adhęrebis, mihi obedies, mihi te subijcies ac seruies: neque aliunde petes formulas boni & mali quàm ex me: atque ita te mihi gratum & obsequentem exhibebis. An in his iniqui aliquid postulauit ab Adamo Deus? Arborem uerò ei

Cur Deus condidit hominem labilem.

Esa. 45.
Rom. 9.
Sap. 15.

Lex data Adamo cur.

ostendit tanquam symbolum eius, quod lege lata iniunxerat, nempe obediendum esse Domino soli, utpote sapiēti & benefico, optimo, maximo, Deo & creatori suo. Ac quid oro in his erat difficultatis aut obscuritatis? Nobiscum sentit S. Augustinus qui libro de natura boni aduersus Manichæos cap. 35. Ad hoc, inquit, prohibuerat, ut ostenderet naturam animę rationalis, non in sua potestate, sed Deo subditam esse debere, & ordinem suæ salutis per obedientiam custodire, per inobedientiam corrumpere. Hinc & arborem quam tangi uetuit, sic appellauit dignoscentiæ boni & mali: qui cùm eam contra uetitū tetigisset, experiretur pœnam peccati, & eo modo dignosceret, quid interesset inter obedientiæ bonum, & inter inobedientiæ malum. Iam uerò cùm subrepsit serpens, & homini alias formas boni & mali suggessit, legi Dei ex diametro contrarias, homo autem eas recepit, perfidè à Deo defecit, sua certè culpa inobediens interijt. Vnde iustè egit Deus ubique semper, iniustissimus apparet homo & ingratissimus utcunque rem æstimes.

Nihil infirmitatis aut corruptionis in primo homine fuit.

Cæterùm cùm labilem dicimus conditum hominem, id non ita intelligi uolumus, quasi uel tantillum infirmitatis in primo illo homine ante lapsum fuisse existimemus. Nam ut modis omnibus absolutissimus, sic nullo modo ut peccaret aut interiret creatus fuit. Nam Deus qui unus est substantia, trinus personis, dixit, Faciemus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram. Est autem Zælæm effigies & imitamentum alterius, Demuth uerò est ipsum exemplar à quo effigies deformatur. Proinde est in ipso Deo exemplar, ad cuius imitationem formatur effigies uel similitudo. Porrò nequit hæc esse ipsum corpus. Nam Deus spiritus est, alienissimus à natura luti: necesse est ergo imaginem Dei referre ad spiritualia, nimirum ad immortalitatem, ueritatem, iustitiam, & sanctimoniam. Ita enim scriptum reliquit beatissimus Apostolus Paulus Renouamini spiritu mentis, & induite nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est in iustitia & sanctitate ueritatis. Proinde nihil ad absolutissimam perfectionem primo defuit homini: ut sic uel cæco appareat, hominem non ad mortem & interitum esse creatum, sed ad uitam & beatitudinem seu felicitatem plenam.

Imago Dei.

Præsciuit lapsum hominis.

Verùm, inquiunt, præsciuit Deus lapsum hominis, quem si uoluisset, impedire potuisset: iam cùm non impediuit, Dei culpa Adam peccauit. Egregia uerò censebitur disputatio, si Dei timore posito, quælibet in buccam uenientia, contra maiestatem Dei expuere licet. Responsum est mox ab initio huius disputationis ad hanc obiectionem. Præterea non sequitur ex præscientia Dei ulla necessitas, ut necessitate peccarit Adam, quòd ipsum peccaturum præsciuit Deus. Præscit prudens aliquis pater ex signis aliquot funestis, aliquando filium suum perimendum gladio. Nec fallit prędscientia. Confoditur enim propter fornicationem. Atqui non ideò confossus creditur, quia pater ipsum prænouit perimendum: sed quia adulter fuit. Ideoque S. Ambrosius, siue quisquis tandem is author fuerit, lib. de Gentium uocatione cap. 4. de parricidio Caini loquens, Vtique præsciebat Deus, inquit, ad quem finem progressurus esset furor insanientis. Neque ex eo quòd falli scientia diuina non poterat, necessitate peccandi urgebatur facinus uoluntatis, &c. Et Augustinus libro de Libero arbitrio, lib. 3. cap. 4. Sicut tu memoria tua non cogis facta esse, ait, quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. Et sicut tu quædam quæ fecisti, meministi: nec tamen quæ meministi omnia fecisti: ita Deus omnia quorum ipse author est præscit, nec tamen omnium quæ præscit ipse author est. Quorum autem non est malus author, iustus est ultor. Et reliqua.

Proximæ obiectioni cognata est sequens, Deus ab æterno, inquiunt, decreuit genu

genus humanum liberare ex seruitute: ergo fieri non potuit quin prius seruituti implicaremur: oportuit ergo nos immergi peccato, ut per hoc elucesceret Dei gloria iuxta illud Apostoli, Vbi exuberauit delictũ, ibi exuberauit & gratia. Mirum uerò istos non illud magis apud se perpendere, deum sibi ex seipso etiam sine nobis ad beatitudinem felicitatemq́ue esse satis, ac gloriam eius, etsi nulla unquã creatura prodijsset in lucem, pertingere supra omnes cœlos. An non ab æterno Deus? At non ab æterno creatura est. Est autem gloriosus Deus ab æterno: ergo sine nobis gloriosus est. Quis uerò ita ineptiat, ut existimet lucem illam æternam aliquid gloriæ accipere à nostris tenebris, à putore illo nostro atque peccatis? An sine nostris sceleribus nulla erat futura Dei gloria? Sapiens in Ecclesiastico, Ne dicas, Defeci, inquit, impulsu domini. Non enim debes quæ odit facere. Ne dicas, ipse me in errorem impulit. Non enim ei uiro peccante opus est. Vel, Non enim necessarij sunt ei homines impij. Omne nephas odit dominus, nec probatur eiusdem cultoribus. Quare ergo non inuertimus ratiocinationem nostram, & ita, ut res habet, colligimus? Deus ex bonitate & liberalitate sua, qua distrahi quasi cupit ac se omnibus ad felicitatem impartiri, ab æterno decreuit creare hominem ad suam imaginem & similitudinem: sed quoniam præuidit illum ruiturum in fœdam seruitutem, liberatorem ex eadem gratia & bonitate sua præordinauit, ut se ita nobis impartiretur & nos laudaremus gratiam eius, ac gratias ageremus bonitati eius. Ita uerò quod peccauimus homines, & in nostram conuertimus perniciem, Dominus rursus conuertit in bonum & ad salutem nostram. Sicuti quondã etiam in rebus Iosephi & fratrum eius, quæ harum rerum typus quidã sunt, fecisse legitur dominus. Et nos omnino hoc negotium disputando totũ huc conuertere debemus, ut soli Deo omnis cedat gloria, nobis aliud nihil quàm confusio faciei.

Restant ultimò adhuc aliquot scripturarum loci perstringendo explicandi. Dixit sanè Apostolus Paulus, Tradidit eos in reprobum sensum. Sed illud tradere, quod & Augustinus dicit, iudicij & iustitiæ opus est. Digni enim erant qui traderentur in sensum reprobum. Caussa præcessit in uerbis Apostoli. Nam Deus se illis manifestauit: illi uerò non tantùm ingrati fuerunt Deo, sed suæ potius sapientiæ innitentes, cultum nescio quem, deo uoluerunt obtrudere: ergo ut experirentur se stultos & impios esse, tradidit eos Deus in cupiditates fœdas. Ita noluit audire dominum Amazias rex, quia dominus statuerat eius punire flagitia: sicut legitur 4. Reg. cap. 14. & 2. Paralip. 25. cap. Ita miscuit dominus pseudoprophetis spiritum erroris, & seduxerunt Ægyptum. Isaiæ 19. Ita exiuit spiritus seductor, uel cacodæmon à domino iudicij, & fuit spiritus mendax in ore omnium prophetarum. 3. Reg. ultimo. Facit autem ista omnia dominus æquo & sancto iudicio. Idem Occæcare dicitur quoties lucem ueritatis contemptam reuocat uel aufert, & tenebris gaudentes, in tenebris perplexos hærere sinit. Tunc enim ingratis & prophanis uerbum suum ad iudiciũ annunciare permittit. Sic sanè docet nos sentire euangelica & apostolica doctrina. Hæc, ait dominus, est cõdemnatio, uel hoc est iudicium, quòd filius Dei ipsa lux uera uenit in mundum, & mundus plus dilexit tenebras quàm lucem. Et Apostolus Christi Paulus, Si adhuc uelatũ est euangelium nostrum, ait, in his qui pereunt uelatum est: in quibus Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, &c. Iuxta eandem rationem indurare dicitur Deus. Cum enim uocat hominem dominus, & is reluctatur & indignum se facit regno cœlorum, permittit ipsum sibijpsi: id quod aliud non est quàm suæ naturæ corruptæ hominem relinquere, iuxta quam homini est cor saxeum, quod sola Dei gratia molle uel tractabile redditur: ergo subtractio gratiæ, induratio est: & cum

Quomodo deus tradit in sensum reprobum.

Iob 1. cap.

Excæcare.

Joan 3.

2 Corin 4.

Indurare.

nobis ipsis relinquimur, induramur. Pharao rex Ægypti infanticidio nephando, tyrannide & alijs peccatis multis, contra legem naturæ commissis, offenderat oculos diuinæ & iustissimæ maiestatis: nihil ergo mirum quòd indurauit cor eius. Porro si quis hanc interpretationem non recipit, negare tamen non potest Deum in scripturis nostris uti loquutionibus. Nobis autẽ in usu est dicere, Hic pater filium indulgentia sua corrumpit & indurat (macht jn halßstarck.) Pater autem non ideo indulget ut perdat, sed ut seruet: filius reuera abusu indulgentiæ paternæ se perdit & indurat. Idcirco propria sua non patris culpa induratur filius, qui tamen dicitur indurari à patre. Et reuera si diligenter inspicias historiam Pharaonis in Exodo, inuenies non semel repeti hanc sententiam. Et indurauit Deus cor Pharaonis, cum præcessit beneficium aliquod & liberatio à malo. Quasi dicat scriptura, Hoc beneficio liberationis à malo indurauit Deus cor Pharaonis, dũ hic abuteretur Dei bonitate, arbitrareturq́ iam omnia fore extra periculũ tuta, quòd Deus præsens supplicium sustulisset, ac iam benefaceret. Interim fateor & ante beneficia, ante pœnas illatas, imò mox ab initio uocationis Mosis, dixisse dominũ, Ego scio quòd rex Ægypti non sinet uos abire. Item, Vide tu ut coram Pharaone facias omnia signa & prodigia quæ posui in manu tua: ego uero indurabo cor Pharaonis, ut non dimittat populum. Cæterum hæc non dicuntur in hunc finem, ut faciamus Deum authorẽ omnis pertinaciæ, perfidiæ & rebellionis Pharaonicæ: sed magis ad cõsolationem & confirmationẽ Mosis, qui sic præmonetur, ut cum sedulò agit cum rege, nec tamen quicquam impetrat, nihilominus sciat se agere Dei negotium, deumq́ sua longanimitate in caussa esse pertinaciæ illius, interim tamen omnia rectè ad gloriam suam temperaturum. Perinde ac si paterfamilias ableget seruum suum ad debitores suos, dicens, Abi tu & repete debita: scio autẽ te nihil ab illis accepturum. Ego enim mea lenitate benignitateq́ difficiles reddã. Tu uerò fac tuum officium: ego interim uidebo quid facto opus sit. His accedit quod in illis ipsis capitibus, in quibus toties repetitur, Indurauit Deus cor Pharaonis, subinde & hoc repetitur, quod indurationis culpam regerit in ipsum Pharaonem, Induruit cor Pharaonis & non audiuit eos. In cap. 9. probè castigatus Pharao dicit, Peccaui etiam nunc, Dominus iustus est, ego uerò & populus meus iniusti uel impij. Et mox, Videns autem Pharao quòd pluuia cessasset, perrexit peccare & aggrauauit cor suum, & induratum est nimis. Hæc autem & similia conferenda sunt cum hisce uerbis, Ego indurauit cor Pharaonis, colligendusq́ pius sensus, qui deum iustissimum non authorem mali faciat. Iam uerò clarè satis dicit Amos cap. 3. Non est malum in ciuitate quod dominus non faciat. Verùm Augustinus cõtra Adimantum cap. 26. orthodoxè scriptum reliquit, Malum hoc loco, non peccatum, sed pœna intelligenda est. Duppliciter enim appellatur malum, Vnum quod homo facit: alterum quod patitur, pœna. De pœna autem loquitur propheta. Diuina enim prouidentia cuncta moderante & gubernante, ita homo malum facit, quod uult, ut malè patiatur quod non uult. Ita ergo Deus malum facit, quod non ipsi Deo malum est, sed eis in quos uindicat. Itaq́ ipse quantum ad se pertinet, bonum facit: quia omne iustum bonũ est: & iusta est illa uindicta. Non aliter intelligendum est malũ & in his Isaiæ uerbis cap. 45. Ego dominus, & nullus ultra, formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem & creans malum: ego dominus faciens omnia ista. Nam malum, id est, bellum opponit paci. Rursus S. Augustinus de Natura boni contra Manichæos cap. 28. Cum audimus, inquit, omnia ex ipso & per ipsum & in ipso, omnes utiq́ naturas intelligere debemus, quæ naturaliter sunt. Neq́ enim ex ipso sunt peccata, quæ naturam non seruant, sed

Margin notes: Indurauit Deus cor Pharaonis. — Exod. 4 (handwritten) — Malum quomodo faciat Deus. — Omnia ex ipso & per ipsum & in ipso.

sed uitiant: quæ peccata ex uoluntate esse peccantium, multis modis sancta scriptura testatur. Hæc ille. Nec difficile est respondere ad illam Solomonis sententiam, Omnia propter se condidit dominus, impium quoque ad diem malum. Prou. 16. Credimus enim Deum iustissimum, certum diem afflictionis iudicij uel supplicij designasse impijs, in quem suo tempore impingent. Quod uerò Apostolus dicit, Miseretur cuius uult, & quem uult indurat, non huc detorquebimus, quòd quenquam necessitate adigat ad peccandum Deus, & ita fiat peccati caussa. Voluntas enim dei bona est & iusta, nec uult aliud quàm quod conueniens est, minimeque pugnat cum natura & uerbo Dei. Ideo enim propheta clamauit, Iustus dominus in omnibus uijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Psal. 145. Ista uerò paucula ex multis de caussa peccati hactenus C. V. expēdenda proposuimus.

Descendimus iam ad illustrandas primas in descriptione peccati, mox ab huius Sermonis initio propositas partes. Sunt autē duæ. Prior, Peccatum est corruptio natiua hominis. Posterior, Et quæ ex ipsa existit actio repugnās legi Dei. Certè alij non inconsulti genera, uel species uel discrimina peccati ponentes dicunt, Peccatum aliud est Originale, aliud uerò Actuale. De singulis quod dederit dominus, ordine dicemus, & primùm de natiua illa hominis corruptione, hoc est, de Peccato originali. Appellatur autem originale uel originis peccatum, quod à prima uenit origine, nempe à primo parente in omnes deriuatum propagine uel traduce. Hoc etenim ex utero materno in nostra natura nobiscum adferimus in hanc uitam. *Discrimina peccati.* *De Originali peccato.*

Huius peccati uariæ ponuntur definitiones, quæ tamen ut inter se non dissentiunt, sic alia clarior & plenior est altera. Alij, Peccatum originale, est corruptio, inquiunt, naturæ à prima perfectione. Alij, Est naturæ hominis corruptio, quæ efficit ne uerè obediamus legi Dei, nec simus sine peccato. Alij defectum uocant: alij concupiscentiam: quæ tamen uideri poterat fructus esse originalis peccati, id est, corruptionis nostræ. Alij appellant appetituum inordinationem, quæ reliqua est in natura. Anshelmus scriptor neotericus, Originale peccatum est carentia, inquit, originalis iustitiæ. Verùm hoc satis accisè dixisse putatur. Vis enim peccati non uidetur satis exprimi. Nam natura nostra non tantùm inops & uacua est boni, sed omnium malorum fertilissima. Melior ergo habetur Hugonis illa, Originale peccatum est ignorantia in mente, & concupiscentia in carne. At multo melior pleniorque hæc esse uidetur, Originale peccatum est uitium & deprauatio totius hominis, qua Deum & eius placita, nec nosse, nec animo persequi potest, sed ex peruerso de rebus iudicio, perperam agit peruertitque omnia. Cum his autē finitionibus omnibus etiam hanc C. V. considerandā proponimus, Originale peccatum est hæreditaria naturæ nostræ prauitas atque corruptio, quæ primùm nos facit reos iræ diuinæ, deinde opera in nobis profert, quæ scriptura carnis appellat. Peccatum ergo hoc originis nec dictum nec factum nec cogitatum quidem est, sed morbus siue uitium, deprauatio, inquam, iudicij & concupiscentiæ, uel corruptio totius humanæ naturæ, id est, intellectus & uoluntatis omniumque uirium humanarum, unde demum cuncta prauè cogitata dicta & facta proueniunt. *Quid peccatū originale.*

Originem trahit ex protoplasto, ideo enim dicitur hæreditaria naturæ nostræ prauitas atque corruptio. De protoplasti corruptione & peccato, ex quo nascimur omnes peccatores, abundè satis dictum est in caussa peccati, sed & paulò post sequentur paucula quædam, ut non sit hic necesse quicquam repetere: ad alia ergo conuertimur. *Origo peccati originalis.*

Pelagiani negarunt hoc malum esse hæreditarium. Nam ipsius Pelagij uerba *Pelagiani.*

hæc sunt, Vt sine uirtute, ita sine uitio procreamur. Atq; ante actionem propriæ uoluntatis, id solum in homine est, quod Deus condidit. Tectius hic quidem, at Cælestius Pelagij consors, apertius uirus hoc euomuit, ac dixit, In remissionem autem peccatorum baptisandos infantes non ideo diximus, ut peccatum ex traduce firmare uideamur, quod longe à catholico sensu alienum est. Quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine: quia non naturæ delictum, sed uoluntatis esse demonstratur. Rursus Pelagius dixit, non tantũ primo homini, sed etiam humano generi primum illud obfuisse peccatum: uerũ mox adijcit, Non propagine, sed exemplo, id est, non quòd ex illo aliquod traxerint uitium, qui ex illo propagati sunt, sed quòd eum primum peccantẽ imitati sunt omnes qui postmodum peccauerunt. Hæc extant apud Aurel. August. de Peccato originali contra Pelagium & Cælestium lib. 2. cap. 6. 13. & 15.

Esse in homine & nasci cum ipso malum hæreditarium.

Demonstrandum ergo nobis ex sanctarum scripturarum testimonijs, esse in homine hæreditarium malum, & nasci nobiscum originis peccatũ, id est, omnes homines peccatores in mundum nasci. Clamat ergo disertis uerbis Dauid Psalm. 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Siue ut habet alia ex Hebræo uersio, Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato fouit uel calefecit me mater mea. Id est, tum protinus adhærescebat mihi peccatum & iniquitas, cum conciperer & alerer in utero materno. Id quod proculdubio non erat ex uitio matrimonij: sanctum enim & impollutum est cubile coniugum: sed ex traduce & propagine. Nam Iob in cap. 14. clarè dicit, Quis dabit aut proferet purum uel mundum ex immunda (nimirum massa) ne unus quidẽ, haud dubiè, proferri poterit. Eius generis sequuntur & alia quædam in Iobi cap. 15. & 25. Clarissimè uerò sanctus Christi Apostolos Paulus ad Romanos 5. Quemadmodum, ait, per unum hominem peccatum in mũdum introijt, ac per peccatũ mors, & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauerunt. Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo: porrò peccatum non imputatur cum non est lex. Imò regnauit mors ab Adam usq; ad Mosen in eos quoq; qui non peccauerant ad similitudinem transgresionis Adam, &c. An non hisce uerbis propagationem peccati clarissimè ostẽdit Apostolus, dicens, Per unum hominem intrauit peccatum in mundum. In omnes homines mors peruasit, quatenus scilicet omnes peccauerunt, nimirum quatenus omnes obnoxij sunt corruptioni. Imò ne ulli uel ante Mosen, uel post Mosen exciperẽtur homines, subiungit, Regnauit mors ad Adam usque ad Mosen, in eos quoq;, qui non peccauerant ad similitudinem transgresionis Adam, id est, qui nondum sua & propria quidem uoluntate, sicut ille, peccauerant, sed ab ipso originis peccatum traxerant. S. Augustinus hæc plenius excutit & tractat libro de Peccatorum meritis & remisione primo, cap. 9. 10. 11. & sequentibus. Rursus uerò Paulus in 7. ad Rom. cap. hoc malum, inhabitans appellat peccatum, nimirum congenitum. Addit enim, Ego carnalis sum, uenditus sub peccatum. Et, Noui quòd non habitet in me, id est, in carne mea, bonum. Ideoq; & beatus Apostolus & euãgelista Ioannes, Si dixerimus, inquit, peccatum non habemus, nosipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Significanter autem dixit habemus, non habuimus aut habebimus. Nam id ex natura corrupta proprium habemus. Proinde constat iam falsum esse quod Pelagiani finxerunt, nos procreari sine uitio: falsum est, uoluntariam duntaxat actionem non etiam corruptionem & deprauationem quæ nondum prorupit in opus prauum, esse peccatum. Et Augustinus alicubi originale uocat & ipsum uoluntarium peccatum, idq; ratione duplici, Principiò non per se quidẽ, sed respectu Adæ, quia ex primi hominis

Voluntariũ esse peccatum.

Hebræ: 13.

1 Joan. 1.

minis mala uoluntate factum, à nobis hæreditarium contrahitur. Deinde quòd cupiditas praua nuncupari posit uoluntas. Nam libro Retract. 1. cap. 15. Si quisquam dicat, inquit, etiam ipsam cupiditatem nihil esse aliud, quàm uoluntatē, sed uitiosam tamen peccatoq́; seruientem, non resistendum est: nec de uerbis, cum res constet, controuersia facienda. Sic enim ostenditur sine uoluntate nullum esse peccatum, siue in opere, siue in origine. Hæc ille, qui nonnulla huius generis affert etiam in 3. lib. contra Iulianum Pelagianum cap. 5. Nobis satis fuerit etiā sine illis, ex scripturarum testimonijs didicisse, peccatum esse non tantùm actionem uoluntariam, sed etiam corruptionem hæreditariam.

His omnibus nihil repugnat quod in Ezechiele dominus dicit, Filius non portabit iniquitatem patris, sed quisq; in suo peccato morietur. Non enim noceret nobis lapsus Adæ, si non ex ipso omnibus nobis ea innasceretur peruersitas, quæ digna est dei iudicio. At uerò cum omnis propensio, omne ingenium & studium naturæ nostræ etiam in puero unius diei, pugnet cum diuina puritate & uoluntate, quæ sola bona est, profectò nemo propter patris, sed quisq; propter suum proprium punitur peccatū, inuaduntq́; pueros omnes calamitates: quos his corripi uidemus sancto & iusto dei iudicio. *Ezechiel. 18.* *Filius non portabit iniquitatem patris.*

Nihilo firmius est quod obijcitur, liberos à sanctis parentibus nō posse ullam contrahere corruptionem. Nam descendunt ex generatione carnali, non ex regeneratione spirituali. Et quod Apostolus dixit, Sanctificatus est uir infidelis in uxore, & sanctificata est uxor in uiro: alioqui liberi uestri immundi essent, nunc autem sancti sunt, his nostris non repugnat. Sancti enim appellantur non generis aut natiuitatis prærogatiua, quasi sic sine uitio nascantur pueri: sed quòd natura quidem corrupti geniti, fœderis & gratiæ uirtute puri sint, & impuritas eis non imputetur, propter Christum uel remissionem, quæ sic pronunciata est, Ero Deus tuus & seminis tui post te. Quondam enim & isti liberi qui ex semine Abrahæ erant, sancti & benedicti erant, qui tamē nihilominus circuncidebantur. At quid oro opus erat circuncisione seu purgatione, si nihil erat ex natiuitate impuritatis? *A sanctis nasci parentibus.* *1 Corin. 7.*

Falsissimum itaque est illud quoq; quod Celestium Pelagianum dixisse audiuimus. In remissionem peccatorū baptisandos infantes non ideo diximus, ut peccatum ex traduce firmare uideamur: quod longe à catholico sensu alienum est. Nam catholicum illud est, quod circuncisi sunt liberi Iudæorū, non tam quòd fœderis erant consortes, quàm quòd omnis uetustas sanctorum patrum sic confitebatur in infantibus esse aliquid quod putatione opus haberet, hoc est, quod gratia Dei remitteret, nec imputaret ad mortem. Catholicum illud est, quod baptisantur infantes Christianorum, non tam quòd Dei sunt, gratuitò in fœdus Dei recepti, quàm quòd in eis est ex natiuitate quod gratia sua abluit dominus, ne inferat mortem. Imò non potest esse catholicum, quod pugnat tam apertè cum tot illustribus scripturæ testimonijs, approbantibus in infantibus ex propagatione esse peccatum. His accedit quod beatus Augustinus libro contra Iulianum Pelagianum primo, cap. 2. præstantissimorum in Ecclesia episcoporum doctorumq́; testimonia congerit, quibus ostendit omnes Ecclesiarum ministros, ab Apostolorum temporibus, agnouisse & palam docuisse peccatum originale. Profert autem testimonia Irenæi, Cypriani, Retitij, Olympij, Hilarij, Ambrosij patris & præceptoris sui in Christo, Innocentij, Gregorij, Basilij, Ioannis Chrysostomi. Tandem, An tantam consensionem, inquit, sacerdotum catholicorum, conspirationem dicturus es perditorum? Nec sanctum Hieronymum, quia presbyter fuit, contemnen- *Catholicum dogma de peccatō originali.* *Omnes antiqui doctores confitentur peccatū originale.*

dum arbitreris, qui Græco & Latino, insuper & Hebræo eruditus eloquio, ex occidentali in orientalem transiens ecclesiam, in locis sanctis atque in literis sacris, usque ad decrepitam uixit ætatem. Hic omnes uel penè omnes, qui ante illum ex utraque parte orbis de doctrina Ecclesiastica scripserant, legit: nec aliam de hac re tenuit promspsitque sententiam. Et iterum idem libro de Peccatorum meritis & remissione tertio, cap. 7. sic scriptum reliquit, Hieronymus cum Ionam exponens ad eum uenisset locum, ubi cõmemorantur etiam paruuli ieiunio castigati, Maior inquit, ætas incipit & usque ad minorem peruenit. Nullus enim absque peccato, nec si unius quidem diei fuerit uita eius, & innumerabiles anni uitæ eius. Si enim stellæ mundæ non sunt in conspectu Dei, quanto magis uermis & putredo, & hi qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxij? His addit Augustinus, Hunc doctissimum uirum si facilè interrogare possemus, quàm multos utriusque linguæ diuinarum literarum tractatores, & Christianarum disputationum scriptores cõmemoraret, qui non aliud ex quo Christi ecclesia est constituta, senserunt, nõ aliud à maioribus acceperunt, non aliud posteris tradiderunt. Ego quidem quamuis longè pauciora legerim, non memini me aliud audijsse à Christianis, qui utrunque accipiunt testamentum, non solum in catholica Ecclesia, uerum etiam in qualibet hæresi uel schismate constitutis, non memini me aliud legisse apud eos, quos de his rebus aliquid scribentes legere potui, qui scripturas canonicas sequerentur, uel sequi se crederent, crediue uoluissent. Hæc Augst. docens mox ab initio concordi doctrinæ genere omnes sanctos originale peccatum in infantibus disertissimè confessos esse. Mihi uidetur S. Hieronymus non in Ionam duntaxat, sed in Ezechielem longè apertius asseuerasse originale peccatum. Verba eius habentur in Comment. lib. 14. in cap. 47. ad Ezechielem, ac sunt huiusmodi, Quis hominum gloriari potest castum se habere cor: uel ad cuius mẽtem per oculorum fenestras, mors concupiscentiæ non introibit, & (ut parum dicam) animi titillatio? Mundus enim in maligno positus est: & à pueritia appositum est cor hominis ad malum: ut ne unius quidem diei à natiuitatis suæ exordio sine peccato sit humana conditio. Vnde & Dauid confitetur in Psalmo, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Non in iniquitatibus matris meæ, uel certè meis, sed in iniquitatibus humanæ cõditionis. Vnde & Apostolus dicit. Regnauit mors ab Adam usque ad Mosen, etiam super eos qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ. Tantum ille: & nos hæc omnia hactenus protulimus ut astrueremus peccatum originale esse corruptionem naturæ humanæ natiuam uel hæreditariam.

Psal. 51.

Qualis et quanta deprauatio naturæ.

Videamus porrò qualis & quanta sit ista naturæ nostræ hæreditaria prauitas atque corruptio, & quid efficiat in homine. Natura quidẽ nostra, sicuti prius ostendimus, optima & præstantissima fuit in patre nostro ante lapsum, sed post lapsum facta est iusto dei iudicio pessima & corruptissima, quæ & talis in nos omnes propagata est. Id quod res ipsa & experiẽtia cùm in infantibus seu paruulis, tum etiã in adultis liquidò claret. Nam specimina edunt paruuli luculentæ deprauationis, mox atque aliquid agere etiam antequam loqui perfectè cœperint. Intellectus est nobis omnibus hebes, obtusus, crassus, adeoque cæcus planè in rebus diuinis. Iudicium in rebus cœlestibus habemus peruersissimum. Horribiles enim & absurdissimæ cogitationes & opiniones exoriuntur in nobisipsis de deo & iudicijs omnibusque operibus Dei. Quid quod totus animus noster propendet & procliuis est ad errores, ad fabulas & ad nostram perniciem? cumque iudicamus ineptissimè, nostra tamen iudicia longè anteferimus diuinis, quæ nobis præ humanis illis nostris

stulta

stulta admodum uidentur. Neque enim mentitus est, qui dixit, Animalis homo non accipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere quòd spiritualiter dijudicantur. Appellauit autem Paulus animalem hominem, uitali anima uiuentem naturaliter, nondum renatũ. Tales uerò cùm adhuc sumus, toti certè regimur à philautia. Est ea amor & studiũ sui nimium, quo nobis omnia nostra eximiè placent, nostrisque commodis impensè studemus, omnibus alijs interim uel neglectis, uel etiam afflictis. Nec temerè Plato id uitij malorum omnium fontem existimauit. Præterea uoluntas tota nostra captiua ducitur à concupiscentia, quæ ueluti radix imbuta ueneno, omnia hominis inficit, hominemque inclinat, trahit & impellit ad carnalia & uetita Deoque contraria, ut ipsa persequatur cupidè, in eis omnem quærat delectationem ac conquiescat. Iam & facultates ad bonum sunt nobis nullæ. Segnes enim ignaui & torpidi sumus ad omne bonum, prompti uerò & alacres ad res pessimas quasque. Et ut semel finiam, breuibusque totam uim prauitatis corruptionisque nostræ hæreditariæ exprimam, deprauatio illa naturę nostræ aliud non est quàm imaginis Dei in nobis expunctio. Imago Dei erat ante lapsum in patre nostro Adamo, quæ fuit, iuxta interpretationem Apostolicam, conformitas & participatio diuinæ sapientiæ, iustitiæ, sanctitatis, ueritatis, integritatis & innocentiæ, adde & immortalitatis felicitatisque æternæ. Ergo quid aliud obliteratio aut expunctio huius imaginis esse potest, quàm peccatum originis, uidelicet odium Dei, ignorantia Dei, stultitia, diffidentia, desperatio, φιλαυτία, iniustitia, immunditia, mendacium, hypocrisis, uanitas, corruptio, iniuria, & consceleratio, adde & mortalitas infelicitasque æterna? Hęc imago & similitudo propagata est in nos omnes, iuxta quod legimus 5. cap. Gen. Adam genuit in similitudine & imagine sua filium. Proinde qualis erat corruptus, deprauatus & calamitosissimus Adam pater noster, tales nos genuit filios: sic ut omnes nos qui ab impuro semine descendimus, peccati contagione nascamur infecti. A radice enim putrefacta, rami putridi prodeunt, qui suam putredinem transmittunt in alios ex se nascentes surculos.

1 Corin. 2.

Deprauatio nostra, est imaginis Dei obliteratio.

Et hoc quidem malum, hæc corruptio, hoc peccatum, quamuis in infantibus lateat, nondum per ætatem teneram erumpat in opus, propriè tamen peccatum, & huiusmodi quidem peccatum est, quod eos agit reos iræ diuinæ, separatque à consortio Dei. Cum Deo enim sanctissimo & igne consumente nemo nisi immaculatus & purissimus habitare potest. Et Paulus, Omnes, inquit, peccauerunt, & destituuntur, siue egent gloria Dei. Gloria hæc Dei, ipsa est imago Dei: hac quia destituuntur originali peccato deprauati, repelluntur meritò à consortio Dei. Huc pertinet præterea tota illa disputatio quam habuimus Sermone 4. Decadis 3. de Concupiscentia: ubi docui ipsam concupiscentiam nondum in opus productam, peccatum & huiusmodi peccatum esse, quod omnes homines maledictioni subdat diuinæ. Scriptum est enim, Maledictus omnis qui non manserit in omnibus quę scripta sunt in libro legis huius. Proinde hic est primarius effectus peccati originalis, quòd iram, mortem atque condemnationem inducit infantibus adeoque & omnibus hominibus. Id quod, ne quid dubij in cuiusquam animo resideat, copiosioribus scripturarum testimonijs demonstrabo, ijs non repetitis iterum quæ superius in hoc Sermone, & in quarto Sermone Decadis tertiæ adduximus.

Originale peccatum damnat.

Rom. 3.

Deut. 27.

Dominus in Euangelio dicit ad Nicodemum, Amen dico tibi, nisi quis natus fuerit è supernis non potest uidere regnũ Dei. Et iterum, Amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Duo in his uerbis proponuntur memoranda & instituto nostro ualde congruentia. Prius, Non in-

Ioan. 3.

grediuntur in regnum cœlorum, nisi renati è cœlo, per spiritum sanctum: ergo prima natiuitas ad mortem, nihil ad uitam facit. Prima enim natiuitate nascimur ad mortem. Posterius, Caro est quod ex carne gignitur: ergo prima natiuitate nostra omnes caro nascimur. De carnis uerò ingenio & uiribus eius Apostolus, Affectus carnis, inquit, inimicitia est aduersus Deum, Nam legi Dei non subditur: imò ne potest quidem. Proinde carnalis illa natiuitas generat nos non amicos & filios, sed hostes Dei: itaque & reos iræ Dei.

Rom 8.

Paulus ad Ephes. 2. cap. Eramus, inquit, natura filij iræ, sicut & cæteri. Quibus uerbis pronũciat uniuersos esse perditos. Nam perditos siue morte æterna dignos, & omnino tales quibus meritò irascatur Deus, appellat filios iræ idiotismo Hebraico. Significat enim ira Dei iudicium & supplicium quod infertur hominibus iusto Dei iudicio. Et filius mortis dicitur, qui morti adiudicatus seu destinatus est. Sic filius perditionis, &c. Obserua autem quòd nos omnes nuncupat filios iræ, id est, pœnæ aut damnationi obnoxios, natura nimirum, ab ipsa natiuitate, ex utero matris. Quod autem naturaliter inest omnibus, id certè originale est: ergo originale peccatum efficit nos reos iræ diuinæ, id est, propter originalem deprauationem omnes sumus damnationi obnoxij. Hic locus Pauli in hac caussa ualde est insignis.

Idem Apostolus ad Colos. 1. cap. Deus, inquit, eripuit nos à potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij sibi dilecti. Quòd si translati sumus in regnum filij Dei, fuimus ergo in regno diaboli. Huc iam pertinent multiplicia eiusdem Apostoli testimonia in 5. cap. ad Romanos, Vnius, inquit, delicto multi mortui sunt. Item, Per unum qui peccauerat, uenit mors. Venit enim iudicium ex uno ad condemnationem. Rursus, Per unius delictum mors regnauit per unum. Et iterum, per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem. Breuiter, Originale peccatum à Dauide & Paulo appellatur disertè peccatũ: ergo debetur originali peccato mors. Quia stipendium peccati mors est.

Originale peccatũ proprium

Concludimus ergo infantes damnationem in hanc lucem secum ex utero adferre materno: quia corruptam secum afferunt naturã: ideoque nõ alieno sed suo pereunt uitio. Tametsi enim Augustinus alicubi hoc peccatum uideatur appellare alienum (quo clarius ostendat propagine in nos deriuari) confitetur tamen idem unicuique nostrum uerè & maximè esse proprium. Et quamuis hic morbus suæ iniquitatis fructus nondum protulerit, est tamen tota ipsa natura corruptio fœda, & semen quoddam peccatorum siue scelerum, quæ non potest non Deo esse odibilis. Odit enim omnem impuritatem Dominus.

Vbi nõ est lex, ibi nulla præuaricatio.

His nihil repugnat quod Paulus ait, Vbi non est lex, ibi nec transgressio. Etenim non absolutè negat Apostolus præuaricationem aut peccatum, quod reuera coram oculis Dei peccatum est, peccatum non esse: sed spectat hominum reputationem. Homines enim priusquam per legem ipsis appareat aut aperiatur peccatum, non reputant uel æstimant peccatum, ut reuera æstimandum erat. Paulus idem ille alibi dicit, Peccatum quondam sine lege erat mortuum. Et ego quondam sine lege uiuebam. Vbi uerò uenit lex, peccatum reuixit. Quòd si iam reuixit, ergo & ante legem, priusquam per legem excitaretur, uixit, licet tunc non ita ut nũc uires suas exereret. Huc pertinet illud Apostoli, Vsque ad legẽ peccatũ erat in mundo: porrò peccatum non imputatur cùm non est lex. Ecce peccatum erat in mundo ante legem, sed non imputabatur: non quòd Deus non imputaret, sed homines sibi non imputant. Latet in cinere ignis, qui reuera ignis est, quoniam uerò nullas de se flammas spargit, non putatur esse ignis. Ea de caussa uir doctissimus pijssimusque H. Zuinglius beatæ memoriæ, diligenter distinxit inter morbum & peccatum,

H. Zuinglius de Originali peccato.

tum, cum aliquando dissereret de peccato originali, quod quidem morbum maluit quàm peccatũ appellare: nimirum quòd per peccatum omnes intelligũt actionem prauam nostra propria admissam uoluntate cõtra legem latam: per morbum uerò naturæ bene conditæ corruptionem quandam & deprauationem, sed & conditionem seruitutis miserrimam. Sicut & Augustinum modò audiuimus, hoc peccatum appellare alienum, ut ita innueret esse hæreditarium: & tamen non negabat esse proprium. Ita Zuinglius non negauit peccatum originale: sicut quidam falsò de eo sparserunt: non sensit illud per se infantibus esse innocuum: nisi quatenus gratia Dei per sanguinem Iesu Christi redditur uirtute promissionis & fœderis Dei innoxium. Inter actuale & originale exactè uoluit discernere. Nam in ratione fidei suæ reddita in comitijs Augustanis anno Domini 1530. celebratis, Originale peccatum, inquit, per conditionem & contagionem agnasci omnibus, qui ex effectu maris & fœminæ gignuntur, agnosco: & nos esse natura filios iræ scio: Nec quicquam moror hunc morbum, & conditionem, iuxta Pauli morem, appellari peccatum: imò tale esse peccatum, ut quicunq; in eo nascuntur, hostes & aduersarij Dei sint. Huc enim trahit illos natiuitatis conditio, non sceleris perpetratio, nisi quantum hoc semel perpetrauit primus parens. Vera igitur perduellionis & mortis caussa est perpetratum ab Adam crimen ac nephas: atq; hoc uerè est peccatum: at peccatum istud, quod nobis adhæresсit, & uerè morbus & conditio, imò necessitas est moriendi. Et quæ sequuntur. Hactenus enim illius uerba recensui.

Restat alter peccati originalis effectus breuiter explicandus. Profert in nobis egeritq; opera quæ scriptura carnis appellat: non secus atq; incensa fornax flãmas & scintillas efflat, aut scaturigo aquam perenniter profundit. Nulla hic quies, Auaritia enim exurgit cum libidine, adhæresсit ambitio, subit ira, inflat superbia, uinolentia inuitat, uexat & temetipsum & alios inuidia. Dominus ergo in Euangelio, Ex corde, inquit, exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuitia. Rursus Paulus ad Galatas cap. 5. opera carnis non breui catalogo enumerat: quemadmodum & ad Rom. 1. & 3. cap. In 4. cap. Epistolæ ad Ephes. graphicè describit opera illa carnis, quæ enascuntur ex corruptione natiua in omnibus nondum regeneratis per spiritum sanctum, Hoc dico & testor per Dominũ, ait, ne posthac ambuletis quemadmodum & reliquæ gentes ambulant in uanitate mentis suæ, dum mentem habent obtenebratam, abalienati à uita Dei, propter ignorantiam quæ est in in illis, & excæcationem cordis eorum, qui posteaquam dolere desierint, semetipsos dediderunt lasciuię ad patrandã immundiciem omnem cũ auiditate. Sufficiunt hęc, licet breuiuscula sint. Copiosiora enim sequetur in tractatione peccati Actualis: ad quod explicandũ trãsibimus, si illud prius admonuerimus, non sine caussa graui me hactenus uerbosè satis caussam originalis peccati, hoc est, humanæ deprauationis humanarumq; uirium corruptionis tractauisse.

Originale peccatum profert opera carnis.

Mar. 7.

Sicut enim in his aperiuntur uenæ purioris doctrinæ, ita in ijs & fundamenta fidei nostræ collocantur. Si enim nõ est originale peccatum, nec gratia est: & si sit, nihil tamen habebit quod operetur in nobis. Si integrę sunt uires nostrę, nullo certè medico nobis opus erit. Frustra ergo missus Dei filius, uenit. Suis ergo uiribus saluabuntur homines. Sic aũt dirutum dissoluetur fidei nostræ fundamentum. Idcirco uehementissimus est in hac caussa beatus Aug. cuius aurea certè uerba non grauabor C. V. recitare ex 2. lib. de Originali peccato contra Pelagium & Celestium. Ex cap. 23. & 24. sic scriptũ reliquit, Longe aliter se habent quæstiones istæ, quas esse pręter fidẽ arbitratur, quàm sunt illæ in quibus salua fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quid uerum sit, & sententia definitiua suspenditur, aut aliter

In his collocantur fundamenta fidei nostræ.

quàm est, humana & infirma suspicione conijcitur: ueluti cùm quæritur qualis uel ubi sit paradisus, ubi constituit Deus hominẽ, quem formauit ex puluere, cùm tamen esse illum paradisum, fides Christiana non dubitet? Et post aliquot similes recitatas quæstiones, Quis, inquit, non sentiat in his & huiusmodi uarijs & innumerabilibus quæstionibus, siue ad obscurissima opera Dei, siue ad scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere cõplecti ac definire difficile est, & multa ignorari salua Christiana fide, & alicubi errari sine aliquo hæretici dogmatis crimine? Sed in caussa duorum hominum: quorum per unũ uenundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis: per unũ præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad uitam: quoniã ille nos in se perdidit faciendo uoluntatem suam, non eius à quo factus est, iste nos in se saluos fecit, non faciendo uoluntatem suã, sed eius à quo missus est. In horũ ergo duorum hominũ caussa propriè fides Christiana cõsistit. Vnus est enim Deus & unus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Quoniam non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri: & in illo definiuit Deus fidem omnibus, suscitans illum à mortuis. Itaq; sine ista fide, hoc est, sine fide unius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Iesu, sine fide inquam resurrectionis eius, quam Deus hominibus definiuit, quæ utiq; sine incarnatione eius & morte nõ potest ueraciter credi: sine fide ergo incarnationis & mortis, & resurrectionis Christi nec antiquos iustos, ut iusti essent à peccatis, potuisse mundari, & Dei gratia iustificari, ueritas Christiana non dubitat: siue in eis iustis, quos sancta scriptura commemorat: siue in eis iustis, quos quidem illa non cõmemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, uel ante diluuium, uel inde usq; ad datam legem, uel ipsius legis tempore: nõ solum in filijs Israel, sicut fuerunt prophetæ: sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Iob. Et ipsorum enim corda eadem mundabantur fide mediatoris, & diffundebatur in eis charitas per spiritum sanctum, qui ubi uult spirat, non merita sequens, „ sed etiam ipsa merita faciens. Non enim Dei gratia erit ullo modo, nisi gratuita fue„ rit omni modo. Quamuis ergo mors regnauerit ab Adam usq; ad Mosen, quia non potuit eam uincere nec lex data per Mosen: non enim data est quæ posset uiuificare, sed quæ mortuos quibus uiuificandis esset gratia necessaria, non solum peccati propagatione & dominatione prostratos, uerumetiam ipsius legis addita præuaricatione conuictos, deberet ostendere, non ut periret quisquis hoc in Dei misericordia etiam tunc intelligeret, sed ut per regnum mortis ad supplicium destinatus, etiam sibijpsi per præuaricationem legis manifestatus, Dei quæreret adiutorium, ut ubi abundauit peccatum, superabundaret gratia, quæ sola liberat à corpore mortis huius. Quamuis ergo nec lex per Mosen data potuerit à quoquam homine regnum mortis auferre, erant tamen & legis tempore homines Dei, non sub lege terrente, conuincente, puniente, sed sub gratia delectante, sanante, liberante: erant qui dicerent, Ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea me in utero aluit. Et reliqua. Hactenus enim S. August. uerba recensui.

In caussa duorum hominum fides Christiana consistit.

1 Joan. 2. Acto. 4.

Extra Israelem aliqui saluati, sed non sine Christo.

Psalm: 51.

Dixi de Originali peccato, de natiua inquam & hæreditaria corruptione naturæ nostræ, quæ prior est pars finitionis peccati, sequitur iam pars posterior, ipsa scilicet actio quæ ex illa existit, Actuale inquam peccatum, quod ab actu nomen habet. Quoniam enim deprauatio illa agnata & inhærens nobis, non semper latitat, sed agit & exerit se euidenter, ac tandem sui generis & suæ naturæ fœtum progignit, hic sanè actuale est peccatum: quod proinde sic definimus, Actuale peccatum est actio uel opus uel fœtus uitiosæ & corruptæ nostræ naturæ, exprimens se in cogitationibus, dictis & factis contra legem Dei, ideoq; iram Dei promerens.

Actuale peccatum quid sit

Ita

Ita uerò minimè obscura est caussa huius peccati, nempe ipsa hominis deprauatio, quæ exerit se per concupiscentiam aut affectiones, affectiones inescant uoluntatem, uoluntas autem alijs adiuta cooperantibusq; hominis facultatibus, perficit actuale peccatum. Et ut clarius, quod dixi, intelligatur, anima nostra duas potissimum partes habet, Intellectum siue mentem, siue iudicium: & uoluntatem seu appetitum. In mente sunt naturales leges, ad quas prædicatio uel lectio aut cognitio uerbi Dei accedat oportet. Sicut autem operis boni duæ sunt in homine potissimum caussæ, uidelicet integrum iudicium bene informatum uerbo Dei, & uoluntas consentiens atque obediens (requiritur autem in primis spiritus sanctus extrinsecus aut cœlitus accedens qui mentem illuminet & uoluntatem moueat) ita propriissimè peccatum actuale perficitur, quando & iudicio seu consulto & nostra uoluntate aliquid fit cōtra legem Dei. Interim accedunt sæpissimè extrinsecus aliæ quoq; caussæ uisibiles & inuisibiles. Mouent enim spiritus mali, mouēt homines, & quę sunt in mundo exempla corruptionis infinita. Spes deniq;, metus & imbecillitas. August. quæst. in Exodum 29. In uoluntate, inquit, hominis est origo uitiorum: mouentur autem caussis corda hominum, alia sic, alia uerò sic: etiam non diuersis caussis, sæpe diuerso modo, secundum proprias qualitates, quæ ex uoluntatibus ueniunt. Idem in Psal. 79. Omnia, ait, peccata duæ res faciunt in homine, Cupiditas & Timor. Cogitate, discutite, interrogate corda uestra, perscrutamini conscientias, uidete utrum possint esse peccata, nisi aut cupiendo, aut timendo. Proponitur tibi præmium ut pecces, id est, quod te delectet, facis propter quod cupis. Et fortè non duceris donis, terreris minis, facis propter quod times. Corrumpere te uult aliquis ut dicas (uerbi gratia) falsum testimonium. Attendisti tu Deū, & dixisti in animo tuo, Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Non adducor præmio ut perdam animā meam pro lucro pecuniæ: conuertit ille se ad incutiendum metum, qui præmio corrumpere non ualuit, incipit minari damnum, expulsionem, cędes, fortassis & mortem. Ibi iam si cupiditas non ualuit, fortè timor ualebit, ut pecces. Idem rursus in libro de Sermone Domini in monte, Tria sunt, inquit, quibus impletur peccatum, Suggestio, Delectatio & Consensus. Suggestiō, siue per memoriam fit, siue per corporis sensus: cùm aliquid uidemus aut audimus, uel olfacimus, uel gustamus, uel tangimus. Quòd si frui delectauerit, delectatio illicita refrænanda est: ueluti cùm ieiunamus & uisis cibis, palati appetitus assurgit, non fit, nisi delectatione: sed huic tamen non consentimus, & eam dominantis rationis iure cohibemus. Si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum erit. Tria hæc similia sunt gestæ rei, quæ in Genesi scribitur: ut quasi à serpente fiat suggestio & quædam suasio: in appetitu autem carnali, tanquam in Eua delectatio, in ratione uerò tanquam in uiro consensio. Quibus peractis tanquam de paradiso, hoc est de beatissima luce iustitię, in mortem homo expellitur. Hæc ille de caussa peccati.

Caussa huius peccati.

Mens.

Augustinus de caussa peccati.

Obseruanda uerò in primis in descriptione, peccati Actualis ipsa proprietas, siue differentia, qua hæc actio ab alijs actionibus discernitur, propriissimaq; nota peccati ostenditur. Hæc ergo actio sicut & omnia alia peccata rectà tendit contra legem Dei. Porrò lex Dei quæ sit, superioribus concionibus multis est expositum. Certè non est hæc aliud, quàm ipsa Dei uoluntas. Vult autem Deus ut homo suæ id est, diuinę respondeat imagini, sanctus sit & innocens, & saluus fiat. Hanc suam uoluntatem expressit Deus, principiò per legem naturę, deinde per legem scriptā in tabulas lapideas, postremò per prædicationem Euangelij. Habent illa omnia unum & eundem finem, ut scilicet homo sit sanctus, innocens, & saluus fiat. Quæ-

Peccatum cum lege Dei pugnat.

cunctę uerò cogitationibus, dictis aut factis, contra sanctam illam Dei legem fiunt ab hominibus, peccata sunt actualia. Proinde in iudicandis peccatis hominum, unicè spectanda est lex Dei. Nam quæ cum lege Dei non pugnant, peccata non sunt. Nec potestatem habet homo ullus leges condendi, quarum præuaricatione peccatores cõstituamur. Hæc gloria solius Dei est, ad quem Dauid, Tibi soli peccaui, inquit, & malum contra te feci. Nec nostrum est, nostro decernere iudicio, quæ leuia, quéue grauia sint peccata. Quis enim nostrum putaret peccatum esse dicere fratri suo, Fatue? At Dominus in Euangelio peccatum esse pronunciat: qui in eodem Euangelio asserit, nos de uerbo quolibet otioso rationem reddituros in die iudicij. Rectè ergo S. Augustinus libro de Bapt. contra Donatistas 2. capite 6. In æstimandis peccatis, inquit, non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod uolumus, & quomodo uolumus, pro arbitrio nostro, dicentes, Hoc graue, hoc leue est: sed afferamus stateram diuinam, de scripturis sanctis, tanquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus, imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus.

Math. 5.

Mathe. 12

Genera uel species peccatorũ.

Et quamuis hæc sufficere poterant, quippe quæ sic satis exposuerunt naturam peccati actualis, paulò copiosius tamen considerabimus peccatorum species, uel genera atque discrimina. Stoici existimarunt omnia peccata esse paria: quos fortassis Iouinianus (ut hæreticorum patriarchæ dicuntur à Tertulliano esse philosophi) sequutus, idem asseruisse scribitur, id quod extat apud S. Augustinum in catalogo hæreticorum. Scriptura docet Deum esse iustum: unde nos protinus colligimus, ergo peccata non sunt paria. Nam uidemus Deum, qui utiq; iudex est iustus, alia peccata alijs punire grauius. In Euangelio enim dicit Dominus, Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos uiduarũ, dum sub prætextu precibus prolixis precamini, propter hoc plus accipietis damnationis. Et iterũ, Tolerabilius erit, ait Dominus, terræ Sodomorũ, in die iudicij, quàm ciuitati quæ repulerit prædicationẽ Euangelij. Similiter Matth. 11. dicit Dominus, Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die iudicij, quàm uobis. Idẽ Dominus Pilato dicit, Qui me tibi tradidit, maius peccatum habet. Item, Seruus qui cognouit uoluntatem Domini sui, & non se parauit, nec fecit secundum uoluntatem eius, plagis uapulabit multis: qui autem non cognouit & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Cæterum peccata assurgunt gradibus, & increscunt per circumstantias. Est enim latens adhuc peccatum aliquod, comprehensum in ipsa hominis affectione seu cupiditate. Diximus autem superius affectiones uel cupiditates esse duplices, naturales uidelicet diuinæ legi non repugnantes: quales sunt amare liberos, parentes & uxorem, item cupiditas cibi, potus & quietis: quamuis nec negem, nec nesciam, eas aliquoties contaminari originali labe. Sunt rursus carnales affectiones uel cupiditates in hominibus, quæ cum uoluntate Dei pugnant. Illæ nutriuntur & increscunt uanis cogitationibus & carnalibus delectationibus accumulatis in sinu tuo. Illæ deinde prorumpunt in peccatum oris, deinceps etiam in peccatum operis. Verbi gratia, Concupiscis uxorem alterius, idq; in animi tui penetralibus retines, interim oblectas te cogitationibus uanis, dum uidelicet sub animi tui obtutum reuocas illius formam præstantem, & imaginatione crebra ac uehementi & delectaris & inardescis. Nec his contentus solicitas præterea adamatæ pudicitiam, scriptis aut dictis: quam & mox opere, si datur, corrumpis: sed & scelus, semel quidem patratum, repetis, & iam quasi pudore & timore posito, frequentas. Vides in hoc exemplo, quomodo unum atq; idem peccatum suis auctibus increscat, & atrociorem subinde pro magnitudine uel enormitate sua pœnã deposcat? Certè Dominus in Euangelio

Peccata non esse paria.

Peccata gradibus assurgunt.

gelio secundum Matthæum hæc cõfirmans, Audistis inquit, quod dictum sit antiquis, Non occides, Quisquis autem occiderit obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, quòd quisquis irascitur fratri suo, obnoxius erit iudicio. Quisquis uerò dixerit fratri suo Raha, obnoxius erit consilio. Quisquis autem dixerit Fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Audis in his domini nostri uerbis primùm discrimina peccatorum, ueluti iram, significationem item animi irati uel concitati, item conuitia, quæ ferè exeunt in uerbera. Deinde audis increscenti peccato subinde grauiorem atrocioremq; cõstitui pœnam. Proinde non ineptum planè discrimen posuerunt in peccato actuali, qui dixerunt aliud quidem peccatum cogitationis, aliud oris, aliud uerò operis esse peccatũ, quod & ipsum in aliquot secuerunt partes siue species: ac eas rursus retulerunt ad scelera partim, partim ad delicta. Scelera sunt haud dubiè quæ destinata mente ac malitia concepta fiunt: cuius quidem generis sunt illa in primis, quæ appellantur peccata clamãtia, cædes uidelicet, usura, oppresio pupillorum & uiduarum, sodomia, & merces detenta laboris. De cæde enim pronunciat uox domini in Genesi, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Exodi uerò 22. dicit dominus, Si afflixeritis uiduas & pupillos, & illi ad me clamauerint, ego exaudiam eos & cõficiam uos. Vsuram uerbũ Dei insectatur diris conuitijs, & modis omnibus condemnat. Et peccatum Sodomorum ascendit in cœlum expetens uindictam. Iacobus quoq; Apostolus, Ecce merces operariorum, inquit, qui messuerunt regiones uestras, quæ fraude non reddita est à uobis, clamat, & clamores eorum qui messuerant, in aures domini sabaoth introierunt. His alij annumerant septem uitia capitalia, superbiam uel inanem gloriam, iram inuidiam, accidiam uel tristitiam, auaritiam, gulam, & luxuriam. Imò hæc constituunt ueluti seminarium & originem omnium malorũ siue peccatorum, unde & capitalia uocant. Id quod uidere est in sententijs Lombardi. Porrò delicta intelligunt ea quæ committuntur ex infirmitate & incogitantia, cum uidelicet deseritur bonum, ac officium negligitur socordia quadam. Vbi fortè locum habet peccatum ignorantiæ, peccatum alienum, & peccatum inuoluntarium: quãquam & ipsa non rarò fiant scelera nephandaq; flagitia.

Math. 5.

Scelera & delicta.

Clamantia peccata.

Iacob. 5.

Septem capitalia uitia.

Ignorantia traditur esse duplex, naturalis ac uera, enascens ex peccato originali: & affectata uel simulata, oriens ex destinata malitia. Naturalis ignorãtia, morbus, delictum atq; peccatum est: quia existit ex origine uenenata & est opus tenebrarũ: sicuti supra patuit ex testimonio Apostoli Pauli. Certè S. Augustinus libro de Libero arbitrio 3. cap. 19. Quod ignorans quisq; non rectè facit, inquit, & quod rectè uolens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ uoluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit illa sequentia. Nam sicut linguam dicimus nõ solum membrum, quod mouemus in ore, dum loquimur: sed etiam illud quod huius membri motum sequitur, id est, formã tenoremq; uerborum: secundum quem morem dicitur illa lingua Græca, alia Latina: Sic nõ solum peccatum illud dicimus, quod propriè uocatur peccatum (libera enim uoluntate à sciente committitur) sed etiam illud quod de huius supplicio cõsequitur. De qua re & superius dictũ est. Prætexunt quidem alij ignorãtiæ suæ illud ex euangelio domini, Si nõ uenissem & locutus fuissem eis, haberent quod prætexerent peccato suo, siue peccatum nõ haberent. Hinc enim colligunt, Ergo quibus nihil annunciatum est, alieni sunt à culpa omni & crimine. Cæterum hoc non dixit dominus. Principiò enim de prætextu illorum, non innocentia loquitur. Nec omnis prætextus iustus est. Dixit sanè, Peccatum non haberent: sed mox subiungit, Nunc non habent quod prætexant peccato suo. Deinde non uniuersaliter liberat

Peccatum ignorantiæ.

Ioan. 15.

ignorantes ab omni peccato, sed à peccato rebellionis duntaxat. Nam & S. Augustinus in Ioannem, Habent excusationem, inquit, nō de omni peccato suo, sed de hoc quòd in Christum non crediderunt, quod ad eos non uenit. Omnes enim qui non audierunt nec audiunt, possunt habere hanc excusationem, sed non possunt effugere condemnationem, Qui enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Sed & Paulus in 1. ad Timoth. 1. cap. Gratiam habeo, inquit, ei, quia fidelem me iudicauit, ponendo in ministerium, qui prius eram blasphemus & persecutor & uiolentus: sed & misericordiam adeptus sum, quòd ingnorans fecerim per incredulitatem. En dicit Apostolus misericordiam se consecutum quòd per ignorantiā peccarit: interim uerò deriuat hanc ex incredulitate, & fœtus ei tribuit planè turpes. Porrò ignorantia falsa & ficta est, quæ à pertinacibus ex malitia fingitur. Veluti si dicas te non intelligere id quod displicet, nec uis intelligere, cum possis. Huiusmodi ignorantia erat in Iudæis hostibus gratiæ Dei. Dicit enim Paulus, Testimonium illis perhibeo quòd zelum dei habent, sed nō secundum scientiam. Nam ignorantes Dei iustitiam, & propriam quærentes constituere, iustitiæ Dei nō fuerunt subditi. Nam in Euangelio dixit dominus ad Pharisæos, interrogantes num & ipsi sint cæci: Si cæci essetis, non haberetis peccatū: nunc uerò dicitis, uidemus: ideo peccatum uestrum manet.

Ignorantia falsa & ficta quid sit (handwritten margin note)

Joan: 9. (handwritten margin note)

Peccata aliena.

Peccata aliena non sunt ea quæ nosipsi designamus, sed quæ alij faciunt, non tamē sine nobis, nimirum probantibus, iuuantibus, suadentibus, iubentibus, conniuentibus, aut occasionem præbentibus, uel non repugnantibus aut contradicentibus cum possemus. Vetat Apostolus Paulus Timotheo ne cui citò manū imponat, nec communicet peccatis alienis. Proinde ordinare hominem parum idoneum præficereq; ministerio Ecclesiastico, est peccatū alienum. Tibi enim imputatur meritò quicquid inepti istius hominis, per te ordinati, inscitia, contra Deum & Ecclesiam committitur. Peccatum alienum peccant, qui uiolentiam inferunt, & tormentis uel minis homines adigunt ad abnegationem ueri, uel ad res nephandas perpetrandas. Equidem abnegatio ueritatis, est peccatum alienum ei, qui cogit abnegantem abnegare, interim proprium eiusdem hominis peccatum est impietas, tyrannis, ac sacrilegium parricidiumq;.

Voluntarium & inuoluntarium.

Vbi rectè quidem admonemur aliud esse peccatum uoluntarium, aliud uerò inuoluntarium, siue uiolentum. Inuoluntarium esse dicunt, quod fit uel per uim uel per ignorantiam. Ergo quod neq; ui fit, neq; ignoranter, uoluntariū esse concludunt. Violenti autem rursus species duas ponunt, Vnum quidem absolutum, alterum conditionale. Violentum absolutum fieri putant, quando in nobis nō est utrum agamus uel non agamus, sed extrinsecus prouenit, nihil, inquam, cōferente illo cui fit uis. Vt si uentus nos aliquo deferat, aut si ministri regij manus tuas, te reluctante & reclamante, adhibeant thurificationi idololatricæ. Quo casu liberant ab omni culpa, pœna, laude, & uituperatione coactum. Secundam uiolenti speciem arbitrantur mixtam habere caussam. Verùm ne nimis diu his inhæreamus, Nos simpliciter dicimus, Inuoluntarium aut uiolentum uel habet eius consensum qui cogitur, uel non habet. Si accedat consensus, uerbi gratia, in abnegatione ueritatis euangelicæ hactenus confessæ, aut in alijs nephandis facinoribus perpetrandis, culpa non uacat coactus. Neque enim hic errore mortis aut metu tormentorum excusatur. Elige mortem magis, quàm abnegare ueritatem, aut patrare res nephandas, aut patiens uim, consentire in rem sceleratam ac turpem. Si mori elegeris potius quàm facere res turpes, non coget te inuoluntarium tyrannus. Occidere quidem potest, inuoluntarium ad res impias patrandas cogere nō potest.

Vide Augustinum de Mendacio ad Consentium cap. 9. & 10. &c.

potest. Moriendo enim confiteris ueritatem, moriendo declaras te facere nolle quod à uiuente postulant. Ita uerò illi te nec uincunt, nec cogunt: sed uincuntur ipsi potius & coguntur uidere & experiri quod doleat. Annitebatur Antiochus Epiphanes prohibiti cibi usu polluere sancta Machabæorum corpora. Hi uerò mori magis quàm in prophanatione uiuere eligentes, moriendo uicerunt tyrannum, nec cogi potuerunt. Et re uera apud omnes probatæ religionis uiros receptum & comprobatum est, mortem & extrema omnia subeunda priusquam quicquam eorum quæ religioni aduersa & natura fœda sunt facere. Porrò si non accedat consensus, sed pio homini mera irrefragabilisque infertur uis (discernimus hic inter eum qui coactus malum facit, & qui patitur) non commaculat ea uis animum sanctum & incorruptum. Veluti si manibus & pedibus uinctis, pius aliquis deportetur in templum prophanum, ubi cogatur interesse sacris prophanis: aut si uirgo sancta aut matrona honesta in bello irruptioneque barbarica corrumpatur, nec interim in scelus consentiat, nec piè mori potius concedatur, incorrupta certè manet coram Dei iudicio. Nō enim temere dixit beatus Augustinus, Non iniustè aliquid pati, sed iniustè aliquid facere, peccatum est, libro de Libero arbitrio 3. cap. 16. Idem de Mendacio ad Consentium cap. 7. Quod uiolenter, inquit, non præcedente libidine patitur corpus, uexatio potius, quàm corruptio nominanda est. Aut si omnis uexatio corruptio est, non omnis corruptio turpis est, sed quam libido procurauit, aut cui libido consenserit. Idem rursus de Ciuit. Dei lib. 1. cap. 18. Proposito animi permanente, inquit, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem uiolentia libidinis alienæ, quam seruat perseuerantia continentiæ suæ. Plura huius generis eo loci disputat, item in cap. 16. 19. & 28. &c. Sic clementius quidem iudicandum est de nece inuoluntaria furiosorū semetipsos iugulantium. Alioqui in sanctis & canonicis libris nusquam nobis diuinitus præceptum permissúmue reperiri potest, ut uel ipsius adipiscendæ immortalitatis, uel ullius carendi cauendique mali caussa, nobismetipsis necem inferamus. Nam & prohibitos nos esse intelligendum est, cum lex dicit, Non occides: præsertim cum non addatur, proximum tuum; sicut in lege qua prohibetur falsum testimonium. Idcirco damnabilis est modis omnibus Senecæ doctrina, suadentis calamitate oppressis, sibijpsis, quò finiatur malum, inferre manum. Et Augustinus disputans contra eos qui necem sibi inferunt, ne alienæ subjciantur libidini & peccent, Si detestabile, inquit, facinus & damnabile scelus est, etiam seipsum hominem occidere, sicut ueritas manifestè proclamat: quis ita desipiat, ut dicat, Iam nunc peccemus, ne fortè postea peccemus: iam nunc perpetremus homicidium, ne forte postea incidamus in adulterium? Nonne si tantùm dominatur iniquitas, ut non innocentia, sed potius peccata eligantur, satius est incertum de futuro adulterium, quàm certum de præsenti homicidium? Nonne satius est flagitium committere (quando calamitosa tempora id ferunt) quod pœnitendo sanetur, quàm tale facinus ubi locus salubris pœnitentiæ non relinquitur? Hoc dixi propter eos uel eas, quæ non alieni, sed proprij peccati deuitandi caussa, ne sub alterius libidine etiam excitatæ suæ fortè consentiant, uim sibi qua moriantur inferendam putant. Cæterum absit à mente Christiana, quæ Deo suo fidit, in eoque spe posita, eius adiutorio nititur: absit, inquam, ut mens talis quibuslibet carnis uoluptatibus ad consensum turpitudinis cedat. Quòd si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ uoluntatis legem, quasi lege sua mouetur, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis? Hæc ille. Sed redimus.

Nemo sibijpsi manum inferat ut peccatū deuitet.

Augustinus de his qui sibi mortem inferunt, s[...] istia

Peccata occulta et manifesta. Rursus diuidunt peccata actualia in occulta siue priuata, & in manifesta siue publica. Illa quidem non sunt quæ latent homines, soli Deo cognita, qualis est hypocrisis & deprauatio humani ingenij, sed quæ testibus quidem minimè carent, nondum tamen innotuerunt omnibus quasi publicata. Hæc enim designantur cum notitia & offensione totius Ecclesiæ. Et hæc quidem sunt grauiora, illa autem leuiora, quod uidelicet attinet homines & multorum offensionem. De his Apostolus 1. Timoth. 5.

Peccatum Mortale et Veniale. Porrò maximè uulgaris & idonea actualis peccati distinctio, quæ ferè omnes alias species seu partes comprehendit, illa est, quòd aliud quidem Mortale, aliud autem Veniale peccatum dicitur. Mortale putant omne esse peccatum, quod ab infideli designatur homine: Veniale uerò omne quod fiat à fideli. Ego simpliciter & secundum scripturas arbitror omnia hominum peccata esse mortalia. Nam fiunt contra legem seu uoluntatem Dei. At peccatis ipsa debetur mors. Propheta enim clamat, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et Apostolus dixit, Stipendium peccati mors. Certè à morte, hæc mortalia esse dicuntur. Huc iam pertinent hæc apostolica testimonia, Hoc scitis quòd omnis scortator, aut immundus, aut auarus, qui est idololatra, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Eadem sententia edita ad Ephesios 5. repetitur ad Galatas 5. & 1. Corinth. 5. & 6. capite. Cæterum quæ sua natura sunt mortalia, per gratiam Dei in fide Iesu Christi fiunt uenialia: quia ueniam à misericorde Deo consequuntur. Ideoqꝫ Apostolus ad Romanos 6. non dixit, Ne sit igitur peccatum in mortali corpore uestro: sed, Ne regnet peccatum in mortali corpore uestro, ut obediatis ei per cupiditates eius. Et iterum, Nulla est igitur condemnatio his, qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem uersantur, sed iuxta spiritum. Item, Fratres debitores sumus, non carni, ut secundum carnem uiuamus. Nam si secundum carnē uixeritis, moriemini: Quòd si spiritu facta corporis mortificetis, uiuetis. Proinde semper est in corpore nostro peccatum, quoad uixerimus: uerùm ex gratia non imputatur ad mortem, & ij quibus non imputatur, conantur modis omnibus secundum spiritum non secundum carnem ambulare: interim labuntur & impingunt frequentissimè, quorum tamen lapsus & offensiones unà cum morbo illo sontico uenialia iam peccata reputantur, uenia utiqꝫ digna, non in æternum punienda.

Rom. 6. Rom. 6. Rom. 8.

Porrò ad peccatum mortale refertur in primis peccatum in spiritum sanctum: quod quidam non sine caussa arbitrantur proprijssimè appellari peccatū mortale. De quo dicemus, si prius ad quæstiones nonnullas huic caussæ adnexas responderimus breuissimè. Principiò quæritur hic, An peccatum uel morbus post baptismum remanens in infantibus, reuera sit peccatum? Constat autem concupiscentiam remanere in baptisatis, & concupiscentiam esse peccatum: ideo in baptisatis remanere peccatum. Quod tamē per gratiam Dei in merito Iesu Christi, non imputatur. Sic dissecuit hunc nodum & beatus Augustinus libro de Peccatorum meritis & remissione 1. cap. 39. dicens, In paruulis certè gratia Dei per baptismū eius, qui uenit in similitudine carnis peccati, id agitur, ut euacuetur caro peccati. Euacuatur autem, non ut in ipsa uiuente carne concupiscentia conspersa & innata repente absumatur, & non sit, sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato. Nam nec grandibus hoc præstatur in baptismo, ut lex peccati quæ inest in membris, repugnans legi mentis, penitus extinguatur & non sit, sed ut quicquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum est, cum eidem concupiscentiæ subiecta mente seruiret, totum aboleatur, ac uelut factum non fuerit habeatur. Hæc ille.

Peccatum à baptismo remanens in paruulis, an sit peccatum.

An opera Gentium uirtuosa, sint peccata. Deinde interrogatur, An opera quæ faciunt Gentiles, ac speciem habent probitatis

bitatis uel uirtutis, peccata sint an bona opera? Certũ est deum & inter Gentes habuisse suos electos. Si qui tales fuerunt, non caruerunt spiritu sancto & fide. Idcirco opera ipsorum, facta ex fide, bona fuerunt, non peccata. Nam in Actis commemoratur, orationes & Eleemosynas Cornelij Centurionis ascẽdisse in memoriam coram Deo. Dicitur autẽ idem ille Cornelius uir religiosus & timens Dei, ergo & fidelis: cuius quidem fides postea ad plenum absoluitur, & cui donum spiritus uberius confertur.

Acto: 10

Porrò praeclara facta ethnicorum non sunt interim aspernanda & uituperanda. Etenim ut non prorsus sine deo facta fuerunt, ita plurimum contulerunt ad seruandam & reparandam tranquillitatem regnorum uel reipublicae. Idcirco excellentes aliquot uiros ac respublicas locupletauit iustus dominus praemijs temporalibus. Graecis enim & multis principibus Romanis contulit opes, uictorias, & gloriam maximam. Et certè fuit apud multos in magno pretio ciuilis iustitia, & publica tranquillitas. Alij ingentia acceperunt praemia, quòd iudicia domini constanter & strenuè exequerentur cõtra nebulones & hostes Dei. Nec dubium est dominum maximas uires concessisse Romano imperio sub Oct. Augusto & alijs principibus, ut per eorum potentiam frangeret inuictam Iudaicae gentis malitiam, uindicaretq; per Romanos filij sui & omnium sanctorum prophetarum & Apostolorum sanguinẽ, à furiosis & blasphemis illis belluis effusum. Certè post subuersas Hierosolymas inclinare incipiebat Romanum imperium. Sed redimus.

Postremò quaeri solet, An opera sanctorum uel fidelium bona, sint peccata? Certè si deprauationem & infirmitatem nostram spectes, omnia opera nostra peccata sunt, quia à nobis fiunt qui labe non caremus, ideoq; nec ipsa opera quae à nobis fiunt tam sunt perfecta quàm esse in conspectu Dei oportuerat alioqui. Eadem tamen propter fidem in nobis, & quia sumus recepti in gratiam Dei, ideoq; à nobis fiunt qui iam sumus filij Dei, bona sunt. Huc enim pertinet illud Apostoli, Idem ego mente quidem seruio legi Dei, carne uerò legi peccati. En unus & idem Apostolus, duplex retinet etiam renatus ingenium, ut operans ipsum eius opus secundum respectus diuersos, & peccatum sit & opus bonum. Quatenus enim mente legi Dei seruit, eatenus bonum opus facit: quatenus uerò idem ille legi carnis seruit, eatenus opus eius labe non caret. Nam idem & superius in eodem loco ad Romanos septimo capite dixit, Volenti mihi facere bonum, reperio quòd mihi malum παράκειται, id est insideat, uel adiaceat, aut inhaereat ac insitum sit: quod malum haud dubiè exerens se semper in omnibus cogitationibus, dictis & factis, efficit, ne opus quod fit à nobis renatis, tam sit purum, quàm diuina exigit iustitia: gratia ergo & misericordia Dei pro puro reputatur. Huc facit iam illa quoque ex sacrosancto euangelio Ioannis sententia domini, qui dixit, Qui lotus est, non opus habet, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. Si enim totus mundus est, quid opus mundo lauare pedes? Si uerò lauandi sunt pedes, quomodo totus mundus est? Haec tamen inter se non pugnant, sicuti ne illa quidem, cum dicimus opera fidelium bona, esse peccata. Nam iuxta gratiae & misericordiae diuinae ubertatem & reputationem toti sumus mundi, purgati ab omnibus peccatis ne illa nos condemnent: Quia tamen in nobis semper inhaeret lex illa peccati, exerens sese in membris nostris quoad uixerimus, pedes certè, id est, affectio illa praua & cupiditates noxiae, & oppugnandae & opprimendae sunt: agnoscendum denique, nos ex nobis ipsis, ipsa quoque opera nostra, nunquam carere imperfectione: ergo semper & omnia nostra indigere Dei

An opera sanctorũ bona, sint peccata?

Roma: 7.

Ioan: 13.

gratia. His ad hunc modum explicatis, descendimus nunc ad explicandum peccatum in spiritum sanctum.

De peccato in spiritum sanctum.

Peccatum in spiritum sanctum, est blasphemia perpetua reuelatæ & agnitæ ueritatis, nempe cum contra conscientiam nostram, perfidè deficientes à ueritate agnita, ipsi indesinenter & cõtradicimus & maledicimus. Nam blasphemia est maledictum uel conuitium, quo proscindimus aliquem, execranda & detestanda in ipsum conijcientes, unde existimatio eius uel læditur, uel proteritur. Blasphemamus ergo magistratum, parentes & uiros bonos, quando illis non tantùm nõ paremus debitùmue honorem deferimus, sed insuper conuitijs proscindimus, nuncupantes illos tyrannos, sanguinarios, sceleratos atq; execrandos: in primis uerò blasphemamus Deum, cum eius gloriæ detrahimus, gratiæ contradicimus, & ueritatem eius nobis reuelatam, operaq; eius luculentissima, destinata malitia, criminantes pertinaciter uituperamus.

Quid propriè sit blasphemia.

Non omne quidem peccatum blasphemia est, omnis autem blasphemia peccatum est. Quia enim hæc tendit contra Deum & uoluntatem eius, peccatum est: sed interim hoc proprium & singulare habet, quòd præterea Deum uituperat & conuitia iacit in opera domini. Multi peccant in doctrinam ueritatis, eò quòd ueritatem negligentes non recipiunt, aut receptam nec colunt, nec ornant: uerùm hi etsi peccatores sint, nondum tamen blasphemi dici merentur; quòd si præterea insectentur uituperijs & conuitijs doctrinam, quam negligunt, appellantes hanc hæreticam, schismaticam, seditiosam, & dæmoniacam, iam etiam blasphemi iure cognominantur. Vnde proprium peccati in spiritum sanctũ est, non tantùm apostatare à uero, sed & contra conscientiam cõtradicere uero, ipsumq; Dei opus, ipsam reuelationem Dei illustrissimam, cõuitijs incessanter adobruere. Conscientia enim euidentia reuelationis aut operis spiritus sancti conuicta, suggerit non tantùm à conuitijs esse temperandum, sed aliud interim agendum, cedendũ inquam ueritati, & Deo concedendam gloriam: iam uerò hanc inspiratione excludere, eijcere, & obruere contumaci perfidia aut apostasia impiaq; contradictione & perpetua uituperatione, hoc inquam est peccare in spiritum sanctum. Id quod originem quidem trahit ex originali peccato, fouetur autem & prouehitur suggestionibus satanicis & peruersis nostris affectionibus, indignatione item, inuidia, spe aut metu, imò destinata pertinaciq; malitia, contumacia, rebellioneq;.

Origo huius peccati.

Verùm exigit iam ipsa res ut audiamus quid dominus noster in euangelio de hoc peccato pronunciarit. Apud Matth. in 12. cap. dicit dominus, Omne peccatũ & conuitium uel blasphemia remittetur hominibus: at blasphemia uel conuitium in spiritum non remittetur hominibus. Et quicunq; dixerit uerbum aduersus filium hominis, remittetur illi: qui autem dixerit aduersus spiritum sanctum, non remitetur ei, neq; in præsenti seculo, neq; in futuro. Apud Marcum in 3. cap. illa seruatoris sententia, his uerbis reddita legitur, Amen dico uobis, Omnia remittentur filijs hominum peccata atq; blasphemiæ uel conuitia, quibuscunq; conuitiati fuerint. At qui blasphemiam uel conuitium dixerit in spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æterno iudicio. Apud Lucã in 12. cap. eadem ferè uerba ita ponuntur, Quisquis loquitur dictum in filium hominis, remittetur illi: ei uerò qui in spiritum sanctum blasphemiam dixerit, non remittetur. Habemus in his domini uerbis blasphemiam in filium hominis, habemus item blasphemiã in spiritum sanctum: hæc dicitur esse irremissibilis, illa omnino remissibilis. Blasphemia in filium hominis committitur ab ignorantibus necdum illuminatis, tenditq; in ipsum Christum, quem blasphemans arbitratur esse seducto-

Blasphemia in filium hominis.

rem: quoniam non nouit eum. Huiusmodi blasphemos fuisse ipsum Paulum, ante conuersionem, & bonam Iudæorum partem, testatur manifestè uerbum Domini. Dominus enim à cruce orans clamauit, Pater ignosce illis: quia nesciunt quid agant. Et Apostolus Paulus, Si Dominum gloriæ, ait, cognouissent, non crucifixissent. Vnde & beatus Petrus in Actis loquens Iudæis, ait, Scio quòd per ignorantiam fecistis: pœniteat uos igitur, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra. Act. 3. At blasphemia in spiritum sanctum, dicitur criminatio perdurans, quæ fit contra ipsum spiritum Dei sanctum, id est, contra ipsius inspirationem aut illuminationem aut opera. Nam cùm hic tam euidenter operatur in animis hominum, ut nec tergiuersari nec ignorantiam obtendere possint, interim uerò hi reuelationem aut operationem illam spiritus, quam agnouerunt optimam esse saluberrimamque nedum uerissimam, contra conscientiam propriam oppugnant, irrident, aspernantur & perpetuò criminantur, certè ipsum spiritum Dei sanctum blasphemant. Verbi gratia, Pharisæi apertissimis rationibus miraculisque irrefragabilibus conuicti in suis ipsorum animis, non poterant negare doctrinam & opera Domini Iesu diuina esse: at nihilominus, & nequicquam reclamante ipsorum conscientia, urgente uerò inuidia rebellioneque pertinaci ac perfida defectione conuitiabantur, Christum omnia agere præsidio & instinctu diaboli. Pharisæis nihilò meliores sunt, qui cùm hodie intellexerũt Euangelica doctrina in Christo certissimam salutem ipsissimamque ueritatem quàm simplicissimè purissimeque proponi, hac tamen deserta, contradictoriam approbant doctrinam, & orthodoxam illam indubitatamque contra animi sui sententiam damnant insectanturque, imò & exibilant constanter pro hæretica. Hoc peccatum sicut est longè fœdissimum, ita nulla dignum uenia & irremissibile. Nam Dominus in Euangelio disertè dixit, Non remittetur ei neque in præsenti seculo neque in futuro. Quod apud S. Marcum in hæc uerba profertur, Non habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æterno iudicio. Caussa in promptu est, Sine fide enim impossibile est placere Deo. Sine fide non conceditur peccatorum remissio. Sine fide non patet ingressus in regnum Dei. At peccatum in spiritum sanctum, est apostasia & rebellio perstans contra fidem ueram, quam illuminatione spiritus sanctus infundit in corda nostra. Cæterum hanc illuminationem isti auersi indesinenter appellant tenebras, seductionemque esse criminantur aut blasphemant. Proinde nunquam ipsis remittitur peccatum. Nam gratiam Dei calcant, & uiam qua peruenitur ad gratiam contemnunt ostentuique habent. Ergo S. Paulus ad Hebræos cap. 10. Voluntariè, inquit, peccantibus nobis, post acceptam ueritatis notitiam, non amplius relinquitur pro peccatis hostia: sed terribilis expectatio iudicij, & zelus ignis, qui deuorabit aduersarios. Quid oro est uoluntariè peccare? Non utique per infirmitatem peccare, aut peccatum sæpissimè repetere, sed per pertinacissimum contemptum peccare: quod faciunt qui scientes & uolentes abijciunt & conculcant gratiam Dei, neque irridere cessant crucem & mortem Christi, quasi stultam & non efficacem satis ad expiationem omnium peccatorum nostrorum. His enim nulla alia parata est expiatoria hostia. Et tales uocat aduersarios, id est, hostes & contemptores Dei. Idcirco idem Apostolus in sexto capite scriptum reliquit, Impossibile est eos qui semel fuerunt illuminati, gustauerúntque donum cœleste, & participes facti fuerunt spiritus sancti, ac gustauerunt bonum Dei uerbum, uirtutesque futuri seculi, & prolapsi sunt, iterum renouari ad pœnitentiam rursum crucifigentes sibijpsis filium Dei, & ostentui habentes. Non loquitur de lapsu fidelium quolibet: sed de pertinaci Apostasia. Lapsus enim Petrus restituitur per pœnitentiam: nec solus. Nam repa-

1 Corin. 2.

Blasphemia in spiritũ sanctum

Non remittitur peccatum in spiritum sanctum.

Causa quare non remittatur.

rantur per pœnitentiam quotidie omnes peccatores. Iudas autem non reparatur, quia fuit pertinax apostata: non renouantur per pœnitentiam irrisores & blasphemi, quia præfractè agunt contra agnitam ueritatem, uiamq; qua sola ad uitam deduci possent blasphemare non desinunt. Nihil ergo faciunt illi loci Pauli pro Nouatianis, sed explicant nobis naturam & uenenatas uires peccati in spiritum sanctum. De eodem disserens beatus Ioannes Apostolus & Euangelista in Canonica sua, dicit, Si quis uiderit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet & dabit ei uitam, peccantibus non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roges. Omnis iniquitas peccatum est. Et est peccatum non ad mortem. Scimus quòd omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed qui genitus est ex Deo seruat seipsum, & malus ille non tangit eum. Recenset beatus Ioannes duo genera peccatorum. Alterum quidem ad mortem uel mortale irremissibile, pro quo non orandum sit, id est, quod ueniam non consequatur. Ea est contumelia spiritui sancto illata, apostasia perfida & indesinens irrisio criminatioq; Euangelij. Nam & in Euangelio secundum Ioannem legimus, Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Et iterum, Si non crediderit quòd ego sum, moriemini in peccatis uestris. Et reuera iniquitas est, apostasia, scelus meditatum ac perpetuum. Nam quid est iniquius quàm cognitę ueritati indesinenter reluctari mediumq; ostendere digitum? Alterum est peccatum ueniale, non ad mortem. Quod quidem quale sit exponit Ioannes cùm subiungit, dicens, Scimus quòd omnis qui natus est Deo, non peccat. Verùm id non absolutè intelligendum. Non peccat ad mortem. Alioqui enim & sancti peccatores sunt, sicut claret ex 1. cap. huius Epistolæ. Præterea sequitur in Ioanne protinus, quod præcedentia clarius exponat. Qui genitus est Deo, seruat seipsum: nimirum perstat in agnita ueritate, cauetq; ne malus ille ipsum tangat, id est, irretiat, contra Deū excitet & in rebellione retineat. Hæc de peccato in spiritum sanctum hactenus dixi, quod appellauit S. Augustinus alicubi finalem impœnitentiam, quæ sanè consequitur ex apostasia criminationeq; & contemptu spiritus sancti, uel uerbi ueritatis reuelati per spiritum sanctum.

De pœna peccatorum certa & iusta.

Et quanquam in tractatione peccati originalis & peccati in spiritum sanctum attigerim effectus peccati, postremò tamen hoc loco breuibus indicabo nonnulla de pœna peccatorum certa & iusta. Nam in finitione peccati dixi, hoc conciliare nobis iram Dei, mortem & supplicia uaria. De quibus modò est dicendi locus. Deum punire peccata, imò peccatores propter peccata, tam est clarum ex scripturis diuinis, quàm quod clarissimum. Nam Deum irasci & offendi peccatis grauissimè, multæ in scripturis declarant sententiæ. Clamat Dauid, Dominus probat iustum: impium autem & uiolentum odit anima eius. Pluet super impios laqueos, ignem & sulphur, uentum tempestuosum, ardentem: hęc sors calicis eorum. Quoniam iustus Dominus iustitias diligit, rectum uultu suo intuetur. Ita etiam Paulus, Reuelatur, inquit, ira Dei de cœlo aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, qui ueritatem in iniustitia detinent. Quid quod peccata mortalium nō potuerunt expiari, nisi per mortem filij Dei? Vbi sanè præstantia pretij redemptionis luculentissimè demonstrat peccati grauitatem atq; fœditatem. Cui & illud accedit, quòd bonus ille Dominus amator hominum, non tot pœnis calamitatibusq; adoperuisset genus humanum, nisi horribile in oculis Domini esset peccatum.

Pœnæ peccatorum.

Quis enim paucis & in transcursu omnes peccatorum pœnas enumerando explicet? Alienatur à nobis Dominus propter peccata. At absente à terris sole, quantæ obsecro sunt caligines & tenebræ? Deo alienato à nobis, quanti in animis hominum

minum horrores? Hic ergo locum habet tyrannis satanica, tormenta conscientiarum mille, mors animæ, terrores, desperationes, & infandi dolores, innumeræ denique calamitates corporis, & facultatum nostrarum, quas multis commemorat Moses seruus Dei, Leuit. 26. & Deutero. 28. cap. Iam cum nouis sceleribus in diem noua infligantur supplicia, quis oro pœnarum finis, aut quis genera omnia commemoret?

Dubium uerò non est, quin iustè puniat Dominus peccatores. Est enim iustus iudex. Et quia de iustitia & omnipotentia sapientiaq; Dei addubitare prorsus dementis est, consequens est omnes homines religiosos pro certo, imò compertissimo habere, Dei pœnas hominibus illatas, iustissimo iudicio esse illatas. Qualis uerò & quanta pœna cuique præuaricationi aut culpæ debeatur, diuini iudicij est, non humani. Vnde & Augustinus Tractatu in Ioan. 89. dixit, Tanta est Suppliciorum, quanta peccatorum diuersitas, quæ quomodo se habeat, altius indicat diuina sapientia, quàm scrutetur & effari possit coniectura humana. Certè qui in lege sua hominibus data præcepit, Pro mensura peccati, erit & plagarum modus, cùm sit æquissimus, modum ipse minimè excedit. Abraham in celebri illo colloquio cum Deo, quod describitur Genes. 18. cap. inter alia, Nunquid perdes iustum cum impio? ait, Absit à te, ut rem istam facias, & occidas iustum cum impio, fiatq; iustus sicut impius. Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram: nequaquam facies iudicium hoc. Huc pertinet & insignis demonstratio qua utitur Dominus erga Ionam prophetam irascentem Domino propter eius iudicia: ostendit enim se iustè rationem habere infantium, adde & iumentorum. Notus est locus Ionæ capite 4. Teneamus ergo firmiter, nulli creaturæ Dei ullam unquam, pœna à Domino inflicta, iniuriam fieri. Proinde cadunt hîc disputationes & quæstiones, quare infantes maximis nonnunquam tormentis afficiat Dominus? aut cur temporarijs delictis æterna rependat supplicia? Iustus est enim Dominus in omnibus uijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Id quod Dauid uerissimè testatus est, quia alibi quoque clamat, Iustus es Domine, & rectum est iudicium tuum. Beatus qui hîc non impingit, nec Domino obmurmurat. *Iustè punit dominus.*

Quòd si aliquando diutius differat iudicium atque pœnam, non putabimus Deum esse iniustum qui parcat sceleratis, suos interim amicos & eorum uitia insectetur acrius. Reuocemus potius ob oculos parabolam Euangelicam Diuitis epulonis & pauperis Lazari. Hic enim cùm esset amicus Dei, nihilominus fame interit. Ille licet esset hostis Dei, in delicijs & uoluptatibus uersatur, neq; quicquam sentit mali. Verùm audi quale post hanc uitam illorum iudicium sit, Dicit Abraham ad diuitem, Fili recordare, quòd receperis bona tua in uita tua: & Lazarus similiter mala: nunc autem hic solatio fruitur, tu uerò cruciaris. Proinde si quando in hac uita affliguntur pij, abundè rependitur eis in futura uita: si uerò parcitur hic impijs, grauius puniuntur in uenturo seculo. Deus enim iustus est, ergo cuiq; rependit pro suo merito. Ideò si posthac uideris feliciter uiuere sceleratos, noli existimare Deum esse iniustũ, noli putare Deum esse ficulneum, noli dicere Deũ dormire & illos non uidere. Certissima est enim uox illa prophetæ ab Apostolo Petro etiam usurpata, Oculi Domini super iustos, & aures eius ad deprecationem illorum, rursus, Oculi Domini super eos, qui faciunt mala. Cõmuniendus est animus exemplis iudiciorum Dei iustis, è scriptura sancta collectis. Cogitemus diluuio uniuersali deletum esse mundum, cuius pœnitentiam diu nequicquam expectarat Dominus. Cogitemus cœlitus demisso igne urbes arsisse Sodomam, Gomorram, ac socias. Cogitemus Ægyptum uarijs primùm plagis percussam, deinde Ægy- *Certò punit dominus.* *Exempla Dei iustè punientis.*

ptios in mari rubro esse submersos. Cogitemus quæ euenerint sancto & iusto Dei iudicio Ammorrheis & Chananæis, Amalechitis & ipsis Israelitis sub iudicibus primùm, deinde sub regibus. Impleta est tandẽ illorum mensura. Sed & hi nunquã impunè contempserũt Deum & uerbum eius. Nunquam peccarunt impunè diu.

Longanimitas Dei.

Innumera alia iusti iudicij Dei exẽpla suppeditat nobis historia Pauli Orosij, imò uniuersalis totius mundi historia. Cogitemus præterea Deum non ideò approbare peccata, quòd tardius punit, sed longanimem pro immensa sua bonitate expectare peccatorum pœnitentiam siue conuersionem. Nam in Euãgelio ficum sterilem non iubet excindere Dominus, quòd ex ipsa fructum aliquem in annum futurum expectaret. Paulus Apostolus, An diuitias, inquit, bonitatis illius ac tolerantiæ lenitatisq́ contemnis, ignorans quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? Sed iuxta duritiam tuam & cor pœnitere nescium colligis tibijpsi iram in die iræ, quo patefiet iustum iudicium Dei: qui redditurus est unicuiq́ iuxta facta sua: his quidem qui perseuerantes in benefaciendo gloriam & honorem & immortalitatem quærunt, uitam æternam: his uerò qui sunt contentiosi, & qui ueritati quidem non obtemperant, sed obtemperant iniustitiæ, uentura est indignatio, & ira, afflictio & anxietas, aduersus omnem animam hominis perpetrantis malum. Hæc inquam teneamus firmiter, in his acquiescamus, utcunq́ diu felices sint impij, & non puniantur. Nouit sanctus, iustus, sapiens, & opt. max. Deus quid agat, quomodo agat, quare, & quando quælibet agat. Ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

Rom. 2.

Quare puniantur peccata tẽporalibus pœnis, quæ tamen remissa sunt per gratiã dei.

2. Reg. 12.

Huc pertinet quòd bonus Dominus bonos affligit, non tantùm peccatores uel sceleratos. De qua re dixi copiosius huius Decadis Sermone 3. Venit autem hic in quæstionem, Cur Deus peccata quæ remisit hominibus, uarijs persequatur pœnis. Adamo enim remisit peccatum suum: sed eidem & mortem imponit & innumeras huius uitæ ærumnas. Dauidi dictum legitur à Nathan, Dominus transtulit peccatum tuum: sed idem propheta mox subiungit, Gladius non recedet è domo tua, &c. Respondemus autem simpliciter pœnas ante peccatorum remissionem illatas supplicia esse, sed post remissionem peccatorum certamina siue exercitationes, quibus fideles non satisfaciunt pro peccatis, ex gratia pridem in morte filij Dei remissis, sed humiliantur & retinentur in officio, obijciturq́ occasio maioris gloriæ. Vbi non pigebit recitare C. V. S. Augustini iudicium, libro de Peccatorum meritis & remissione 2. cap. 33. & 34. dicentis, Res quarum reatum, ne post hanc uitam obsint, Deus soluit, & tamen eas ad certamen fidei sinit manere, ut per illas erudiantur & exerceantur, proficientes in agone iustitiæ. Et mox, Ante remissionẽ illa supplicia sunt peccatorũ: post remissionem autem certamina exercitationesq́ iustorũ. Et iterum post aliquot uerba, Caro, inquit, quę primò facta est, non erat caro peccati, in qua noluit homo inter delicias paradisi seruare iustitiam. Vnde statuit Deus, ut post eius peccatum propagata caro peccati ad recipiendam iustitiam laboribus & molestijs niteretur. Propter hoc etiam de paradiso eiectus Adam, contra Eden habitauit, id est, contra sedem deliciarum, ut significaret quòd in laboribus, qui sunt delitijs contrarij, erudienda esset caro peccati, quæ in delicijs obedientiam non seruauit antequam esset caro peccati. Sicuti ergo illi primi homines postea iustè uiuendo, unde meritò creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati, non tamen in illa uita meruerunt ad paradisum reuocari: sic & peccati caro etiamsi remissis peccatis homo in ea iustè uixerit, non continuò meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati. Tale aliquid nobis insinuatum est de patriarcha Dauid in lib. Regnorum, ad quem propheta cùm missus esset, eiq́ propter peccatum quod commiserat euentura mala ex

iracun-

iracundia Dei comminaretur, confessione peccati ueniam meruit, respondente propheta, quod illud ei flagitium facinusq; remissum sit: & tamen consequuta sunt quæ Deus fuerat comminatus, ut sic humiliaretur à filio. Quare & hic non dicitur, Si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, cur dimisso peccato, quod erat minatus, impleuit? nisi quia rectissimè (si sic dictum fuerit) respondebitur remissionem illam peccati factam, ne homo à percipienda uita impediretur æterna; subsequutum uerò illius comminationis effectum, ut pietas hominis in illa humilitate exerceretur atque probaretur. Sic & mortem corporis propter peccatum Deus homini inflixit, & post peccatorum remissionem propter exercendam iustitiam non ademit. Hæc ille.

Iam quod attinet pœnas impiorum, si quas eis iustissimus Deus in hoc seculo infligit, sciamus illas esse argumentum iusti iudicij Dei, qui in hoc seculo punire incipit, & in alio æternùm punire pergit. Pereunt quidem culpa propria impij. Deus enim hic affligere incipit, ut castigati sapere incipiant ac conuertantur: uerùm non conuertuntur ad se percutientem: sed indurantur magis, obmurmurantq; Dei iudicijs, conuertentes id sibi ad interitum, quod institutum fuerat ad salutem. Nam ut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ita odientibus Deum omnia operantur ad perniciem. Hæc uerò patent adhuc latius, sed quoniam nos huius generis non pauca protulimus Sermone 3. Decadis huius tertiæ, quod reliquum est ex eo peti posse confido, & idcirco ad ipsum remitto. Et tantum usque huc de Peccato.

Quomodo puniantur impij.

Rom. 8.

Prolixo quidem nimium sermone detinui hactenus plus quàm per duas horas C. V. Vt ergo semel hæc finiam, humiles agnoscamus peccata nostra, supplicesq; clamemus ad Dominum sedentem in throno gratiæ, dicentes, Miserere nostri Domine, quia tibi peccauimus, & peccata nostra agnoscimus. Debitores tui sumus. Remitte tu nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne inducas nos in tentationem: sed libera nos à malo Amen.

SERMONVM DECAS QVARTA, AVTHORE HEINRYCHO BVLLINGERO.

De Euangelio gratiæ Dei, qui filium mundo dedit, & in hoc ueræ salutis omnia, ut credentes in ipsum, vitam consequamur æternam. SERMO I.



POST expositionem legis, eorumq́ capitum quæ cum lege cognata sunt, aut legi utcunq; adhærent, transeundum modò uidetur ad tractationem Euangelij, cuius in expositione legis & aliàs crebra incidit mentio. Quemadmodum autem hactenus charitatis uestræ precibus ad Deum adiutus sum, ita preces uestras iterum, & ardentissimas quidem illas, in præsenti caussa, postulo.

Euangelij uox. EVANGELIVM uox est Græca, sed à Latinis & Germanis recepta, hodieq; ueluti propria usurpata Componitur ab εὖ, quod bonum est, & ἀγγέλλω nuncio. Significat enim Euangelium bonum nuncium seu felicem prædicationem: qualis fit cum fusis hostibus, uel urbem obsidione graui liberauimus, uel claram ab hostibus reportauimus uictoriam. Attribuitur cuilibet fausto nuncio de re quauis feliciter perfecta. Libenter ea uoce usi sunt Apostoli: non tàm quòd prophetę eam prius quoq; usurparunt, quàm quòd salutis nostræ negotium per Christum perfectum, cui accommodarunt, mirificè & comprehendit, & oculis uelut spectandum proponit. Inducit Isaias Christum Dominum ita loquentem, beato Luca interprete, Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me, εὐαγγελίσασθαι, id est, ad euangelizandum uel ad prædicandum Euangelium misit me, ut sanem contritos corde, ut prædicem captiuis remissionem, & cæcis uisum, ut emittam confractos per remissionem, ut prędicem annum Domini acceptum. En ipse Saluator apud prophetam & Euangelistam exponit nobis uocabulum Euangelij, quale sit, aut quid possit. Misit me pater, inquit, ut annunciem Euangelium pauperibus. Mox autem quinam illi pauperes sint, subiungit, Qui sunt contrito corde, uel animo confracto, nimirum qui nihil integritatis aut sanitatis in seipsis reperiunt, totiq; de suis desperantes uiribus, à medico Christo pendent. Euangelium porrò quod afflictis his annunciatur, tale est, uenisse cœlitus Dei filium sanandis morbidis. Quibus insuper & alia coniungit illustrandi gratia, uenisse Dei filium, ut prædicet captiuis remissionem, & cæcis uisum, &c. Etenim tenentur captiui omnes mortales in uinculis damnationis: omnes seruiunt seruitutem grauissimam sub tyranno crudelissimo satana: omnes cæci detinentur in tenebris errorum. Atque his annunciatur redemptio uel liberatio, uerus utique annus iubileus. Hæc uerò annunciatio lætissima, appellatur Euangelium.

(Luc. 4. & Isai. 61 — handwritten marginal note)

Euangelium quid sit. Euangelium ergo ab omnibus ferè definitur ad hunc modum. Euangelium est uerbum bonum & suaue, testimoniumq́ certissimum diuinæ erga nos gratiæ in Christo credentibus exhibitæ. Vel, Euangelium est clarissima æterni Dei cœlitus delata sententia, absoluentis omnes credentes ab omnibus peccatis, & id quidem gratis, propter Christum, promittentisq; uitam æternam. Colliguntur hæc ex testimonijs Euangelistarum & Apostolorũ. Nam S. Lucas inducit angelum Domini loquentem ad pauidos attonitosq́ pastores, ac dicentem, Ne timeatis: ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum, quod futurum est toti populo: quia natus

(Luc. 1. — handwritten marginal note)

natus est uobis hodie seruator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. Eximit pastoribus omnē pauorem euangelio, id est, annunciatione salutifera, quæ plena est gaudij. Ea est, quòd natus est saluator mundi Christus dominus: & nobis quidem, id est, in salutē hominum natus. S. Paulus dicit Euangeliū esse à deo promissum antè, per prophetas, in scripturis sanctis, de filio suo, qui genitus sit ex semine Dauid, secundū carnem, qui declaratus sit filius Dei cum potētia, secundum spiritum sanctificationis, ex eo quòd resurrexit ex mortuis. Et iterum, Euangeliū est præconium Iesu Christi, iuxta reuelationē mysterij, temporibus æternis taciti, manifestati uerò nunc, & per scripturas propheticas, iuxta delegationem æterni Dei, in obedientiā fidei, in omnes gētes patefacti. Idem adhuc breuius, Euangeliū est potentia Dei, ait, ad salutē omni credenti. Id est, Euangeliū est prædicatio diuinæ potentiæ, per quam saluantur credentes. Potentia autem Dei Christus est. Hic enim brachium dicitur patris, gloria eiusdem, uirtus & splendor. Cæterū credenti salutaris est Christus, & omni quidem credenti. Omnium enim saluator est. Rom 1 Rom. 1.

Ex his omnibus talem colligimus sancti euangelij descriptionem, Euangelium est cœlestis diuinæ erga nos gratiæ prædicatio, qua toti mundo in indignatione Dei constituto, annunciatur Deus & pater ille cœlestis placatus in filio suo unigenito, domino nostro Iesu Christo, quem sicut patribus sanctis olim promiserat, nobis exhibuerit, & in ipso plenè omnia uitæ beatæ & salutis æternæ, utpote qui pro nobis incarnatus, mortuus, ex mortuis iterum excitatus, & in cœlū sublatus, dominus & saluator solus cōstitutus sit noster, modò peccata nostra agnoscentes, credamus in eum. Descriptio Euangelij.

Longa est descriptio, fateor: sed illud quoq; apud te cogites uelim, negotium quod hic describitur, & ipsum esse amplissimū copiosissimumq;: quod idcirco & definitione & descriptione, omnium oculis, qua potui luce, clarissimum exposui. Paucioribus ergo uti, nec potui nec debui. Habet descriptio illa suas partes, quibus sigillatim explicatis illustratisq;, quisq; spero perspiciet totam euangelij naturam, caussas, effectus, & quæcunq; de ipso cognoscere conuenit.

Principiò Euangelium cœleste esse nuncium, non terrenum, illud maximè arguit, quòd ipse pater cœlestis primùm annunciauit euangeliū afflictis parentibus nostris in paradiso, promittens filium suum, qui incarnandus caput serpentis sit conculcaturus. Deinde Apostolus Paulus disertis uerbis, Deus, inquit, multifariā multisq; modis locutus est patribus, per prophetas, extremis uerò diebus hisce locutus est nobis per filium. Nam & Ioannes prior testificans dixisse legitur, Deum nemo uidit unquam: unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Item, Qui è supernis uenit, supra omnes est. Qui è terra profectus est, terrenus est, & è terra loquitur. Qui è cœlo uenit, supra omnes est. & quod uidit & audiuit, hoc testatur. Huc pertinet quòd prophetæ credūtur inspirati à sancto spiritu, ꝓphetasse. At hi prænunciarunt in scripturis sanctis euangeliū: Cuius quidem potissima capita cœlitus descendentes angeli, hominibus annunciauerūt. Nam incarnatio filij Dei, ab archangelo Gabriele primùm diuæ uirgini, deinde Iosepho putatiuo parenti adeoq; castissimæ uirginis tutori, annūciatur. Idē angelus pastoribus prædicat natiuitatē filij Dei. Mulieribus uerò ad sepulchrum uenientibus, uolentibusq; pro more gentis, corpus domini inungere, angeli nunciāt dominum resurrexisse ex mortuis. Iidē apostolis, ascendente domino, cōuertentibus defixisq; suis in nubes oculis, attestantur ipsum esse sublatum in cœlum, indeq; uenturum iudicare uiuos & mortuos. His omnibus accedit patris æterni è cœlo super dominū nostrū delata uox, Hic est filius meus dilectus, in quo placatus sum, ipsum audite. Et Euangeliū esse nuncium cœleste. Hebræ: 1. Ioan: 1. 2. Petri 1. Luc: 1. Actor: 1. Marc: 9.

hoc patris testimonium maximo spiritu prosequens repetit beatus Apostolus Petrus in 2 epist. cap. 1. Proinde sermo Euangelij diuinus est sermo, cœlo delatus, irrefragabilisque, cui qui credunt, uerbo æterni Dei credunt: qui non credunt, uerbũ Dei uiui contemnũt atque abijciunt. Non enim desinit esse uerbũ Dei, licet annuncietur per homines. Nam de Apostolis legimus dixisse dominũ, Non uos estis loquentes, sed spiritus patris mei qui in uobis est. Ideoque non leguntur discessisse Hierosolyma, nisi prius instructi ex alto, & accepto spiritu sancto. Nec est quòd uerbũ Dei ad Apostolos duntaxat alligemus, quasi post Apostolos nemo prædicet uerbum Dei. Nam dominus noster disertè dicit apud Ioannẽ, Amen dico uobis, qui recipit quencunque misero, me recipit: qui autem me recipit, recipit eum qui me misit. Mittit autẽ Dominus noster, summus ille pontifex Ecclesiæ suæ catholicæ, nõ Apostolos tantùm, sed omnes legitimè uocatos, afferentesque uerbũ Christi. Ergo de omnibus ministris Ecclesiæ legitimis intelligimus, quæ ore diuino in hæc uerba pronunciata legimus, Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis: quorumcunque retinueritis, retenta sunt eis. Et iterũ, Quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis: & quicquid alligaueris in terra, erit alligatum & in cœlo. Nam álibi quoque dicit dominus, Amen dico uobis, Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrheorum in die iudicij, quàm ciuitati illi quæ uos non excipit, neque sermones uestros audit. Quis uerò ignorat quàm nephario scelere se polluerint defœdarintque ciues Sodomæ: & quòd dominus igni sulphure & pice cœlitus demissis, sceleratissimos concremauerit? Quis ergo non colligat inde multò peccare grauius rebelles & blasphemos contra Christi Euangeliũ, eosdemque iusto uindici Deo multo grauiores pœnas uel hic uel in futuro seculo, uel utrobique daturos? Credamus ergo euangelio filij Dei, mundo à patre primùm, deinde à patriarchis, mox à prophetis, tandẽ & ab unigenito Dei filio & Apostolis eius annunciato: quorum uox cœlestis uel hodie nobis personat in ore ministrorum euangelij nobis syncerè prædicantium.

Math: 10. *Verbum euangelij nihilominus dei est, licet annũcietur per homines.* *Math: 18. Ioan: 20*

Deinde consyderandum nobis quid annunciet mundo cœlestis illa prędicatio euangelij, Gratiam utique patris nostri cœlestis. Nam Apostolus Paulus in Actis cap. 20. dicit se accepisse ministerium à domino Iesu, ad testificandum euãgelium gratiæ Dei. Dicendum ergo in præsenti de gratia Dei, quantum huic loco satis sit. Varius est autem uocabuli Gratię usus in literis sacris, quemadmodum & in prophanis literis. Significat in sacris gratiarum actionem: item beneficium & eleemosynam, ut 2. Corinth. 8. Significat & laudem & recompensationem, ueluti cum Apostolus dicit, Si cum benefacitis, affligimini, suffertis: ea est gratia apud deum. Significat & facultatem, ut cum dicimus aliquem habere gratiam docendi, & functionem gerendi officij. Apostolus enim dicit se accepisse gratiam: ac mox per interpretationẽ subiungit, muneris apostolici functionem. Præterea dona Dei gratia appellantur: quia gratis conferuntur. Apostolus tamen ad Rom. 5. cap. distinguit donum à gratia. Etenim Gratia ferè significat fauorem & beneuolentiam numinis erga nos. Donũ uerò, ipsum munus quod datur à Deo ex beneuolentia, ut est fides, constantia, integritas. Gratiã apud Deum inuenisse dicuntur, quibus impendio fauet Deus, & quos complectitur ex animo. Sic Noe inuenit gratiam in oculis domini: Ioseph inuenit gratiam in oculis principis carceris. Et diua uirgo legitur inuenisse gratiam apud dominum: nimirum quòd esset Deo dilecta, in maximo apud Deum pretio, utpote quam singulariter delegerat.

Euangeliũ annunciat gratiã. *Gratia.*

Cæterũ hoc loco Gratia est Dei fauor beneuolentiaque numinis æterni, qua pro immensa sua bonitate homines gratis propter Christum complectitur, uocat, iustificat,

Gratia Dei quid sit.

stificat, & saluat. Videtur autem ante omnia indaganda esse caussa diuini erga nos amoris. Videmus enim quandam esse correlationē inter fauorem Dei, & nos quos fauore suo prosequitur. Nec difficile nec prolixi operis erit inuenire. Nam in nobis nihil est quod miretur deus, uel quo posit moueri uel excitari ad nos cō-plectendos: imò quoniam omnes sumus peccatores impurissimi, & ille interim sanctus & iustus, scelerūꝙ uindex est, in nobis certè inuenit, propter quod irascatur iustaꝙ prosequatur uindictā. Caussam ergo diuini erga nos amoris, non in nobis, non extra Deum in re ulla alia, quando homine nihil sit præstantius, sed in ipso deo eiusꝙ natura esse oportet. Porrò scriptura ueracissima proponit nobis deū natura sua bonum, clementem, & ut Paulus dicit, philanthropon, amatorem inquam hominum, qui suæ naturæ filium unicum pro redemptione nostra miserit: unde iam consequens est, Deum gratis ex semetipso & propter filium, nō propter ullam aliam caussam amare hominem. Vbi protinus omnia præparamenta, incitamenta, aut merita hominum igne diuini amoris dissoluta abeunt in fumū. Nam gratia Dei prorsus est gratuita, ac nisi sit talis, non uideo quomodo appellari possit gratia. Sed præstat in re maximi momenti aperta scripturæ sanctæ testimonia proferre, quibus animi nostri confirmentur contra omnes nugas sophisticas & satanicas tentationes. Dominus noster in euangelio, Sic Deus, inquit, dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret pro mundo: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. En dilectio dei, quæ est fauor ille amorꝙ numinis nos cōplectentis, caussa est salutis nostræ. Nam Christus passus pro nobis salus nostra est. At hunc ex dilectione dedit nobis pater Deus. Neque cogitare possumus deum nostra dilectione commotum esse ad amorem mutuum, & ut pro nobis daret filium. Nam ante conditum mundum statuit nos redimere per filium. Sed & ipse Ioannes euangelista in Canonica sua, In hoc est charitas, inquit, non quòd nos dilexerimus Deum: sed quòd ipse dilexerit nos, & misit filiū suum propitiationem pro peccatis nostris.

Caussa gratiæ diuinæ.

Ioan. 3.

1 Ioan. 4.

His testimonijs licet clarissimis & firmissimis, subiungemus tamen aliquot S. Pauli testimonia, ut sic plus lucis caussæ nostræ affulgeat, & inclarescat maximus totius doctrinæ euangelicæ & apostolicæ consensus. Paulus ergo ad Romanos, Omnes, ait, peccauerunt & destituuntur gloria Dei. Iustificantur autem gratis, per illius gratiam, per redemptionē quæ est in Christo Iesu. Idem ad Ephesios scribit, Gratia estis seruati per fidem, idꝙ non ex uobis: dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Item ad Titum, Bonitas & erga homines amor apparuit seruatoris nostri Dei: nō ex operibus iustitiæ nostræ, quæ faciebamus nos: sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Ita in 2. ad Timoth. 1. cap. dicit, Deus saluos fecit nos & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data est nobis per Christum. Non arbitror his pro caussa nostra uel fingi potuisse aliud & appositum magis & euidentius. Claret iam omnino Dei gratiam prorsus esse gratuitam, utpote omnia nostra opera & merita excludentem. Et hic gratuitus Dei amor est unica euangelij caussa origoꝙ uerissima. Vnde nimirum à Paulo euangelium appellatur gratiæ præconium.

Rom. 3.

Ephes. 2.

Titum 3.

Caussa euangelij.

Porrò etsi gratia Dei à nobis non pendeat, attamen nō manet uel hæret in Deo otiosa, quasi extra nos alienaꝙ à nobis, ut quæ nec sentiatur nec operetur in nobis. Intelleximus enim ex citatis testimonijs, gratiam fauorē esse in Deo quo nos homines prosequatur. Intelleximus gratia saluari homines: Quia enim diligit homines Deus, perire noluit, idcirco ex gratia filiū misit, qui liberet ab interitu, & in

Operatio gratiæ diuinæ.

quo inclarescat toti mũdo & iustitia Dei & misericordia. Atqui liberantur soli credentes, rursus ergo quod gratia operetur in homine habet. Effuso enim spiritu sancto in corda nostra, intellectus & uoluntas in fide instruuntur. Breuiter, gratia (quod & in finitione diximus) uocat, iustificat & saluat, siue glorificat credentes: ut totum salutis nostræ negotium omnesq; uirtutes piorum unicæ Dei gratiæ (cuius operationem ubiq; agnoscimus) feramus acceptum. Id rursus diuino adde & humano ostenditur testimonio. Paulus ad Romanos. Quos, inquit, præsciuit, eosdem & præfiniuit: & quos præfiniuit, eosdem & uocauit: & quos uocauit, eosdem & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & glorificauit. Quid igitur dicemus adhæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut non & cum eodem omnia nobis donet? Idem ad Ephesios primo capite, totum electionis & salutis negotium cum omnibus suis partibus ad gratiã Dei retulit. Porrò sancti patres in Concilio Mileuentano, inter quos sedit & beatus Augustinus, de Gratia Dei sequens cõdiderunt decretum, Si quis sine gratia Dei, credentibus, uolentibus, desiderantibus, conantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis, misericordiam dicit conferri diuinitus, non autem ut credamus, uelimus, uel hæc omnia, sicuti oportet omnia agere ualeamus, per infusionem & inspirationem sancti spiritus in nobis fieri cõfitetur: & aut humilitati aut obedientiæ humanæ, subiungit gratiæ adiutorium: nec ut obedientes & humiles simus ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti, Quid enim habes quod non accepisti? Et gratia Dei sum id quod sum. Hæc illi. Expensis autem his cùm diuinis tum humanis testimonijs, neminem porrò futurum arbitror, qui nõ intelligat id esse Dei gratiam quod diximus, nempe fauorem beneuolentiamq; numinis æterni, qua pro immensa sua bonitate homines gratis propter Christum complectatur, uocet, iustificet & saluet.

Pugna S. Augustini & Pelagij de Gratia Dei.

D. Aurel. Augustino grauis fuit pugna cum Pelagio Brittone super negotio gratiæ Dei. Hic enim per gratiam aliud nihil intelligebat quàm beneficium creationis: quod ut ille non negabat esse gratiam, ita urgebat Apostolos maximè loqui de gratia illa gratuita qua gratis nullo nostro merito propter Christum seruamur. Hoc eo constantius urgebat, quòd uideret Pelagium hæreticum asserere humanam naturam sibi sufficere, non solum ad facienda, uerum etiam ad perficienda mandata domini per liberum arbitrium. Sed de his religiosissimè & copiosissimè disputat S. August. epist. 95. ad Innocentium. Ex neotericis pleriq; gratiam partiti sunt, docendi caussa, in gratiam gratum facientem, & gratis datam. Item in gratiam operantem & cooperantem. Deniq; in gratiam præeuntem uel præuenientem, & subsequentem. Illi ipsi operationes seu effectus gratiæ hoc fermè modo annumerant, Gratia sanat animam, efficitq; eadem ut uelit bonum, deinde quod uoluit, efficaciter operetur: sed & in bono perseueret, & tandem ad gloriam perueniat sempiternam.

Cæterum nos non tam soliciti sumus in recensendis aliorum sententijs quid quisq; senserit: quòd præterea immensi laboris, nec meæ esset facultatis: quàm in proferenda sententia scripturæ sanctæ (quæ una & sola est rectè iudicandi sentiendiq; regula) quid illa inquam nos sentire iubeat. Id quod in superiore nostra dissertatione de Gratia Dei, & breuiter & luculenter satis ostendisse spero. Sed & consequens disputatio de Christo, in quo excellentissimam in nos gratiam cœlestem transfudit pater, sarciet si quid illis deesse uidetur.

Gratia iustificamur.

Priusquam autem hinc discedamus, admonendum existimaui, non inter se oracula

oracula uerbi Dei confligere, cum legimus uel audimus saluari homines gratia Dei uel gratis: saluari dilectione Dei: saluari per misericordiã Dei: saluari per Christum: saluari per sanguinem uel mortem, uel incarnationem Christi: saluari per fidem in Christum, uel in misericordiã aut gratiam Dei. Hæc enim omnia in idem recidunt, & omnem gloriam caussamque salutis humanæ, ueræ Dei misericordiæ, uel gratiæ transcribunt. Gratiæ pignus imò saluator est unigenitus Dei filius dominus noster in mortem traditus. Meram gratiam in Christo apprehendit syncera fides.

Ideoque expositis ijs quę in genere de gratia Dei dicere, pro mea exilitate potui, descendo iam ad singulare illud gratiæ Dei opus tractandum, quod non est aliud, quàm quod misericors pater nobis exhibuit filium, ad eum omnino modum, ad quem nobis in prophetis promisit, & in ipso omnia plenè beatæ uitæ æternæque salutis: cum ipse sit dominus & Messias, siue saluator unicus & uerus, qui pro nobis incarnatus, mortuus, exuscitatus & in cœlos receptus est. Nam Christus rex & pontifex, id est, saluator noster, scopus imò stella, ipseque sol est prædicationis euangelicæ. In istis autem sigillatim explicandis hoc utemur ordine. Principiò recitabimus eximias aliquot è lege & prophetis promissiones de Christo Ecclesiæ à Deo propositas, & eas maximè quas & ipsi attigerũt apostoli Christi. Deinde demonstrabimus deum præstitisse quod promisit, id est, ostendemus quòd filiũ suum unigenitum nobis exhibuit: & quòd is sit uerus & expectatus ille dominus & Messias siue saluator. Postremò indicabimus in filio hoc, patrem mundo esse placatum, uel reconciliatum: in quo etiam dederit nobis plenè omnia uitæ beatæ & salutis æternæ. Ipse enim incarnatus est pro nobis, mortuus & ex mortuis excitatus, postremò & in cœlum receptus. Atque in his latent uiuæ euangelij uenæ, profundentes salutares aquas ad uitam æternam. In his enim est solida consolatio fidelium, & tranquillitas placidissima. Sine his non est ulla uita uel quies.

In Christo exhibet suam nobis gratiam Deus.

1 2 3

Promissiones de Christo à Deo in scriptura sancta editæ, triplices sunt. Ita uerò perspicuitatis gratia unius & eiusdem generis promissiones iuxta tempora partior. Priores sunt factæ Patriarchis, uel primis illis patribus ante legem latam: & hæ rursus sunt duplicis generis. Aliæ enim planæ sunt, simplicibus sententijs, absque ulla figura uel typo enunciatæ. Aliæ uerò typicæ & figuratæ sunt. Prima & clarissima promissionum fit ex ipso Dei ore ad parẽtes nostros Adamũ & Euam, morte & calamitatibus diroque pauore oppressos: quæ ueluti columna & fundamentum est totius religionis Christianæ & prædicationis euangelicæ: ex qua omnes ferè aliæ promissiones dependent. Sic autem dicit dominus. Inimicitias ponã inter te (serpentem intelligit ipsum satanam) & inter illam mulierem: inter semen tuum & semen illius: ipsum conteret tibi caput: & tu conteres eius calcaneum. Semen promittit his uerbis Deus, & semen quidẽ non uiri, sed mulieris: & excellentissimæ quidem mulieris, nimirũ beatissimæ uirginis Mariæ, benedictæ illius inter mulieres. Ea enim non ex semine uiri, sed ex spiritu sancto concepit, & uirgo peperit Christum dominum: qui moriendo & resurgendo caput, id est, regnum satanæ, ipsum inquam peccatum, mortem & condemnationem non tantùm uexauit uel uulnerauit, sed contriuit, omni satanica potestate seu tyrannide è medio sublata. Interim satanas calcaneum Christi contriuit: id est, id quod in Christo quasi infimum erat, carnem, exquisitissimè per membra sua, Caiapham, Pontium Pilatum, per Iudæos & Gentes tormentis & morte atriuit atque confecit. Dicit enim in Psalmis dominus, Vermis sum & non homo. In puluerem redegerunt uitam meam. Verùm resurrexit iterum ex mortuis. Alioqui enim caput serpentis

Promißiones de Christo seruatore nostro.

Primum euangelium.

Gene. 3.

non contriuisset, factusq́ȝ est saluator omnium credentium in ipsum. Ex hac promissione deriuatur singularis & celebris illa, quam patri nostro Abrahæ hisce uerbis angelus domini recitat, Benedicentur in semine tuo omnes gentes orbis. At Paulus ad Galatas disertis uerbis declarat, nostrum illud esse semen benedictum Abrahæ promissum. Semen autem appellatur dominus noster propter primam illam promissionem Adamo & Euæ factam, & quoniam propter nos incarnatus & uerus homo factus est. Nec pugnat hæc promissio cum prima. Licet enim semẽ uel filius Abrahæ nunc nominetur Christus dominus, non tamen alia ratione ad Abrahamum refertur, quàm per uirginem, quæ erat filia Abrahæ & mater Christi domini. Quid autem confert nobis sua incarnatione filius Abrahæ? Benedicit. Benedictio autem opponitur maledictioni. Ergo quicquid contraximus ex Adami peccato maledictionis, id sanat in nobis Christus, & benedicit nos omni benedictione spirituali. Nec beneficium hoc paucis confert, sed omnibus totius orbis gentibus, in ipsum credentibus.

Genes: 49 Iacob patriarcha inspiratus spiritu Dei, fata filiorum & res futuras prædicens, ubi ad Iudam filium uenisset, inter alia ait. Non recedet sceptrum de Iuda, & legislator (uel scriba) de pedibus eius, donec ueniat Schilo, & ad illũ gentes confluant. En his non tantùm promittitur Messias, sed insuper ostenditur tempus, quando incarnandus sit, ostenditur item quis & quatenus ille futurus sit. Regnum, inquit, permanebit sub Iuda usq́ȝ ad Christi aduentum. Et quamuis tribus Iuda reges non sit semper habitura, nõ deerunt tamen proceres, duces, legislatores, docti ac præsides populi. Ideoq́ȝ fides euãgelicæ historiæ testatur Christum uenisse tunc, cum omnis potestas imperitandi translata esset ad Romanos, quorum Imperatori Augusto censum Iudæi appenderunt. Schilo autem significat felicitatem siue authorem felicitatis, copiæ cornu & abundantiam omnium rerum optimarum. Thesaurus enim omnium bonorum Christus est. Et Chaldæus interpres pro Schilo reposuit Christus. Cæterum confluent ad ipsum, ut saluatorem suum, omnes gentes: quod & prophetæ postea clarissimè declarauerunt, Isaias in capite secundo & Michæas in 4.

Porrò typi & figuræ Christi sunt, Noe in arca seruatus. Nam seruantur fideles in Christo: sicuti S. Petrus testatur, 1. Pet. 3. Immolatur ab Abrahamo filius unigenitus Isaac, & in iugo quodam eius montis, in quo post multos annos immolatur Dei filius. Venditur ethnicis à fratribus suis Ioseph. Conijcitur idem in carcerem: sed liberatus saluator fit, & ab omni populo conseruator salutatur regni Ægyptiaci. Hæc omnia præfigurarunt Christum dominum.

Posteriores promissiones & ipsæ sunt duplices, retectæ & uelatæ siue figuratæ. Continentur autem in lege & in prophetis ad tempora usq́ȝ captiuitatis Babylonicæ. Prophetiam, de uenturo propheta omnium maximo, Mosis, citat beatus Apostolus Petrus in Act. cap. 3. Figuratæ promissiones Christi sunt sacrificia, quæ Paulus in epistola ad Hebræos enarrat miro cõpendio. Agnũ paschalem idem in 5. prioris ad Corinthios unà cum beato Petro in 1. capite prioris epistolæ accommodat Christo. Idem petram percussam & aqua manantem, appellat Christum. Ipse Christus dicit in euangelio Ioannis, se præfiguratum esse æneo serpente exaltato in deserto: cuius mysterium alicubi plenius enarraui. Sunt alia huius generis plurima: quorum non minimam partem attigi cum dissererem de Ceremonijs & earum significatione. Vnde qui uolet repetat. Non figuratæ promissiones ferè sunt innumeræ in Psalmis & prophetis. Sed & ipse dominus in euangelio secundum Lucam, testatur totum suum negotium descriptum contineri in lege, in prophetis,

prophetis, & in Psalmis. Cumque S. Petrus Euangelium prædicasset, & in hoc Christum ac remissionem peccatorum promisisset omnibus credentibus, subiungit protinus, Quin & omnes prophetæ à Samuele ac deinceps quotquot locuti sunt, annunciauerunt dies istos. Certè Dauid Psalmo 2. 22. & 110. geminam Christi indolem, diuinam & humanam, clarè designauit. Idem prædicationem eius salutarem, sacerdotium æternum, redemptionem æternam, per mortem acerbissimam, tantùm non inspectanda oculis omnium proposuit. Quid dicam de Isaia propheta? qui optimo iure non à postremo ecclesiæ Christianæ doctore appellatus est Euangelista, quasi historiam scripserit rerum gestarum non gerendarum per Christum. Hunc proponit ille nobis uerum Deum, & hominem uerum, natum secundum carnem de uirgine intemerata: qui prædicet uerbum uitæ, pascatque tanquam bonus pastor trepidas ouiculas, qui sit lumen gentium usque ad extrema terræ, qui cæcos illuminet, claudos & uarijs morbis confectos sanet, qui à suis proditus conspuatur, alapis cædatur, & inter latrones suspensus, hostia pro delicto offeratur, denique & qui intercedat pro transgressoribus, ut ipse iustus omnes credentes iustificet. Legatur Isaias in capite 7. 8. 9. 11. 28. 40. 49. 50. 53. & in postremis prophetiæ suæ capitibus omnibus, in quibus & ecclesiam Christianam plenissimè describit. Ionas manifestissimum mortis & resurrectionis Dominicæ typum prætulit. Michæas etiam locum Bethlehem designat, in quo Messias nascatur, cuius originem, diuinæ utique naturæ, mox refert ad æternitatem. Idem prædicit Euangelicam prædicationem ex urbe Hierosolymorum in totum terrarum orbem fore disseminandam. Ieremias dicit Deum Dauidi excitaturum uerum semen siue germen, id est, expectatum Messiam. Allusit autem ad legem de excitando semine fratris latam. Virgo enim spiritu sancto fœcunda genuit: & eum quidem genuit, cuius nomen est Iehouah, Deus utique uerus & essentialis: quem Isaias nominauit Emanuelem, & qui uera est iustitia credentium. Nam per Christum iustificantur credentes. Etenim idem propheta in capite 31. promittit in Christo & plenariam peccatorum remissionem, & spiritus sancti gratiam uberrimam: quam & Ioel propheta non obticuit. Hæc autem paucula ex multis delibaui duntaxat. Toti enim prophetarum libri in negotio Christi exponendo uersantur.

Postremæ de Christo promissiones sub ipsa captiuitate Babylonica, & mox post captiuitatem, à Deo, prophetis reuelatæ, & ecclesiæ Dei sunt propositæ. Prophetat Ezechiel de pastore Dauide, & ouibus pastorem illum suscipientibus: quę ipse Dominus in Euangelio secundum Ioannem de seipso exponit. Idem multa disserit de gratia & plenaria gratuitaque peccatorum remissione per Christum conferenda, in primis 34. 36. & 37. cap. Daniel habet quidem uisiones & somnia multa: sed in his ita nobis exhibet Christum, ut non posset melius, illustrius, elegantius. In 2. cap. commonstrat nobis regnum eius ęternum, indicatque Christum sub monarchia Romanorum uenturum, tum cùm principes Romani affinitatibus sibi mutuò connexi, mutuis sint interituri armis. Quod quidem impletum est imperitantibus Pompeio & Iulio, Antonio itē & Octauio Augusto. Iam cognitissimæ sunt septimanæ Danielis in 9. cap. ubi Christum & tempora Christi repudiūque gentis Iudaicę propter incredulam perfidiam toti mundo tantùm non digito monstrat. Haggeus templum extruit, sed uerum templum, Christianā utique ecclesiam. Zacharias multa Christi mysteria eleganter tradit. Proponit nobis Christum regem & pontificem. Commendat nobis unicum illud sacrificium, æternum, efficax satis expiandis omnibus totius mundi peccatis. Legatur cap. 3. 9. 14. imò totus Christum & regnum Christi nos docet. Malachias præmittit præcursorem Do

Mich. 5.

Esaias in 1 capite

Joan. 10.

Rom. 1. mino Christo, & non pauca Christi mysteria tractat. Vnde cernimus uerissimè scripsisse Paulum, Deum ante promisisse Euangelium per prophetas suos, in scripturis sanctis.

Euangeliũ partes nescit.

Ex his uerò sanctis promissionibus colligimus & illud, non plura aut diuersa esse Euangelia (quanquam non negemus eandem historiam Euangelicam diuersis scriptam esse authoribus) sed unum duntaxat esse & quasi æternum. Nam illud ipsum Euangelium quod nobis hodie annunciatur, ab exordio mundi patribus annunciatum est. Certissimum enim est Euangelio seruatos esse ipsum Adamum, Euam, Abelem, omnes patriarchas & prophetas, sed & ueteris testamenti omnes fideles. Id quod alibi quoq; satis copiosè sumus prosequuti.

Deus pater per Christum præstitit nobis quod patribus promisit.

Descendimus nunc ad alterum caput, ostensuri Deum patrem fideliter quod promisit patribus, præstitisse nobis, exhibito unigenito suo filio: qui sit uerus & expectatus ille Messias benedictus in secula. In ea caussa illustranda diligenter laborarunt Euangelistæ & apostoli Domini, ut nemo fidelius & melius. Genus Christi ostendunt Dauidicum & ex Abrahę prosapia descendens: matrem uirginem, quę conceperit ex spiritu sancto, & uirgo pepererit. Tempus quoque consignant quo Math. 2. reuelatus est Christus, id quod omnibus punctis respondet uaticinijs prophetarum. Addunt & locum natiuitatis Christi cōgruere prophetiæ Micheæ. Iam apparet in Oriente stella, quæ magos, uiros primarios & sapientissimos, inuitat ad salutandum nuper natum regem. Adsunt ergo, & in urbe Hierosolymorum regia, palàm, & natum Messiam, & se adorandi eius gratia ex Oriente aduenisse profitentur. Verbis facta respondent. Nam indicio stellæ repertum adorant, & muneribus ipsi oblatis quanti Christum faciant, minimè obscurè declarant. In ipsa urbe Hierosolymorum regia, uirorum iustissimus Simeon cum iubilo cordis maximo, Luc. 2. & gratulatione pijssima, in templo palàm testatur Deum pro æterna sua ueritate & constantia exhibuisse mundo filium unigenitum, quem patribus promiserat: simul profitens tranquillissimo iam se animo moriturum. Caussam subiungit, Quia uiderunt oculi mei salutare tuum, nimirum illum Schilo, id est, felicitatorem saluatoremq; quem ô Deus, statuisti proponere omnibus populis, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Izrael: id est, ut tenebras discutiens, gentibus lumen præferat ueritatis & uitæ, easq; illuminet, & gloria uitaq; sit populi Izraelitici. Huc pertinet etiam testimonium clarissimi uiri Zachariæ sacratissimi sacerdo- Luc. 1. tis Dei, testificantis atq; dicentis, Benedictus Dominus Deus Izrael, quia uisitauit & redemit populum suũ. Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Sicut loquutus est per os sanctorum qui à seculo fuerunt prophetarum suorum. Et reliqua quæ leguntur Luc. cap. 1. Porrò Zachariæ huius filius beatissimus Ioannes, Baptista cognominatus, quo ex mulieribus non legitur natus sanctior alter, digito in Christum Iesum extento, demonstrat hunc illũ esse expectatũ Messiam, quẽ promiserint omnes prophetæ, Deumq; hoc exhibito liberasse fidem suam, & se totum cum omnibus bonis suis effudisse in credẽtes. Quinimò expectante populo, ut Lucas habet, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne num ipse esset ille Christus, respondit Ioannes, dicens uniuersis, Ego quidem aqua baptizo Joan. 1. uos, sed ueniet fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamentorum: ipse uos baptizabit spiritu sancto & igni. Et apud Ioannem legimus, Postero die uidit Ioannes Iesum uenientẽ ad se, & ait, Ecce angelus ille Dei, qui tollit peccatum mundi: Hic est de quo dicebam, Post me ueniet uir, qui me antecessit, quia prior me erat, & ego nesciebam eum: sed ut manifestus fiat Israeli, propterea ueni ego aqua baptizans. Et mox, Vidi spiritũ descendentẽ specie columbæ de cœlo: & man-

Iesus est Christus, id est, expectatus ille Messias.

agnus

& mansit super eum. Et ego non noueram eum: sed qui misit me, ut baptizarem aqua, is dixit mihi, Super quem uideris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. Et ego uidi & testatus sum hunc esse filium Dei. Rursum cùm discipuli Ioannis inuiderent Christo Domino felicem successum, dolerentque Ioannem præ Christo ueluti negligi, dixit discipulis suis Ioannes, Ipsi uos testes estis quòd dixerim, non sum ego Christus, sed missus sum ante illum. Qui habet sponsam sponsus est: amicus autē sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocē sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletū est. Illum oportet crescere, me uerò minui. Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum. Qui credit in filium, habet uitam æternam: qui non credit in filium, non uidebit uitam: sed ira Dei manet super eum. Firma, euidentia & clara sunt hæc testimonia, solaque pro hac poterant sufficere caussa. Verùm adijciamus adhuc paucula ex multis, delarātia Christum nobis esse exhibitum. Ipse ergo Dominus noster, quem Messiam esse credimus, prodit, diu multumque Ioannis commendatus testimonio, & ipse uerbum uitæ annunciat. Nullis autem unquam seculis alius fuisse legitur, qui tanta docuerit cum gratia. Simul autem opera edidit stupenda, quæ facilè quis sit coarguunt, & uel renitentem auditorem attrahunt. Facilis & benignus erat peccatoribus, subinde repetens his se seruandis & ad pœnitentiam uocandis aduenisse. Ergo cùm aliquando ad ipsum discipuli Ioannis uenirent rogarentque, Tu ne ille es qui uenturus est, an alterum expectabimus? respondit, Ite & renunciate ea Ioanni, quæ uidetis & auditis: Cæci uisum recipiunt, & claudi ambulant, leprosi mundantur, & surdi audiunt, mortui excitantur, & pauperes lætum accipiunt Euangelij nuncium. His autem, doctrina inquam & operibus, uel uirtutibus suis, demonstrare uoluit se mundo exhibitum esse Messiam uerum nec alium expectādum. Nam & in schola Nazarethana lecto Isaiæ testimonio de uenturo Messia expositoque, ostendit scripturam eam esse impletam. Vbi protinus hoc subiungitur in historia, Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur super gratia sermonum qui procedebant ex ore ipsius. Rursus apud Ioannem in 10. cap. Circundederunt Dominum Iudæi, & dixerunt, Quousque animam nostram suspendis? Si tu es Christus, dic nobis ingenuè. Respondit eis Iesus, Dixi uobis: uos autem non creditis. Opera quæ ego facio nomine patris mei, hæc testimonium reddunt de me. Sed uos non creditis, quia non estis de ouibus meis. Et mox, Vos dicitis me blasphemare quia dixerim, Filius Dei sum. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: sin facio, & si mihi non credatis, operibus credite: ut cognoscatis & credatis quòd pater in me est, & ego in eo. Certè Ioan. 7. legimus, Qui crediderunt in eum, dixerunt, Christus cùm uenerit, num signa plura edet ijs quæ hic edidit? Id est, ut maximè donemus alium esse Christum expectandum, hoc tamen certissimum est alium illum non posse plura & maiora designare miracula. Credamus ergo hunc uerum esse Mesiam. Coram Caiapha summo pontifice & Concilio uniuersali Israeliticorum procerum: item coram Pontio Pilato in foro Romani imperij, disertis & minimè obscuris uerbis confessus est Dominus noster Christus, se esse uerum illum & expectatum Mesiam. Equidem, sicuti de eo prædixerunt prophetæ, mortuus est sponte pro peccatoribus, resurrexit deinde tertia die à mortuis, ascendit in cœlum, sedetque ad dexteram Dei patris. Et Euangelistæ dicta & facta Christi fideliter recitantes, diligenter præcipuis subiungunt, Hoc totum factum aut dictum est, ut impleretur quod dictum erat à propheta. Proinde non uidetur operæpretium uaticinia prophetarum colligere & his antithesi committere dicta & facta Christi, atque ex consensione manifestissima cōcludere, Deum

Ioan: 3.
Ioan: 10. & Luc. 1.
Luc: 4.

præstitisse nobis, quod patribus promisit exhibito filio unigenito, qui sit uerus & expectatus Messias. Hoc enim fecerunt Euangelistæ, & id quidē tanta cum fide & diligentia ut nemo possit euidentius & melius. Huc referre licet omnia quæ dixi Sermonibus superioribus de significatione, uel mysterijs, impletione & abrogatione legis. Et ut nobis non tanta sit testimoniorum copia, an non unicum hoc quod apud Ioannem in 4. cap. legimus uice multorum millium esse poterat? Dicit mulier illa Samaritana ad Dominum, Scio quòd Messias uenturus sit, qui dicitur Christus: cùm ergo uenerit ille, nobis nunciabit omnia. Respondit ei Iesus: Ego sum qui loquor tibi. En quid poterat dici clarius? Ego inquit sum Messias, ego inquam qui tibi loquor modò, qui ab initio dixi, Si scires donum Dei, & quis sit qui tibi dicit, Da mihi quod bibam, tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam, Quisquis enim biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitierit in æternum: sed aqua quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Infelicissimi ergo omnium mortalium & aridissimi sunt, qui alium post Dominum nostrum Messiam expectant. Petrus bene longa oratione scripturis & firmis rationibus instructa, in Actis Apostolorum cap. 2. demonstrat, Iesum Dominum nostrum illum esse uerum Messiam. Hac enim sententia Sermonem suum concludit, Certò sciat ergo tota domus Israel, quòd Dominum & Christum fecerit Deus hunc Iesum quem uos crucifixistis. Ad eundem scopum tendit & doctissima copiosissimáque oratio protomartyris Stephani, quæ exhibetur nobis Actor. 7. cap. In 8. cap. Philippus Æthiopi ostendit ex uaticinio Isaiæ, Iesum esse Christum. S. Paulus in omnibus synagogis non aliam proponit propositionem, quàm hanc demonstrandam, Iesus est Christus, id est, Iesus est rex, pontifex atque saluator fidelium. In capite aūt 13. copiosa oratione eandem illustrat atque declarat. Hæc autem euidentissima & clarissima diuinæ scripturæ testimonia proculdubiò satisfaciunt minimè rixosis nec pertinacibus. Nolo operosius & curiosius in præsenti disputare contra tergiuersatores Iudæos, alium expectantes Messiam, nostrum autem illum Dominum, filium Dei & Mariæ uirginis, negantes esse uerum Messiam. Sentiunt miseri uerissimum esse, quod in Euangelio prædixit ipsis Dominus, dicens, Cùm uideritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes. Væ autem pręgnantibus & lactantibus in illis diebus. Erit enim afflictio magna. Et iterum de urbe loquens Hierosolymorum, Dies, inquit, uenient in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & cingent & coangustabunt te undique, & solo æquabunt te, & filios tuos qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem: eò quòd non cognoueris tempus uisitationis tuæ. Et iterum, Erit ira in populo hoc: & cadent acie gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Et Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora gentium. Hæc quia sentiunt ad uerbum ita esse impleta, sicut à Christo in Euangelio fuerunt prædicta, quare miseri non dant gloriam Deo, & in reliquis etiam credunt Euangelio agnoscentes Iesum Christum Dei & Mariæ uirginis filium, Dominum nostrum, uerum & expectatum uenisse Messiam? Quid habent quod pertinaci suæ incredulitati obtendant? Caruerunt hactenus à mille quingentis annis & amplius patria sua, terra inquam illa patribus promissa, melle & lacte manante: caruerunt prophetis: caruerunt cultu celebri, & legitimo. Vbi enim est templum? Vbi est summus pontifex? Vbi est ara? Vbi sunt instrumenta sacra? Vbi sacrificia quæ offerantur secundum legem? Omnis gloria populi Dei translata est ad Christianos. Hi gaudent uocari filij Abrahæ: hi exultant in promissionibus patribus factis: hi celebrant & prædicant patres: hi re-

Iudæi negantes Iesum esse Christum.

Math: 24.

hi rectè iudicant de lege, & de fœdere Domini: hi habent scripturas sanctas, & in his explicandis sunt felicissimi: hi habent templum uerum, summum pontificem, uerum altare thymiamatis & holocaustorum, Christum: hi habent uerum cultum olim in externis præfiguratum ceremonijs. Sicuti demonstraui cùm tractarem Ceremonias Iudaicas. Vocatę sunt gentes ex omnibus mundi plagis ad Christum. Omnes & singulæ promissiones de uocatione gentium abundantissimè sunt impletæ, & implentur etiam hodie. Nos iam sumus genus electum, iuxta S. Petri doctrinam, regale sacerdotium, gens sancta, populus peculiaris, in hoc uocati, ut prædicemus uires illius, qui è tenebris nos uocauit in admirabilem lucem suam. Nisi ergo malint infelices Iudæi in diem crassioribus implicari erroribus, & calamitatibus torqueri innumeris, tandem uerò perire in æternum, iuxta Christi Domini comminationem, conuertantur ad Christum fide, & adorent illum nobiscum, in quo sperauerunt patres ipsorum, & in quo solo est salus & uita. Nam ut uerbis Apostoli hunc locum concludam, Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, uisus est angelis, prædicatus est gentibus, fides illi habita est in mundo, receptus est in gloria. Qui autem illi crediderit, in æternum uiuet, neque confundetur unquam.

Restat exponenda pars postrema, comprehendens patrem cœlestem in filio suo unigenito Domino nostro Iesu Christo esse placatum, qui prius mundo fuerat iratus. Ostendendum ergo inprimis Deum uniuerso mũdo iratum fuisse. Id quod non erit difficile. Nam peccatis irascitur Deus. Totus autem mundus peccato tenetur obnoxius, idcirco necesse est iustissimum Deum uniuerso mundo ualde irasci. Et Paulus, Palàm fit ira Dei, inquit, de cœlo, aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominũ. Idem dicit omnes homines peccato esse obnoxios: ad quod confirmandum has copias ex scripturis producit, dicens, Non est iustus, ne unus quidem: non est qui intelligat, non est qui requirat Deum. Omnes deflexerunt simul, inutiles facti sunt: non est qui exerceat bonitatem, non est usque ad unum. Sepulchrum apertum guttur eorum: linguis suis ad dolum usi sunt, uenenum aspidum sub labijs eorum. Quorum os execratione & amarulentia plenum est: ueloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & calamitas in uijs eorum, & uiam pacis non cognouerunt. Non est timor Dei coram oculis eorum. Iam ne Israelitæ responderent, hæc nihil pertinere ad populum Dei, sed ad impios & ethnicos, subiungit, Scimus autem quòd quæcunque lex dicit, his qui sub lege sunt dicat, ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus Deo. Nemo hic excipitur. Nam ad Galatas quoque idem Apostolus dixit, Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Proinde consequitur, totum mundum fuisse indignationi Dei iustissimi subiectum. De quo dicitur & ad Ephes. 2. cap. & 4. & 5.

Pater Deus mũdo iratus, placatus est in filio.

Rom: 1

Rom 3

Galat: 3.

Huic autem impio mundo placatus uel reconciliatus est pater cœlestis, per filium unigenitum Dominum nostrũ Iesum Christum. Quod unico ipsius patris testimonio abundè satis demonstraturum me confido. Principiò enim pater uoce cœlitus in terram, & super Christum iam à baptismo ascendentem, deinde etiam transfigurantem se in conspectu dilectorum discipulorum suorum, delata, disertè testificans, dicit, Hic est filius meus dilectus, in quo placata, reconciliata uel propitiata est anima mea, Ipsum audite. Legitur hoc testimonium & ab Isaia in 42. capite, prænunciatum esse. Repetijt hoc beatus Apostolus Petrus in 2. Episto. cap. 1. Paulus uerò hoc ipsum quasi illustrauit, & dixit, In filio complacitum est patri uniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum cuncta reconciliare erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius per eundem, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœ-

Math 3
Marc: 9

lis. In cœlis autem pater est, in terra homines sumus. Mediator Christus est, qui me dius intercedit, ac nos patri suo reconciliat, ut iam simus dilecti patris, in dilecto suo filio. Nam in Epistola ad Ephesios dicit idem Apostolus. Charos nos reddidit per dilectum: per quem habemus redemptionem, per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, iuxta diuitias gratiæ suæ. Omnia hæc plenius intelligentur ex sequentibus.

Ephe. 1.

Omnia uitæ & salutis plenè in Christo nobis data esse.

Vita beata. Salus æterna.

Nunc enim demonstro Deum patrem in filio suo dedisse nobis plenè omnia uitæ beatæ & salutis æternæ. Duo commemoro, uitam beatam & salutem æternam. Beatam uitam intelligo uitam sanctam & piam, quam uiuimus tranquillè & honestè in hoc seculo. Salus æterna, est felicitas illa seculi futuri, quam expectamus firma spe. Habemus autem in Christo plenissimam beatę uitę doctrinam traditam nobis per Euangelium, in quo & exemplum uitæ Christi comprehendimus. Certè pater cœlestis hunc nobis doctorem proposuit, & dixit, Hunc audite. Et ipse in Euangelio secundum Matthæum, Ne uocemini magistri, inquit: unus enim noster est magister, nempe Christus, qui in Euangelio Ioannis appellatur Lux mundi. Hic alibi quoque testatur doctrinam suam contineri in scriptura sancta: unde & discipulos suos relegat ad scripturas sanctas diligenter legendas. At de his Gentium adeoq; uniuersæ ecclesiæ doctor Paulus, Omnis scriptura, inquit, diuinitus inspirata, est utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, ut integer sit Dei homo ad omne opus bonum apparatus. Proinde licet totus mundus insaniat, traditionumq; uiuarum non scripturarum assertores dentibus frendant, firmum tamen stat stabitq; uerbum Apostoli testificantis doctrinam scripturarum siue Christianam, esse per omnia absolutissimam. De qua re cùm in Decad. 1, primis Sermonibus disputauerim, hic certè sum succinctior. Quod autem attinet ad salutem æternam per Christum nobis plenè paratam siue partam, ita habet res. Salus æterna, est æterni Dei uisio uel perfruitio, ergo & cum eodem indissociata coniunctio. Nam Dauid dicit, Satietas gaudiorum in conspectu tuo est, & iucunditates in dextera tua in perpetuum. Et beatus Ioannes, Nunc quidem filij Dei sumus, ait, & nondũ apparuit quod futuri sumus. Scimus autem quoniam si apparuerit, similes ei erimus: quoniam uidebimus eum sicuti est. Cęterum in Euangelio dicit Dominus Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum uidebunt. Omnes autem homines cordibus præditi sunt impuris: nullus ergo Deum uidebit. Quia nulla impuritas permanet apud ignem consumentem. Salus ergo nobis nisi purgatis communicari non potuit. Atqui sine sanguinis effusione non fit purgatio uel peccatorum remissio: non arietum quidem uel hircorum, sed filij Dei sanguinem puto. Assumpsit itaq; carnem & sanguinem nostrum Dei filius, uenit in mundum, mortem uolens propter nos subijt, & sanginem suum in remissionem peccatorum nostrorum effudit: atq; eo modo credentes purgauit, ut iam mundi queant habitare cum Deo sanctissimo, qui est ignis consumens. Hic uerò locum habent incarnatio Domini nostri Iesu Christi, mors, resurrectio ex mortuis, & ascensio in cœlos, quorum meminimus superius in descriptione Euangelij. His enim constat totum reconciliationis mysterium. De his in præsenti ea de caussa fusius non disserimus, quòd symbolum Apostolorum exponentes, ea quantum satis esse uidebatur, tractauimus: unde iam repeti & huic negotio applicari possunt.

Math. 23. Ioan. 8. Ioan. 5. 2 Timoth. 3. Psal. 118. 1 Ioan. 3. Math. 5.

Solus Christus est uita & salus nostra.

Quòd autem unus uel solus Christus uita & salus nostra sit, & absolutissima quidem salus & uita, potest colligi ex superioribus, nihilo minus adferam testimonia aliquot, quò & firmior & perspicacior fiat Euangelicæ ueritatis synceritas & ueritas.

ueritas. In solo Christo esse uitam & salutem nostram, ita ut extra Christū nullibi prorsus uel uita uel salus sit, testatur ipse dominus in euangelio dicens, Amen amen dico uobis, qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Amen amen dico uobis, ego sum ostiū ouium: omnes quotquot ante me uenerunt, fures sunt & latrones. Ecce unicum modò ostium est, quo patet ad uitam aditus. Christus autem hoc ostium est. Qui ergo per alia media quàm per Christum eluctantur ad uitam & salutem æternam, fures sunt & latrones. Christo enim suam suffurātur gloriam, qui solus est & manet saluator: & suas ipsorum animas trucidant. Idem saluator in euangelio dicit, Ego sum uia, ueritas & uita. Nemo uenit ad patrem, nisi per me. An non pauculis his uerbis omnia salutis media exclusit ac repulit, se solum uitam & salutem constituens? Certè locutionis genus, Nemo uenit ad patrem nisi per me, id omnino pollet quod hoc, Per solum Christum peruenitur ad patrem. Iam & Apostoli Christi, Christum solum ita nobis proposuerunt, ut nemo non possit intelligere, extra Christum nullibi inueniri uitam. S. Petrus Apostolus in Actis, Nec est in alio quoquam salus (inquit.) Nec enim aliud nomen est sub cœlo datū inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Paulus quoque ad Romanos 5. cap. subinde repetit, per unius hominis Iesu Christi iustitiam iustificatos esse omnes credentes. Idem, Per hunc, inquit, annunciatur uobis peccatorum remissio: & ab omnibus à quibus non potuistis per legem Mosis iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur. Cuius quidem generis & alia profert in 2. cap. ad Galatas. Cōstat ergo per solum Christum credentibus conferri peccatorum remissionem & uitam æternam: quæ sicut extra Christum non sunt, ita per nulla media conferuntur extra Christum. Et nos de Remissione peccatorum, qui præcipuus est Euangelij locus, disseruimus copiosius Sermone 9. Decad. 1. sed & alibi quoq;.

Joan: 10. Joan: 14. Acto: 4. Actor: 13.

Iam quòd dominus noster plenè absoluat à peccatis, plenè peccata remittat, plenè saluet, ita ut nihil desiderari possit amplius, adeoq; quòd ipse dominus sit plenitudo absolutissima credentium, extra quem credentes nihil uel cupiunt amplius ad uitam & salutem, uel desiderare possunt, ipse rursus in euangelio tradit cum dicit, Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: quisquis autem biberit ex aqua quam ego dedero ei, uiuet æternùm. Et iterum, Ego sum panis uitæ. Qui uenit ad me non esuriet: & qui credit in me non sitiet unquam. Apostoli ergo cum edissent hunc panem cœlestem, id est, cum credidissent in Christū dei filium, multis discedentibus relinquentibusq; Christum, rogati num & ipsi abire statuant, respondent, Domine ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus quòd tu es Christus filius dei uiui. En nec uolunt nec possunt deserere dominum. Quia nullus alius est cui se coniungere queant. Solus enim hic uita est & salus credentium, & adeò plenè absoluta, ut in solo acquiescant. Cum doctrina euangelica cōgruit doctrina Apostolica. Paulus enim ad Coloss. In filio, inquit, complacitum est patri uniuersam plenitudinē inhabitare. Et iterum, In filio inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, & estis in illo completi. Et in epistola ad Hebr. asserit credentes plenariam habere peccatorum remissionem; quia cessent sacrificia offerri pro peccatis, deumq; promittere per Ieremiam prophetam tam perfectam remissionem peccatorum, ut nolit horum uel meminisse unquam. Proinde quicunq; Christum fide possident, plenissimè omnia uitæ & salutis possident. Huc pertinet tota ad Hebræos epistola. Huc pertinet epilogus 8. Sermonis Decad. 1. quo recensemus quos nobis in Christō thesauros dederit pater cœlestis.

Christus plenè saluat. Joan: 4. Joan. 6. Coloss: 1. Coloss. 2.

Insyncera euãgelij prædicatio.

Ex his ultro consequitur, illos nondũ intellexisse uerum Christi euangelium, necq; synce rè prædicare euangelium, quicuncq; uel non soli uel non plenè omnia salutis & uitæ uni tribuũt Christo domino uero Mesiæ. Impium & blasphemum est, hominibus & rebus homine inferioribus deterioribusq; gloriam attribuere Christi. Præcipua Christianæ religionis exercitia huius nihil sibi uendicant. Nam doctrina syncera rectà ad Christum ducit. Oratio in nomine Christi inuocat, laudat & agit gratias. Sacramenta obsignant & figurant Christi mysteria. Opera uero fidei, ex debito, licet interim sponte, fiunt: quia sumus conditi ad opera bona. Imò tantummodo propter Christum Deo placent. Ipse enim uitis est, nos sumus palmites. Ita omnis gloria Christo illibata seruatur: quæ certissima ueri euangelij nota est.

Summa euangelij.

Hactenus uerò audiuimus, Deum patrem misericordiarum gratuita sua misericordia humani generis misertum, cum luto tartareo infixum, imò immersum prorsus inhæreret, filium suum unigenitum, ita ut in prophetis promiserat, misisse in mundum, qui è luto extraheret nos, nobisq; omnia uitæ & salutis plenè exhiberet. In eo enim reconciliatus est, qui pro nobis incarnatus, mortuus, ex mortuis iterum excitatus, & in cœlum receptus est.

Omnium esse salutem euangelicam.

Et quamuis ex his omnibus utcũq; colligi posit, quorũ sit illa salus, & quibus annuncianda uideatur gratia, res tamen ipsa postulat ut expressè & disertè ostendamus, Christum & Christi gratiam euangelio allatam uel annunciatam pertinere ad omnes. Minimè enim fingere oportet, duos esse in cœlis positos libros, in quorum altero inscripti legantur saluandi, ac necessitate quadã irrefragabili quidem saluandi, utcuncq; reluctentur uerbo Christi & atrocia designent flagitia: in altero autem consignatos contineri damnandos, qui non posint non, quantumuis religiosè uiuant, damnari. Teneamus potius sanctum Christi euangelium generaliter uniuerso mundo prædicare gratiam Dei, remissionem peccatorũ, & uitam æternam. In hac uerò sententia oportet confirmare mentes uerbo dei, collectis aliquot scripturæ sanctæ locis claris, & minimè dubijs aut obscuris. Cuius quidem generis sunt illæ sententiæ, Benedicentur in semine tuo omnes gentes orbis. Gene. 22. Omnis qui inuocarit nomen domini, saluus erit. Ioelis 2. Omnes nos quasi oues errauimus: & posuit deus in eo iniquitatem omniũ nostrum. Isaiæ 53. Omnes sitientes uenite ad aquas. Isaiæ 55. Innumera sunt huius generis in ueteri testamento testimonia. In euãgelio dicit dominus, Omnis qui petit accipit, & quicuncq; quærit inuenit, &c. Matthæi 7. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Matth. 11. Docete omnes gentes, baptisantes eos in nomen patris, &c. Matthæi 28. Ite in mundum uniuersum & prædicate euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Marci 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Ioan. 3. In Actis Apostolorum dicit beatus Petrus, Reipsa comperio, quòd non sit respectus personarum apud deum, sed in quauis gente, qui timet ipsum, & operatur iustitiam, is acceptus est illi. Acto. 10. Paulus quocq; ad Romanos 3. Iustitia, inquit, dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt. Et 10. cap. Idem dominus omnium est, ait, diues in omnes inuocantes se. In epistola ad Titum dicit, Apparuit gratia Dei salutifera omnibus hominibus. Et in prima ad Timoth. 2. cap. Deus cunctos homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Hæc & alia his similia certè clara sunt testimonia, quibus tutò nituntur omnes pij.

Tit. 2.

Quare nõ saluentur omnes homines.

Si uerò rogas qui fiat quòd non omnes salui fiant, cum dominus uelit omnes homines

hominès saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire? Respondet dominus in euangelio & ait, Multi quidem sunt uocati, pauci uerò electi. Id quod adhuc clarius & plenius exponit Luc.14. ubi reddit caussas in parabola quare bona hominum pars salutem æternam non consequatur, quia terrena perituraq́ præfert cœlestibus. Alius enim aliud suæ prætexebat inobedientiæ, Hic uillam emerat: ille iuga boum: erat qui uxorem duxisset. Ita in euangelio secundum Ioannem dicit dominus, Hæc est condemnatio, quòd lux uenit in mundũ, & homines magis dilexerunt tenebras quàm lucem. Congruit cum doctrina euangelica sermo apostolicus 2.Cor.4.cap. Et in 1.ad Tim.4.cap. dicit Apostolus, Deus est seruator omnium hominum, maximè fidelium. Vnde colligimus deum in prædicatione euangelij sui abs quolibet nostrum requirere fidẽ: cum aliàs constet fide participes nos fieri omnium bonorum Christi. Et certè correlatio est inter fidem & euangelium. Dominus enim in euangelio secundum Marcum prædicationi euangelij fidem coniungit. Et Paulus dicit sibi ministerium euangelij commissum in obedientiam fidei. Idem, Euangelium, inquit, est uirtus dei ad salutem omni credenti. Idem ad Rom.10. gradatione quadam ostendit euangelium fide percipi. Vt autem fides possit in animis hominum legitimè plantari, necesse est praire prædicationẽ pœnitentiæ. Vnde in descriptione euangelij sub finem dixi, modò peccata nostra agnoscentes credamus in Christum: id est, dominus erit saluator noster conferens nobis uitam, si agnouerimus peccata, crediderimusq́ in eum. Ideoq́ hic locũ habent pœnitentia & fides. De Fide disputaui Sermone 4. 5. & 6. Decad.1. De Pœnitentia postea dißeram Sermone peculiari: hic summam duntaxat rerũ, & quantum illustrando euangelio satis esse putauero, perstringam.

Math: 20.

Ioan: 3

Saluantur fideles.

Rom: 1.

Ipse dominus noster requirit in prædicatione euangelica, pœnitentiam & fidem: nec alia uia, cum ipse euangelium prædicaret, processit. Marcus enim, Venit Iesus in Galilæam, inquit, prædicans euangelium regni dei, & dicens, Impletũ est tempus, instatq́ regnum Dei, resipiscite & credite euangelio: nec aliter discipulos suos instruxit, cum eos ad prædicandum euangelium nationibus amandaret. Lucas enim habet, Christus discipulis suis dixit, Sic scriptũ est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remißionem peccatorum in omnes gentes. Magistrum sequutus discipulus Paulus in Actis, Scitis, inquit, ut nihil suffugerim eorũ, quæ essent in rem uestram, quin annunciarem uobis & docerem uos publicè & domesticè, testificans Iudæis simul & Græcis, eam quæ erga deum est pœnitentiã, ac fidem quæ est erga dominum nostrum Iesum. Certè in epistola sua ad Romanos, qua methodicè tractat euangelium, auspicatur euangelij prædicationẽ à peccato, Iudæos & Gentes peccati conuincens. Hoc autem facit hoc consilio & in hunc finem, ut quisq́ in semetipsum descendens agnoscat se nihil habere iustitiæ, sed ex sua natura filium esse iræ, mortis uel condemnationis, nõ quòd talis peccatorum agnitio per se nos efficiat deo gratos, aut mereatur remißionem peccatorum ac uitam æternam, sed quòd hominis animum suo modo præparet ad percipiendam fidem in Christum, adeoq́ ad ipsum Christum amplectendum, qui est iustitia nostra. Nam ualidi non opus habent medico, sed languidi. Ergo qui arbitrantur se sine peccatis mundos, uel iustos esse, Christum aspernantur: contra qui animi morbos sentiunt, & ex animo fatentur se esse peccatores & iniustos, diffidentes suis meritis & uiribus, anheli festinant ad Christum. Quod cum fit, offert se Christus in euangelio, promittens eis peccatorum remißionem & uitam æternam: quippe cum uenerit sanandis ægris saluandisq́ peccatoribus. Cæterum promißio fide non operibus

Euangelium docet pœnitentiã & fidem.

Marc: 1.

Luc: 24.

Quomodo recipiatur Christus.

recipitur, ideoq; euangelium & in euangelio Christus fide recipitur. Etenim distinguendum erit diligenter inter præcepta & promissiones. Nam hæ recipiuntur fide, illa perficiuntur operibus. Vnde Paulus dixisse legitur, Si ex lege est hæreditas, nō iam est ex promissione. Atqui Abrahæ per promissionē donauit Deus. Idem Apostolus ad Romanos cōferens inter se legem & euangelium, Iustitia, inquit, quæ est ex lege sic habet, Qui fecerit ea, uiuet in eis. Fidei autē iustitia sic habet, Si credideris, saluus eris. Lex itaq; nititur operibus, quibus iustitiam tribuere uidetur. Sed quia nemo factis præstat legem, nemo certe per facta uel legem iustificatur. Euangelium non innititur operibus. Nam peccatores nihil in seipsis agnoscunt quàm peccatum. Totos enim corruptos se esse sentiunt: idcirco confugiunt ad misericordiam Dei, cuius promissis fidunt, sperantes se gratis consequuturos ueniam, & propter Christum receptos esse in numerum filiorum Dei. Plura hic dicerem de fide in dominum Iesum, de remissione peccatorum hæreditateq; uitæ æternæ, nisi in 1. Decad. id fusè proposuissem. Hinc obiter colligimus, Euangelium non syncere prædicari, quando docetur propter opera uel merita nostra Christi uitam nobis communicari. Nam gratis sine omni respectu operum nostrorū, siue præcedentium, siue sequentium, per fidem saluamur.

Fide non operibus recipi Christum.

Et quamuis hoc argumentum tractauerim semel & iterum in hisce nostris sermonibus, quia tamen in eo uoluitur cardo doctrinæ euangelicæ, & hoc dogma (nempe fide non operibus recipi Christum) à multis acerrimè oppugnatur, duos tantum locos, sed maximè illustres, pro eius declaratione & confirmatione adducam, alterum quidem ex euangelio Christi domini, alterum ex epistolis sancti Pauli.

Euangeliū quomodo prædicarit Christus.

Ioan: 3.

De regeneratione copiosius dicitur in Sermone de Pœnitentia.

Dominus noster Iesus Christus compendium ueræ salutis traditurus, id est, euangelium uitæ prædicaturus Nicodemo, in euangelio Ioannis, auspicatur à pœnitentia, totumq; sibi ipsum eripit Nicodemum, nullis relictis ei meritis quibus fidere possit. Dum enim primam hominis natiuitatem prorsus damnat, ut quæ ad uitam æternam nihil conferat consequendam, quid quæso reliquit Nicodemo, in quo gloriari queat? Disertè enim dicit, Amen amē dico tibi, nisi quis natus fuerit è supernis, non potest uidere regnum Dei. Si prima natiuitas & eius facultates ad regnum Dei possent prouehere, quid quæso opus erat natiuitate secunda? Secūda natiuitas fit opera spiritus sancti, qui cœlitus in corda nostra transfusus, inducit nos in cognitionē nostri, ut facilè perspiciamus firmiterq; teneamus, adde & sentiamus in carne nostra non esse uitam aut iustitiam ullam: & proinde neminem suis uiribus aut meritis seruari. Quid ergo? Pergit spiritus & docet, sicuti & uox euangelij foris personat, fide nos per meritum filij dei seruari. Nam in euangelio ait dominus, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Clarius enim alibi dicit, Nemo uenit ad patrem nisi per me. Et iterum ad Nicodemum, Sicut moses exaltauit serpentē in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Moses autem suspendit serpentem in deserto ad salutem morientium è ueneno uel ex morsu serpentium. Moriebantur enim euestigio quos pupugissent dipsades. Quòd si quis ueneno infectus æneum aspexisset serpentem, innoxia reddebatur ueneni uis, neque moriebatur afflictus. Nec erat in castris Israelitarum ullum remedium aliud, quàm hoc unicum: hoc qui spreuit, interijt. Non depellebatur enim uis ueneni, non seruabatur uita morientis, uel precibus ullis, uel sacrificijs multis, uel herbis salutaribus, uel ullo alio medicamine, uel ulla alia ratione. Si quis uoluisset euadere mortis periculum, serpentem æneum suspensum

Ioan: 3.

Nume: 21.

inspicere

inspicere oportebat. Porrò serpens ille æneus Christum dominum nostrum præfigurauit: qui sublatus in crucem salus unica constituitur à Deo. Sed quibus obtingit illa salus? Aspicientibus exaltatum. Aspicere interpretatur dominus, & reponit pro eo credere. Proinde nulla opera, nulla media alia, nulla merita seruant nos à morte æterna, à ui pecati seu ueneni ab antiquo serpente nobis omnibus afflati: Sola fides, quæ Christum credit propter peccata nostra exaltatum, in quo uno uita sit ac salus certissima, uiuificat. Audi quid his præterea subiungat dominus, Nicodemum in uera fide adhuc plenius erudiens, & caussam salutis nostræ merā Dei gratiam constituens, quæ fide percipiatur. Sic enim Deus dilexit mūdum, inquit, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut cōdemnet mundum, sed ut seruetur mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnatur: qui uerò non credit, iam condemnatus est: quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. En quid poterat dici clarius? Fide Christi participes efficimur. Fidem toties repetendo inculcauit, ne quis de tam illustri doctrina uel tantillum addubitaret. Si uerò hic parum apud te ualet Christi authoritas, cuius quæso ualebit? Sed ualet, sat scio. Audi tamen adhuc dilectum domino discipulum in epistola sua hæc domini uerba ueluti declarantem declarandoq; repetentē & toti mundo ualidissimè inculcantem atq; clamantem, Si testimonium hominū accipimus, testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium dei, quod testificatus est de filio suo, Qui credit in filium, habet testimonium in seipso. Qui non credit deo, mendacem facit eum: quia non credidit in testimonium quod Deus testatus est de filio. Et hoc est testimonium, quòd uitam æternam dedit nobis deus, & hæc uita in filio eius est, Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filium dei, uitam nō habet. Habere autem filium dei quid aliud est quàm credere? Nam hic sensus colligitur ex præcedentibus, quæ tam sunt clara, ut his aliquid addere, non sit agere aliud, quàm exorientem solem iuuare aut illustrare uelle candela aliqua sebacea. Joan: 3. 1. Ioan. 5.

Iam ad locum Pauli descendimus. Extat is in 3. & 4. cap. ad Romanos, Absq; lege, ait, iustitia dei manifestata est, dum cōprobatur testimonio legis & prophetarum. Prædicat hoc loco Paulus euangelium luculentissimè. Non enim scio si ullibi hoc fecerit clarius. Docet autem quomodo iustificemur apud deum, quæ sit uera iustitia & salus hominum, & per quid obueniat nobis. Dicit iustitiam dei, id est, quam confert deus, uel quæ consistit & ualet coram deo, reuelari absq; lege, id est, obtingere nobis nullo legis adminiculo, nimirum nullo præsidio, uel merito operum legis. Quod enim attinet testimonium legis, adde & prophetarum, testificantur concorditer, dei iustitia iustificari credentes. Porrò quæ nam sit dei iustitia mox sequitur, Iustitia uerò dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt. Iustitia, inquit, qua de loquimur, quæ iustificat & saluat, non est hominis uel humana, sed dei uel diuina iustitia. Vt enim solus deus iustus est, ita iustitia dei uera & sola est iustitia saluans. Cōmunicat is eam per fidem Iesu Christi, nempe si credamus in Christum. Nec hic excluditur à iustitia uel salute ullus. Disertè enim dicit Paulus, In omnes & super omnes, qui credunt. Proinde omnes credentes in Christum Dei filium pro iustis reputat deus. Caussam autem cur dei non hominis iustitiæ salutem tribuat, uel cur euangelium dei nobis iustitiam commendet, subiungit, & ait, Non enim est distinctio: omnes peccauerunt ac destituuntur gloria Dei. Quia enim omnes homines natura sua gloria dei destituuntur, carentes utiq; uera imagine dei ad quam erant conditi ab initio, certè omnes iniusti sunt ac peccatores: proinde nulla est in eis iustitia, nihil habent quo apud Euangeliū quomodo prædicauerit Paulus. Rom: 3.

Deum glorientur. Peccatores enim à tribunali Dei quid obſecro reportant aliud, quàm confuſionem & ignominiam? Et quia omnes homines tales ſunt, non temerè ſubdit Apoſtolus, Iuſtificantur gratis per illius gratiam, per redemptionem in Chriſto Ieſu: quem propoſuit Deus propitiationem uel reconciliationẽ per fidem in eius ſanguine. Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, Mera dei gratia uel miſericordia, & nullo merito planè, propter Chriſtum iuſtificantur homines: ſi uidelicet credant quòd deus filium dederit mundo, ut ſanguinem ſuum funderet, & peccatores purgatos reconciliaret Deo. Quibus uerbis ſignificantiſsimè modus & ratio tota ſanctificandi, purificandi, uel iuſtificandi pleniſsimè eſt expoſita. Sed præſtat Apoſtoli uerba repetere, & penitius conſiderare. Iuſtificantur gratis, ait. Quare uerò gratis? Quia per meram dei gratiã, nullo ſe noſtro merito aut opere admiſcente. Omnes enim homines peccatores ſunt: unde nihil quod adferãt habent: ideoq; gratuitò iuſtificãtur. Nam idem Apoſtolus in 11. ad Romanos cap. Si per gratiam, ait, ſaluamur, non iam ex operibus: quandoquidem gratia, iam non eſt gratia: ſin ex operibus, iam non eſt gratia. Verùm ſequitur mox in Paulo, quod clariſsimũ alioqui negotium adhuc illuſtret magis, Per redemptionem, quæ eſt in Chriſto, Gratiæ meræ opus eſt ſalus & iuſtitia noſtra: quia redempti ſumus. Quod enim nos noſtraſq; uires & opera noſtra attinet, ſerui eramus diaboli & mortis, quia peccatores. Deus autem miſſo filio redemit nos, cum adhuc dei hoſtes uincti teneremur. Ergo gratis redemit: quod & Iſaias propheta in 52. cap. non obſcuris uerbis futurum prædixit. Cæterum, non eſt in alio quoquam, quàm in Chriſto domino noſtro, ſalus uera. Propoſuit enim æterno ſuo conſilio cœleſtis pater filium ſuum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum propitiationem, nimirum ut is eſſet reconciliatio noſtra, propter quem placatus nos adoptat in filios dei. Verùm non alia ratione, quàm per fidem in eius ſanguinem, id eſt, ſi credamus miſſum à patre filium effudiſſe ſanguinem, quo purgatos nos iuſtos & ſanctos ſtatuat deo patri. Vbi iterum uidemus, fide in Chriſtum gratis conſtare ſalutem noſtram.

Modus et ratio iuſtificandi uel purgandi.

His ad hunc modum expoſitis, protinus quàm latè pateat redemptionis, iuſtificationis ue beneficium indicans, ſubdit, Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſsionem præteritorum peccatorum quæ deus tolerauit: ad oſtendendam iuſtitiam ſuam in præſenti tempore. Propoſuit deus Chriſtum, inquit, unicam propitiationem, ut oſtenderet unicam eſſe omnium ſeculorum iuſtitiam, ipſum inquã, Chriſtum, & eorum quidem iuſtitiam qui credunt. Duo autem tempora commemorat, Vetus illud patrum, & noſtrum quo hodie uiuimus. Vetus præcedit aduentum Chriſti, noſtrum ſequitur extenditurq; uſque in finem ſeculi. Et ueteris quidem ſeculi peccata tolerauit deus ſua illa longanimitate propter Chriſtum, per quem condonauit. Nec nobis hodie aliam proponit iuſtitiã quàm Chriſtum fide percipiendum. Nam minimè obſcuris uerbis ab Apoſtolo ſubiungitur, In hoc ut ipſe ſit iuſtus, & iuſtificans eum qui eſt ex fide Ieſu. Quaſi dicat, Hæc aũt huc tendunt, ut intelligamus omnes homines eſſe iniuſtos & peccatores, ſolum autem deum eſſe iuſtum, extra quem nulla ſit iuſtitia: iuſtitiam uerò ſuam omnibus communicare quotquot credunt in Chriſtum, nimirum quòd propter ipſum nobis placatus ſit pater, & quòd propter ipſum reputemur iuſti & ſancti.

Quos redemerit Chriſtus.

His Apoſtoli uerbis refutantur duo ualde impij & blaſphemi errores quorundam. Alter eorum eſt qui aiunt patres noſtros non fide in Chriſtum, ſed per legem & merita propria eſſe iuſtificatos. Chriſtum enim paſſum eſſe non pro illis, ſed duntaxat pro ſui ſeculi hominibus & inſequentibus. Alter eſt dicentiũ Chriſtum pro ueteribus, pro originali duntaxat peccato, non pro nobis aut pro noſtris omnibus

Errores refutantur.

nibus peccatis perlitasse, ideoq; nos pro nostris oportere satisfacere. Apostolus autem Paulus hoc loco condemnat utranque sententiam. Nam & beatus Ioannes Euangelista S. Paulo accinens, Sanguis, inquit, filij Dei emundat nos ab omni peccato. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Itaque meritum redemptionis Christi extendit se ad omnes utriusque testamenti fideles. 1 Ioan. 1.

Pergit Apostolus Paulus & ijs quæ proposuit infert, Vbi igitur gloriatio? Exclusa est. Per quam legem? Operum? Non, imò per legem fidei. Colligit doctrina Euangelica hactenus proposita de fide iustificante, omnem propriæ iustitię gloriationem, omnem de meritis iactationem sublatam euanuisse. Non per legem operum, id est, per doctrinam de operibus, quæ nos ferè inflare solet: sed per legem fidei, id est, per doctrinam fidei, quæ euacuatis nobis nihil nisi humilem inopię confessionem relinquit, gratiæq; in Christo omnia tribuit. Tandem uerò principalem propositionem colligens infert, Constituimus ergo, fide iustificari hominem absque operibus legis. Hæc summa est & breuissima totius Euangelij, iustificari nos, id est, absolui à peccatis, à lata mortis uel condemnationis sententia, sanctificari autem & adoptari in numerum filiorum Dei, fide, id est, fiducia in nomen Christi, qui datus est nobis saluator à patre unicus. Et hîc nominatim excluduntur opera, ne ulla nobis suppeditetur occasio implicandi fidem operibus, aut operibus eam tribuendi gloriam, quæ uni fidei uel potius Christo Domino, cui fides innititur, debetur.

Propositionem autem propositam confirmat mox argumentis, simul indicans, hanc salutem communem esse Iudæis & Gentibus, dicens, An Iudæorum Deus tantùm? An non & Gentium? Certè & Gentium. Quandoquidem unus Deus qui iustificabit circuncisionem ex fide: & præputium per fidem. A natura Dei quod dixit confirmat. Vnus est duntaxat Deus natura sua, uita & iustitia. Et hic est Iudæorum & Gentium Deus: ergo utriusque gentis uita est & iustitia: quam fide confert: fides ergo iustificat. Hoc declaratur Cornelij Centurionis exemplo. Iustificatur enim, imò iustificatus uisibiliter demisso spiritu sancto comprobatur, cùm nec circuncisus esset, nec seruasset legem, sed audisset modò Euangelij prædicationem ac credidisset in Christum. Cæterum non solum Cornelium Deus sic iustificauit, sed omnes alias gentes iustificabit fide: neque aliter quàm per fidem Iudæos quoque purgabit. Sequitur in Paulo, Legem igitur irritam facimus per fidem? Absit. Imò legem stabilimus. Solent enim operum uel potius iustificationis operum assertores obijcere, Si fides in Christum iustificat sola, inutilis est ergo lex uel legis doctrina. Quorsum enim præcipitur ut bona faciamus opera, si non iustificant? Respondet Apostolus, Fide non aboleri legem, imò stabiliri magis. Cùm enim fides in Christum rectà tendit, in quo omnem plenitudinem quęrit & inuenit: ac lex ipsa pædagogus est ad Christum, omniaq; sub peccatum concludit, ut iustificatio ex fide detur credentibus, clarum est fidei doctrina legem minimè destrui aut obscurari, sed confirmari, illustrariq;. Acto. 10. obiectio papistarum

Pergit Apostolus in cõfirmatione sua, & dicit, Quid igitur dicemus Abraham patrem nostrum inuenisse secundum carnem? Nam si Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quod glorietur: at non apud Deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Multa quidem sunt sanctorum patrum exempla: uerùm Apostolus sibi ex omnibus Abrahę solius proposuit tractandum. Nam in scripturis appellatur pater credentium. Vnde certum est, liberos ad eum modum fore iustificandos, ad quem modum pater iustificatus. *Quomodo Abraham pater fidelium sit iustificatus.* Genes. 15. Rom. 4.

docetur. Id quod Apostolus disertis uerbis expressit in fine capitis 4. Deinde Abraham multis clarus fuit operibus bonis, præ cæteris sanctis patribus: ergo si quis alius potuisset iustificari suis operibus uel meritis, potuisset præ cęteris Abraham. Sed quia fide non operibus iustificatus est, constat omnes sanctos fide non operibus & iustificatos esse, & iustificari. Præterea uixit ante legem per Mosen reuelatam annis 430. unde opera eius nequaquam possunt à contentiosis oppugnatoribus iustificationis fidei, appellari opera legis. Ergo quæ fecit opera, ex fide fecit, & opera eius fuerunt opera fidei, nec tamen ijs est iustificatus, sed fide. Manet ergo omnis iustificationis gloria fidei, & illibata quidem ac impermixta. Quid, inquit, dicemus Abrahamum patrem nostrum inuenisse secundum carnem, quatenus uidelicet homo est & nos ex ipso? Quid inquam dicemus illum meruisse? Ad hanc interrogationem reponenda est responsio, Nihil inuenit, nihil operibus suis meruit. Sequitur enim probatio, Si operibus meruit aliquid uel iustificatus est Abraham, habet quod glorietur. Atqui non habet quod glorietur: ergo operibus non est iustificatus. Deus enim solus iustus est, & hanc suam gloriam sibi incommunicatam alijs soli retinet, iustificans gratis eos qui sunt ex fide Iesu Christi, ut laudetur gratia eius. Cæterum ipse Paulus adducto scripturæ loco, ostendit Abrahamum non habuisse unde gloriaretur. Quid enim, inquit, scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. En clarissimè dicit scriptura Abrahamum fide esse iustificatum, imò fidem imputatam esse pro iustitia, adeoq́ Abrahamum propter fidem iustum fuisse reputatum à iustissimo Deo. Sed audiamus ipsum Paulum instituto suo locum scripturæ applicantem. Sequitur ergo, Ei uerò qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Porrò ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam. Quæ sanè uerba in huiusmodi ratiocinationes breues concludi possunt, Quisquis opere suo aliquid promeretur, ei certè merces ut debita redditur, non gratis imputatur. Imputatur autem Abrahæ fides ad iustitiam: ergo iustitiam non ut mercedem debitam, sed gratuitò accepit. Et iterum, Ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides ad iustitiam. Abrahæ autem imputata est fides ad iustitiam: ergo fide consequutus est iustitiam, non operibus. Habet autem emphasim quod dicit, Sed credit in eum qui iustificat impium. Significatur enim iustificandum nihil afferre, nisi miseriæ, imò impietatis propriæ agnitionem, quæ misericordiam quærat. Intelligit enim se destitui operibus perfectis, & coram iudicio Dei subsistere potentibus. Confugit ergo ad misericordiam Dei, pro certo præsumens, fidei iustitiam esse præsidium peccatoris gratuitò saluandi. Obseruandum hîc iustitiam Christianam dici & esse imputatiuam. Quod sanè omnem nostram gloriationem confringit. Opponitur enim debito imputatio. Nullo nobis debito obstringitur Deus propter nos aut propter nostra opera, nisi quatenus ipse se nobis obstrinxit ex misericordia. Et multa sunt in nobis quæ iustitiæ perfectionem impediunt. Vnde Dauid clamauit, Ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo ullus uiuens. Deus ergo gratuitò nobis imputat iustitiam fidei, id est, reputat nos pro iustis, quia credimus ipsi per filium. Sic in Euangelica parabola legimus Dominum dixisse, Cùm autem debitores non essent soluendo, condonauit utrisque debitum. Condonat enim & nobis debita siue peccata Deus: non reputans illa nobis: sed nos pro iustis habens propter Christum.

[Handwritten margin note:] Syllogismi duo concludentes Abrahamum fide iustificatum

Christianorum iustitia imputatiua.

[Handwritten margin note:] Psal: 142.

Clarissimè etenim testificans in Epistola ad Corinthios secunda idem hic Apostolus, dicit, Erat Deus in Christo mundum sibi reconcilians, non imputando homini-

hominibus peccata. Deinde continuò post adijcit, Eum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, ut essemus iustitia Dei in illo. Quid apertius requiras, quàm nos coram Deo iustos censeri, quia Christi sacrificio expiata sint peccata nostra, ne amplius sub reatu nos teneant? 2 Corinth. 5. in fine.

Pergimus & alia S. Pauli argumenta, non minus firma quàm hæc hactenus fuerunt, recensere. Sequitur, Quemadmodum & Dauid explicat beatificationem hominis, cui Deus imputat iustitiam absque operibus. Beati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum obtecta sunt peccata. Beatus uir, cui non imputauerit Dominus peccatum. Principiò claris & disertis uerbis quid intendat adserere uel confirmare, exprimēs constituit, nempe sanctis Deum imputare iustitiam absque operibus. Quid poterat dici clarius? Id ut commonstret testimonium Dauidis profert, quod membra ferè tria habet. Principiò, Beati, inquit, quorum remissæ sunt iniquitates. Deinde, Beati quorum obtecta sunt peccata. Postremò, Beatus uir cui non imputauerit Deus peccatum. Vis autem argumentationis seu demonstrationis est in uerbis Remittere, Obtegere & Non imputare. Remittit creditor debitori quod non numerauit, siue uerò numerare possit siue non possit. Nos Deo hîc annumerare nihil possumus. Remissio ergo meræ liberalitatis & gratiæ munus est. Non enim potest creditor remittere quod annumeratum est. Cùm hoc facit uocabulum Donare, & donum in scripturis, in hac eadem causa eodem modo usurpatum. Vnde Paulus, Deus Abrahæ donauit, ait, hæreditatem: ergo non meruit operibus. Obtegitur autem res aliqua fœda oculos offendens hominum, interim uerò res fœda latet adhuc sub tectorio, licet oculis hominum non appareat. Et peccata nostra contegit misericors Dominus, non ut non sint, sed ne appareant aut iudicentur. Id quod gratiæ est munus, nō meriti. Tectoriū enim aliud nō est quàm sanguis filij Dei: propter hūc enim non dānamur peccatores. Iam uerò iure posset nobis dominus imputare peccatū: sed ex gratia nō imputat. Omnia hæc euidēter confirmant atq; demonstrant iustitiā gratuitò per fidē absq; operibus imputari nobis.

Quid Dauid senserit de iustificatione.

Idem hic Pauli ex Dauide sumptus locus & alia nobis controuersa dogmata discutit & illustrat. Discimus enim quòd iustificatio aliud nihil sit, quàm beatificatio, peccatorū remissio, & adoptio in numerum filiorum Dei. Discimus Paulum loqui non tantùm de operibus legis ceremonialibus, sed de omnis generis sanctorum bonis operibus. Discimus item remitti & condonari & peccata & iniquitates, id est, omnia omnis generis peccata fidelium. Discimus præterea plenè remitti peccata, non culpam duntaxat sed etiam pœnam: quam quidam aiunt retineri: non enim imputat peccata. Alibi dicit se peccatorum nullam prorsus memoriam habiturum. Postremò discimus satisfactiones pro peccatis ab hominibus inuentas, uanissimum esse commentum, ex diametro pugnans cum doctrina Apostolica.

Adduxi hucusq; locos maximè illustres, alterum quidem ex Euangelio Christi, alterum ex Epist. ad Roma. Pauli, quibus demonstrare uolui, Christum per Euangelium nobis annunciatum, non operibus sed fide recipi: ac spero me diuinis testimonijs rem maximi momenti sic declarasse, ut nemo sit porrò qui anceps & dubius hæreat. His illud maximè certè necessarium adijcio, omnibus in ecclesia Christi sanctis & bonis uiris modis omnibus annitendum, ut impolluta & syncera hæc Euangelij doctrina maneat. Nullo enim modo admittendum est, ut iustificationis portio fidei & misericordiæ Dei, portio operibus fidei & meritis nostris transcribatur. Id enim si fiat, actum est de Euangelio. Vrgendum ergo unicè & incessanter omnibus nobis censeo, fide absque operibus, gratia, inquam, & misericordia Dei per solum Christum iustificari, saluari uel beari credentes. Ac multas

quidem ob caussas hoc dogma Euangelij syncerum & incommixtum seruari oportere in ecclesia arbitror, maximè uerò propter has sequentes.

Quare dogma de fide absque operibus iustificante, syncerum in ecclesia retinendum.

Principiò constat iam sæpe repetitam doctrinam de gratia Dei in filio suo unico per solam fidem iustificante, tot inde à mundi exordio diuinis testimonijs, demonstrationibus, determinationibusque, etiam irrefragabilium conciliorum, & propositam & inculcatam esse, ut ipse omnium seculorum in ueritate cœlitus reuelata consensus, sanctissimorúmque in toto mundo hominum authoritas nos inuitet ad retinendum dogma illud impollutum. Habemus beati patris nostri Abrahæ iustificationem non ab obscuro aliquo authore, sed à doctore gentium organoque Dei selectissimo Paulo, paucis ante expositam. Habemus gloriosissimi regis Dauidis, uiri parati secundum cor Dei, proaui Christi Domini nostri, doctrinam de iustificatione ab eodem enarratam Apostolo Paulo. Fuerunt autem in ecclesia Dei semper primæ authoritatis Abraham atque Dauid. Quibus accedit totum omnium prophetarum collegium. Petrus enim Apostolus, Christo omnes prophetæ, ait, testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius quisquis crediderit in eum. Sed & modò ex ore Pauli audiuimus, iustitiã Dei gratis per fidem absque lege collatam, comprobari testimonio legis & prophetarum. Habemus ipsum quoque Dei filium Iesum Christum Dominum nostrum, authoritate omnes in mundo præstantissimos longè excellentem. Is ueluti Concilijs quibusdam celebratis definit, quod modis omnibus retinendum suademus. Collectis enim discipulis suis apud Cæsaream Philippicam, interrogauit quid de ipso sentiant. Respondentibus autem uariè, ex diuersis uulgi opinionibus, certam ex ipsis confessionem requirit. Hic Petrus omnium nomine, Tu es, inquit, Christus ille filius Dei uiuentis. Ad quem Dominus dixit, Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. Duo his determinat. Prius, Veram fidem beatificare. Nec dubiũ quin beatificãdi uerbo utatur sicuti modò in Paulo usurpatũ ex Dauide audiuimus. Posterius, Fidem beatificantem nõ esse opus nostræ naturæ, sed donum Dei cœleste. Deinde uerò Simoni Petro ex memorabili illa ueræ fidei confessione nomen imponit, ad æternam rei memoriam, & ad mysterij huius significationem in omnium animis retinendam. Petrus Christum petram erat confessus. A petra ergo Petrum denominat, quasi tu dicas uiuo lapidi uiuum impositum, & à Christo Christianum. Imò ne quis uniuersale negotium ad catholicam ecclesiam pertinens, ad unum Petrum astringeret, ipse Dominus uniuersali ecclesiæ ista adaptat, & dicit, Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Quasi dicat, Quod modò in te factum est Petre, posthac fiet in omnibus fidelibus. Tu per fidem mihi petræ impositus & membrum ecclesiæ factus es. Constituo ergo, ut quisquis me petram confitetur, sit membrum ecclesiæ, beatus, iustus, à diabolo & ui mortis liberatus. Erit confessio tua, id est, ego Christus Dei filius, quem confessus es, fundamentum ecclesiæ: cui qui fide imponuntur, salui & beati futuri sunt. Nam & Paulus dixit, Fundamentum aliud nõ potest poni, quàm quod positum est, quod est Iesus Christus. Et Ioannes Apostolus, Hęc est uictoria, ait, quæ uicit mundum, fides uestra. Iam ne Petrus cum alijs condiscipulis nesciret qua uia alij homines in consortium ecclesię & communionem cum Christo admitterentur, subiungit protinus, Et dabo tibi claues regni cœlorum: & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis, &c. Claues autem dedit cùm Apostolos ad prædicandum Euangelium amandauit. Prædicatione ergo Euangelij (quæ clauis est regni cœlorum) aperitur cœlum, & indicatur uia quomodo Christo & ecclesiæ

Actor: 10
Marc: 8
Luc: 9
Math: 16
1 Corinth: 3
1 Ioan: 5

clesiæ inserti hæredes fiamus uitæ æternæ, nimirum per fidem in Christum, quam docet nos Christi Euangelium. Hæc de Cæsarien. Concilio hactenus. Extat apud Ioannem aliud, Capernaiticum, frequens & celebre. In magna enim discipulorum & hominum frequentia determinat, fide in Christum uitam parari æternam: nec aliam esse uiam ad uitam perueniendi, nisi edamus eius carnem, & bibamus eius sanguinem: id est, nisi in ipsum credamus. Cumque inter auditores schisma fieret multis à Christo deficientibus, rogat discipulos suos intimos, num & ipsi uelint apostatare, respondit Petrus omnium nomine, Cùm in te Christe salus sit & uita, non possumus uita participare cupientes à te diuertere, ideoque per fidem tibi firmiter & æternùm adhærebimus. Porrò Concilia hic commemoranda ueniunt Apostolica duo. Alterum quidem nemo negauerit fuisse uerè œcumenicum. Erant in eo uiri religiosi ex omni natione earum quæ sub cœlo sunt. In eo disertissimis uerbis docuit Petrus, Christum esse saluatorem mundi, cui qui credit habeat uitam æternam. Notus est locus Actorum cap. 2. Apud principes Iudæorum idem Apostolus demonstrat non in alio quàm in Christo esse salutem. Extat locus in Actis Apostolorum capite 3. Idem facit apud Gentium primitias, apud Cornelium & suos cap. 10. Alterum Concilium & ipsum fuit celeberrimum, & omnibus dotibus maximis instructissimum, & describitur Actor. 15. in eo obtinuit hæc propositio, fidem absque operibus gratis iustificare. De qua re aliàs copiosè disserui. His uerò omnibus ostensum uolo, ideò dogma de iustificante absque operibus fide, in ecclesia impermixtum & syncerum retineri oportere, quia, ut sic dicam, catholicissimum & irrefragabile est: cui hic quoque ab Apostolo Paulo anathematismus accessit, Etiamsi nos aut angelus è cœlo prædicarit uobis Euangelium, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit.

Ioan. 6.

Vide Seriem in Acta Apost. Et Sermonem tertiæ Decadis octauum.

Gala. 1

Secunda caussa cur præstet hoc dogma syncerum retinere in ecclesia, illa est, quòd hoc uel luxato, periclitabitur gloria Christi. Hæc enim & obscuratur & corrumpitur in animis hominum (in seipsa manet alioqui integerrima & illustrissima semper) si iustitiam qua coram Deo consistimus, cœperimus etiam partiri nostris operibus ac meritis. Hæc enim est gloria filij Dei, quòd aliud nomen sub cœlo non est datum hominibus in quo oporteat saluos fieri. Hinc dixit Paulus, Christus uobis factus est otiosus, quicunque per legem iustificamini à gratia excidistis. Et iterum, Non aspernor gratiam Dei. Nam si per legem est iustitia: igitur Christus frustra mortuus est. Si frustra mortuus est, perijt gloria crucis Christi.

Acto. 4.

Galat. 3.

Tertia caussa est, nostræ salutis certa & constantissima ratio. Incertissima esset salus nostra, si à nostris penderet meritis atque operibus, qui propter agnatam nobis corruptionem, nisi insaniamus prorsus, cum Iobo dicimus, Si habuero quippiam iustum non respondebo, sed meum iudicem deprecabor. Paulus ergo rectè pronunciauit, Si ex lege hæreditas est, inanis facta est fides, irrita facta est promissio. Propterea ex fide, ut secundum gratiam, quò firma sit promissio uniuerso semini.

Iob. 9.

Quarta caussa est, quòd hac doctrina maximè reparatur in nobis imago Dei, ad quam initio sumus conditi. Fide enim in nobis habitat & uiuit Christus, qui humilitate nostra delectatur. Excitatur autem in nobis imago diaboli, cùm in nobisipsis superbire & gloriam Dei usurpare incipimus. Hoc fit proculdubiò cùm nobisipsis iustitiam & salutem attribuimus: quasi nostris operibus & meritis regnum Dei promereamur. Diabolus superbit conaturque ad se gloriam Dei rapere. Sancti agnoscunt se uera Dei gratia misericordiaque saluari: unde omnem Deo gloriam tribuunt, sibi confusionem & ignominiam. Quo haud dubiè pertinet para-

Luc. 18. bola Euangelica de Pharisæo gloriante in suis bonis operibus, & de Publicano clamante, Deus propitius esto mihi peccatori: quorum hic magis quàm ille iustificatus in domum suam descendisse legitur.

Quinta caussa est, peccati æstimatio. Certè non grandis uidetur culpa, quam coram Deo diluere possunt humana opera. Verùm scriptura sancta demonstrat peccata non potuisse expiari, nisi ipsius filij Dei morte & sanguine innoxio. Inde uerò cordatus quisque colligit, peccatum in oculis Dei rem esse longè deterrimam atque prorsus horribilem. Vnde mox exoritur in sanctis diligens contra peccatum uigilia, & perpetua sortis nostræ, profectò miserrimæ, deploratio & humilitas modestiaque exquisitissima. Possem his adhuc plures attexere caussas, cur modis omnibus omnes adniti & laborare deceat, ut dogma hoc, Gratia Dei, in unigenito Dei filio, per fidem, non per opera iustificari ecclesiam catholicam, syncerum & impermixtum retineatur in ecclesia: sed has minimè contentiosis sufficere spero. Nullum hîc periculum est ne uilescant opera bona. De quibus dixi suo loco. Si qui uerò contra manifestam ueritatem Euangelicam rixari perrexerint, ijs illud Pauli obijcio, neque nos neque ecclesias Dei in huiusmodi aperta luce altercari.

Summa. Summa uerò omnium eorum quæ hactenus de Euangelio disserui, hæc est, Omnes quotquot in mundo sunt homines, sua natura seruos esse peccati, diaboli mortisque æternæ, nec solui, nec liberari posse ulla re alia quàm gratuita Dei gratia & redemptione quæ est in unigenito Dei filio Domino nostro Iesu Christo. Cuius quidem redemptionis fiant participes soli credentes. Nam qui per ueram fidem filium Dei Euangelio annunciatum recipiunt, simul iustificantur, id est, absoluuntur à peccatis suis, sanctificantur, fiuntque hæredes uitæ æternæ. Qui uerò per incredulitatem cordisque duritiem, Christum non recipiunt, æternis pœnis & uinculis sunt addicti. Nam ira Dei manet super eos. Agamus ergo gratias redemptori nostro Deo, obsecrantes ut nos in uera fide retineat, prouehat, & in uitam æternam perducat. Amen.

De pœnitentia & caussis eius, de Confessione & remissione peccatorum, de Satisfactione & Indulgentijs, de Vetere & Nouo homine, hominisque uiribus, & reliquis ad pœnitentiam pertinentibus. SERMO II.

PROMISI proximo Sermone habito de Euangelio Iesu Christi, dissertationem de Pœnitentia, quam hodierno Sermone, Deo & uestris precibus adiuuantibus, proferam in medium.

Pœnitere. Pœnitere dicuntur Latinis, quos tædet atque pudet rei commissæ. Beneficium contulisti, arbitraris te contulisse indigno, ideóque doles: is dolor est pœnitentia. Germani appellamus den rüwen. Græci nominant Metanœam. Tradunt autem eius linguæ peritiores Μετανοεῖν à posterius intelligendo dici: ut metanœa ibi propriè locum habeat, ubi homo lapsus, re perperàm peracta, demũ in se redit, & de errore sarciendo cogitat. Refertur ergo non ad mentem tantùm, sed & ad opus. Qui enim intelligit se deliquisse, de emendatione consultat. Ita iam displicere incipit, quod olim placuit: ita fugis modò, quod sectabaris aliquando cupidissimè. Porrò Hebræi uocant pœnitentiam Theschuah, nimirum conuersionem, uel reditionem, aut reuersionem in uiam & ad mentem. Videtur metaphora sumpta ab illis qui aberrarunt ab itinere, sed redeunt in uiam tandem. Id quod ad mentem & ad mores factaue hominum transfertur.

Vsus uocabuli. Est autem uarius huius uocabuli usus. Significat enim mutationem consilij

concepti aut rei alicuius. Nam per Ieremiam dicit dominus, Si conuersi fuerint à malo, pœnitebit & me mali quod eis irrogaturus eram. Pœnitet ergo deum, cum institutum mutat: non pœnitet, cum non mutat. Paulus, Sine pœnitentia, ait, sunt dona & uocatio Dei. Et Dauid, Iurauit dominus, & non pœnitebit eum. Alicubi pœnitentia deo tropicè tribuitur secundum affectum humanum: ut cum dicit, Pœnitet me fecisse hominem. Alioqui sua natura deum non pœnitet, more humano, ut uidelicet dolore tangatur, & ei displiceat modò quod placuerat prius, sed mutat factum. Apud scriptores ecclesiasticos pœnitere dicuntur, qui peccata commissa, præscripta per formulam pœnitendi pœna, luunt. Scriptura alicubi usurpat pro toto euangelij negotio. Sic in Actis legimus Gentibus deum concessisse pœnitentiam ad uitam. Sed in hac disputatione nostra usurpabimus pro conuersione ad dominum, pro agnitione peccatorũ, pro dolore propter peccata commissa concepto, pro mortificatione & innouatione uitæ, breuiter pro mutatione, emendatione uel correctione uitæ in melius: id quod Germanicè uocamus **Bekeerung/Enderung oder Besserung.**

Pœnitere Dei quid. Psalm: 110 Acto 3

Nec minus uariè definita est à scriptoribus Pœnitentia: cõsentiunt tamen omnes esse conuersionẽ ad deum, pristinæq; uitæ & sententiæ immutationem. Dicimus itaq; pœnitentiã esse ueram ad deũ conuersionẽ, qua ex timore dei syncero humiliati, peccata nostra agnoscimus, ueteremq; hominem mortificãtes, spiritualiter innouamur. Habet hæc definitio capita, quæ paulò fusius sparsa explicataq; diligentius, totam nobis naturam pœnitentiæ exponunt oculisq; subijciunt.

Quid sit pœnitentia.

Principiò dicimus pœnitentiam ueram esse ad Deum conuersionẽ. Nam paulò post ostendemus duplicem esse pœnitentiam, uerã & falsam. Et Petrus Apostolus, Pœnitemini, inquit, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra, cõsequenti ueluti interpretans, quid intellexerit per præcedens, per pœnitentiam utiq; conuersionem, certè ad eum à quo erant auersi. Nam aliquis est respectus inter conuersionem & auersionem. Si nunquã auersus fuisses, nulla certè opus esset cõuersione. Auersi autẽ sumus omnes à deo uero, iusto & bono, & à sancta eius uoluntate, ad diabolum & ad prauam uoluntatem nostram. Oportet itaq; rursus conuerti nos à diabolo, & à uita menteq; pristina praua, ad deum uiuentem, & ad sanctam eius uoluntatem. Significanter uerò dicimus ad deum, non ad creaturas, nõ ad ulla præsidia humana. Dicit enim apud Ieremiam dominus, Si reuerti uolueris Israel, ad me reuertere. Proinde qui non conuertuntur ad deum, nec eius uoluntati sanctæ se cõformant, utcunq; ad creaturas, & ad alia ab hominibus inuenta media conuertantur, reuera inter pœnitentes habendi non sunt.

Conuersio ad Deum. Act: 3 Ierem 4

Porrò nemo est qui hic non uideat ad pœnitentiam in nobis excitãdam, opus esse prædicatione uel doctrina ueritatis, quæ nos doceat quis sit deus ad quem conuertamur: quid bonum & sanctum, ad quod conuertamur: quis diabolus, & quid malum & falsum, à quo auertamur: deniq; quid in mente & uita nostra emendandum sit, & quomodo. Certè prophetæ & Apostoli domini ad pœnitentiã adhortantes homines, multum & diu hærent atq; laborant in describenda dei natura, bonitate, iustitia, ueritate & misericordia, in describẽdis uitæ legibus officijsq; hominum: item in accusandis & exaggerandis peccatis hominum, quibus minas graues & horrendas diuini iudicij hypotyposes coniungunt: id quod in prophetis ubique obuium legitur. Ideoq; non desunt qui in præsenti iubeant hominibus, quos ad pœnitentiã pertrahere uolumus, legẽ prædicare: quod ut non oppugno, sed maximè approbo, ita simul admoneo prædicationem quoq; euangelicam obijcere hominibus peccata, & accusare grauiter. Dñs enim in euangelio dicit,

Opus est doctrina ueritatis.

Joan. 16. Cum uenerit spiritus sanctus, arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. Vnde S Petrus in Actis Apostolorum, Peccata Iudæis cōmissa exprobrans simul & Christum fidemq; in Christum prædicans, adhortatur Iudæos ad pœnitentiam. Notisimi sunt loci in cap. Acto. 2. & 3. S. Paulus Athenienses pertracturus ad pœnitentiam, dicit, Tempora huius ignorantiæ, cum Deus hucusq; dissimulauerit, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubiq; resipiscant, eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum, cum iustitia per Christum. Discant hic quibus commissum est homines doctrina pertrahere ad pœnitentiam, multa libertate & prudentia uti ut omnes peccatum suum & peccati grauitatem agnoscant. Præterea excitat deus homines ad pœnitentiam, non tantùm uerbo suo, sed etiam uarijs afflictionibus & pœnis. Imò omnes mundi calamitates sunt conciones quædam inuitantes ad pœnitentiam. Vt enim nihil ex prophetarum scriptis adducam, an non dominus noster in euangelio, audita strage, quam ediderat Pontius Pilatus, cæsis Galilæis, calamitateq; decem & octo hominum, quos ruina turris in Siloe oppresserat, protinus ita pronūciat, An arbitramini illos præ cæteris fuisse peccatores? Non certè: imò nisi resipueritis, omnes simul peribitis. Certum est itaq; bella, famem & pestes semper omnes nos inuitare ad pœnitentiam, hortari inquam ut sceleribus calcatis ad Deum conuertamur studeamusq; integritati.

Deus excitat homines ad poenitentiam non solum verbo suo, sed et afflictionibus et poenis. Luc. 13.

Timor Dei in pœnitentibus. Porrò frustra prædicatur nobis pœnitentia, nisi timore in animis nostris concepto, iudicium uel iram dei propter cōmissa peccata, reuereamur. Excitat hunc quidem foris doctrina & disciplina exterior, sicuti modò commemorauimus, uerùm nihil efficit sola, nisi intus, id est, in animis nostris commoueamur à spiritu dei sancto. Ideoq; in Threnis clamat propheta Ieremias, Cōuerte nos domine, & conuertemur. Et 31. cap. Conuerte me domine, & conuertar: quoniam tu es dominus Deus meus. Et postquam conuersus sum, pœnituit me mali. S. Petrum legimus ostiariæ & militum uocibus impulsum, turpiter abnegasse Christum: galli uerò cantu reuocatum redijsse ad pœnitentiam. Sed cantus galli commouit, non per se quidem, sed coniunctus cum uerbo Christi, dicentis, Amen dico tibi, non canet gallus, donec ter me negaueris. Vnde Matthæus dicit, Et recordatus est Petrus uerbi Iesu, qui dixerat ei, Priusquā gallus cantet, ter me negabis, &c. Cum his concurrit occultior animi tractus. Tetigit enim cor Petri bonus dominus, testante euangelista, & dicente, Et conuersus dominus, intuitus est Petrum. Respectus ille domini emolliuit & retraxit in perniciē ruentis cor Petri. Proinde si aures nostræ perstringantur uerbo domini, & corda nostra eiusdem spiritu imbuantur uel tangantur, Deum pœnitentes seriò reuerebimur.

Humiliatio & agnitio peccatorum. Simul autem humiliati coram iustissimo & sanctissimo deo, quem tantopere & offendimus & irritauimus peccatis nostris, iudicium eius iustū esse contra nos fatemur, imò & omnia peccata quæ uerbo dei nobis obijciuntur ingenuè agnoscentes confitemur, dicentes cum prophetis, Tu quidem domine iustus es, uerax es, & iusta sunt iudicia tua: nos uerò sumus iniustissimi, mendacissimi, sceleratissimiq; & nephandis flagitijs adoperti. Nihil est sani uel integri in nobis. Omnia nostra sunt corruptissima, deploratissimaq;. Peccauimus, iniqui fuimus, impiè egimus, desciuimus à te. Seruis tuis prophetis cōtradiximus, uerbis ueracissimi oris tui non obediuimus. Tibi ergo ô Deus iustitia debetur, nobis autem pudor. Hanc humiliationem liberamq; confessionem peccatorum requirit Deus à pœnitentibus. De qua paulò post plura dicemus. Iam enim redimus ad copiosiorem Timoris Dei explanationem.

Loquimur autem in præsenti de syncero Dei timore. Fatemur enim duplicem esse Dei timorem, Syncerum & Insyncerum. Syncerus dei timor conspicitur in fidelibus, estque pia reuerentia, constans amore & honore numinis. Propheta enim deum loquentē inducens, Filius honorat patrem, inquit, & seruus dominum. Si ergo pater, ubi honor? Si dominus, ubi timor? Et Paulus, Non accepistis, ait, spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis per quem clamamus abba pater. Timor ergo Dei syncerus in pœnitentibus non est metus seruilis pœnæ, sed solicitum studium amore & honore dei mixtum. Honesta matrona metuit maritum: timet filia ingenua parentem, sed amat interim parentem uel maritum quæque suum, studioque sancto nititur eius retinere gratiam, amittere metuit. Ideoque pœnitentes deum non tantùm metuunt, quia sciunt, spiritu dei docti, se designasse ea ob quæ abdicari meruerant: sed etiam ipsum diligunt ut patrem, ideoque dolent ex animo propter cōmissa peccata, & reconciliari deo patri benignißimo ante omnia cupiunt.

Duplex Dei timor.

Rom. 8.

Nam cum timore hoc dei syncero coniunctus est dolor, ex spiritu dei propter peccata commissa cōceptus. S. Paulus duplicis meminit Doloris. Qui secundum deum est dolor, inquit, is pœnitentiam ad salutem haud pœnitendam parit, contra mundi dolor mortem affert. Secundum deum doluit rex & propheta Dauid, clamans, Sagittæ tuæ in me defixæ sunt, & depressa est super me manus tua. Nihil integrum est in carne mea, propter indignationem tuam: nō est pax ossibus meis, propter peccatum meum. Et quæ sequuntur Psal. 38. Qui tametsi de morbo graui sit conscriptus, adumbrat interim quantus sit dolor in sanctis propter offensum peccatis patrem benignißimum. Secundum deum doluit peccatrix illa, apud Lucam, quæ à tergo domini pedibus prouoluta, hos lachrymis rigauit & tersit rursum capillis. Secundum deum doluit beatus Petrus Apostolus, qui & ipse amarissimè fleuisse legitur. Dolet pij quòd tam benignū patrem usqueadeo offenderint turpiter. Neque arbitror ulla uerba doloris acerbitatem assequi. Contrarium in impœnitentibus studium Ieremias describens, dicit, Nunquid sic cadunt homines, ut non resurgant? Num sic aliquis deflectit, ut non redeat? Qui fit igitur, ut populus iste Hierosolymitanus auertatur auersione tam pertinaci? Attendi & auscultaui, non loquebantur rectum: nemo erat quem pœniteret mali sui, ut diceret, Quid feci? Quisque illorum ad suum cursum tendit, perinde ut equus in prælium effusus.

Dolor secūdum Deum.

2 Cor. 7.

Psalm. 38.

Luc. 7.

Mar. 14.

Mundi dolor hominum est ignorātium Deum, carentiumque fide & dilectione dei uera, imò succumbentium sub onere mœroris, uel aduersitatum adeoque & peccatorum. Eadem ferè ratio est & Insynceri timoris Dei. Nam impij cum suo capite diabolo deum timent, non ut patrem, quem offendisse doleat, cui reconciliari cupiant tanquam patri, sed tanquam tortorem, quia uindicem esse iustum intelligunt. Cum Iuda itaque Iscariotha recurrunt tandem ad laqueum. Nullus in his amor dei, nullus honor, nullum studium, nulla reuerentia, sed odium dei, horror, & desperatio. Talem uerò timorē negauit beatus Ioannes Apostolus & euangelista esse in charitate, sed dicit perfectam charitatem eijcere timorem: nō illū utique qui est initium sapientiæ domini, sed illum de quo hæc hactenus.

Dolor mundanus.

1 Ioan. 4.

Hinc uerò colligimus pœnitentibus in primis necessariam esse fidem in deum & in meritum Christi. Quo nomine arbitror multos fidem cōstituisse partem pœnitentiæ. Quod ut non ualde oppugno, sic uideo S. Paulū, ueluti distincta collocasse pœnitentiam & fidem, cum in Actis 20. cap. dicit, se Iudæis & Gentibus testificatum in deum pœnitentiam & fidem in Iesum Christum. Videntur itaque di-

Pœnitentibus necessaria fides.

uersa esse pœnitentia & fides: non quòd uera pœnitentia sine fide esse possit, sed quòd illa distingui, non confundi debeant. Fidem ueram scimus omnes non esse sine operibus (lege utiq; communi) sed distinguimus tamen inter fidem & opera, ut interim illa non separemus aut laceremus: ita agnoscimus cohærere pœnitentiæ ueræ fidem ueram. Contendere nolo pars ne sit an aliàs adhæreat. Stultissimū mihi esse uidetur, res diuinas ubiq; ad præcepta dialectica astringere uelle. Neq; hoc ab Apostolis domini didicimus. Monuimus in Sermone de Euangelio (quod modò repetimus) agnitionem peccatorum per se non impetrare gratiam uel peccatorum remissionem: sicut nec morbi agnitio remedium est morbi. Et damnati peccata sua agnoscunt, sed non ideo sanantur. Agnitio peccati quædam est præparatio ad fidem. Agnitio morbi, occasionem suppeditat cogitandi de medicina. Addimus his in præsenti, ne ipsum quidem dei timorem quantumuis sy[illegible]rum, non ipsum dolorem propter peccata conceptum, licet maximum, non humiliationem quamuis subiectissimam, per se ipsam, pœnitētes deo acceptos facere, sed magis ingressum ad cognitionem Christi præstruere, adeoq; ad ipsum Christum incarnatum & crucifixum pro nobis, adducere, & huic uni nos uiuificandos & purgandos imponere. Qui enim uerè cōuertitur ad deum, certè à semetipso & ab omnibus præsidijs auertitur. Qui uerè timet deum, & ex animo dole[illegible], propter peccata commissa, timet & dolet, nec hoc tantum, sed quia deprehendit se totum corruptum, nihil habere sani uel integri: imò quia reueretur deum ut patrem, detegit ei ut medico uulnera, & eidem ut amantissimo reconciliari cupit. Et cum hic uera pietas clamet, neminem posse reconciliari deo patri, nisi per unigenitum filium, hunc fide apprehendit pœnitens. Fides in solam Dei gratiam uel misericordiam, in Christo nobis exhibitam, fundatur, creditq; pœnitens se deo gratum [illegible]sse propter Christum. Deo ergo supplicat, & totum se deo committit, sicut Dauid fecisse legitur, & filius ille prodigus Lucæ 15. capite. Habet hic locum doctrina de Euangelio, & de Fide in Iesum Christum, item de Remissione peccatorum, de quibus dixi superius.

Certò & plenè remittuntur pœnitentibus peccata.

Interim modis omnibus mentes pœnitentium confirmandas esse censeo multis & disertis scripturæ testimonijs editis de remissione peccatorum plenaria, ne quid ambigamus in tentationibus nostris. Vbi tamen perpetuò pro assertione gloriæ unigeniti filij dei repetens inculco, remitti pœnitentibus peccata, nō propter pœnitentiam, quatenus ea nostrum opus est, sed quatenus pœnitentia complectitur renouationem hominis per spiritum sanctum & fidem ueram, quæ medico nos tradit Christo, qui sanat omnes morbos nostros, & colligat omnes contritiones nostras. Et quamuis hæc tractatio propriè ad fidei & euangelij locum pertineat, de quibus quantum per compendium fieri potuit antè disserui, recitabo tamen hic claras aliquot de gratia Dei & remissione peccatorum sententias.

Dauid Psal. 103. canit, Benedic anima mea dominum, & noli obliuisci eorum quæ in te contulit. Qui condonat omnes iniquitates tuas: qui sanat omnes morbos tuos. Qui uindicat ab interitu uitam tuam, & undiq; te cumulat benignitate & misericordia. Non rependit nobis pro peccatis nostris, neq; retribuit nobis secundum iniquitates nostras. Nam quanto interuallo cœlum altius est terra, tantum præualet benignitas eius erga timentes ipsum. Et quàm longè distat ortus solis ab occasu, tam longè remouit à nobis scelera nostra. Vtq; pater miseretur liberorum, ita dominus miseretur timentium eum. Ipse enim nouit nos fragiles esse (ad peccandum propensos) recordans quòd sumus puluis.

Isaias in 1. cap. dicit, Sic dicit dominus, Si peccata uestra fuerint ut coccus, niue

niue reddentur albiora: si rubuerint instar purpuræ, sicut natiua lana fient. Idem in quadragesimo tertio capite inducit loquentẽ deum, ac dicentem, Ego ego ille ipse sum, qui deleo transgresiones tuas, idq; propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.

Apud Ieremiam in 31. cap. quod & Paulus repetit in 8. & 10. cap. ad Hebr. dicit dominus, Hoc est fœdus meum quod feriam cum eis post dies istos. Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.

Ezechielis 36. ait dominus, Spargam super uos aquas mundas, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris. Et dabo uobis cor nouũ & spiritum nouum: auferam cor lapideum de carne uestra, & dabo uobis carneum. Ego uos liberabo ab omnibus immunditijs uestris. Nõ propter uos ego facio, dicit dominus deus; hoc notum sit uobis, &c.

Daniel in 9. cap. manifestum confesionis peccatorum exemplum relinquit nobis, præterea disertis uerbis dicit, per Mesiam condonata esse peccata, expiatã iniquitatem, & adductam iustitiam sempiternam. Sic Zacharias propheta in cap. 3. asserit, iniquitatem terræ unico Christi sacrificio esse expiatam.

Dominus in euangelio secundum Matthæum dicit, Non opus habent qui ualidi sunt medico, sed qui male habent. Nec ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Ideoq; Iesus est appellatus. Angelus enim, Is saluum faciet, inquit, populum suum à peccatis suis. Et S. Paulus ad Timoth. dixit, Certus sermo & dignus quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret. Math. 1 1 Timoth. 1

In eodem euangelio dicit dominus, Omne peccatum & conuitium remittetur hominibus: at conuitium in spiritum sanctum non remittetur hominibus. Et quicunq; dixerit uerbum aduersus filium hominis, remittetur: qui autem dixerit aduersus spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in præsenti seculo, neq; in futuro. De peccato in spiritum sanctum dixi aliàs. Huc pertinent omnia exempla liberalisimæ condonationis peccatorum quæ commemorantur in historia euangelica, ueluti mulieris peccatricis, Luc. 7. item Ioan. 4. & 8. Matthæi, Zachæi, S. Petri, Latronis in cruce. Quis uerò commemoret paucis omnia? Huc pertinent parabolæ tres ex 15. cap. Euangelij secundum Lucam.

In euangelio Ioannis clamat præcursor domini, & ait, Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Item ad discipulos suos ait dominus, Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.

Petrus Apostolus in Actis clamat, Christo omnes prophetæ testimoniũ ferunt, quòd remisionem peccatorũ accepturus sit per nomẽ eius quisquis crediderit in eum. Idem in sua epist. Christus peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignũ, quò peccatis mortui, iustitiæ uiueremus: cuius eiusdem uibice sanati fuistis.

Paulus Apost. in 2. ad Cor. 5. cap. ait, Deus erat in Christo mundũ reconcilians sibi, nõ imputans eis peccata sua. Eum enim qui non nouit peccatũ, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia dei per illũ. Et in 10. cap. ad Heb. dicit idem, Christus una pro peccatis oblata uictima, perpetuò sedet ad dextrã Dei, id quod superest expectans, donec reddantur inimici ipsius scabellum pedum eius. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur.

Porrò beatus Ioannes Apostolus & euangelista nõ minus clarè quàm euidenter testatur, dicens, Sanguis Iesu Christi filij dei emundat nos ab omni peccato. Et iterum, Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.

Contra Nouatianos & Anabaptistas.

Cæterum uanissimi & ipsius satanæ nuncij sunt, Nouatiani & Anabaptistæ, fingentes baptismo purgari nos in uitam angelicam, quæ nullis porrò sordibus polluatur: si autem polluatur, nullam polluto expectandã esse ueniam. Nam ut multa alia transeam scripturæ loca, nónne S. Petrus baptismo consecratus fuit deo? an nõ bonã dei gratiã gustauerat? Certè cum præclarã fecisset confessionem audit à domino, Beatus es Simon Bar Iona. Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. Idem roganti domino, Num & uos uultis abire? omnium nomine respondens, dixit, Domine ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes: & nos credimus & cognouimus quòd tu es Christus filius dei uiui. At idẽ hic Petrus, post baptismum & gustatam dei gratiam, peccat, nec leuiter quidem peccat, sed grauissimè, ipsum abnegans & abiurans dominum. An uerò propter peccatũ eius omni uenia excidit? an præclusus est ipsi ad deum reditus? Minimè gentium. Audito enim galli gallinacei cantu, uerborum domini recordatur, in se descendit, & quid egerit expendit, flet amarè, & in grauem se luctum tradit. Non tamen diu in ipsò conficiebatur sine cõsolatione. Tertia enim mox insequenti die, angeli mulierculis ad sepulchrum domini uenientibus dicunt, Dicite discipulis eius & Petro, quòd resurrexerit, & præcedat uos in Galilæã. En singulariter uult dominus innotescere Petro quòd resurrexerit. Cur autẽ singulariter Petro? Quia reliquis peccarat grauius: non quòd peccatum Petri probaret dominus, sed quòd nobis declarare uellet ueniam cõsequi pœnitentes, quoties conuertuntur ad gratiam dei cœlestem. Nec uerò multos post dies restituit Petrum ministerio, commendatis ipsi ouibus suis. Præterea dicit dominus apud Ieremiam ad populum Israelis, Si quisquam uxorem suam dimittat, & illa ab ipso diuertens alteri nupserit, nunquid ille ad ipsam reuertetur? An uerò non est polluta terra illa? An non cum multis fornicata es? Sed reuertere ad me, dicit dominus. Et Galatæ rectè instituti ab Apostolo Paulo, per pseudoapostolos seducti, defecerant à ueritate euangelica: & tamen ueniam consequuntur. Corinthij quoque in multis scientes & uolentes post acceptam gratiam peccauerunt: sed resipiscentibus promittit nihilominus S. Apostolus condonationem delictorum à domino. Quid uerò manifestius est, quàm quod omnes sancti quotidie & seriò uereque, non hypocriticè uel mendaciter, orant, Dimitte nobis debita nostra? Hoc qui orant, fatentur se esse peccatores. Interim promittit dominus se exauditurum orantes fide, remittuntur ergo etiam illa peccata orantibus, quæ homines post cognitam uel indeptam patrarunt gratiam. Loca uerò ex epistola ad Hebræos, quæ pro suo dogmate confirmando producunt Nouatiani, aliàs excussimus, ut hic nihil sit necesse ijs inhærere operosius.

Sũma uere doctrinæ de Pœnitentia.

Iam uerò, ut summam colligamus eorum quæ hactenus disputauimus de Pœnitentia, teneamus pœnitentiam esse cõuersionem ad Deum, quam etsi uerbo suo & alijs rationibus excitet, præcipuè tamen spiritu suo efficit ut reuereamur ipsum, Deum, inquam, iustum, à quo auersi fueramus, dolentes ex animo patrẽ optimum peccatis nostris esse offensum. Nam humiliati coram æterna sanctissimaque maiestate eius, agnoscimus quæ nobis obijciuntur per uerbum dei peccata: agnoscimus nihil esse in nobis integri. Cupimus autem recõciliari cum Deo: quod cum non possit fieri, nisi per solum mediatorem Christum dominum, hunc fide apprehendimus, per quẽ ab omnibus peccatis absoluti, sancti & iusti à deo reputamur. Hoc beneficium quicunque syncerìter agnoscunt, non possunt non odisse peccatum, ueteremque mortificare hominem. Subiungerem ergo nunc alia membra ad pœnitentiam pertinentia, uidelicet mortificationem ueteris hominis & innouationem

tionem spiritus, nisi res ipsa postularet aliquid dicere de Confessione peccatorum & de Satisfactione pro peccatis. De his enim nonnulli aliena à ueritate docent, qui de Pœnitentia disserunt. Ne ergo nesciat C. V. quid de his sentiat secundum ueritatem, non grauabor his explicandis immorari nonnihil. Spero autem ex his fructum ad C. V. non pœnitendum rediturum.

Confiteri uel Confessio uariè usurpatur in scripturis sanctis. Significat enim laudare Dominum & gratias agere pro acceptis beneficijs. Vnde confessio ponitur pro laude & gratiarum actione. Propheta enim canit, Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Paulus ad Titum, loquens de hypocritis, ait, Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: ubi Confiteri significat dicere, profiteri uel iactare. Alicubi est confidere & niti diuinæ bonitati, sed & hanc fiduciam cùm dictis tum factis testari. Sic usurpauit S. Ioannes 1. Ioannis 4. & Paulus ad Roma. 10. Est præterea confiteri, Deo dare gloriam & agnoscere ingenuè peccatum & iudicium quod tibi obijcitur. Solomon in Prou. cap. 28. dicit, Qui celat iniquitates suas (imò & has ueluti defendit) nihil prosperũ habebit: qui autem confitetur & deserit, huic fit misericordia. Vsurpat Hebræus sermo in hac sententia uerbum Iadah, pro quo nostri reponunt confiteri. Est autẽ Iadah proijcere uel dimittere, ueluti cùm arcus intentus remittit. Et Modæh perinde est ac si tu dicas, confitens, uel cedens, uelutiq; herbam præbens. Deus enim accusat nos, & criminis pœnæq; reos agit. Id non protinus agnoscit caro, sed ueluti intentus arcus manet, tandem uerò remissa pertinacia agnoscit, quod Deus obijcit: hæc agnitio Modæh, id est, confessio est. Sed & Germanicè dicimus, Er hat gelassen/Er hat geschnellt/cùm significamus uel rem aliquam cessisse loco, uel hominem confessum esse quod aliquandiu uel negauit, uel dissimulauit.

De confeßione peccatorum.

Psalm: 136

Prouerb. 28

Cæterum non est unius generis Confessio peccatorum. Est enim diuina, est & Humana. Primùm dicemus de Diuina, deinde de Humana. Diuinam appellamus, quæ clara in scripturis sanctis testimonia uel exempla habet, & ab ipso Deo instituta est. Ea est peccati, quod obijcitur nobis, ingenua agnitio professióque, qua omnem Deo gloriam, nobis autem confusionem tribuimus, Deumq; & proximum, contra quem peccauimus, deprecamur. Obijcitur autem nobis peccatum ab ipso Deo, qui foris per uerbum uel per ministerium hominum, aliquando & per signa atq; portenta, intus autem spiritus sui arcano afflatu, & peccati & pœnæ reos agit, liberam & ingenuam à nobis deposcens peccatorum confessionem. Spontaneam enim & ingenuam, non simulatam aut extortam approbat. Certè ciues Hierosolymitani & populus Iudaicæ religionis sua sponte ad Ioannis baptismum ueniunt, confitentes peccata sua, quæ ipsis beatus Ioannes prædicatione sua obiecerat. Et post ascensionem Christi in cœlos, accusat peccatũ populi Iudaici beatus Petrus: accusationem uerò mox sequitur in historia, His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & reliquos Apostolos, Quid faciemus uiri fratres? Et quæ sequuntur Actor. cap. 2. Magister quoque carceris Philippici, postquam terræmotum sensisset, exilijt, & uerbis Apostolicis instructus peccata sua cõfitetur. Sic etiã uiri Ephesij, artibus dediti magicis, audita calamitate, quam dæmon intulerat filijs Sceuæ eiusdem artis consortibus timent, uenientesq; confitentur peccata sua. His caussis potissimum ferè exoritur peccatorum confessio.

Diuinitus instituta confeßio.

Porrò diuinitus institutæ confessionis alia quidem Deo fit, alia proximo. Quæ Deo fit, uel priuata est, uel publica. Priuatim confitemur Deo, quando excutimus corda nostra coram Deo, soliq; abscondita pectoris nostri recludimus, agnoscentes quæ in nobis sunt peccata, precamurq; ut nostri misereatur. Hæc confessio ad

Confeßio quæ priuatim fit Deo.

remissionem peccatorum consequendam necessaria est. Nisi enim corruptionem & iniustitiam nostram agnoscamus, nunquam fide uera apprehendemus Christum, per quem solum iustificamur. Non autem arbitramur pœnitentibus properandum esse ad ullum alium confessorem, cui peccata confiteantur quàm ad Deum. Hic enim solus peccata remittit & delet. Hic medicus est, cui uni oportet retegere uel aperire uulnera. Hic offensus est à nobis, ab eo ergo petenda pax & reconciliatio. Hic solus inspicit corda & scrutatur renes, soli ergo aperienda sunt pectora. Hic peccatores ad se uocat: ad ipsum ergo festinemus, procidamus, confiteamur & ueniam petamus. Hæc confessio, si animo in Deum intento fiat, licet ore fieri ne queat, recipitur à Deo cordium inspectore. Rursus si confiteamur ore, corde uerò in Deum intenti non simus, licet ipsi Deo uel pontifici confiteamur, non curat confessionem uanam Dominus. De uera illa quæ Deo fit confessione loquutus sum, cùm in definitione Pœnitentiæ dixi pœnitentes peccata sua agnoscere. De hac loquitur multis in locis scriptura. Dauid in Psalmis orat & confitetur, dicens, Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, Quoniam peccata mea agnosco, & peccatum meum coram me semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Et reliqua. Et in alio Psalmo, Delictum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi, Confitebor aduersus me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. In Euangelio docet Dominus noster orare, & inter orandũ cõfiteri & dicere, Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Sic autem orantes confitentesq; iussit secedere in cubiculum, ut patri cœlesti soli cor nostrum cordisq; nostri pateat deuotio. Filius prodigus priuatim in campo apud porcos confessionem sui peccati componit & soli patri offert. Et publicanus ille in Euangelio, qui confertur cum pharisæo, tundit pectus & querula uoce apud semetipsum confitens, dicit. Deus propitius esto mihi peccatori. Audiamus iam & Ioannem Apostolum & Euangelistam, totum hoc quòd dici uerè potest de hac confessione comprehendentem & dicentem, Si dixerimus peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Hanc priuatam confessionem quæ fit Deo, sequitur confessio uoluntaria apud homines. Humiliantur enim pœnitentes, quoties ipsa res, gloria Dei & incolumitas proximi poscit, & corã hominibus etiam testantur se peccasse Deo. Sic enim Dauid Nathano obijcienti peccatum, clamauit, Peccaui Domino. Sic Zachæus intelligens calumnijs peti Dominum, confitetur palàm peccatum suum, & emendationem promittit.

Confeßio publica. Publicè quidem ita Deo confitemur, sicut modò diximus, sed magis tamen cum audito uerbo ueritatis, publica illa forma solenniq;, uel in templo uel aliàs in cœtu aliquo coram hominibus, recitantes peccata admissa, imploramus à misericorde Deo ueniam. *Leuit. 10.* Quondã certè in ueteri populo instituit Dominus, ut præeunte sacerdote, uerbis conceptis, totus populus sequens, peccata sua palàm confiteretur in templo. Vnde haud dubiè etiam hodie receptum est in ecclesia Christianorum, præeunte conceptis uerbis pastore uel doctore ecclesiastico, post finitam scripturarum expositionem & paulò antequam dimittatur cõcio, confiteri palàm in templo omnia contra Deum commissa delicta, & implorare diuinam misericordiam. Notæ sunt confessiones peccatorum publicę ab Esdra, Daniele, & Nehemia factæ. Publicam confessionem peccatorum illam fuisse interpretor, quam fecisse Iudæos author est S. Matthæus in cap. 3. Tota enim Iudæa egressa est ad Ioannem præcursorem Domini, ac baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.

Nam

Nam cùm baptismum publicè reciperent, ea ipsa re confitebantur palàm peccata sua. Baptismus enim est signaculum expurgationis peccatorum: ergo qui baptizantur, confitentur se esse peccatores. Qui non baptizabantur, arbitrabantur se aliis purgatos esse, neque ulla indigere sanctificatione. Publicè peccata sua confitebantur Ephesij, qui magicos libros comportatos igne concremarunt, concremando enim confitebantur se scelus igne piandum admisisse. *Actor. 19.*

Iam quæ proximo fit confessio talis est, Offendisti proximum tuum, uel is te iniuria affecit, idcirco dissidetis odiáque exercetis mutua: hîc certè cogitandum est de reconciliatione, alter ergo alterum accedens, culpam uel errorem admissum, & fateatur & deprecetur, alter confitenti benignè peccatum condonet & cum ipso in gratiam redeat. De hac confessione loquutus beatus Iacobus Apostolus, dixit, Confitemini alterutrum peccata uestra, & orate pro uobis inuicem, ut salue-mini. Quia Dominus & saluator noster prior in hæc uerba nos docuit, Si obtuleris munus tuum ad altare (loquitur autem illis quibus adhuc in usu erant sacrificia legalia) & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus aliquid habet contra te, relinque illic munus tuum coram altari, & abi, prius reconcilieris fratri tuo: & tunc uenies & offeres tuum munus. Huc pertinet & Parabola Domini exposita Matthæi 18. capite, de coniecto in perpetuos carceres, qui gratiam expertus Domini, sæuiebat in conseruum suum, cui nihil condonare uolebat. Nam in Matthæo 6. capite, dicit Dominus, Si remiseritis hominibus errata sua, remittet uobis & pater cœlestis. Si uerò non remiseritis, non remittet uobis pater cœlestis. Non quòd propter remissionem nostram condonentur nobis peccata. Sic enim remissio non esset gratuita, sed ex merito & recompensatione. Iam uerò cùm gratis condonantur per fidem, certè animus ille irreconciliabilis ac durus, certum est argumentum, nullam esse fidem in homine duro, pertinace, implacabilique. At ubi non est fides, ibi nulla remissio. Spontanea ergo remissio, signum est euidens, & natiuus fructus fidei ueræ & gratiæ diuinæ in nobis. *Confeßio quæ proximo fit.* *Iacob: 5.* *Math 5.* *Math. 6.*

His duobus generibus confessionis adijciunt quidam illam, qua pressi scelere aliquo graui consilium petunt, uel à pastore gregis Dominici, uel ab alio legis Dei perito. Cæterum illa potius est Consultatio quàm Confessio. Hæc autem nullibi uel præcepta est uel prohibita: ideóque libera. Proinde nemo cogi debet ad istam consultationem. Si uerò frater aliquis, uel à ministro ecclesiæ, uel à priuato aliquo fratre consilium petat, charitas iubet, si possis, inseruire fratri. Imò si non petat, uideas autem periclitari fratrem, charitas iterum iubet te periclitantem admonere, & tractare ut fratrem. Nam Paulus ad Galatas, Fratres, inquit, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliquo lapsu, uos qui spirituales estis instaurate eiusmodi hominē spiritu lenitatis: considerans teipsum, ne tu quoque tenteris. Alij aliorum onera portate: & sic adimplete legem Christi. Sed hæc nihil ad Confessionem peccatorum, redimus ergo ad institutum. *Consultatio.* *Galat: 6.*

Illa diximus hactenus de diuinitus instituta confessione peccatorum, subiungemus iam quædam de Confessione peccatorum instituta ab hominibus. Ea est duplicis generis, uidelicet Publica & ritualis uel ceremonialis, quam ferè appellarunt Exhomologesim: & Priuata uel arcana, dicta Auricularis. Publicam uoco ritualem, quia non tam cognitio & confessio est peccati, quam actus pœnitentialis. Isidorus enim Hispalen. episcopus libro Etymol. 6. cap. 18. Exhomologesis, inquit, prosternendi & humiliandi homines disciplina est, habitu atque uictu, sacco & cinere incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit, tristi tractatione mutare. Hæc Isidori Episcopi uerba non recitassem *Confeßio ab hominibus instituta.* *Exhomologesis*

C. V. utpote authoris non admodum illustris, nisi eadem ferè legerentur in libro Tertulliani scripto de Pœnitentia: nisi & exemplum suppeditaret Eusebius, qui Eccles. hist. lib. 5. cap. ultimo, Natalis, inquit, martyr deceptus ab hęreticis, tandem errorem intelligens, mane consurgit, cilicio se induit, & cinere conspergit, ac multis lachrymis errorem suum deflens, ante pedes se Zephyrini Episcopi prosternit, & uestigijs omnium, non modò clericorum, sed etiam laicorum, multa cum lamentatione prouolutus in lachrymas omnem prouocauit ecclesiam, ut indulgentiam sibi à Christo continuis & iugibus pro ipso precibus implorarent. De ritibus pœnitentiæ paulò post dicemus. Non autem uidetur hæc ritualis pœnitentia, sicut ueteribus in usu fuit, diuinitus esse præcepta, ut uel hodie quicunq; scelus aliquod patrauit, cogatur mox palàm pœnitere, ad eum quē isti usurparunt modū. Vbi enim
Luc. 7. legitur peccatrici uel adulterę mulieri talis in Euangelio iniuncta esse pœnitētia?
Ioan. 8. Recipiuntur alij multi peccatores per Christum in gratiā Dei sine huiusmodi pœnitentia. Notissimum est enim quid egerit Christus dominus cum Matthæo, cum Zachæo, cum Petro negatore & alijs multis. Proinde non temerè credimus Episcopos ac sacerdotes ueteres, disciplinæ gratia, & quò minor esset peccandi licentia, inuenisse publicam illam pœnitendi rationem. Certè Hermius Sozomenus Salaminius historiæ Ecclesiasticæ scriptor egregius, lib. hist. 7. cap. 16. Ab initio, inquit sacerdotibus placuit, ut uelut in theatro; teste multitudine Ecclesiæ peccata manifestarentur. En sacerdotibus placuit, ait. Addit institutum fuisse presbyterum ad quem qui deliquissent accedentes peccata confiterentur, deinde etiam audirent mulctam, quid uidelicet faciendum esset luendúmue. Idem mox describit & Romanæ ecclesiæ morem pœnitendi. Deinde subdit, in Constantinopolitana ecclesia presbyter pœnitentibus deputatus, hoc munere functus est, donec mulier quædā nobilis propter peccata quæ confessa fuerat, ab huiusmodi presbytero ieiunare Deoq; supplicare iussa, & eam ob caussam ecclesiæ immorata, à diacono scortationis scelere polluta fuisse proderetur. Ob quā caussam sacerdotibus plurimū detrahebatur. Nectarius uerò Episcopus perplexus quid commisso facinori cōpeteret, diaconum illum qui scelus hoc ausus fuerat, diaconatu priuauit. Et quoniam nonnulli suadebant ut unicuiq; liberum permitteret, secundum quod sibiipsi beno conscius esset & bona fiducia esse posset, ad communionem mysteriorum accedere, munus illud presbyterij pœnitentiarij sustulit: & ex eo inualuit cōsilium illud Nectario datum, & iam quoq; permanet. Et cætera. Idē in capitis initio, Primus Nectarius Constantinopolitanus Episcopus, inquit, presbyterum qui pœnitentibus deputatus erat sustulit ex ecclesia: quem ferè omnes Episcopi sunt secuti. Hæc ille. Non abrogasset autem Exhomologesim sanctus alioqui Episcopus Nectarius, si intellexisset diuinitus esse institutam: nec licuisset etiam abrogare. Sciuit ergo, sicuti & Sozomenus confitetur, Episcoporum consilio formam illam usurpatam esse in ecclesia. Nec legimus Ioannem Chrysost. qui proximè Nectario successit, & diligentissimus seuerissimusq; Episcopus fuit, ritualem illam abrogatā restituisse pœnitentiam. Scribit enim Homilia 31. in Episto. Pauli ad Hebr. Non dico tibi

Ioan. Chrysost. doctrina de Confeßione.

ut te prodas in publicum, neq; ut te apud alios accuses: sed obedire te uolo prophetæ dicenti, Reuela Domino uiam tuam. Ante Deum ergo confitere peccata tua, apud uerum iudicem, cum oratione delicta pro iniuria: non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria. Et tunc demum crede te misericordiā posse consequi, si habueris in mente tua continuè, &c. Rursus in Psal. 56. Si cōfunderis alicui dicere quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua. Nō dico ut cōfitearis ea cōseruo tuo ut exprobret, dic deo tuo qui curat ea. Si nō dixeris, nō ignorat ea deus, qui prestò erat cùm ea fa-

ea faceres. Et idem iterum alicubi, Non te in conseruorum tuorum theatrum deduco: non hominibus peccata tua detegere cogo. Repete corã Deo conscientiam tuam, & explica. Ostende Domino præstantissimo medico tua uulnera, & pete ab eo medicinam. Item, Caue homini dixeris, ne tibi opprobret. Neq; enim conseruo est confitendum, qui in publicum proferat, sed Domino, qui tui curam gerit, qui & humanus est medicus: ei ergo ostendes uulnera. Sed & Dominum idem ille loquentem inducit, Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes: mihi soli dic peccatum tuum priuatim, ut sanem ulcus. Hæc Chrysost. Omnia arguunt clarè satis ritualem illam pœnitentiam (sicuti aliquando usurpata est in ecclesia) non à Deo institutam, denique nulla iniuria ex ecclesia submotam, neque mox à sanctis Episcopis restitutam fuisse. In Romana ecclesia multas remansisse reliquias illius non omnino uanè perhibent. Sed quid ad nos quid ecclesia quælibet sibi sumpserit uel seruandum uel deponendum? Hoc magis inquiramus, quid tradiderit nobis Christus, quidue docuerint Apostoli. De quorum doctrina iam satis dictum arbitror.

Priuata uel arcana confessio peccatorum fieri consueuit remotis arbitris, solis sacerdotibus. Insusurrat enim aliquis clanculum peccata sua in aurem sacerdotis, confessionibus clancularijs deputati, absolutusq; ab hoc, conceptis uerbis, existimat se purgatum esse ab omnibus peccatis. Ideoq; Auricularem appellaui. Hanc ignorauerunt tempora Apostolica, & quanquam olim radices agere cœperit, libera tamen ab initio fuit. Præcepta demum & rigidè extorta legitur à Roman. Pont. in longè corruptissimo ecclesiæ statu, nempe cùm numeraretur annus Domini millesimus ducentesimus decimus quintus, aut circiter. Disputatum est tamen per 80. annos aut plures, priusquam lege certa imponeretur omnibus, Deo ne confiteri satis sit, an sacerdoti quoq; confiteri oporteat ad repurganda peccata? Hugo in libro de Ecclesiastica potestate ligandi & soluendi sic reliquit scriptum, Audacter dico, si ante sacerdotis absolutionem ad communionem corporis & sanguinis Domini quis accesserit, pro certo sibi manducat & bibit iudiciũ, etiamsi eum multum pœniteat, & uehementer doleat & ingemiscat. Hæc Hugo certè audacter dixit, nisi falsum nos doceat uerbum Dei. Floruit hic author circa annum Domini 1130. Secutus est hunc non ita longo interuallo Petrus Lombardus, uulgò Magister sententiarum appellatus, nimirum quòd sententias patrum collegerit, & Doctrinam patrum ueluti per compendium mundo proposuerit: de cuius opere quale sit nunc non pronuncio. Floruisse putatur circa annum Domini 1150. Is Sententiarum lib. 4. distinct. 17. & 18. ex patrum authoritate primùm indicat sufficere confessionem peccatorum soli Deo factam. Deinde alias subijcit sententias contrarium docentes. Postremò sua etiam interposita sententia concludit. Ex his indubitanter ostenditur, oportere Deo primùm, & deinde sacerdoti offerre confessionem, nec aliter posse perueniri ad ingressum paradisi, si adsit facultas. Item, Certificatum est, quòd non sufficit confiteri Deo sine sacerdote: nec est uerè humilis & pœnitens, si non desiderat & requirit sacerdotis iudicium. Petro Lombardo fuit magis ingenuus Gratianus Decretorum consarcinator, qui eodem cum Lombardo claruit tempore. Nihil is certi definit, sed propositis in utranq; partem sententijs, & quòd peccata oporteat confiteri sacerdoti, & quòd non oporteat, iudicium lectoris liberum permittit. Sic enim concludit, Quibus authoritatibus uel rationibus utraque sententia confessionis & satisfactionis innitatur, in medium breuiter exposuimus. Cui autem horum potius adhærendum sit, lectoris iudicio reseruatur. Vtraque enim fautores habet sapientes & religiosos uiros. Hæc Gratia-

De Auriculari confessione.

nus propè finem Distinct. primæ de Pœnitentia.

Lege lata præcipitur Confessio auricularis.

Post quinquaginta annos secutus est Lotharius Leuita doctor Parisień. diligens Lombardi sectator. Hic creatus Pontifex Romanus, & Innocentius tertius uocatus, Romæ Concilium coegit generale, quod appellatur Lateraneń. in quo legem tulit, quam recitat Gregor. IX. in Decretali sua de Pœnitentijs & Remissionibus lib. 5. cap. 12. in hæc propè uerba, Omnis utriusq; sexus fidelis, postquàm ad annos discretionis peruenerit, omnia sua, solus, peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti: & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs uiribus studeat adimplere: suscipiens reuerenter ad minus in pascha Eucharistiæ sacramentum. Nisi fortè de proprij sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem caussam, ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum. Alioqui & uiuens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Hæc illa est lex noua, quæ plurima habet absurda & impia. Et ut pleraq; non commemorem, sed unum duntaxat & alterum. An non impium est ad proprium nescio quē sacerdotem relegare peccatorem, cùm Dominus Christus ecclesiæ ministros tantùm & præcones dederit, ipse solus maneat sacerdos uniuersalis & cuiusque proprius in ecclesia ad finem usque seculi: ad quem unum fideles ministri à semetipsis omnes confitendum relegant peccatores? Ioannes enim dixit, Non sum ego Christus, sed missus ante illum, ut testimonium ei feram. Quid quod impijssimum est confessioni nostræ & absolutioni sacerdotis, ueluti operi humano, attribuere peccatorum remissionem? Et quis obsecro omnia sua peccata homini sacerdoti confiteri possit? An non Ieremias clamat, Prauum est cor hominis & inscrutabile? An non Dauid canit, Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Impossibile est homini omnia sua confiteri peccata. Ergo dum huic, lege adactus, animum ratiocinationi applicat, non poterit non altissimè in desperationis immergi barathrum. Et tantum onus, ueluti ad salutem consequendam necessarium, imponitur liberis Christi fidelium collis: idq; contra decretum Apostolicum scriptum Actorum 15. Quid autem proprijs suis uiribus perficiat peccator? Quæ obsecro nobis ad bonum sunt uires?

Nullis scripturis suffulta auricularis Confessio.

Pudet autem & piget me impudentiæ istorum hominum, cùm confessionem illam suam auricularem, ueluti à Domino institutam, iam quoque ex scripturis ornare & confirmare uolentes, illud Domini dictum Leproso proferunt, Vade ostende te sacerdoti. Non autem hunc locum solum torquent impudentissimè contra natiuum sensum, sed omnia alia scripturæ, quæ citare solent, testimonia corrumpunt. Vnum ex multis proferam. Bonauentura in Commentarijs suis ad sententias Magistri lib. 4. distinct. 17. quæst. 3. fingit duo esse in confessione: Vnum formale, nempe absolutionem, uel medicandi potestatem: & hanc ait subministratis clauibus institutam esse à Domino. Alterum uerò materiale, nimirū detectionem peccati: & hanc dicit Dominum non instituisse per se sed tantùm insinuasse. Mox enim hæc subijcit uerba, Et ideò confessio fuit à Domino insinuata, ab Apostolis instituta, ab Episcopo Hierosolymitano Iacobo uidelicet promulgata. Sicut enim sententiam de non seruandis legalibus promulgauit, Actor. 15. sic & confessionem omnibus peccantibus imposuit dicens, Confitemini alterutrum peccata uestra. Hæc ille. Quis uerò non miretur cæcitatem illius seculi? Agnoscit scriptor non institutam esse à Domino confessionem auricularē, nisi implicitè & ueluti ex quadam consequentia; Apostolos autem explicasse mentē Christi & instituisse illam: porrò S. Iacobum omnium Apostolorum nomine, lata sentētia, promulgasse. Promulgationis uerba subijcit hæc, Confitemini alterutrum peccata uestra. Quid est

autem

autem torquere scripturas, si hoc non est? Cernit uel cæcissimus inermes esse istos pugiles in hac palæstra, qui telum huiusmodi proferunt, non utiq; fraxineum, sed prorsus betaceum, quod interim ipsi ueluti Hectoream aut Achilleam hastam uibrant. Planissimum est, apostolum non loqui de confessione arcana auriculari, sed de ea quæ reciprocatione quadam ab illis fit, qui se mutuùm offenderunt: modò autem liberè & alternis peccata sua inuicem confitentes, mutuùm rursus reconciliantur & orant pro inuicem. De qua nonnihil dixi paulò superius. Non uident duo esse in uerbis Apostoli, quæ diligentius perpensa, ipsos planè ridiculos reddũt. Principiò enim utitur apostolus dictione ἀλλήλοις, quod significat mutuò, inuicem, uicissim, alterutrum & quasi reciprocè. Inde sic colligimus, Si iuxta præceptum Apostoli inuicem confiteri oportet, & ἀλλήλοις significat alterutrũ, uel uicissim, id est, confiteatur peccata alius alij, uel per uices, ut reuera significat: necesse est ut postquam laici sacerdotibus confessi sunt, sacerdotes uicissim confiteantur laicis. Id enim est alterutrum confiteri. Dicimus enim φιλοῦσιν ἀλλήλους, id est, amant se inuicem, hoc est, alter alterum, uel reciprocè. Quòd si hoc graue est presbyteris, agnoscant hunc locum Apostoli nihil facere pro arcana & auriculari illa confessione quam ipsi ad commodum suum finxerunt. Deinde subdit Iacobus, Et orate pro uobis inuicem, ut salui sitis. Sociat ergo, & ueluti sub unum iugum connectit, confessionem & orationem. Inde rursus ita colligimus, Si solis sacerdotibus confitendum est, pro solis orandum est sacerdotibus. Sed non orandum est pro solis sacerdotibus, ergo non confitendũ solis sacerdotibus, sed alterutrum. Idem locus Iacobi non intelligi debet de confessione auriculari occulta, sed de publica illa, qua in concordiam per mutuam delicti confessionem redeunt illi, qui mutuis sese offenderant iniurijs, & iam reconciliati orant pro se inuicem, ut saluentur. Relinquimus ergo indubitatum, auricularis confessionis defensores non probasse, neq; probare posse, illam à Deo esse institutam.

An cõfeßio auricularis retinenda sit propter disciplinã.

Ruentem uerò quibusdam fulcris sustentare firmareq; cupientes, subijciunt confessionem illam suam in Ecclesia retinendam saltem propter disciplinam uel erubescentiam, ob quam plerìq; peccent minus. Deinde etiam propter priuatam absolutionem consolationemq; euangelij peculiarem uel singularem. Si uerò confessio auricularis tam est utilis Ecclesiæ, quàm isti uolunt uideri, quà factum est quòd ea caruerit ecclesia annis à temporibus Apostolorũ amplius mille? Mirum est ipsam nullibi ab Apostolis uel usurpatam uel præceptam. At cõstat interim uetera tempora Christi aduentum præcedentia, nihil de hac confessione uel somniasse: & apostolos nulla re necessaria destituisse Dei ecclesiam. Iam qualem disciplinam plantarit in ecclesia Dei, probant impura flagitia & actus nepharij. Didicerunt cùm confitens tum confessor horrenda ex circunstantiarum discussione scelera. Caussæ uel occasiones suppeditatæ sunt stupris & adulterijs. Tentata est in Confessionibus, imò & corrupta sæpius quàm prosit, aut referre conueniat, uirginum matronarumq; pudicitia. Omnia hominum secreta expiscati sunt confessores illi. Id quod non parum profuit ad stabiliendam ipsorum tyrannidem. Profectò potuerunt confessores illi singulos, quos uocant confessionis filios, commodius deprædari & deglubere: quia non ignorauerunt quas quisque haberet, aut quomodo parasset facultates. Et cum primores reipub. scirent sacerdotes probè scelerum suorum esse conscios, non potuerunt non metuere sacerdotes. Ita fiebat ut minus strenuè se opponerẽt sacerdotum extremæ corruptioni & libidini, alioqui minimè in populo dei ferendæ. Auditæ sunt uoces, Ego ad unguem ex Confessionibus quales in hac urbe sint uiri, mulieres, & uirgines, didici & teneo co-

gnitissimum. Ego quenque pro suo ingenio tractare noui. Omnes me metuunt & reuerentur: quia intelligunt me ipsis perspexisse in animi ipsorum penitissima penetralia. Effutita sunt nonnunquam confessionis secreta cum periculo capitis confitentium. Proditiones concinnatæ sunt ex confessionibus, nec paucæ nec exiguæ. Egregiè uerò profectum est, si unius hominis, confessoris inquam, pudore uerecundiaq; carnali, non timore Dei syncero desinimus peccare, cum Deum non ueremur habere testem conscientiæ nostræ, neque ad iudicium eius expauescimus. Quid quod confessione hac auriculari stabilita in Ecclesia, nihil efficitur aliud, quàm ut præceptum Dei uilescat propter traditionem nostram, rariusq; ipsi Deo confiteamur? Quoties enim in memoriam ueniunt peccata, securi illa expectoramus, donec confitendi tempus aduenlat. At cum aduenit, quis oro ad confessionem alacri mente accedit? Iudicent ergo prudentes auditores, qualis hæc disciplina sit, & quàm Deo placere posit.

An propter priuatã absolutionẽ retinẽda auricularis confeßio.

Quod de absolutione priuata affertur, commentum est humanum planè, quod nullum in sacris literis uel præceptum uel exemplum habet. Reuera à peccatis, à pœna & culpa nemo absoluit, nisi solus Deus, cuius solius est hæc gloria. Minister euangelica prædicatione uel consolatione annunciat, & testificatur credenti peccata esse remissa. Hæc ergo cõdonationis prædicatio ex ore uel uerbo Dei petita, absolutio est, qua minister absoluit. Nec redditur hæc efficacior, si eam priuatim insusurret minister peccatori in aurem. Publica euangelij prædicatio, ab ipso Christo domino sic instituta, satisfacit animo fideli, qui nõ tam respicit ad ministri gestum, quàm ad ueritatem eius cuius nomine minister agit. Verũ, Si peccator, inquiunt, priuatim ad se dici audiat, Ego te absoluo à peccatis tuis, idq; clauiũ uirtute, rectius intelligit sibi remissa esse peccata, quàm cum in genere prædicatur remissio. Nos uerò Apostolorũ exemplum opponimus, quos cum audissent Hierosolymitani, cõpuncti corde dixerunt, Quid faciemus uiri fratres? Respondit Petrus, Resipiscite, & baptizetur unusquisq; uestrum sub nomine Iesu Christi in remissionem peccatorũ, &c. Et accesserunt illo die animæ circiter ter millæ. At quis non intelligit tantæ multitudini simul & baptismũ esse collatum & uniuersaliter prædicatam remissionem peccatorum, nõ autem singulis in aurem insusurratum, Remittuntur tibi frater peccata tua? Ac reuera potest uir religiosus uerã in Christum fidem, per quam remissio peccatorũ confertur, non minus solidè discere ex publica prædicatione euangelij, quàm ex huiusmodi susurris. Præsertim cũ prædicatio publica præceptum Dei habeat: susurri contra non item: deniq; cum euangelium dei uel publicè prædicatũ gratiã singulis applicet, sed & sacramenta testificentur remissionem peccatorum & dona cœlestia esse singulorum credẽtium in Christum. Hæc non dico, quòd iniquum putem, si ita casus ferat, priuatim uni aut alteri prædicare euangelium, aut uerbis Christi promittere remissionem peccatorum credenti: sed contra illos disputo, qui arbitrantur publicam & generalem (ita ut ab Apostolis usurpata est) prædicationem, omnibus singulisq; annunciantem fidelibus peccatorum remissionem, minimè sufficere, nisi peccator accedens ad sacerdotem, peccata sua confiteatur, & ab eodem priuatim & petat & accipiat singularem absolutionem. Nam propter illam priuatam absolutionem, censent retinendam confessionem priuatam uel auricularem.

Sed nolumus aiunt, ut omnia uel singula recitentur peccata cum suis circumstantijs. Quid tum postea? Quis obsecro iussit uel aliqua in aurem sacerdotis peccata insusurrare? Primitiua ecclesia, nec pauca, nec plura delicta confiteri solebat sacerdotibus. Bonauentura testatur ante Innocentium eius nominis tertium, non

non habitos pro hæreticis, qui affirmarunt confeßionem soli Deo, sacerdotibus præteritis, factam, sufficere fidelibus: cæterum post decretum ab illo editum de confeßione, etiã proprio sacerdoti facienda, hæreticos iudicari, docentes soli Deo confiteri. Quasi uerò Innocentius potuerit nouum condere fidei dogma, quo caruit Ecclesia annis à Christo 1200. & amplius. Si itaq; isti qui ante Innocentium uixerunt omnes subterfugerunt hæreseos iudicium: si Nectarius cum Constantinopolitana ecclesia non damnatus legitur, propter Exhomologesim abrogatã eiectamq; ex ecclesia, quæ tamen auriculari confeßione uidetur fuisse præstantior multò: nemo pius haud dubiè condemnabit nos, qui fatemur diuinitus institutam confeßionem, quæ fieri solet Deo & proximo: duntaxat autem explodimus arcanam illam auricularemq; confeßionem, utpote plus incommodorum ecclesiæ dei afferentem quàm honestæ commoditatis.

Et quia hactenus de Confeßione auriculari arcana hæc diximus, cui tractatio de Satisfactione adhæret, dicerem nonnihil & de hac uel ex neceßitate, nisi de ea, quantum satis est, disseruissem in alijs Sermonibus huius operis, uelut Decad. 1. Ser. 6. & 9. item in Decad. 3. ubi disputo de afflictionibus sanctorũ, item eiusdem Decad. Ser. 10. & Decad. 4. ubi tracto euangelium. Docent Sacerdotes & Monachi, non satis esse ad expiationẽ peccati pœnitentiam & fidem in Christũ, nisi accedat & satisfactio nostrorũ operum: quæ cõmemorant, saccum, ieiunia, lachrymas, preces, eleemosynas, oblationes, corporis afflictiones uarias, paßagia, & his similia permulta. Nam his, pœnã peccatis (quorũ culpam duntaxat condonatam aiunt) debitã, ceu nimbo effuso deleri affirmãt. At nos docuimus ex scripturis canonicis deum nõ tantũ culpam peccatorum, sed & pœnam condonare gratis. Docuimus homines nõ per opera & merita sua iustificari, sed mera dei gratia per fidẽ Iesu Christi. Alioqui enim frustra carnẽ induisset, & in mortẽ crucis acerbißimã sese tradidisset Christus. Iam addimus, Si nõ per opera iustificamur: ergo nec operibus nostris satisfacimus pro pec̃catis. Nam quod summam attinet (discrimẽ interim aliquod agnosco, non utranq; confundo) in idem recidunt iustificatio & satisfactio. Iustificatione Christi absoluimur. Satisfactione Christi absoluimur, uel potius propter ipsam absoluimur. Christus est iustitia nostra: ergo & satisfactio. In Christo est redemptionis pretium, non in nobis. Si pro nobisipsis satisfacimus, pretiũ redemptionis est in nobisipsis. Sumus ergo ipsi nobisipsis Christi & saluatores. Id quod Christum abolet, & idcirco extremè blasphemum est. Moses in sua lege nullo negotio omnia de satisfactione operum nostrorũ argumenta dissoluit. Describens enim formam expiandi peccata, nihil in hominum operibus constituit, sed totum in sacrificijs. Atqui his unicum Christi sacrificium præfiguratum esse, concordes fatemur omnes. Huic accedit quòd unica noui testamenti prædicatio & promißio illa est, Placatus ero super iniustitijs eorum & peccatis, ac iniquitatum eorum non recordabor amplius. Vbi autem talis est remißio, ibi nulla est oblatio uel satisfactio pro peccato. His adde, quòd credimus remißionem peccatorum. Si uerò debitor creditori satisfacit, quid hic oro remittit? Articulus ergo hic fidei & primaria promißio & prædicatio testamenti noui, subruitur doctrina de Satisfactionibus nostrorum pro peccatis operum.

De satisfactione operum.

Agnoscimus lachrymas, ieiunia, saccum, eleemosynas, & alia pietatis, humiliationis, charitatisq; opera suũ locũ habere in pœnitentia. De qua re dicetur suo loco: sed his satisfieri pro peccatis negamus modis omnibus, ne pretiũ redemptionis Christi euacuemus. Agnoscimus alicubi dñm de ijs sumpsisse suppliciũ uel pœnam quibus peccatum condonarat, ut de Adamo & Eua parentibus nostris, ac de

Deus affligit eos quibus peccata remisit.

Dauide rege adultero & parricida. Sed demõstrauimus afflictiones illas nõ fuisse satisfactiones pro peccatis, quæ cõdonarat deus, sed exercitia disciplinæ & humiliationis dei, retinentis sic suos in officio, declarantisq́ omnibus quàm odiat scelera, licet ipsa condonet gratis. Ergo ne propter gratuitam remissionem ad peccandum faciles simus, supplicia irrogat eis quos nobis statuit exempla. Neq; legimus sanctos afflictionibus suis simpliciter tribuisse iustificationis aut satisfactionis beneficiũ. Consiliũ quidem dat propheta Daniel potentissimo regi Nabuchodonosori, & ait, Peccata tua in iustitia redimantur, & iniquitates tuæ in misericordia pauperum. Sed ita futuræ regis uitæ, & administrationi regni, præceptum datur. Oppresserat hactenus multas gentes rex, & peccarat immisericordia: suadet ergo ut uitæ genus pristinũ mutet, & iustitiam colat, beneficẽtiamq́ præstet omnibus. Proinde non loquitur de satisfactione pro peccatis apud deũ, sed apud hominem. Non enim est in alio quoquã salus quàm in Christo. Quòd si quis pertinaciter inhæreat literæ, dicimus Iustitiam Christianorum esse fidem, qua propriè expiantur peccata: fidem autem non esse sine beneficentia uel charitate, cui impropriè tribuitur iustificatio. De qua re dixi cum disputarem de Bonis operibus.

Ergo cum S. Petrus ex Solomone pronunciat, Charitas operit multitudinem peccatorum, Operiendi uerbũ, non pro expiandi usurpatur: solo enim Christi sanguine expiantur & purgãtur peccata, sed pro auertendi. Vt enim sui amor omnium ferè scelerum origo est: ita charitas omniũ penè scelerũ propulsatrix creditur. Dilectio enim proximo malum nõ operatur. Iam quod sententiam euangelicã, ipsa, inquam saluatoris uerba obijciunt, Remittantur peccata eius multa, quoniam dilexit multum: non intelligunt ὅτι quod ferè redditur per quia, uel quoniã, hic illationis esse notam, nec alium colligi sensum, quàm hunc ipsum, Remittãtur peccata eius multa, idcirco dilexit multũ: uel unde factum est quòd diligat multum. Nec torquemus hic uerba euangelica ad sententiam repugnantẽ. Præcedit enim in historia euangelica, Princ pio, Cum non essent soluendo, donauit utrisq;. Si donauit, Si non erant soluendo: ergo non remisit propter dilectionem. Alioqui soluissent, nec donasset quicquam. Deinde præcedit, Vter horum plus diliget? Ait Simon, Is cui plus condonauit. Respondere ergo dominus aliud nihil potuit, quàm hoc, Plurimum huic mulieri condonaui, ideo dilexit plurimum. Sic, inquam, dilectio est ex remissione, & remissio nequaquam ex dilectione. Imò sequitur protinus, Dixit autem ad mulierem, Fides tua saluam te fecit, uade cum pace. Concludimus ergo, unicam modò esse satisfactionem pro peccatis totius mundi, Christum oblatum pro nobis, qui fide eius efficimur participes.

Remittantur peccata eius multa, quoniã dilexit multũ.

Quemadmodum uerò Satisfactiones sacerdotum & monachorum doctrina nobis obtrusas non agnoscimus, ita Indulgentias pontificias modis omnibus detestamur. Appellarunt isti Indulgentias beneficam criminum condonationem & remissionem uel culpæ, uel pœnæ, uel utriusq;: nimirum ex potestate clauium collata à domino: & propter meritum sanguinis martyrum (ita enim loquuntur) concedenda ritè contritis & confessis. Solent enim indulgentes patres rigorẽ & seueritatem satisfactionis suo impositã arbitrio, suis illis indulgentijs rursus remittere. Reuera sicut ille dixit, Blanda patrũ segnes reddit indulgentia natos: ita indulgentiæ ueram pœnitentiam corruperunt. Nullibi uerò legas pontificibus talem clauium potestatem esse collatam, qualem isti fingunt. Legimus quidem Apostolis claues datas esse à domino: sed hæ aliud nihil sunt quàm ministerium prædicandi euangelij. Quod suo loco demonstrabimus. Euangelium autẽ promittit nobis remissionem pœnæ & culpæ propter Christum fidemq́ in ipsum. Hoc ipsum admonet

De Indulgentijs.

monet, uenturos in fine seculi homines qui dicturi sint, Nos sumus Christi, id est, qui ea sibijpsis tribuant quæ solius sunt Christi, qualis præcipuè est peccatorũ remissio. At ab his fugere, eosq́ ueluti seductores modis omnibus cauere præcipit. Eadem ueritas euangelica docet fideles solo sanguine filij Dei mundari. Indulgentiæ illorum promittunt hominibus emundationẽ per sanguinem S. Petri & Pauli beatorumq́ martyrũ. Sunt ergo prophanatio sanguinis filij Dei. Sancti lauant stolas suas in sanguine agni, nõ in bulla uel arca indulgentiaria, non in sanguine martyrum. Imò negat ipse Paulus, nec se, nec Petrum, nec ullũ alium sanctorũ pro ecclesia dei crucifixũ. Indulgentiæ uerò ita proponũtur nobis, ut uideatur Deus nobis propter sanguinem martyrũ placatus esse. Pugnant ergo indulgẽtiæ cum scriptura apostolica. Monui autẽ in sermone de Bonis operibus, in his Pauli uerbis, Suppleo in corpore meo, ea quæ supersunt passionibus Christi, pro corpore eius, quod est ecclesia, supplementũ illud non referri ad opus expiationis Christi, quod consummatũ est, nisi falsum testificatus sit ultimum exhalans spiritũ, dicens, Consummatum est, sed ad eas afflictiones quibus Christi membra, id est, fideles, exercentur cruce, quoad uiuunt in hac carne. Certè dominus afflictiones illatas fidelibus habet pro suis. Dixit enim Paulo, Saule Saule, quid me persequeris? Præterea cum dicit, Pro ecclesia nõ intelligit pro expiatione ecclesiæ, sed pro ædificatione atq́ profectu. Et graues à Iudæis persecutiones sustinuit Paulus, quòd Gẽtibus prædicaret euangelium. Sed & exemplũ rarissimæ patientiæ in ipso ecclesiæ exhiberi oportuit. Quid quod iam dudum ab alijs obiecta est Indulgentiarum assertoribus pia hæc beati Leonis Papæ sententia ex Epist. 81? Quamuis multorũ sanctorum in conspectu domini mors pretiosa fuerit, nullius tamen sontis occisio propitiatio fuit mundi. Item, Accepere iusti, non dederunt coronas: & de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiæ, nõ dona iustitiæ. Singulares quippe eorum mortes fuere: nec alterius quispiam debitum suo fine persoluit, cum unus extiterit Dominus Christus, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, sepulti, suscitati. Hæc ille. Diuino ergo & humano testimonio euicimus euidentissimè, indulgentias collatas peccatoribus ex merito uel thesauro sanguinis martyrũ, meras esse in Deum blasphemias & apertas in beatos martyres iniurias.

Coloss. 1.

Sanctorũ martyrũ paßio non est nostra redemptio.

Dixi hactenus de Indulgentijs gratis quondam collatis à pontificibus, quamuis hæ sint hodie raræ & prætenues: dicã modò paucula de Indulgentijs quas longè maiore parte diuendunt. Vendere indulgentias nephariũ est in ecclesia dei facinus, quo non multa inuenias atrociora. Atqui hoc uulgare est, & fuit iam annis multis Romanis Pontificibus & ipsorum nuncijs, quos appellarunt Apostolicos. Nec habent ex scripturis sanctis uerbum quod prætexant facinori nephandissimo. Et ut iam nõ commemorem quòd Indulgentiæ nihil sunt nisi nomen sine re, quodq́ eo nomine fœdè imponitur miseris mortalibus: certè Christus summus & unicus ecclesiæ suæ catholicæ sanctæq́ pontifex, in diebus carnis suæ, uendẽtes & ementes flagello, ceu impudentes è templo dei canes, exturbauit. Idq́ fecit bis. Semel in principio concionis uel prædicationis suæ: iterum autem sub finem ferè. Principiò hæc addidit uerba, Auferte ista hinc, nec facite domum patris mei, domum mercatus. Posterius adiecit hæc, Scriptũ est, Domus mea domus orationis uocabitur: at uos fecistis illã speluncam latronũ. Iam uerò Simon magus in Actis apost. uidens quòd per impositionẽ manuum Apostolorum daretur spiritus sanctus, obtulit eis pecunias, dicens, Date & mihi potestatẽ istam, ut cuicunq́ imposuero manus, accipiat spiritum sanctum. Audi uerò quomodo hanc petitionẽ ab ipso exceperit Petrus, Pecunia tua, inquit, tecum sit in perditionem: quoniam

Nundinatio fœda.

donum Dei existimasti pecunijs parari. Non est tibi pars neq; sors in ratione hac, Cor enim tuum non est rectum coram deo. En dona Dei non parantur pecunijs. En cor eorum non est rectum, qui negotiationẽ exercent in rebus religionis. En non habent sortem ullam in regni cœlorum hæreditate, uel in euangelica ratione. Quid ergo iam dicemus de Indulgentijs, quas redemptũ uenales exponunt nuncij apostolici? Quid dicemus de ipsis nuncijs, & nuncios mittente Papa? Socios uidelicet esse Simonis, non Petri, sed magi. Petrus enim, ex iusta dei sententia, talibus maledixit. Pecunia, inquit, uestra uobiscum sit in perditionem. Grauissimũ & horrendum, sed iustissimum est hoc Dei iudicium. Idem Apostolus Petrus præuidens tales in Ecclesia aliquãdo futuros mercatores, in epist. sua posteriore. Fuerunt, inquit, & pseudoprophetæ in populo, quemadmodum & inter uos erunt falsi doctores, qui clam inducent sectas perniciosas, etiam dominum qui illos mercatus est, abnegantes, accersentes sibi celerem interitum, & plerique sequentur illorum exitia, per quos uia ueritatis blasphemabitur: & per auaritiam factitijs sermonibus de uobis negotiabuntur. Quid enim est factitijs sermonibus per auaritiam negotiari, lucrumq; facere ex misera plebecula, si hoc non est, quod aiunt isti se plenariam peccatorum remissionẽ conferre confessis & contritis? Si enim quis agnoscat peccata sua & uera fide conuertatur ad deum per Christum, etiam sine istorum indulgentijs consequitur plenariam peccatorum condonationẽ. Fucum ergo faciunt simplicibus uersutissimi, & pro pecunia diuendunt quod nunquam habuerunt, neq; ulla pecunia unquam comparari potest. Et hæc de Indulgentijs illis hucusque. De quibus alij disputarunt copiosius. Ego ex paucis illis arbitror quemuis nullo negotio intellecturum quid de eis iudicet.

2 Pet. 2.

Enauigauimus tandem ex cautibus illis scopulisq;, quos eam ob caussam accessimus, ut omnia perlustrantes loca periculosiora, admoneremus imperitiores ne impingant alicubi, faciantq; naufragium, existimantes in illis esse neruos pœnitentiæ ueros, in quibus plurimum est diuinæ offensionis. Relictis ergo illis, redimus ad illustrandum postremum pœnitentiæ membrum, quo cõmemorauimus pœnitentes ueterem hominem mortificare, spiritualiter autẽ innouari. Ante omnia ergo dicendum esse uidetur, quis sit uetus homo, quis homo nouus uel regenitus, quæ sint hominis uires. Deinceps enim rectius intelligemus quid sit mortificare ueterem hominem, quid renouari spiritu. Veterem hominem totum hoc esse dicimus, quod habemus ex natura, uel ab ipso primo parente nostro, non corpus duntaxat intelligentes, uel carnem corporis crassiorem partẽ, sed ipsam animam, cum suis uiribus, potentijs uel facultatibus. Ergo dum alicubi in sacris literis Caro ponitur pro homine, non intelligere licet tantum corporis partem crassiorem, sed iunctam simul cum anima, eiusq; facultatibus, hoc est, totum nondum regeneratum hominem. Dominus enim in euangelio, Quod natum est, inquit, ex carne caro est: & quod nascitur ex spiritu spiritus est. Atq; hæc quidem profert de hominis renascentia, quæ non fit secundum carnem (uti falsò imaginabatur Nicodemus) sed secundum spiritum. Caro ergo comprehendit naturales animæ uires siue potentias, adeoq; totum illud quod ab Adamo parente omnium nostrum habemus. Nouus homo dicitur regeneratus per spiritum dei in Christo, uel reformatus ad imaginẽ Christi, cum omnibus spiritus diuini donis & uirtutibus. Alicubi & ferè in antithesi significatur idem per uocabulum Spiritus. Atq; hic locus requirit dissertationem de Viribus hominis. De quibus etiamsi disputarim nonnihil in Sermone de Libertate & Seruitute, item de Peccato, proferam tamen hic quæ præsenti caussæ putauero sufficere.

Vetus & nouus homo.

Caro.

Ioan 3

Sunt duæ animæ nostræ partes, uel facultates, Intellectus & Voluntas. Intellectus discernit inter obiecta, quid recipiendum, quidue repellendum sit: & est quasi animæ lumen & dux. Voluntas eligit. Habet enim uelle & nolle: quæ rursus ab alijs impelluntur facultatibus uel uiribus. Porrò intellectus duplex est. Vel enim intelligimus terrena uel cœlestia. Terrena uoco quæ non ad futuram, sed præsentem uitam pertinent: quo referimus artes liberales & mechanicas, politiam & œconomiam. Per res cœlestes intelligo ipsum Deum, felicitatem & uitam æternã, Dei cognitionem & omnis generis uirtutes, fidem, spem, dilectionem, iustitiam, sanctimoniam, innocentiam. Iam uideamus quid possit intellectus hominis. Rerum terrenarum iudicium uel intelligentia non omnino nulla est in homine, sed ea tamen ualde imbecillis ac infirmata. Quæ ergo est in homine, à Deo est: quòd imbecillis est, ex hominum uitio & corruptione est. Auget autem dona sua hominibus beneficus Dominus, quo fit ut admiranda efficiat hominis ingenium. Ob quam rem legimus in sacris literis & artes & ingenia hominum subijci Deo. In rebus autem cœlestibus cognoscendis prorsus caligat per se humanum ingenium, acutissimum quidem à Deo conditum ab initio, sed parentis nostri culpa prorsus uitiatum. Ideò enim dixit in Euangelio Christus, Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Est scriptum in prophetis, Erũt omnes docti à Deo. Et Paulus, Animalis homo, ait, nõ accipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia siquidem illi sunt: nec potest cognoscere, quòd spiritualiter dijudicantur. Animalis, id est, uetus ille homo nondum spiritu Dei regenitus, non est truncus carens omni sensu. Nam si omni careret rationis discursu, quomodo stultitia uideretur doctrina Euangelica? Audit ergo & intelligit ex dono Dei uerba & sensum scripturæ diuinæ: sed propter corruptionem non afficitur ijs, non rectè iudicat de ijs, stultitia ipsi uidentur: necdum percipit illa spiritualiter dijudicari oportere, quia nondum regenitus est, spirituq́ Dei uero lumine adhuc destituitur. Alibi idem Apostolus, Non idonei sumus, ait, ex nobis ipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipsis, sed omnis idoneitas nostra ex Deo est. Ideoq́ tam frequens est in scripturis mentio illuminationis: id quod sine caussa fieret, si per se lucidus & non tenebris obscuratus esset hominis intellectus. Proinde congenita est omnibus hominibus cæcitas cordis, uel mentis, dubitatio in promissis Dei, incredulitas & peruersissimum in omnibus cœlestibus rebus iudicium. Licet enim intellectũ acceperit homo à Deo, propter corruptionem tamen ignorantia hominis peculiare ac proprium est. In suo enim regno uersatur cùm cæcutit, errat, dubitat, nec credit, nec donis à Deo concessis bene, hoc est, ad salutem suam & gloriam Dei utitur.

De uiribus hominis. *Intellectus.* 1 Corin. 2. 2 Corin. 3.

Videamus iam quid possit Veteris hominis uoluntas. Ea cùm sequatur ducem cæcum, hoc est, intellectum corruptissimum, nemini obscurum est quid eligat, aut quo perueniat. Et ut maximè uerum & bonum intelligat, attamen uoluntas nauiculæ instar, ui procellarum, id est affectuum, agitatur. Raptatur enim sursum & deorsum, spe, metu, libidine, dolore, indignatione, ut non nisi pessima quæque & deligat & sectetur. De se enim ipso S. Apostolus loquẽs, Noui, inquit, quòd non habitet in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam uelle adest mihi, at ut faciam bonum non reperio. Non enim quod uolo, facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Si uerò hæc de seipso iam utiq́ regenito prędicat Apostolus Paulus, quid obsecro dicemus de Volũtate ueteris hominis? Vult is omnia quæ Deus nõ uult, perq́ omnia scelerum genera grassans, fœdam suam explet libidinem: hoc est, prębet membra sua serua immunditiæ & iniquitati, ad aliam atq́ aliam iniquitatẽ. Exempla plurima exhibent nobis cùm sacræ literæ, tum experientia quotidiana.

Voluntas. Rom. 7.

De Nouo homine & regeneratione.

Opponamus his modò nouum hominem. Hic est spiritu Dei per fidem Iesu Christi regeneratus. Est autem regeneratio, innouatio hominis, qua per spiritum sanctum in fide Iesu Christi, qui fueramus filij Adæ & iræ, renascimur filij Dei, & proinde deponimus in diem ueterem hominem, nouumque induimus, qui intellectu & uoluntate Deo liberè seruit. Regeneratio hæc animi non corporis renouatio est: quemadmodum alibi audiuimus ex 3. cap. Ioannis. Author regenerationis est spiritus sanctus cœlitus homini donatus: Homini autem fideli. Datur enim donum spiritus sancti propter Christum, & credentibus in Christum. Hic Dei spiritus testatur unà cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei, & idcirco hæredes. Sumus ergo noua creatura, reparati iam ad imaginem Dei, præditi nouo ingenio: quo fit ut in diem ueterem illum hominem deponamus, nouum uerò induamus: quod fit dum ambulamus, non pro ingenio carnali in concupiscentijs carnis, sed in nouitate sensus pro ingenio sancti spiritus, per quem sumus regeniti. Manet eadem quidem in nobis corporis substantia & forma, animus mutatur, innouatur intellectus & uoluntas. Nam per spiritum Dei illuminatur intellectus, confertur fides simul & cognitio uera Dei, omniumque rerum cœlestium, pelluntur autem incredulitas, ignorantia, hoc est, tenebræ ueteris hominis, iuxta illud Apostoli, Per Christum estis in omnibus ditati, in omni sermone & cognitione. Item, Nos non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ à Christo donata sunt nobis. Et iterum, Nos mentem Christi tenemus. Rursus, Non necesse habetis ut quisquam doceat uos: sed sicut ipsa unctio docet uos de omnibus & uerax est, manete in ea. In hac hominis regeneratione accipit & uoluntas uirtutem cœlestem efficiendi bonum quod intellexit per spiritum sanctum, ut uelit & eligat operetur que bonum quod Deus ostendit: nolit, odiat & repellat malum, quod Deus prohibuit. Paulus enim, Noui humiliari, ait, noui & excellere, Omnia possum per Christum, qui me corroborat. Et iterum ad Phil. Vobis donatum est, ait, pro Christo non solùm ut in eum credatis, uerùm etiam ut pro illo patiamini. Rursus & multò clarius, Deus est is qui agit in uobis, & ut uelitis & ut efficiatis, pro bono animi proposito. Cæterum quod faciunt spiritu Dei renati, liberè non coactè, non inuitè faciunt. Nam sicut hilarem datorem requirit Deus: ita ubi spiritus Domini est, ibi libertas est. Et Zacharias pater diui Baptistæ, Vt sine timore, inquit, de manu inimicorum liberati seruiremus ipsi, in sanctitate & iustitia coram ipso, cunctis diebus uitæ nostræ. Quin ipse in Euangelio Dominus noster dicit, Si manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei estis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas liberos reddet uos. Item, Si uos filius liberauerit, uel liberos reddiderit, uerè liberi eritis. De hac filiorum Dei libertate disserui Sermo. 9. Decad. 3.

Quæ & qualis sit in homine libertas.

Hanc libertatem filiorum Dei libenter agnoscimus: superbas quorundam disputationes de libero arbitrio, quasi rerum cœlestium aliquid ex nobisipsis possimus, non agnoscimus. Interim hominem non subijcimus fatali necessitati, neque culpam mali retorquemus in Deum. Sicuti alicubi declarauimus copiosius. Et S. Augustinus in certamine contra Pelagianos disputationem suam sic temperauit, ut gratiæ diuinæ bonum tribuerit, malum uerò nostræ naturæ: adeò ut liberum arbitrium, quod nobis (sensu non abrupto, sed expenso & sano) concedit, gratiæ in nobis operanti, imò regenerationi spiritus magis, quàm nobisipsis tribuerit. Proferam ac recitabo hic C. V. unicum modò ex libris eius testimonium. Id est tale, De Correptione & gratia cap. 1. dicit, Liberum arbitrium & ad malum & ad bonum faciendum, confitendum est nos habere: sed in malo faciendo liber est quisque iustitiæ seruusque peccati: in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab

eo qui dixit, Si uos filius liberauerit, tunc uerè liberi eritis. Nec ita ut cùm quisque fuerit à peccati damnatione liberatus, iam non indigeat sui liberatoris auxilio: sed ita potius ut ab illo audiens, Sine me nihil potestis facere, dicat ei & ipse, Adiutor meus esto: ne derelinquas me. Hanc FIDEM quæ sine dubio VERA & prophetica & Apostolica fides est, etiã in fratre nostro Floro inuenisse me gaudeo. Intelligenda est enim gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrũ: qua sola homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus siue cogitando, siue uolendo & amando, siue agendo faciunt bonum. Non solum ut monstrante ipsa quid faciendum sit sciant: uerumetiam ut præstante ipsa, faciant cum dilectione quod sciunt. Et quæ sequũtur. Hactenus enim recitauimus S. Augustini sententiam de Libero hominis arbitrio, de quo hæc obiter dixisse satis est: redeo iam ad institutũ nostrũ. Joan. 8. Joan. 15.

Audiuimus quis sit uetus homo, quis nouus, & quomodo renouamur per spiritum: iam ergo cùm dicimus pœnitentes ueterem hominem mortificare, & spiritu uel spiritualiter innouari, nihil aliud dicimus quàm pœnitentes omnes, affectus, sensus uel cupiditates carnis, ipsum, inquam intellectum quem habemus ex ueteri Adamo, unà cum uoluntate, non tantùm suspectum habere impietatis, sed conuictum quoq; ideoq; in gerendis rebus, in omnibus cogitationibus, dictis & factis, nusquam admittere in consilium, sed oppugnare & iugulare studio perpetuo: è diuerso omnibus consilijs, dictis & factis nostris adhibere uel admittere, precibusq; uocare magistrum illum cœlestem Christi spiritum, cuius magisterio & ductu, sentiamus, iudicemus, loquamur, operemur, id est, uel omittamus uel faciamus, quod in archetypo nostro, ad cuius imaginem reformari oportet, didicimus, ut porrò studeamus sanctimoniæ, iustitiæ, beneficentiæq;. Sed hoc totum intelligemus adhuc rectius & clarius ex uerbis Apostoli dicentis, Hoc dico & testor per Dominum, ne posthac ambuletis, quemadmodũ & reliquæ gentes ambulant in uanitate mentis suę, dum mentem habent obtenebratam, abalienati à uita Dei, propter ignorantiam quæ est in illis, & excæcationem cordis eorum, qui posteaquàm peruenerũt eò ut dolere desierint, semetipsos dediderunt lasciuiæ, ad patrandum immundiciam omnem cum auiditate. Vos autem non sic didicistis Christum, siquidem illũ audistis, & in eo docti fuistis, quemadmodum est ueritas in Iesu, deponere iuxta priorem conuersationem ueterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiscentias erroris: renouari uerò spiritu mentis uestræ, & induere nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est per iustitiam & sanctitatem ueritatis. Et reliqua quæ leguntur ad Ephes. 4. cap. Idem Apostolus ad Colos. 3. cap. Mortificate, inquit, membra uestra terrestria, stuprum, immunditiam, mollitiem, concupiscentiam malam & auaritiam, quæ est idololatria, ob quæ uenire solet ira Dei in filios intractabiles: inter quos ambulabatis quondam cùm uiueretis in his. Nunc autem deponite & uos omnia, iram, indignationem, malitiam, maledicentiam, turpiloquentiam ab ore uestro: ne mentiamini alij aduersus alios, posteaquàm exuistis ueterem hominem cum factis suis, & induistis nouum, qui renouatur ad agnitionem & imaginem eius qui condidit illum. Sitis igitur induti tanquam electi Dei, sancti ac dilecti uiscera miserationum, comitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem, sufferentes uos inuicem, & condonantes uobis mutuò, si quis aduersus aliquem habuerit querelam. Et reliqua. Quibus si adijcias eiusdem Apostoli disputata de eadem caussa in 6. cap. ad Romanos, uiuidiora erunt singula.

Quomodo mortificetur homo uetus, reparetur'q; spiritu.

Hæc uerò Apostoli uerba erudiunt nos non tantùm quis sit homo uetus, quis nouus, quid sit mortificare ueterem hominem, & quomodo pœnitentes reparentur nouitate spiritus seu mentis: sed etiam qui nam sint digni pœnitentia fructus,

De dignis pœnitentiæ fructibus.

nimirum recitatæ uirtutes illæ, uel officia illa uitæ erga Deum & erga proximum. Debemus Deo timorem siue reuerentiam, humiliationem, agnitionem nostri, fidem, spem, odium peccati & iustitiæ studium, proximo charitatem seu beneficentiam innocentiamq́. Huiusmodi fructus à gente Iudaica postulauit beatus Ioannes Baptista, cùm dixit, Facite fructus qui pœnitentiam deceant. Nam apud Lucam rogatus à plebe, à publicanis, & à satellitibus uel stipendiarijs, præsidiarijsue militibus, quid ipsi pœnitentia dignum faciant, non aliud quàm quod modò diximus præscribit. Nam Dominus ipse per Isaiam in 5. capite, non alios commemorauit fructus. Et in reuelatione sua S. Ioanni facta, Memor esto (loquitur autem ministro ecclesiæ Ephesinæ) unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Cum quibus congruunt hæc Pauli Apostoli uerba coram Agrippa dicentis, Prædicaui Iudæis & gentibus, adhortans ut pœnitentiam agerent & conuerterentur ad Deum, opera facientes digna ijs qui resipuissent. Ac idem in 2. ad Corinth. 7. cap. Tristitia, inquit, quæ secundum Deum est, pœnitentiam ad salutem non pœnitendam efficit. Ecce enim hoc ipsum quod secundum Deum contristati estis, quantum produxit uobis studium? Imò defensionem, imò indignationem, imò timorem, imò desiderium, imò zelum, imò uindictam? Est autem studium diligentia accuratissima corrigendi quod peccatum est. Certè ex incuria & socordia exoritur peccandi assuetudo & securitas. Defendunt pœnitentes non sua peccata, sed Apologia utuntur erga Deum deprecatiua. Hypocritæ se excusant & tergiuersantur, neque peccata ingenuè agnoscentes, nec culpam deprecantes. Quem uerè pœnitet, excandescit in semetipsum propter conscelerátos mores uitámque turpiter transactam. Vindicta quam in se exercet affligendo semetipsum, præuertit imminentem Dei iram. Porrò timore cauet sibi ne peccet in posterum. Nam contemptus numinis, est origo omnium scelerum, & uinculum uitæ impœnitentis. Dei quoque cœlestiúmque rerum desiderio rapitur qui uerè pœnitet: inardescit zelo, quo fit ut nec cunctetur, nec frigidè aut segniter agat, quod agendum sibi ex uerbo Dei didicit. Breuiter quod agit, ex animo intimisq́ uisceribus agit. Sic enim dicit magnus Dei propheta Moses, Si conuersus fueris ad Dominum Deum tuum, & uoci eius obedieris toto corde tuo & tota anima tua: conuertet quoque Dominus Deus tuus captiuitatem tuam, & intimis uisceribus miserationis afficietur erga te. Hæc de pœnitentiæ fructibus.

Pœnitentia totius uitæ & omnium temporum opus est.

Ex illis omnibus hoc quoque colligimus, pœnitentiam (cuius unicus scopus est, imaginis Dei, olim per Adamum defœdatæ, noua per spiritum Christi reparatio in nobis) non paucorum dierum aut certi temporis opus esse, sed totius uitæ nostræ custodiam perpetuam, adeoq́ innouationem quotidianam. Nam regenerati sancto Dei spiritu, nunquã sic purgantur, ut nihil carnis uel peccati affectuúmque sentiant. Semper obuersatur oculis sanctorum hæc nunquam expectoranda beatissimi Pauli sententia, Noui quòd non habitet in me, hoc est, in carne mea bonum. Nam uelle adest mihi, at ut faciam bonum non reperio. Non enim quod uolo facio bonum, sed quod nolo malũ, hoc ago. Circumferimus enim reliquias carnis per omnem uitam. Vnde est in sanctis bellum perpetuũ, infensissimumq́. Partim enim obtemperant spiritui, partim labefactantur à carne. Spiritu eriguntur sursum in contemplationem & desiderium rerum cœlestium. Carne uerò deprimuntur in terrena, solicitanturq́ illecebris huius seculi. Ideò enim Apostolus dixit, Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuò aduersantur, ut non quæcunq́ uolueritis faciatis. Nam & alibi, Idem ego mente quidem, inquit, seruio legi Dei, carne uerò legi peccati. Equidem accedunt his

his artes, doli, & incessabiles mille artificis satanæ tentationes. Labor itaque & periculum uerè pœnitentis, hoc est, Christiani hominis, sic increscit, ut oratio nostra uix consequatur.

Quis autem non uideat hîc quanta opus sit pœnitentibus uigilantia, abstinentia, assiduitate, fortitudine & patientia? Quantis sit opus precibus, & his quidem ardentissimis & perpetuis? Proponamus nobis in hac difficili pugna strenuissimi pugilis institutionem S. Pauli Apostoli. Nam hæc esse poterit uice prolixissimi commentarij. Etenim abundè quomodo nos geramus in pugna, & quomodo uincamus, imò & triumphemus, docebit. Sic dicit ad Ephesios, Sitis fortes per Dominum fratres, perque potentiam roboris illius. Induite totam armaturam Dei, ut possitis stare aduersus assultus diaboli. Quoniam non est nobis lucta (duntaxat) aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales astutias in cœlestibus. Quapropter assumite uniuersam armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & omnibus peractis stare. State igitur succincti lumbos ueritate, induti thoracem iustitię, calceati pedes præparatione Euangelij pacis, in omnibus, assumpto scuto fidei: quo possitis omnia tela maligni ignita extinguere: & galeam salutis accipite, & gladium spiritus, qui est uerbum Dei. Per omnem precationem & orationem omni tempore precantes in spiritu, & in hoc ipsum uigilantes cum omni assiduitate. Et reliqua Ephes. 6.

Quæ necessaria pœnitentibus.

Eph. 6.

Veniunt ergo hîc quoque commemoranda externa pœnitentiæ exercitia siue ritus pœnitentiales, quibus sese exercent sancti in domanda uel humilianda carne, deinde ad testificandum ecclesiæ pœnitentiam. Hi sunt squalor, lachrymæ, gemitus, saccus, ieiunium, clamor, deploratio, neglectus & odium splendoris, apparatus, & etiam concessæ uoluptatis: quæ etsi fiant, non tamen ex animo & ex uera fide fiant, prorsus nihil prosunt. Verùm præstat hæc discere & quasi in tabula depicta contueri in uerbo Dei syncero. Sic dicit Ioel propheta, Couertimini ad me, inquit Dominus, in toto corde uestro, ieiunio, fletu & lamento: & scindite cor uestrum, & non uestimenta uestra. Conuertimini aũt ad Dominum Deum uestrum: quia beneficus est, propensus ad misericordiam, longanimis & multæ bonitatis, & qui pœnitentia ducitur super malo. Quis scit si conuertatur ac pœniteat, & relinquat post se benedictionem? Clangite tuba in Zion, sanctificate ieiunium, indicite cœtum, congregate populum, sanctificate cœtum, congregate senes, colligite puerulos & lactentes ubera. Egrediatur sponsus de cubiculo suo, & sponsa de uelo suo. Inter uestibulum & altare plorent sacerdotes ministri Domini, dicéntque: Parce Domine populo tuo, & ne permittas ut hæreditas tua probrum fiat, aut ut eis imperitent gentes. Cur diceret in populis, Vbi est Deus eorum? Hisce diuinis, & clarissimis præceptionibus adijciemus modò egregiũ ex ijsdem scripturis Niniuitarum uerè pœnitentium exemplum. De ijs sic reliquit scriptum beatus propheta Ionas, Crediderunt Niniuitæ Deo, & ieiunio indicto à magno ad paruum usque saccos induerunt. Peruenit ea res ad regem Niniuiticum, qui de solio suo consurgens paludamento suo à se posito, saccum induit & in puluere sedit. Ad hæc in tota urbe ex mandato regis publico edicto proclamatum est, Neque homo neque iumenta neque greges quicquam gustent, neque pascantur neque bibant: quin saccis operiantur & homines & iumenta strenueque clament ad Deum. Conuertatur denique quisque à uia sua mala, & à uiolentia & iniuria quæ est in manibus eorum. Quis scit an conuertatur Deus & pœniteat auersus à furore iræ suæ, ut non pereamus? Cæterum præstat audire quam efficax sit uera pœnitentia. Sequitur ergo in-

Externa pœnitentium exercitia, & ritus.

Ioel 2.

Ion. 3.

Iona. Vidit itaque Deus opera eorū, quòd à uijs suis malis auersi essent, & ipse quoque ductus est pœnitentia super malo quod eis inferre decreuerat. Non enim intulit.

Priuata & publica pœnitentia. Obseruandum est hîc quoque C.V. duplicem esse pœnitentiam, nempe Priuatam uel occultam, & Publicam uel solennem. Priuatam quisque apud semetipsum in occulto agit, quoties cōtra Deum peccauit, sed in se interim descēdit, lumineque uerbi Dei omnes pectoris sui recessus perlustrat, ac Deo confitetur peccata, hunc offensum esse dolet, ad hunc conuertitur, hunc sibi in Christo placatum credit, propter hunc odit peccatum, & studet iustitiæ & innocentiæ. Publica uel solennis locū habet in magnis calamitatibus, in fame, lue, uel bello: ac de hac in primis intelligenda sunt uerba Ioelis prophetæ. Habet tamen priuata pœnitentia multa cōmunia cum solenni. Petrus enim amarè flet: ieiunant priuatim pœnitentes, & abstinentes seueriter ab omnibus concessis uoluptatibus nedum ab illecebris carnis ac mundi. Cæterum oderunt in primis fucum, hypocrisim & ostentationē uanam, quoscunque uel priuatim, uel publicè pœnitet. *Spontanea non extorta sit pœnitentia.* Est præterea libera utraque & sponte quidem suscepta, non extorta uel uiolenta, sed alacri ultroneoque profecta spiritu. Vrget quidem seueriter doctor ueritatis pastorque ecclesiasticus omnes peccatores ut incunctanter ueram agant super peccatis suis pœnitentiam, sed nemini tamē lege lata imponit certam formulam præscribentem tempus, modum, locum, numerum, sed cuique libera hæc relinquit, modò secundū præscriptū scripturæ quisque quod decet faciat. Publica uerò pœnitētia ferè indici solet & recipi ab ecclesia, cùm pietas poscit ipsaque cogit necessitas, ac quid & quomodo agenda sint omnia unà cum uerbo Dei ostendit. *Pœnitētia uera & falsa.* Rursus constat duplicem esse pœnitentiam. Est enim pœnitentia uera, est & pœnitentia falsa. Veram exercet homo regeneratus per spiritum S. in fide Iesu Christi, eaque fuco caret, & habet omnia de quibus hactenus disserui. Exempla ueræ pœnitentiæ plurima suppeditant literæ sanctæ cùm noui tum ueteris Testamenti, quæ & pulcherrimè superiora omnia declarant. Præclara sunt patris nostri Adami & Euæ, Populi Israelitici Exodi 33. item in libris Iudicū, & in libris Reg. Excellunt tamen in his Dauidis 2. Sam. 12. & 1. Par. 21. Manassis item & Iosiæ 2. Reg. 33. & 34. In Euangelio offerunt se exempla Matthæi, Zachæi, Peccatricis, & Petri, ut multa alia taceam. Porrò falsa pœnitentia ficto proficiscitur pectore: & quamuis in speciem uideatur habere uera pœnitentiæ attributa, quia tamen caret conuersione ad Deum & bona in eundem fiducia, insyncera imò falsa est. Iudæ enim Ischariotis pœnitentiam falsam fuisse longè est certissimum: attamen confitebatur peccatum, testimonium præbebat ueritati, denique pretium sanguinis acceptum à sacerdotibus, ijsdem multa cum indignatione doloreque restituit: cæterum quando ad Christum se nō conuertit, omni fiducia in eius coniecta misericordiam, nullo cum fructu pœnitentiam egit. Et nullo quidem cum fructu sese excruciant & pœnitentiam agunt omnes hypocritæ & fide carentes Euangelica.

Felices sunt pœnitentes. Felicissimi autem sunt, qui uerè ex animo & ex fide uera agunt pœnitentiam. Infinita enim bona accipiunt à Deo munificentissimo: qui redit in gratiā cum pœnitentibus, amans iam quos prius propter uitam conscelaratā oderat infensissimè sed iustissimè. Supplicia quoque quæ inferre statuerat, conuertit in munera. Pœnitentes enim bonis omnigenis temporalibus & æternis implet. Intellexit aūt ex alijs Sermonibus C.V. tanta à Deo beneficia nobis conferri, non propter nostra opera pœnitentiæ, sed propter Christum, cui soli fidunt sancti, non operibus pœnitentiæ, licet sanctissimis. Hunc enim quia diligit pater, nosque fide Christo sumus insiti, & nos amat & opera nostra Deo placent, quæ cùm remunerat, gratiam suam in nobis coronat. *Infelices sunt impœnitentes.* Rursus infelicissimos esse necesse est impœnitentes. Audiunt quibus deum

bus Deum delictis & facinoribus offenderunt adque uindictam prouocarunt, sed interim non cogitant quomodo iam iam ad suppliciũ de sontibus sumendũ prodeunti deo occurrant, gratiamque eius impetrent. Quid ergo his restat aliud quàm certissimum & atrocissimum excidium, cùm animæ tum corporis, adde & fortunarum, denique rerum omniũ quas in hoc amarũt seculo. Recordari hic conuenit grauissimæ sententiæ domini Iesu, in hæc uerba in euangelio pronunciatæ, Væ tibi Chorazin, uæ tibi Bethsaida: quoniã si in urbe Tyri aut Sidonis factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in sacco & in cinere pœnituissent. Attamen dico uobis, Tyro, Sidoni & Sodomæ tolerabilius erit in die iudicij quàm uobis. Notissima est omnibus arbor ficus infrugifera, cuius mentio fit in euangelio, quæ iudicio Dei exaruit, nimirum in exemplum & terrorem omnium impœnitentiũ. Quid futurum putamus nostri seculi hominibus, tanta cum audacia pœnitentiam tot annis prædicatam contemnentibus? Sunt alij quidem euangelicæ ueritatis, ut uideri uolunt, studiosi: sunt alij hostes contemptores & persequutores euangelij: inuenias item ingentem turbam Lucianicorũ, Epicureorũ & Atheorum: cumque omnes ex æquo fere pœnitentiam suauiter, imò petulanter irrideant, nõ possumus aliud quàm horrendum dei iudicium contra huiusmodi impœnitentes expectare. Qui sibi consultũ uolunt, mature conuertantur ad dñm, reputentque secum non semel, nec leuiter, quanta sit iactura retinere hæc fluxa huius mundi gaudia, & interim amittere æterna. Mature faciat quisque quod uidet fieri eo melius, quo fit citius. Math. 11 Luc. 13

Nolo tamen quenquam desperare in suis peccatis, modò pœnitentiæ medelã non aspernetur pertinaciter, neque propter facilitatem benignitatemque patris cœlestis, malitiose & per contemptum pœnitentiam differat in finem usque. Si uerò carne mundo & satana præpeditus aliquis, serius mentem pœnitentiæ applicarit, nolo & hunc desperare. Et quoniam dissertationẽ de pœnitentia prolixius, quàm putaram, produxi, ut finem sermoni imponam, recitabo iam epilogi uice aurea plane uerba sancti martyris Christi & episcopi Carthaginensis beati Cypriani, sic contra Demetrianum scribentis, Credite & uiuite, & qui nos ad tempus persequimini, in æternum gaudete nobiscum. Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hic uita aut amittitur, aut tenetur. Hic saluti æternæ cultui dei & fructu fidei prouidetur. Nec quisquã aut peccatis retardetur aut annis, quo minus ueniat ad consequendam salutem. In isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam aditus: & quærentibus atque intelligentibus ueritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu & uitæ temporalis occasu pro delictis roges deum, qui unus & uerus est, cõfessionem & fidem eius agnitionis implores: uenia cõfitenti datur, & credenti indulgentia salutaris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. Hanc gratiam Christus impartit: hoc munus misericordiæ suæ tribuit subigendo mortem tropheo crucis, redimendo credentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominẽ deo patri, uiuificando mortalem regeneratione cœlesti. Hunc si fieri potest sequamur omnes, huius sacramento & signo censeamur. Hic nobis uiam uitæ aperit. Hic ad paradisum reduces facit. Hic ad cœlorum regna perducit. Cum ipso semper uiuemus, & facti per ipsum filij dei, cum ipso semper exultabimus, ipsius cruore reparati. Erimus Christiani cum Christo simul gloriosi, de deo patre beati, de perpetua uoluptate lætantes semper in conspectu dei, & agentes deo gratias semper. Neque enim poterit nisi & lætus semper esse & gratus, qui cum morti fuisset obnoxius, factus est immortalitate securus. Non differatur pœnitentia. Cyprianus Nulla pœnitentia sera.

FINIS.

SERENISSIMO ANGLIAE ET FRANCIAE RGGI, HYBERNIAE DOMI-NO, VVALLIAE ET CORNVBIAE PPINCIPI, CHRI-stianæ fidei defensori, Eduardo eius nominis Sexto, Gratiam & pacem à Deo patre, per dominum nostrum Iesum Christum.



VOD non ita pridem R. T. M. pollicitus sum, in præsentiarum præsto, offerens Sermones Decadis quartæ reliquos octo, quos R. T. M. dedico, vt habeat ex me Decades Sermonum integras duas. Misi mense Martio Sermones XII. Eos per benignè acceptos esse à R. T. M. scribit spectatiss. pietatis & eruditionis vir D. Ioan. Hopperus, vigilantiss. Glocestriæ episcopus, frater & cõpater meus in Christo colendissimus. Qui & cõmendatione R. T. M. erga me beneuolẽtiæ effecit, vt modò maiore fiducia & libertate quàm ante, reliquam hanc operis partẽ, de rebus lõgè maximis & sanctissimis scriptam, submittam. Dedicatione hac mea nihil aliud specto, quàm quod exposui epistola priore, vt iuuem, pro meo mihi dono à domino cõcesso, pietatis Christianæ negotiũ, feliciter iam in inclyto Angliæ regno, R. T. M. auspicijs optimorumq́; principũ consilijs renascens. Gratulantur ob renascentiã illam & R. T. M. & florẽtissimo regno tuo omnes omniũ in toto orbe Christiano nationũ verè Christo credẽtes, orantq́; Christũ dominũ, vt ipse feliciter in eius timore cœpta, ad felicissimũ perducat finem.

An reformare ecclesias uolentibus expectanda sit determinatio Concilij. **Matth. 28.**

Aggressa est sanè R. T. M. opus & ingens & laboribus molestijsq́; refertissimum: sed non deerit interim pijs conatibus, qui dixit: Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus vsq; ad consummationẽ seculi. Obijciũt se nunc quoq;, vt ab ecclesiæ initio semper, sanctissimis & saluberrimis institutis remoræ permultæ & impedimẽta grauia, cœptã interturbare satagentes religionis repurgationẽ, & istud in primis, quod & prudentioribus non paucis in ore est, non ita accelerandũ authoritate priuata, sed omnino expectandã esse generalis Concilij in controuersa religione determinationẽ, absq; cuius iudicio non liceat ne regno quidẽ, nedũ reipublicæ alicui vel tantillũ in semel recepta & hactenus usurpata religione immutare. Cæterum prophetæ & apostoli, nõ ad Concilia seniorũ aut sacerdotum, sed ad verbũ dei nos remittunt, imò legimus apud Ieremiã: Quomodo dicitis, Sapientes sumus, & lex dñi apud nos est? Verè mendaciũ operatus est stilus mẽdax scribarũ. Pudefacti sunt sapientes, expauerũt & capti sunt. Ecce uerbũ dñi proiecerũt, quæ ergo in illis potest esse sapientia? Rursus legimus in euãgelio: Nemo qui manu sua admota aratro respexit à tergo, aptus est regno dei. Proinde suadet prophetica & euãgelica authoritas, semel cœptã cũ timore dei ex verbo dei reformationẽ religionis, iustis absoluere incrementis, nec respectare ad Cõcilia, quæ affectibus hominũ nõ uerbo dei diriguntur.

Ierem. 8. **Lucæ 9.**

Qualia aliquot seculis celebrata Concilia.

Nam quid expectemus ex generaliũ Conciliorum determinationibus, docent nos proxima aliquot seculorũ exẽpla iam inde ab annis quadringentis aut amplius. Caussæ Conciliorũ fuere quidam morbi uel doctrinæ uel docentiũ, aut collapsa disciplina ecclesiastica. Et clamatum est quidem acriter ab optimis religiosissimis quibusq; annis iam quingentis & amplius, irrepsisse in ecclesiam superstitiones, errores, atq; abusus, sal terræ esse infatuatũ, hoc est, ministros ecclesiarũ ignauia, inscitia, & sceleribus cõputruisse, omnemq́; in ecclesia disciplinã cecidisse. Vnus inter multos Bernardus Clareuallensis, huius rei locupletissimus est testis. Ideoq́; celebrata sunt non rarò Concilia sacerdotum, conuocante eos pontifce Rom. operamq́; suam mutuam collocantibus nõ paucis principibus. Verùm quid effectũ, & quæ emendatio doctrinæ, docentiũ & disciplinæ obtenta sit, ipsa loquitur, proh dolor, res. Quò enim crebriora coiere Concilia, tãto magis inualuit superstitio & error in doctrina, abusus in ritibus, superbia, luxus, auaritia, omnisq́; corruptio in docentibus uel sacerdotibus, deniq; fœdissima omnis disciplinæ obliteratio. Præfuerũt enim Cõcilijs isti, quos aut primũ in ordinẽ redigi, aut protinus è sanctorũ cœtu proscribi oportuerat, sed & caussas in Concilijs nõ legitimas neq; legitimè tractauerunt.

tractauerunt. Nam verbum dei nec authoritatẽ nec dignitatem suam apud eos habuit, neq; admiserunt ad caussarum discußionem quos in primis admittere decebat, sed quos ipsi voluerunt, neq; hi dei gloriam & ecclesiæ incolumitatem, sed semetipsos, id est, gloriam & uoluptates mundi quæsiuerunt. Itaq; tot celebratis Concilijs nihil adhuc obtentum videmus emendationis aut reformationis in ecclesia, quin potius errores, abusus, & sacerdotũ regnũ imò tyrannidẽ esse confirmatã & auctam.

Et hodie quid nobis ex Concilio polliceamur, etsi cæcis esse libeat, non tamen palpare manib. non poterimus. Non habebit hodie vllã authoritatem Conciliũ vllum, quod non erit legitimè (vt istis videtur) cõuocatum. Nõ videtur legitimè cõuocatum, nisi quod pontifex Romanus cõuocarit, quodq; more hucusq; cõsueto & legibus receptis fuerit celebratũ, nempe in quo sedeant, vocesq; decisiuas, vt aiunt, habeant soli illi, quibus residendi & sententias in eo dicẽdi permissa potestas est, qui busq; reputabitur infame & cum exhibito pugnare sacramẽto, aliquid vel cogitasse nedum dixisse contra pont. & sedem Romanam, contra decreta patrũ & cõstitutiones Conciliorum. Quid ergo expectes ab huiusmodi Concilio? Id nimirum, quod iã ab annis quadringentis & amplius maximo cum pietatis detrimento miserã dei ecclesiã sensisse diximus, nempe quòd calcata synceriore Christi doctrina, & oppressa disciplina sancta, magis magisq; in diem increscere & cõfirmari cernimus cũ grauißima imò intoleranda tyrãnide sedis seu ecclesiæ Rom. falsam putidamq; doctrinã, abusus fœdißimos, plus quàm nimiã licentiam & sceleratißimã vitam sacerdotum. Enimuero clamãt isti hæreticum esse erroris accusare pontificẽ, qui in scrinio pectoris sui omnẽ cœlestẽ doctrinã habeat reconditã. Clamant isti oẽs sanctiones apostolicæ sedis accipiendas tanq; ipsius diuina voce Petri firmatas. Clamant isti, iniquißimum esse de dogmatis & ritibus receptis à Rom. ecclesia, præsertim autẽ de sacramentis, quæ in nundinationẽ fœdißimã conuerterunt, litẽ mouere, aut illa vocare in dubiũ. Clamant isti, Rom. ecclesiã ius habere iudicãdi de omnibus, nulli autẽ hominũ licere de eius iudicare iudicio. Extant in decretis Canones apertißimi, hæc ad hunc modum proponẽtes & vrgẽtes. Quã verò putabimus admissuros reformationẽ talia mordicus retinẽtes? Mallent profectò totũ interire Christum cum suo euangelio & ecclesia vera Christi sponsa, quàm vel tantillum suis decedere decretis, ritibus, potestatibus, dignitatibus, opib. & voluptatib. Hi profectò nõ venient in Cõciliũ vt iudicentur ab alijs, vt emendent ea quæ ipsorum & conscientia adeoq; totus mundus emendãda esse clamat, sed ut alios iudicare & subiugare, suã illam potentiã retinere, & quicquid ipsorum obstat libidini conculcare, è medio tollere, conabuntur. Nã præcesserunt tonitrua multo cum fragore edita cõtra accusatores seu aduersarios sedis apostolicæ, id est, corruptionis papisticæ, insequuta sunt & fulmina excõmunicationis latæ sententiæ: inuocatũ est iam per annos triginta & amplius brachiũ seculare, & sæuitum est paßim in homines innoxios, non scelera quidẽ patrantes & nequitiã defendentes, sed inuehentes in scelera ac sceleratos, reformationemq; ecclesiæ postulantes: necdum hodie silent edicta crudelißima, sæuitur in diem magis magisq; in nominis Christi cõfessores: præterea, qua sunt impudentia & audacia, nõ dißimulant Conciliũ, si quod institui debeat, ad extirpãdas hæreses fore congregandũ, imò quod semel Tridẽti instituerũt, in hunc finẽ institutũ esse nõ obscurè profitetur. Quæ cũ Sole clarius verißima esse cernãtur, prudẽtißimè imò & religiosißimè feceris ô rex pijßime, si non expectata Concilij generalis determinatione perrexeris ecclesias in regno tuo reformare ad regulã librorũ vtriusq; Testamenti, quos rectè credimus inspiratos à spiritu sancto, ipsißimũ esse verbũ dei.

Quid hodie expẽctent Christiani ex Concilio.

Porrò licere cuilibet ecclesiæ Christianæ, nedum Christiano regno inclyto, incõsulta Romana ecclesia eiusq; membris, religionis negotium per illos deprauatum ex integro ad normam verbi diuini reformare, inde claret, quòd Christiani, regis sui Christi cœtus, ecclesia, vel subditi sunt, cui & obedientiam debent modis omnib. perfectißimam. Præcepit autẽ dominus ecclesiæ suæ reformationem: sanam & euangelicam doctrinam commendauit vnà cum legitimo sacramentorum vsu; idem condemnauit doctrinã falsam, id est, pugnantem cum euangelio, damnauit abusum & prophanationem sacramentorum: præterea verum cultum tradidit, falsum proscripsit: idcirco Christiani legib. & imperijs principis sui obtemperantes omnem superstitionem tollunt, & ueram religionem, ad eũ modũ quem Christus princeps ordinauit, instaurant atq; conseruant. Stultus profectò & amens est,

Licere cuilibet ecclesiæ Christianæ reformare.

Iosias rex.

quisquis negat Christianæ ecclesiæ ius nõ esse errores, vitia, & abusus corrigere. Interim plerisq; oculos suos ita fascinauit Romana tyrannis, vt putarint nihil hic sibi nisi Roma cõcedente licere. Historiæ ecclesiast. cõmemorant diuersis in prouincijs synodos esse celebratas, in quibus tractatum sit de fide & ecclesiarum reformatione, nulla interim mentione habita pontificis Romani. Quid quod in quibusdam synodis, non hæreticis sed orthodoxis catholicisq;, illos inuenias esse excõmunicatos, qui appellassent à suis Ecclesijs Romam? Certè S. Cyprianus scribens Romano episcopo beato Cornelio: Cum statutũ sit, ait, ab omnibus nobis, & æquũ sit pariter & iustum, vt uniuscuiusq; causa illic audiatur vbi crimen est admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit ascripta, quam unusquisq; & gubernet, rationẽ sui actus domino redditurus, oportet vtiq; eos quibus præsumus, non circumcursare, neq; episcoporũ concordiã cohærentẽ sua subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suã vbi & accusatores habere & testes sui criminis possint. Sed omissis humanis testimonijs ad diuina descẽdimus. Sanctissimus rex Iosias te in hac causa, rex pijssime, quid agas & iure quidẽ diuino agas, vnus, docere potest. Intellexit hic ex lectione diligenti libri sacri, & ex cõtemplatione rerum præsentiũ cultusq; diuini qui tunc in vsu erat, grauiter & longissimè à suis maioribus à simplici veritate aberratũ esse, protinus ergo conuocat principes & oẽs ordines regni sui, vnà cũ omnib. sacerdotib. comitia celebraturus sacra. In his nõ diu disputat maiorũ ne exẽpla potius sint sequenda quã præceptio diuina simpliciter recipienda: an scripturæ sacræ magis credendũ an ecclesiæ? an summo pontifici omne sit de religione iudiciũ deferendũ? Nã proposito in mediũ libro legis, scripturæ sacræ sese & oẽs suos subijcit, ex libro legis ipse discit & alios suos omnes discere iubet quid Deo placeat, id nimirũ quod præcipiebatur & discebatur lectione diuinæ legis. Extemplo aũt id ipsum oẽs facere suis exequi iussit, nulla ratiõe habita vetustæ cõsuetudinis, aut ipsius etiã ecclesiæ quæ tũc erat: vniuersos verbo dei subiecit. Quod factũ eius ita laudatur, ut post Dauidẽ oĩb. pferatur regib. Iuda et Israelis.

Non posse fidem nisi ex uerbo Dei reformari.

Rom. 10.

2. Cor. 2.

Non potest autem R. T. M. aliud sequi consilium melius & tutius, cum hoc sit à deo profectum, & caussæ qua de agitur accomodatissimum. Agitur de religionis reformatione & fide Christi vera. Eam scis oriri cælo, nempe doceri verbo Dei & infundi cordibus nostris per spiritum sanctum. Paulus enim: Fides, inquit, ex auditu est, auditus autem per verbum Christi. Proinde vera fides, vt non innititur verbo hominum, ita eodẽ non docetur aut plantatur. Alibi enim rursus dicit Apostolus: Prædicatio mea non erat in persuasorijs humanæ sapientiæ verbis, sed in ostentatione spiritus & potentiæ, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia dei. Proinde meritò repudiamus omnes humanas traditiones, & conuertimur duntaxat ad doctrinam verbi domini, extra quam certissimè iam constat nullam esse veræ fidei doctrinã, nullum veræ fidei fundamentũ.

Scripturæ plenã sufficiunt reformandæ ecclesiæ formam.

Neq; verò vllo modo audiendi sunt, quib. videtur scripturas canonicas nec satis claras nec satis plenas, sufficiẽtes aut instructas esse, quæ iustã possint suppeditare reformationis formã. Blasphemant spiritum dei, impingentes ei obscuritatẽ & imperfectionem, quæ vitia nullus scriptor prophanus æquo fert animo. S. Paulus veritatem vindicans: Omnis scriptura inquit, diuinitus inspirata, vtilis est ad doctrinã, ad redargutionẽ, ad correctionẽ, ad institutionẽ, quæ est in iustitia, ut integer sit dei homo ad omne opus bonũ apparatus. Quid in his oro verbis omittitur, quod modò ad perfectissimã reformationem pertinere videatur? Quid habent obsecro impudentes illi, quod his opponant? Perge, ergo, perge, rex pijssime, imitari reges sanctissimos, & infallibilẽ scripturæ sanctæ regulã, hoc est, perge, nulla hominũ authoritate expectata, ex veracissimo & absolutissimo veritatis diuini verbi organo reformare ecclesias Christi Anglicanas. Dñs Iesus, ecclesiæ suæ caput et princeps, optimus, maximus, seruet & deducat te cultorẽ eius fidelissimũ in veritate sua, in finẽ vsq;, ad gloriã nominis eius, & totius ecclesiæ Christianæ incolumitatẽ. Tiguri, Mense Augusto. Anno domini 1550.

R. T. M.

deditissimus Heinrychus Bullingerus, Tigurinæ Ecclesiæ in Heluetia minister.

DECADIS IIII. SERMONES RELIQVI OCTO: AVTHORE HEINRYCHO BVLLINGERO.

De Deo & eius cognitione uera, modisq; cognoscendi ipsum varijs: Quod vnus sit Deus substantia, personis trinus. SERMO III.

DISPVTAVI hactenus per Sermones XXXII. de Verbo Dei, eiusq; expositione legitima, de Fide Christiana, de Dilectione Dei ac proximi, itẽ de Lege naturæ, humana & diuina, deq; diuinæ legis partibus, nempe de Lege morali, ceremoniali & iudiciali: de Vsu legis, eius impletione & abrogatione, de Similitudine & differentia testamenti, populiq; cùm ueteris tum noui, de Libertate Christiana, de Scandalo, de Bonorum operum ratione ac meritis: de Peccato & peccati speciebus uarijs: item de Gratia Dei, siue euangelio Iesu Christi, in quo nobis pater cœlestis omnia cùm uitæ tum salutis æternæ dedit: denique de Pœnitentia & ijs quæ uidentur pertinere ad pœnitentiam. Et quoniam instituimus de potissimis religionis nostræ capitibus sobriè disputare, præterea in prædisputatis frequentissima incidit mentio Dei, cognitionis eius ac cultus, item Christi Iesu, & Spiritus sancti, rursus spirituum & bonorum & malorum, Ecclesiæ quoq;, Orationis, Sacramentorum & similium rerum sacrarum, absolutis illis, poscit ipsa necessitas ut iam etiam dicamus de his omnibus & singulis ex scripturis sanctis, quod loqui dederit Dominus.

Variæ opiniones de Deo.

De Deo multæ fuerunt quondam opiniones erroneæ, non in uulgo duntaxat, sed & in philosophorum grege & pseudochristianorum cõuenticulis. De illis dicere solebat uetustissimus & eruditissimus scriptor Tertullianus, philosophos hæreticorum esse patriarchas: de his dixit beatus Ioannes Apostolus: Exierũt ex nobis, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Nec uideo quem fructum inde consequamini, si pergam singulorum recensere sententias. Præstat fortè audire qua in re errarint alij, ne in eundem scopulum & ipsi impingamus. Proinde si qui exercitatiores exterorum & hæreticorum sententias de Deo cognoscere uelint, uel ex Plutarchi Placitis phil lib. 1. cap. 7. uel ex alijs gentilibus, aut etiam 1. lib. Cyrilli cõtra Iulianum, denique ex 4. cap. dogmatum uel definitionum ecclesiast. colligant. Nolo in præsenti pias aures & mentes hac molestia onerare. Diuersitas illa opinionum non alio fonte deriuatur, quàm ex audacia & inscitia hominum, quos non pudet suo arbitrio, & ex suo cerebro ea affingere Deo, à quibus omino liberrimus & alienissimus est. Vt iam non commemorem humani ingenij angustiam ac tenebras. Quis uerò essentiam Dei intellectu suo capiat, cum nemo adhuc plenè perspexerit qualis sit anima hominis, qualia multa in corpore hominis, qualis substantia solis & lunæ? Adferuntur quidem multæ rationes physicæ: sed maius & mirabilius perpetuò manet opus Dei, quàm assequatur cerebrum & eloquutio hominis. Nullus ergo hominum certum aliquid de deo habere cupiens, in semetipsum descendat, aut humano innitatur iudicio. Alioqui semper colet figmentũ cordis sui, stultitiam, nugas & deliria. Contra uerò non potest non rectissimè de Deo sentire, iudicare & loqui, qui nihil sibi tribuit, nihil ex suo fingit cerebro, aut confictum ex capite alterius, sibi sequendũ

1. Ioan. 2.

Vnde uarietas opinionum, & unde petenda uera dei cognitio.

deligit, sed in omnibus os Dei obseruat, reuelationemq; Dei sequitur. Proinde ueluti lege certa constitutum sit, non posse deum rectè cognosci nisi ex uerbo Dei: & Deum talem esse credendum uel recipiendum, qualẽ se ipse nobis in uerbo suo reuelat. Nemo certè melius quid & qualis sit Deus dixerit, quàm ipse Deus.

Esse Deum. Hic deus cum in uerbo suo, & per ipsam mundi machinam, per scripturas sacras, & per oracula ex ore patriarcharum, prophetarum & Apostolorum pronunciata, in animis denique seu conscientijs hominum testetur se esse, meritò regius *Psalm. 14.* propheta Dauid cecinit, Dixit insipiens in corde suo nõ est Deus. Amentẽ enim esse necesse est eum, qui negat quod omnibus in mundo non destitutis sana ratione est perspicuum, esse uidelicet deum: cum & Cicero author ethnicus lib. de Natura deorum, inter alia dicat, Omnibus innatum & in animis quasi insculptum esse Deum. Certè qui negant Deum esse, quem negant nihilominus metuunt, metuendo ergo confitentur, ac seipsos ueluti redarguunt mendacij & perfidiæ.

Modum seruandum esse in perquisitione, quid sit Deus. Rursus sciendum est, in quæstione, Quid uel quis sit Deus, licet hæc instituatur ex scripturarum discusione, modum omnino esse seruandum. Etenim curiosius uelle inquirere, scrutari aut inspicere ipsam Dei æternam essentiam, non modò periculosum, sed & modis omnibus est prohibitum. Solomon clamat, Que-*Prouerb. 25.* admodum multum mellis edere nõ est bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Ante colloquium illud singulare & excellentisimũ, quo Deus *Exodi 19.* noster in monte Sina cõgreditur cum uniuerso populo Israelis, audit Moses, Circumscribe terminum populo circum montem dicens, Cauete uobis ne ascendatis in montem, neq; extremitatẽ eius attingatis. Quicunq; montem attigerit, morte moriatur, &c. En capitale erat præscriptos transcendere limites uel terminos. Sunt ergo definita studia nostra. Certè legimus pasim in sacris literis excellentisimos dei amicos trepidasse planè consternatos, quoties ipse deus spectro aliquo se ipsorum oculis sua sponte ingesit. Exempla non est quòd copiosius tractẽ. Nostis quomodo se gesserit Abrahã in colloquio suo cum Deo habito Gene. 18. Quid dixerint parẽtes Gedeonis, in libro Iudicum. Quid Helias 3. Reg. 19. Petrus post *Luce 5.* quã ex miraculosa piscium captura intellexisset Christum amplius quiddam esse quàm hominẽ, exclamauit, Exi à me domine, quia homo peccator sum. Proinde sancti sicubi aliàs in Dei negotijs, hic maximè sunt humiles, modesti & religiosi, intelligentes æternam & immensam potentiam maiestatemq; ineffabilem, nulla posse definitione circumscribi, nullo comprehendi nomine.

Nomen Dei ineffabile. Tertullianus Eleganter, piè & uerè Tertullianus in libro suo de Trinitate, Nomen Dei proprium, inquit, edici non potest, quia concipi non potest. Id enim nomine continetur quicquid etiam ex naturæ suæ conditione comprehenditur. Nomen enim significantia est eius rei, quæ comprehendi potuit ex nomine. At quãdo id de quo agitur tale est, ut condignè nec ipsis intellectibus colligatur, quomodo appellationis dignè uocabulo pronunciabitur? Quod dum extra intellectum est, etiam supra appellationis significantiam sit necesse est: ut meritò quando nomen suum deus ex quibusdam rationibus aut occasionibus aut adijcit & præfert, non tam legitimam proprietatem appellationis sciamus esse depromptam, quàm significantiam quandam constitutam, ad quam dum homines decurrunt, Dei misericordiã per ipsam impetrare posse uideantur. Et idem iterum, De Deo & ijs quæ sunt ipsius & in eo sunt, nec mens hominis quæ sint, quanta sint, & qualia sint, dignè concipere potest: nec eloquentia sermonis humani æquabilem maiestati eius uirtutem sermonis expromit. Ad cogitandam enim & ad eloquẽdam eius maiestatem, & eloquentia omnis meritò muta est, & mens omnis exigua est. Maior est enim

mente

mente ipsa: nec cogitari possit quantus sit: quia si cogitari poterit, mente humana minor sit oportet, qua concipi possit. Maior est quoque omni sermone, nec dici possit. Quia si potuerit edici, humano sermone minor sit oportet, quo cùm dicitur circumiri & colligi posset. Quicquid autem de illo cogitatum fuerit, minus ipso erit: & quicquid enunciatum fuerit, minus illi comparatum circum ipsum erit. Sentire enim illum taciti aliquatenus possumus: ut autem ipse est, sermone explicare non possumus. Siue enim illum dixeris lucem, creaturam ipsius magis, quàm ipsum dixeris, ipsum non expresseris. Siue illum dixeris uirtutem, potentiam ipsius magis, quàm ipsum dixeris & deprompseris. Siue dixeris maiestatem, honorem ipsius magis quàm illum ipsum descripseris. Et quid per singula quaeque percurrens longum facio? Semel totum explicabo. Quicquid omnino de illo retuleris, rem aliquam illius magis, quàm ipsum explicaueris. Quid enim de eo condignè dicas aut sentias, qui omnibus & sermonibus & sensibus maior est? nisi quòd uno modo & hoc ipsum, quomodo possumus, quomodo capimus, quomodo intelligere licet, quid sit Deus mente capiemus, si cogitauerimus id illum esse, quod quale & quantum sit non possit intelligi, nec in ipsam quidem cogitationem possit uenire. Nam si ad solis aspectum oculorum nostrorum acies hebescit, ne orbem ipsum obtutus inspiciat, obuiorum sibi superatus fulgore radiorum: hoc idem mentis acies patitur in cogitatione omni de Deo: & quantò ad considerandum Deum plus intenditur, tanto magis ipsa cogitationis suae luce caecatur. Quid enim de eo (ut iterum repetam) condignè dicas, qui est sublimitate omni sublimior, & altitudine omni altior, & profundo omni profundior, & omni luce lucidior, & omni claritate clarior, omni splendore splendidior, omni robore robustior, omni uirtute uiritior, omni pulchritudine pulchrior, ueritate omni uerior, & fortitudine omni fortior, & maiestate omni maior, & omni potentia potentior, & omnibus diuitijs ditior, omni prudentia prudentior, & omni benignitate benignior, omni bonitate melior, omni iustitia iustior, omni clementia clementior. Munera enim sunt necesse est omnium genera uirtutum eo ipso qui uirtutum omnium & Deus & parens est: ut uerè dici possit id Deus esse quoddam eiusmodi esse cui comparari nihil potest. Super omne est enim quod dici potest. Hactenus Tertulliani uerba recensui.

Quamuis autem haec se omnino sic habeant, nec ulla uel angelorum uel hominum lingua plenè explicauerit quid, quis, uel qualis sit Deus, cum eius maiestas sit immensa & ineffabilis, scriptura tamen, quae uerbum Dei est, attemperans se nostrae imbecillitati, modos, formas uel rationes aliquot nobis suppeditat, per quas saltem in aliquam Dei cognitionem, quae interim nobis sufficiat donec hic in terris uiuimus, inducamur: ita tamen ut cogitemus perpetuò immensum definiri nō posse, sed occasionem duntaxat aliquam praeberi, qua ad maiora per spiritus illuminationem efferamur: semperque in hac disputatione ob oculos nobis praefixum teneamus hoc uerissimum aeterni Dei dictum, ad Mosen prolatum, Non poteris uidere faciem meam. Non enim uidebit me homo & uiuet. Vbi enim hinc migrauerimus exuti mortalitate & infirmitate humana, diuinam uidebimus maiestatem. Nam Ioannes Apostolus dixit, Scimus quoniam si apparuerit, similes ei erimus: quoniam uidebimus eum sicuti est. Cum his meminerimus & uerborum Pauli Apostoli dicentis, Cernimus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Proinde nemo praescriptos terminos transire, aut tempus destinatum praeuertere, & Dei faciem, ipsam inquam Dei essentiam, intueri in hac carne & in hoc seculo uiuens, impia curiositate audaciaque praesumat. Sufficiat cuique illa Dei reuelatio, quam ipse nobis in uerbo suo dignatur aperire, nimirū pro bona

Formae & rationes cognoscendi Dei.

Exodi 33.

1. Ioan. 3.

ſua uoluntate quantum nobis & neceſſarium & utile eſt ſcire. Ac ueram utiq; ſapientiam eſſe dicemus meritò quæ in hac re non uolet plus ſcire aut ſapere, quàm æterna ſapientia ſapere docet.

Nomina Dei.

Prima ratio cognoſcendi Dei petitur ex ipſis Dei nominibus in ſcriptura ipſi attributis. Ea ſunt multa & uaria, quia uirtus, ſapientia inquã, bonitas & iuſtitia, atque poteſtas eius infinita eſt. Recenſebo & explicabo pro mea uirili duntaxat excellentiora maximeq; uulgaria.

Iehouah.

Inter nomina Dei excellit illud maximè quod uocant tetragrammaton, id eſt (ſi quidem ſic loqui licet) quadriliterum: componitur enim ex quatuor ſpiratilibus literis, ac dicitur Iehouah. Deriuatur hoc ab Houah uerbo ſubſtantiuo, cui præponitur Iod, ac fit Iehouah, id eſt, ens ſiue exiſto, qui uidelicet eſt αὐτουσία existentia ex ſemetipſo, uitam & eſſe, non ab alio, ſed ex ſeipſo habens, nullius indigens ut ſit, ſed omnibus eſſe conferens, Deus utiq; æternus, ſine princip[illegible] & fine, in quo uiuimus, mouemur & ſumus. Huc maximè pertinet quod in hæc uerba legimus Exodi 3. cap. Et dixit Moſes ad Deum: Si ueniens ad filios Iſrael (ad quos nunc me mittis) & dixero eis, Deus patrum ueſtrorum miſit me ad uos, ipſiq; interrogauerint me, Quod eſt nomen eius? Quid reſpondebo eis? Et reſpondit Deus Moſi, Sum qui ſum. Vel, Ero qui ero. Et ait, Sic dices filijs Iſrael, Sum, uel, Exiſto, aut Ens, uel, Ero, miſit me ad uos. Id eſt, Deus ſum qui ero, & is miſit me, qui utiq; eſt ens ſiue eſſentia & Deus æternus. Futurum enim tria comprehendit tempora,

Apocal. 1.

Qui eſt, qui fuit, qui erit, miſit me. Certè beatus Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta uidetur reſpexiſſe ad hoc uerbũ Domini, quod & interpretari uoluit, dicens, in perſona Dei, Ego ſum Α & Ω, principium & finis: dicit Dominus, qui eſt, & qui erat, & qui erit ſiue uenturus eſt, omnipotens. Obſeruarunt alij in omnibus ferè linguis, etiam barbaris, nomen Dei eſſe tetragrammaton. Certè de Hebraica non eſt dubium. De Græca, Latina & Germanica non minus certum eſt. Græcè enim Deus dicitur θεός, Latinè Deus, Germanicè Gott. Addunt ex Perſarum lingua Σύρη, ex Ægyptiaca θωὺθ uel θεὺθ, & per contractionem θώθ. Porrò ex quatuor literis myſteria planè mirifica proferunt Cabaliſtæ. De quibus ut alij diligentius ſcripſerunt,

Iah & Hu.

ita ego malo his ſubtilitatibus C. V. non implicari. Huic finitima ſunt & hæc Dei nomina, Iah & Hu. Illud in Pſalmis non ſemel occurrit. Dicit enim Dauid Halleluiah, id eſt, laudate Dominum. Huius meminit idem Dauid, dicens Hu, ipſe inquam Deus omnia eſſentia & creator, dixit & factum eſt: Hu, ipſe præcepit & extitit. Apud Iſaiam dicit, Ego Dominus, Hu eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Deriuantur autem & illa uocabula ab eſſentia, & docent Deum ſemper ſui eſſe ſimilem, eſſentiam ex ſeipſa ab æterno exiſtentem, omnibusq; exiſtentibus eſſe conferentem: utpote per quem, in quo, ad quem, ſunt omnia, cùm ſit ipſe perpetua & perfectiſſima ἐντελέχεια ſeu perfectihabia.

Adonai.

Nomen uerò Dei tetragammaton Iehouah, non ita legunt uel exprimunt Hebræi, ſed pro ipſo reponunt Adonai. Illud enim dicunt eſſe ineffabile. Pro hoc repoſuerunt omnes interpretes uocabulum Domini. Eſt enim Deus Dominus omnium rerum, tam uiſibilium quàm inuiſibilium. Nec eſt alius in toto mundo Dominus, niſi hic unus uel ſolus, cui omnia in mundo ſubiecta ſeruiunt. Nam ipſe merum obtinet imperium, & monarchiam abſolutiſſimam. Hinc Dei uocabulo ad

Dominus Sabaoth uel exercituum.

euidentiam aliquãdo coniungitur uox Sabaoth. Dicitur enim Dominus Sabaoth. Id quod alij exponunt Dominus uirtutum, alij Dominus exercituum. Deus enim cùm ſit omnipotens, uirtute ſeu robore prẽſtat, imò & in exercitu ſuo, quid poſſit & quanta ſit eius uirtus declarat. Cùm enim Deus ſit uniuerſæ creaturæ, & his ut

imperator

imperator aliquis suis militibus utatur, maximaq; & stupenda efficiat, uel per minima, quantus & quanta eius uirtus sit declarat. In exercitu Dei sunt omnes angeli, de quibus dixit Daniel, Millena millia & centena millia ministrabant ei. Ex his unus angelus cæcidit una nocte militum, in castris Assyriorum, sub signis regis potentissimi Senacheribi, centena & octoginta quinque millia. In exercitu Dei sunt omnes stellæ, omnes uenti, omnes impressiones igneæ, aereæ & aqueæ. In exercitu Dei sunt omnes cacodæmones, omnes homines, reges & principes, tota omnium regnorum militia, omnes denique creaturæ, uisibiles & inuisibiles. His omnibus ipse pro suo arbitrio, imò pro bona & iusta sua uoluntate utitur, quando, quantum, & quandiu uult, ad efficiendum eius iudicium & uoluntatem. In puniendo primo seculo usus est aquis, in excindenda Sodoma & uicinis urbibus igni, in perdendis Chananæis & Iudæis hominum uel militum opera. Aliquando additur uocabulo Domini Æleon, & dicitur Dominus æleon, id est, excelsus. Nam Psalmo 113. legimus, Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria eius. Quis sicut Dominus Deus noster, qui ita se sublimat in habitatione? Et Psalmo 97. Excelsior es Domine omnibus quæ sunt in terra, nimis exaltatus es supra omnes Deos. *Daniel. 7.* *Dominus excelsus.*

Rursus nuncupatur Deus El, nimirum à robore. Nam quod uult potest efficere, ideoque dicitur Deus fortis, heros uel gigas. Ieremias enim, Dominus est mecum, inquit, ceu gigas robustus. Isaias dicit, Dominus gigantis instar prodibit, & sicut miles excitabit zelum, clamabit & super hostes suos roborabitur. Huic confine est uocabulum Eloah, cuius plurale est Elohim. Illa appellatio innuit Dei præsentiam, qui nuspiam deest suo opificio, & suis cultoribus. Ieremias clamat, Deum inducens loquentem, An non Deus de propinquo ego, & non Deus de longinquo? Num abscondet se quisquam in latebris, ut eum uidere nequeam, ait Dominus? An nō cœlum & terram ego impleo? Nam prior dixit Dauid, Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumam pennas auroræ & habitem in extrema parte maris, etiam ibi manus tua reget me, & tenebit me dextera tua. Ergo Paulus Apostolus, Non procul abest, inquit ab unoquoque nostrum Deus. Per ipsum enim uiuimus, mouemur & sumus. Ea de caussa Deus fortassis à Græcis appellatus est θεός, nimirum ἀπὸ θεῖν à promptitudine & accurrendo, quòd ipse nunquam desit mortalibus, sed semper & ubique opem ferat. Similiter Plato in Cratylo & eius interpres Proclus, θεὸν, ἀπὸ τοῦ θεῖν, hoc est à currendo deduci arbitrantur: cæterum cursum illum non refert ad præsentiam & auxilium Dei: sed ad aliud. Nam cùm homines uiderent Solem, Lunam, Astra, cœlum ipsum currendo semper circumuolui, deos esse arbitrati sunt. Sunt qui δέος ἀπὸ τοῦ δέους, hoc est, à metu & timore inflexum uelint. Timor enim uel religio credit & suadet esse Deum. Fortè à Græco uocabulo δέος formarunt Latini suum uocabulum Deus. Sed sunt qui putent uocabulum Deus deductum esse à dando, quòd scilicet omnia omnibus det. Ita enim Hebræis Dai (quod mox dicemus) uel schaddai nuncupatur, qui uidelicet sibi sufficit, nulla re indiget, sed omnibus omnia sufficit bona & necessaria. Alij Deum Latinis dictum uolunt, quòd ipsi nihil desit prorsus. *El.* *Ierem. 20.* *Isaiæ 42.* *Eloah.* *Ierem. 23.* *Psalm. 138.* *Actor. 17.* *θεός.* *Deus.*

Porrò pluratiuam uocem Elohim scriptura non tantùm Deo tribuit, sed & angelis & iudicibus, seu primarijs uiris: utpote quibus in officio ab ipso instituto laborantibus præsens adsit, & per ipsos operetur quæ uult, hominibúsque salutaria sunt. Hæc uox coniungitur uerbis singularibus, ut Genes. cap. 1. In principio creauit dij (bara enim creauit singulare est) cœlum & terram. Ea re proponitur nobis *Elohim.*

adorandæ Trinitatis mysterium. Tale enim quiddam dixisse uidetur Moses, In
principio creauit Deus ille trinus cœlum & terram. 2. Samuelis 7. capite, coniun-
gitur plurale cum uerbis pluralis numeri, rursus ad demonstrandam suprabenedi
ctæ trinitatis perspicuam distinctionem.

Schaddai. Porro in fœdere quod pangit Deus cum Abraham patre nostro, iterum aliud
Genes. 17. sibi nomen indit. Nam dicit, Ego Deus Schaddai, id est, sufficiens uel sufficientia.
Deus ergo Schaddai appellatur. Id alij uertunt uastatorem : quasi se iustum appel-
lauerit uindicem & ultorem. Verùm Moses ille Ægyptius, Nomen Schaddai
compositum est, ait, ex uerbo Daij, quod est sufficit, & ex litera ש, quæ idem pol-
let quod ascher, id est, qui, ut Schaddai sit idem, qui sufficit sibi omniúmque suffi-
Saturnus. cientia est. Fortassis Ethnici uocabulum Saturni hinc illis attribuerunt, quos im
piè putauerunt esse deos. Nam ut à die deducitur diurnus, sic à saturando nomen
trahitur Saturnus. Deus ergo est cui nihil deest, qui sibi in omnibus & ad omnia
satis est, qui nullius ope indiget, imò qui solus omnia habet, quæ pertinent ad per-
fectam huius & futuri seculi felicitatem, solusq́ exaturare potest. Hac de causa
Gott. appellant Deum Germani Gott/quasi tu dicas bonum siue optimum maximum,
das höchste oberist gůt. Quia ut plenitudo est omnis boni, ita hominibus omnia
bona liberalissimè impartitur. Germanica uox non multum abludit ab antiquis-
sima Ægyptiorum Dei nuncupatione. Vocant enim Deum θεὺθ uel θαὺθ. Si enim
reponas pro θ ipsum γ, leges γαὺθ. Dominus ipse Exodi 6. capite hæc duo uocabu-
la sua Schaddai & Iehouah, ceu excellentissima, coniungit ac dicit, Ego Iehouah.
Et apparui Abrahæ, Isaac & Iacob in Deo Schaddai : & in nomine meo Ieho-
uah non sum eis notus factus. Non quòd patriarchæ non audiuerint aut sciuerint
Genes. 4. nomen Dei Iehouah. Hoc enim temporibus Seth mox ab exordio mundi cœpit
inuocari. Tale ergo quidpiam uidetur dicere Dominus: Ego me patribus aperui,
ueluti Deum Schaddai, qui in omnibus possim ipsos exaturare bonis, ideóque ter-
ram lacte & melle manantem promisi. Cæterum in nomine meo Iehouah eis non-
dum factus sum notus, id est, nondum præstiti quod promisi. Audiuimus enim Ie-
houah dictum esse ab eo, quod ipse esse facit, ideoq́ & promissionem in opus pro-
ducit : iam ergo opere complebo, inquit, declaraboq́ me non modò Deum esse
Schaddai, sed & Iehouah, essentiam æternam, constantem, ueracem & mei per o-
mnia similem.

Deus Abrahã, Isaac & Iacob. Postremò legimus Exodi 3. Deum dixisse ad Mosen, Sic dices ad filios Israel,
Dominus Deus patrum uestrorum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob mi-
sit me ad uos. Hoc est nomen meum in perpetuum, & hoc memoriale meum in ge-
nerationem & generationem. Proinde aliud iam nomen Dei habemus. Vult enim
appellari Deus Abraham, Isaac & Iacob. Hoc, inquit, memoriale meum erit in ge-
nerationem & generationem, in quo uidelicet refricabo mea beneficia patribus
illis exhibita, ut ex illis posteri me norint, meiq́ meminerint. Quando enim audi-
mus nomina patriarcharum, simul ingerunt se omnia à Deo ipsis collata beneficia
cùm præstantissima tum innumera : quæ non frustra tanta diligentia & sigillatim
exponuntur à Mose per primum librum, quem dicimus Genesim. Vult enim no-
ster Deus esse perinde ut illorum Deus fuit : nisi non illi credamus, sicut ipsi credi-
derunt. Erit enim & nobis credentibus Iehouah & Schaddai, constans & æterna
ueritas, esse & uita, confertissimusq́ omnium bonorum cumulus. Interim non ca-
ret mysterio, quod cùm patrum quoque aliorum Deus fuerit, utpote Adami,
Trinitas. Seth, Enos, inprimis autem Enoch & Noe, ex omnibus tamen delegerit triadem
illam Abrahæ, Isaaci & Iacobi; singulisq́ nominibus suum, id est, Dei nomen

singula-

singulariter præfixit, dicens, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Ita enim manifestè mysterium trinitatis in unitate diuinæ essentiæ docuit, & quod personarum quælibet eiusdem est diuinitatis, gloriæ, & maiestatis, id est, quòd uerus Deus est pater, uerus Deus filius, & uerus Deus spiritus sanctus: & quòd hi tres sunt unus Deus. Dicit enim, Ego sum Deus, &c. De qua re suo dicetur loco. Hæc de nominibus Dei hactenus, ex quibus qualiscunque dei cognitio decerpi potest. Scio Dionysium quendam operosum de diuinis nominibus scripsisse commentarium: uerùm intelligunt, opinor, pij & Apostolicæ doctrinæ studiosi omnes, Apostolorum discipulos res diuinas longè simplicius tractauisse. Scio alios recensere LXXII. Dei nomina ex scripturis & ex Cabalisticis libris, quæ ut alibi commemoraui, sic paulò post ex Exodi 34. cap. potiora ex illis recensebo. *Dionysius de diuinis nominibus.*

Secundò proponitur nobis in uerbo Dei spectandus, contemplandus, siue cognoscendus Deus per uisiones spectraque diuina, ueluti in quadam parabola, dum per prosopographias & prosopopœias aut Icones nobis quasi ob oculos statuitur. Admonemur interim, ne hæreamus in uisibilibus illis, sed eleuemus mentem à uisibilibus ad inuisibilia & spiritualia. Neque enim Deus corporeus est in sua substantia, quòd specie humana nobis exhibetur in uisionibus. Neque quisquam sanctorũ apud ueteres ante natum Christum humana imagine expressit Deum quòd se humana specie uisendum exhibuisset patribus & prophetis. Anthropomorphitarũ delirium est, Deum esse corporeum & instar hominum humana habere membra. Ac ne quis sibi imponat hac in caussa, affingẽs & ipse Deo rem aliquam indignã, antidoti uice recitabo C. V. S. Augustini uerba, quæ is ex scripturarum pura intelligentia aliorumque orthodoxorum doctorum testimonijs ad Fortunatium de Videndo deo contra Anthropomorphitas scripsit. De membris Dei, ait, quæ assiduè scriptura commemorat, ne quisquam secundum carnis huius formam & figuram nos esse crederet similes Deo, propterea & eadem scriptura & alas habere Deum dixit, quas nos utique non habemus. Sicut ergo cùm alas audimus, protectionem intelligimus: sic & cùm audimus manus, operationem intelligere debemus. Et cùm audimus pedes, præsentationem. Et cùm audimus oculos, uisionem qua cognoscit. Et cùm audimus faciem, iustitiam qua innotescit. Et si quid aliud eadem scriptura tale cõmemorat, puto spiritualiter intelligendum. Neque ego hoc tantùm, aut ego prior sic sentio: sed omnes qui qualicunque spiritali intelligentia obsistunt illis qui ob hoc Anthropomorphitæ nominantur. Ex quorum literis ne multa commemorando maiores moras faciam, unum S. Hieronymi testimonium interpono. Cùm enim ille uir in scripturis doctissimus, Psalmum exponeret ubi dictum est, Intelligite igitur qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite, Qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat? Inter cætera iste locus, inquit, aduersus eos maximè facit, qui Antropomorphitæ sunt, qui dicunt Deum habere membra quæ etiam nos habemus. Verbi causa, dicitur habere oculos. Oculi domini aspiciunt omnia: manus Domini facit omnia. Et audiuit, inquit, Adam sonum pedum domini dambulantis in paradiso. Hæc simpliciter audiunt, & humanas imbecillitates ad dei magnificentiam referunt. Ego autem dico quòd deus totus oculus est, totus manus est, totus pes est. Totus oculus est, quia omnia uidet. Totus manus est, quia omnia operatur. Totus pes est, quia ubique est. Ergo uidete quid dicat, Qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculos non considerat? Et non dixit, Qui plantauit aurem, ergo ipse aurem non habet? Non dixit, Ergo ipse oculos non habet? Sed quid dixit? Qui plantauit aurem non audiet? Qui finxit oculos non considerat? Membra tulit, efficientias dedit. Et paulò post

Spectra & prosopographiæ Dei uel Icones.

Anthropomorphitæ.

Deo incorporeo membra attribuuntur quomodo?

Psal. 93.

Sumpta sunt hæc Hierony. ex Tertulliano.

idem D. Augustinus, In his omnibus quæ de opusculis sanctorum atque doctorum commemoraui, Ambrosij, Hieronymi, Athanasij, Gregorij (Nazianzeni) & si qua aliorum talia legere potui, quæ commemorare longum putaui, deum non esse corpus, nec formæ humanæ habere membra, nec eum esse per locorum spatia diuisibilem, & esse natura incommutabiliter inuisibilem. Nec per eandem naturam atque substantiam, sed assumpta uisibili specie, sicut uoluit apparuisse quibus apparuit, quando per corporis oculos in scripturis sanctis uisus esse narratur, in adiutorio Dei inconcussè credo, & quantum ipse donat intelligo. Hęc Augustinus. Subijciam his & Tertulliani uetustissimi scriptoris ecclesiastici uerba ex libro eius elegantissimo de Trinitate, Efficaciæ, inquit, diuinæ per membra monstrantur, non habitus Dei, nec corporalia lineamenta ponuntur. Nam & cùm Oculi describuntur, quòd omnia uideat exprimitur. Et quando Auris, quòd omnes audiat proponitur. Et cùm Digitus, significantia quædam uoluntatis aperitur. Et cùm Nares, precum quasi odorum perceptio ostenditur. Et cùm Manus, quòd creaturæ sit omnis author probatur. Et quādo Brachium, quòd nulla natura contra robur ipsius repugnare possit edicitur. Et quando Pedes, quòd impleat omnia, nec sit quicquam ubi non sit Deus explicatur. Neque enim sunt ei aut membra aut membrorum officia necessaria, ad cuius solum etiam tacitum arbitrium & seruiunt & adsunt omnia. Cur enim requirat oculos qui lux est? aut cur quærat pedes qui ubique est? aut cur ingredi uelit cùm non sit quò extra se progredi posit? aut cur manus expetat cuius ad omnia instituenda artifex est & silens uoluntas? Nec auribus eget qui etiam tacitas nouit uoluntates. Aut propter quam caussam linguam quærat, cui cogitare iussisse est? Necessaria enim hæc membra hominibus fuerunt, non Deo. Quia inefficax hominis consilium fuisset, nisi cogitamen corpus implesset, deo autem non necessaria, cuius uoluntatem non tantùm sine aliqua molitione opera subsequuntur, sed ipsa statim opera cum uolūtate procedunt. Cæterū ipse totus oculus, quia totus uidet: & totus auris, quia totus audit: & totus manus, quia totus operatur: & totus pes, quia totus ubique est. Non enim habet in se diuersitatem sui quicquid est simplex. Ea enim demum in diuersitatem membrorum recidunt, quæ ueniunt ex natiuitate in dissolutionem: sed hæc quæ concreta non sunt, sentire non possunt. Et quæ sequuntur. Illa enim omnia Tertulliani sunt.

Quomodo uiderint patres deū

Ergo cùm Moses legitur uidisse deum de facie ad faciem, cùm leguntur Iacob Israel & prophetæ uidisse deum clarè, non in ænigmate, significatur exhibitam esse eius uisionem omnium manifestissimam, efficacem & maximè familiarem. Verè enim dixit Theodoretus Cyri Episcopus, Dicimus patres non uidisse diuinam naturam aut substantiam, quæ nec circumscribi, nec comprehendi, nec mente percipi potest, & quæ uniuersa comprehendit, sed quandam gloriam & quasdam uisiones, quę eorum facultatibus responderent, nec eius modum excederent. Verissimæ enim semper permanent illæ certissimæ sanctarum scripturarum sententiæ, Deum nemo uidit unquam, Deus habitat lucem inaccessam, quem nemo hominū uidit nec uidere potest. Item, Nemo uidebit faciem meam & uiuet, id est, dum hic in terris in hac carnis nostræ corruptione & imperfectione uiuitur, nemo Dei essentiam, quæ est æterna & inuisibilis lux, intuebitur. Etenim hac corruptione liberati & clarificati uidebimus eum sicuti est. Proinde uisus legitur Deus à patribus non secundum plenitudinem diuinitatis, sed secundum capacitatem hominum. Tertullianus arbitratur omnia Testamenti ueteris à Deo patre acta esse per filium, qui assumpta specie competenti hominibus apparuerit & patribus loquutus sit. Paulus in principio Epistolæ ad Hebræos significanter loquitur de filio dei incarnato,

Theodoretus

Ioan. 1.
1. Tim. 6.
Exodi 33.

Deus per filium egit omnia cum patribus.

incarnato, non absolutè negans nunquam quicquam per filium egisse patrem. Tertullianus, Filio data est, inquit, omnis potestas in cœlo & in terra. Omnia autem non erunt nisi omnis temporis fuerint. Filius itaq; est qui ad humana semper colloquia descendit ab Adam usq; ad patriarchas & prophetas, in uisione, in somno, in speculo, in ænigmate. Sic semper ediscebat deus in terris cum hominibus conuersari, non alius quàm sermo qui caro erat futurus. Ediscebat autem ut nobis fidem strueret, ut facilius crederemus filium Dei descendisse in seculum, & retro tale quid gestum cognosceremus. Et cætera. Hæc enim omnia Tertulliani sunt. Post hanc præmonitionem, subijciemus iam uisiones diuinæ maiestatis exhibitas hominibus sanctis.

Visiones Deus seruis suis uarias & multas exhibuit, quibus maiestatem suam utcunq; adumbrauit: quas omnes sigillatim quoq; referre ac exponere immensi esset operis. Celebriores inuenias, Exodi 19. Isaiæ 6. Ezech. 1. Daniel. 7. & in Apocalypsi beati Ioannis euangelistę & Apostoli. Eas indicasse sufficit. Porrò celeberrimam & absolutissimam omnium tractabo iam paulò fusius. Ea extat Exodi 33. & 34. cap. Experiebatur Moses facilitatem bonitatemq; dei, & quod ab ipso nihil non impetraret, audet ergo illud à deo postulare, quod omnibus seculis omnes uerè sapientes unicè in uotis habuere, deum in sua substantia gloria & maiestate inspicere. Dicit enim Moses, Quandoquidem intelligo te mihi uelle peroptimè, neq; quicquam denegare posse, agè obsecro ostende mihi gloriam tuam, id est, sine oro ut te talem inspiciam, qualis es reuera in tua gloriosa essentia & maiestate. Ad hanc postulationem omnium maximam deus respondens, Ego, inquit, efficiã ut coram te transeat omne bonum meum: & clamabo nomen domini, uel in nomine domini, coram te. Quibus uerbis duo pollicetur Mosi, Alterum, Omne bonum meum transibit coram te. Cæterum supremum hoc dei bonum aliud esse nequit, quàm ipse deus optimus maximus, uel potius sermo dei, ipse inquam dilectissimus dei filius, in quo reconditos credimus omnes thesauros sapientiæ, diuinitatis, bonitatis & perfectionis. Huius enim spectrum uel speciem, quandam humanam uisibilem (quando incarnandus erat in fine seculorum) obiecit oculis Mosis. Alterum est, Clamabo nomen domini uel in nomine domini coram te, id est, proclamabo nomenclaturam meæ gloriæ, ex qua quis sim intelligas, uideasq; animo. Porrò ne quis merito Mosis attribueret uisionem tam excellentem, interponitur hæc à domino sententia, Visio illa tibi non obtingit propter tuum meritum. Nam citra meritum humanum reuelo me cuicunq; uolo, citraq; respectũ personæ in quemlibet sum beneficus. Quæ consideratio gratuitæ gratiæ & bonitatis liberalissimæ dei, admodum pertinet ad ueram dei cognitionem. Deinde redit dominus & significantius declarat Mosi quomodo se sit ei exhibiturus. Non conceditur tibi, inquit, in hac adhuc uita agenti uidere faciem meam, id est, ad plenũ uidere meipsum in mea substantia. Hoc enim reseruatur beatis spiritibus & clarificatis corporibus in futuro seculo. Sic ergo me tibi ostendam, Tu ascendes in montem: ibi commonstrabo tibi in saxo cauernam, in eam te statues: ego uerò ponam super te manum meam, nubem inquam uel tale quippiam, ne in accedentis uultum rectà intuearis. Loquutione enim hac imitatur deus homines, quibus receptum est manus in uultum eius expansas ingerere, quem nolunt propius contueri uel inspicere res. Addit dominus, Interim uerò transibo, id est, spectrum assumptum, nimirum species humana in qua me uisendum exhibebo, transibit. Vbi autem transiero tuq; recta in uultum meum aspicere amplius nequiueris, remouebo manum, qua uultum tuum contexeram, tum uerò licebit inspicere tergum

Visionibus adumbratur.

Moses desiderat uidere gloriam Dei.

Deus gratuitò bona confert.

spectri, uel posteriora mea. Cæterum posteriora Dei sunt dicta & facta Dei, quæ post se relinquit, ut ex ipsis eum æstimemus. Rursus contemplatio faciei sumitur pro exactissima cognitione. Qui autem in tergum duntaxat aspiciunt, minus exactè cognoscunt. Præterea posterioribus temporibus misit deus filiũ suum in mundum, natum ex muliere. Quem qui fide contemplantur, diuinitatem quidẽ in humanitate non uident, ex dictis tamen & factis cognoscunt quis sit deus, adeoq; patrem cernunt in filio. Discunt enim quòd Deus summum bonum est, & quòd filius Dei Deus est, patri coæqualis & consubstantialis.

Quomodo deus se Mosi uidendũ exhibuerit.

Videamus iam quomodo se exhibuerit Deus Mosi (iuxta promissionem auditam hactenus) uisendum. Diluculo surgens Moses ascendit in montem alacris ad petram, quam indicauerat dominus, & recipit se in cauernam, cupideq; uisionem siue reuelationem dei expectat. Dominus uerò descendit in nube, uenitq; in montem ad cauernam petræ, in qua expectabat Moses. Mox uerò obtectà facie Mosis, transijt spectrum dei, id est, species illa humana à deo assumpta: cumq; iam tergum Mosi obuerteret spectrum, nec in uultum aspicere amplius posset Moses, remouit dominus manum, ac Moses aspiciebat in posteriora domini. Vnde colligebat deum aliquando, hoc est, posterioribus seculis, fore incarnandum atq; ita reuelandum orbi. De qua reuelatione dicemus paulò post plura. Simul etiam clamauit dominus, & catalogo quodam uti promiserat, nomina sua recensuit, quibus naturam suam ueluti adumbrauit. Dixit enim, Iehouah Iehouah, deus misericors, & beneficus, longanimis, immensæ bonitatis & ueritatis, custodiens beneficentiam in mille, auferens uel condonans iniquitatem, transgressionem & peccatum: attamen sceleratum non dimittens impunitum, uisitans iniquitatem patrum in filijs & nepotibus in tertiam & quartam generationem. Hoc quid aliud est quàm si dixisset: Ego sum essentia illa increata, ex meipso ab æterno existens, quæ omnibus esse confert, quæ omnia in esse conseruat. Ego sum deus fortis & omnipotens. Non abutor mea potentia. Sum enim clemens & misericors, qui meas amo creaturas, hominem in primis, in quem totis incalesco uisceribus. Sum diues & beneficus creaturisq; meis iuuandis promptissimus. Gratis omnia confero. Sum longanimis minimeq; hominum more irritabilis, præcepsq; ad uindictam. Neq; uerò parcus aut malignus sum, ut solet uulgus diuitum in hoc seculo. Sum liberalissimus & beneficentissimus, gaudens distrahi & beneficijs adoperire fideles. Sum præterea fidelis & uerax. Nec fallo quenquam, nec mẽtior quicquam: quod promitto, fideliter præsto. Neq; uerò opes meas prodigo, aut has spargens in homines, deficio tandem exhaustus. Custodio enim beneficentiam in mille generationes: ut quanquam prius seculum ex meis opibus splendidè uixerit, posteri tamen ad finem usq; seculi nihilominus in me inueniant quod ad iucundam satietatem exaturet. Sum enim fons bonorum inexhaustus. Si quis uerò in me peccarit, ipsumq; sceleris pigeat, non sum implacabilis. Sponte enim condono errores peccata ac scelera. Ideo tamen nemo existimet me peccatis oblectari aut patronum esse sceleratorum. Idem enim sceleratos & impœnitentes punio: meos item, ut retineam in officio, castigo. Nemo autem putet se impunè peccaturum, quòd uidet maiores suos impunè peccasse, hoc est, non protinus esse deletos. Reseruo enim uindictam in tempus iustum, modisq; omnibus ita me gero, ut omnes fateri cogantur me esse deum iudicij. Hæc cum audisset ac uidisset seruus dei Moses, festinauit prociditq; in terram ac adorauit. Idem faciamus & nos, certi quòd dominus non dignabitur se & gloriam suam, quoad in hisce terris uixerimus, plenius nisi in exhibito Christo reuelare. Quæ itaq; sufficiebant Mosi, sufficiant & nobis, sufficiat cognitio Christi.

Quid sit Deus.

Omnium

Omnium enim clarißima & præstantißima cognoscendi Dei ratio uel forma, in Iesu Christo Dei filio incarnato nobis proponitur. Ideo enim modò audiuimus & Mosi obiectam esse Christi umbram, cum deus semetipsum ei uoluisset reuelare quàm familiarißimè. Et Apostolus Paulus illuminationem cognitionis gloriæ dei in facie Iesu Christi reponit. Idem alibi eundem appellat paternæ gloriæ splendorem & expressam ipsius substantiæ imaginem. Certè ipse in euangelio clarißimè dicit, Nemo nouit patrem nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Nam ipse est uia ad patrem: in ipso uidetur pater. Rursus enim in euãgelio legimus, Deum nemo uidit unquam, unigenitus qui est in sinu patris, ipse reuelauit nobis. Iterum uerò Apostolus, Postquam, inquit, in sapientia Dei nõ cognouit mundus per sapientiam deum, uisum est Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Sapientiam Dei appellat ipsam creationem seu opificium mundi, & admiranda dei opera, quibus deus mundo innotescere uoluit: & in quibus excutiendis & considerandis uniuersa omnium sapientũ sapientia hactenus incubuit. Sed quoniam hac in parte nihil profecit, mundana sapientia, rerum ferè omnium caussas aliò referente quàm ad unicum & uerum scopum, deum, dumq; se arbitrarentur sapientes esse, ut idem doctor gentium ait, in sua ipsorum ratiocinatione stulti facti sunt, placuitq; Deo per aliam rationem mundo innotescere, haud dubiè per stultam prædicationem euangelij: nimirum quæ reuera absolutißima est sapientia, uerùm humanę sapientię uidetur esse stultitia. Stultum enim apparet hominibus huius seculi, deum uerum incarnatum, conuersari nobiscum in terris, egere, esurire, pati ac mori. At hac ipsa ratione quàm illustrißimè innotescit mundo deus, eiusq; sapientia, bonitas, ueritas, iustitia & potentia. Ineffabilis enim dei sapientia in toto Christi negotio & dispensatione mirifica singulariter elucet, maximè si caussas (de quibus aliàs) excutiamus, si item doctrinam Christi expẽdamus. In incarnatione filij dei inclarescit quàm beneuelit peccatis immerso mundo, utpote cui connectitur fœdere indissolubili, mortisq; & satanæ filios adoptat per Christum in filios hæredesq; uitæ æternæ. Quòd uerò Christus singula quæ de ipso ex reuelatione dei prędixerãt prophetæ, tam exactè implet, quòd ea quæ in ipso deus pater promiserat tam liberaliter præstat, declarat quàm sit immotus & uerax deus æternus. In factis seu miraculis Christi domini, in resurrectione eius, in gloriosa eius ascẽsione ad cœlos, uberrimaq; effusione in discipulos sancti spiritus, in primis uerò in conuersione totius orbis ad ueritatem euangelicam ex paganismo & Iudaismo, aperit se potentia Dei, longanimitas, maiestas & beneficentia ineffabilis. In morte filij relucet maxima dei iustitia, utpote quæ peccatis nostris offensa placari non potuit, nisi uictima tanta. Interim in eo quòd non pepercit filio unigenito, sed hunc pro nobis hostibus suis & impijs tradidit, elucescit misericordia illa quæ meritò supra omnia dei opera commendatur. In filio itaq; & per filium manifestat se deus orbi manifestißimè, adeo ut quicquid de deo & eius uoluntate scire opus est, quicquid cœlestis & salutaris sapientiæ est, id totum aperitur & perui detur in filio. Idcirco roganti Philippo, Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis, respondisse legimus dominum, Tanto tempore uobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui uidit me, uidit patrem. Et quomodo dicis tu, ostẽde nobis patrem? Non credis quòd ego in patre sum, & pater in me? Reuocat autem omnes fideles à perquisitione dei curiosiore, proponens mysterium dispensationis, in quo nos uult acquiescere, in eo nempe quòd deus homo factus est. Ergo quicunque cupiunt deum uerè uidere & cognoscere, oculos animi in Christum conuertant, & huius mysterio uerbis ac factis credant: ex his discentes quid &

Per Christum aperit se deus euidentißime. 2. Cor. 4. Hebr. 1. Ioan. 6. Matth. 11. Ioan. 14. Ioan. 1. 1. Cor. 1. Rom. 1. Ioan. 14.

quis sit deus. Talis enim est deus, qualem se nobis in Christo exhibet cognoscendum: atque in hoc ipso alibi constituit uitam æternam, dicens, Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solum deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Caueat qui sibi consultum cupit, ne quid amplius scire uelit, quam in Christo ab ipso deo nobis traditum est. Quisquis autem Christo neglecto, dictamē & subtilitates ingenij humani sequitur, euanescit certè & perit in suis cogitationibus.

Ioan.17.

Quarta cognoscendi dei ratio petitur ex contemplatione operum eius. Nam Dauid canit, Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Sed & Paulus Apostolus, Quæ sunt inuisibilia dei, inquit, ex creatione mundi dum per opera intelliguntur, peruidentur, ipsa nempe æterna eius potentia ac diuinitas. En æterna Dei potentia & diuinitas, inuisibilia illa dei sunt, sed ea intelliguntur ex consideratione operum dei: ex operibus ergo Dei deus ipse cognoscitur. Considerantur autem opera dei bifariam. Vel enim proponuntur nobis contemplanda in rebus propter hominem conditis, ut in cœlo & in terra, & in ijs quæ sunt in cœlo & in terra, prouidentiaque dei & gubernantur & conseruantur, cuius generis sunt astra astrorumque motus siue cursus, influentiæ cœlestes, temporis uicissitudo, animantia omnis generis, arbores, plantæ, fructus terræ, mare & quæ in mari sunt, lapides, & quæ in terris latitant effodiunturque ad hominū usum. De his scripserunt doctissimè & pijssimè S. Basilius & S. Ambrosius in opere sex dierum, quod appellarunt Hexaemeron. Hic habet locū historia illa naturalis, quā gloria excellentissimus rex Dauid in Psalmis, maximè post centesimum, appositissimè accommodat instituto nostro. Verùm ne inuolamus res, dicemus quædam paulò post de Creatione mundi, diuinaque gubernatione & prouidentia. In præsenti satis fuerit agnoscere cœlum ac terram, & ea quæ in his sunt, nobis enarrare & quasi ob oculos statuere deum ut sapientissimum ita potentissimū esse, admirandum, infinitæ maiestatis, gloriæ immensæ, iustissimum, beneficentissimum, optimum, maximum. Optimè ergo rebus humanis consulens Isaias fidelissimus ecclesiæ doctor, Attollite, inquit, in sublime oculos uestros, & cōtemplamini quis creauerit ista, producens in numero exercitum eorū, singula suis nominibus uocans, cuius tanta est uirtus, ut nullum quidem illorum desit. Quanquam enim ab exordio astra mundo illuxerint, & suo cursu ad quod creata sunt perfecerint, usu tamen neque contrita, neque uetustate cōsumpta aut obscurata sunt. Nam uirtute creatoris conseruantur integra. Ieremias quoque clamat, Domine nemo est sicut tu. Magnus es tu, & magnum est nomen tuum cum potentia. Quis te non metuat, ô rex gentium? Quia tibi est decor: quia inter omnes gentium sapientes, & in omni regno eorum nemo est tibi similis. Et mox, Dominus deus uerus deus & uiuus est, deus & rex sempiternus: ab ira eius contremiscit terra, nec possunt gentes sustinere indignationem illius. Qui terram condit sua uirtute, sapientia sua orbem disponit, prudentia sua cœlos extendit. Cum ille uocem dat, ingens aquarum uis in aere coit, & eleuat nubes ab extremitate terræ, fulgura in pluuiam uertit, atque educit uentos de receptaculis suis. Vel proponūtur nobis opera Dei contemplanda in ipso omnium creaturarum domino, homine: non tam in opificio eius quod spectandum pulcherrimè depinxit Lactantius & Andreas Vuesalius, quàm in operibus, quæ erga hominem uel in homine aut per hominem fiunt ab ipso domino. Alios enim iustè punit deus homines, puniendoque declarat se nouisse res mortalium, & odisse omnem iniuriam & iniustitiam. Alios cumulat beneficijs maximis, benefaciendoque demonstrat se esse diuitem, imò fontem bonorū inexhaustum, beneficum, bonum & misericordem, clementem & longanimem. Huius generis

Cognoscitur Deus ex suis operibus.
Psalm.19.
Rom.1.
Opera Dei bifariam considerantur.
Psalm.104.
Isaiæ 40.
Ierem.10.

neris innumera sunt in historia diuina. Cain propter patratum parricidium uitam uiuit in terra longè miserrimam. Vindicat enim innoxium sanguinem iustus dominus. Primum illud seculum diluuio immisso cœlitus, contempti numinis pœnas dat. Noe uerò cum suis seruatur in arca per dei misericordiam. Abrahamum educit deus ex Vra Chaldæorum, & reponit in terrã Chanaã, benedicensq; ei omnibus bonis adobruit. Iacobum quoque in uaria coniectum discrimina, mirificè seruat. Iosephum per afflictiones graues ad thronum euehit Ægypti. Ægyptios grauiter affligit propter tyrannidem exercitam in miserum Israelis populũ, & propter cõtemptum uerbi Dei. Sed longum & laboriosum esset commemorare singula. Discimus autem ex his & similibus dei operibus, quis & quantus sit deus noster, quàm sit sapiens, bonus, potens, munificus, iustus & æquus, & quòd huic oporteat nos credere & obedire. Asaph enim canit, Quæ audiuimus & cognouimus, & patres nostri narrauerunt nobis, ea non celabimus filios nostros, ætatibus posteris narrabimus laudes domini, robur eius, & stupenda opera quæ fecit: ut filij qui nati sunt cum adoleuerint, narrent filijs suis, & ponant in deo fiduciam, nec obliuiscantur operũ dei, mandataq; eius obseruent. Et quæ sequuntur Psalmo 78. *Psalm. 78.*

Huic rationi contermina est quæ colligitur ex comparatione quadam. Scriptura enim omnes in mundo præstantissimas res confert cum deo, quem mox omnibus præfert, ut inde colligamus deum summum esse bonum, & maiestatem eius esse immensam. Vnus Isaiæ locus esse poterit pro multis, qui in hæc uerba legitur cap. 40 Quis mensus est uola sua aquas, & cœlos palmo quis æstimauit? Quis apprehendit tribus digitis puluerem terræ, & appendit montes in statera & colles in bilance? Quis direxit spiritum domini? Quis à consilijs ei fuit? Quis eum docuit? Cum quo inijt consilium, qui eum erudiret? Ecce gentes deo collatæ tanquã gutta situlæ, & reputantur tanquam momentum quod bilancem mouet, uel propendet. Ecce insulas quasi minutissimum puluerem proijciet. Libanus non satis esset ad incendendum ei ignem, neq; feræ eius sufficerent holocausto. Omnes gentes coram eo tanquam nihil sunt, & ipsi comparatæ tanquam res friuolæ reputantur. An hæc non intelligitis? an non à rerum primordio hoc nunciatum est uobis? an nõ docti estis à iactis terræ fundamentis? Qui sedet supra globum terræ, & qui habitant in ea sunt ueluti locustæ. Qui extendit cœlos ut cortinam, & expandit eos instar tentorij. Qui redigit potentes ad nihilum, & reddit iudices terræ ut sint inanes. Et reliqua. Huc pertinent dei prosopopœiæ, quarum inuenias aliquot pręter uisiones quas posuimus in ratione secunda, excellentiores autem Psalm. 18. & Cant. cap. 5. Eas inexplicatas transeo, ne nimis diu his uidear immoratus. Est enim & ad alia transeundum.

Deus adumbratur nobis per collationem.

Postremò cognoscitur deus ex sententijs ore prophetarum & Apostolorum pronunciatis. Cuius generis est illa eximia beati Ieremiæ, dicentis. Ne glorietur sapiens in sapientia sua, neq; glorietur robustus in robore suo, neq; glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, quòd intelligat & cognoscat me, quoniam ego sum dominus, qui misericordiam, iudicium & iustitiam facio in terra: quapropter ijs unicè delector, dicit dominus. Seruamur autem misericordia dei, uarijsq; ornamur muneribus. Iudicio impijs & inobsequentibus pœnas irrogat commeritas, & seruat æquitatem. Sicuti & iustitia quæ promisit, præstat ueraciter. Dicimus ergo deum esse saluatorem & liberalem omnium bonorum datorem, æquissimum iudicem, & in promissis præstandis ueritatem ueracissimam.

Deus discitur ex sentẽtijs uel pronunciatis. *Ierem. 9.*

¶Huc referenda est doctrina prophetarũ & Apostolorũ, quæ tradit eam esse ueram *Vnus est essentia Dei.*

Dei cognitionem, quæ agnoscit deum in essentia unum, in personis autem esse trinum. De unitate diuinæ essentiæ (qua asserta reijcitur & condemnatur pluralitas deorum gentilium) hæc subijcimus ex diuinis literis testimonia, & excellentiora quidem illa: quis enim singula enumeret? Clarissimum illud est quod prophetica & euangelica authoritate subnixum, ex Deut. 6. cap. petitum, apud Marcum in 12. cap. totidem uerbis explanatur, Dixit Iesus, Primum omnium præceptum est, Audi Israel, dominus deus noster, dominus unus est. Et diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis uiribus tuis: Hoc est primum præceptum. Et secundum simile hoc est, Diliges proximum tuum ut teipsum. Maius his aliud præceptum non est. Sequitur in euangelio, Et dixit Scriba, Bene præceptor cum ueritate dixisti, quòd unus sit deus, & nõ sit alius præter illum, quodq́ diligere eum ex toto corde, & ex tota intelligentia, & ex tota anima, & ex totis uiribus, ac diligere proximum ut seipsum, plus sit quàm uniuersa holocaustomata & uictimæ. Cum hoc testimonio faciunt & alia in lege insigniora. Legimus enim Exodi 20. ipsum dominum in monte Sina ore proprio enunciasse, Ego dominus Deus tuus, qui eduxi te ex terra Ægypti, de domo seruitutis: non sint tibi dij alij coram me. Rursus canit Moses in Carmine suo extremo, deum inducens loquentem, Videte quòd ego, ego inquam, ipse sum dominus, & non est deus præter me. Ego occido, & rursus uiuifico: ego uulnus infligo, & ego medeor, nec est qui è manibus meis eripere possit. Cum testimonijs legis consentiunt prophetarum testimonia. Nam Dauid Psalm. 18. Via dei integra est, ait, eloquium dei repurgatum, scutum est omnium in se sperantiũ. Quis enim deus præter dominum? aut quis est petra præter deum nostrum? Plurima huius generis alia passim occurrunt in Psalmis. Dominus apud Isaiam & per Isaiam clamat & dicit, Ego dominus, Hu est nomen meũ, & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus. Ego sum primus, & ego sum nouissimus, & præter me non est deus. Et quis mei similis? Vocet & annunciet illud atq; hoc disponat mihi ab eo quo posui populũ seculi, & imminentia ac futura annuncient eis. Ego dominus faciens omnia, cœlos extendo solus, & mea uirtute terram expando. Irrita facio signa mendacium, & stultos & insanos reddo diuinos, auerto sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam reddo. Excito uerbum serui mei, & consilium nunciorum meorum perficio. Ego dominus, & nullus ultra: præter me non est deus. Ego dominus & nullus ultra, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: ego dominus facio omnia ista. His propheticis subiungemus iam unum & alterum S. Pauli doctoris gentium testimonium. Is ad Timotheum scribit: Vnus est deus, unus etiam mediator dei & hominum, homo Christus Iesus. Et iterum, Vnus dominus, inquit, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus uobis. Rursus ad Corinthios dicit idem apostolus, Nullus est deus alius nisi unus. Nam etsi sint qui dicantur dij, siue in cœlo siue in terra (quemadmodum sunt dij multi & domini multi) nobis tamen unus est deus, Pater ille, ex quo omnia, & nos in illum: & unus dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per illum. Arbitror autem hæc testimonia diuina satis esse clara & sufficere ad demonstrandum, quòd Deus substantia unus sit, essentiæ inquam immensæ, æternæ, spiritualis.

Isaie 42. *Isaie 44.* *Isaie 45.* *1. Tim. 2.* *Ephes. 4.* *1. Cor. 8.*

Sub una Dei essentia est distinctio.

Cæterum sub una diuinitatis essentia, demonstrat nobis scriptura sancta distinctionem patris, & filij, & spiritus sancti. Distinctionem autem dico, non diuisionem aut separationem. Neq; enim plures adoramus & colimus deos, sed unũ: ita tamen ut nec confundamus, nec negantes auferamus essentiæ diuinæ subsistentias

stentias siue personas tres, harumque proprietates. Noëtus reuera ἀνόητος, & Libycus ille Sabellius, homo impius, audax ac stupidus (à quibus nata est crassa Patrispassianorum hæresis) docuere patrem & filium & spiritum sanctum nihil in deo distinctum sonare, sed diuersa esse dei attributa. Deum enim non aliter appellari patrem aut filium aut spiritum sanctum, quàm bonum, iustum, clementem, omnipotentem, sapientem, &c. Illi ipsi, Pater, inquiunt, mundum condidit, idem filij nomine carnem assumpsit & passus est, idem ipse commutato nomine iam etiam spiritus sanctus uenit in discipulos. Veritas autem orthodoxa prophetica & Apostolica disertè tradit nomina patris & filij & spiritus sancti, indicare nobis qualis sit deus in sua natura. Nam deus naturaliter & ab æterno pater est, quia ab æterno filium ineffabiliter genuit. Idem Deus naturaliter filius est, quia ab ęterno à patre genitus est. Idem deus naturaliter est spiritus sanctus, quia æternus amborum spiritus est ex utroque procedens, unus cum ipsis Deus: qui cum in scripturis appellatur deus clemens, bonus, sapiens, misericors, iustus, non tam quid in seipso sit significatur, quàm qualem se nobis exhibeat. Eadem scriptura apertè dicit patrem per filium condidisse omnia: neque uerò patrem in terram descendisse, nec carnem nostram assumpsisse, nec pro nobis esse passum. Filius enim, Exiui à patre, inquit, & ueni in mundum: iterum relinquo mundum & uado ad patrem. In monte oliuarum idem filius prostratus orat, Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Idem iterum in Euangelio ait, Ego rogabo patrem, & alium paracletum uel consolatorem dabit uobis. En alium, inquit, consolatorem dabit pater. Iterum tamen ne propter personas illas, personarumque proprietates, disiungeremus diuinam naturam, rursus in Euangelio dicit, Ego & pater unum sumus. Cùm enim dicit Vnum, elidit substantiam uel naturam diuinam separantes aut lacerantes: cùm uerò dicit Sumus, & non sum, eos confutat qui subsistentias uel personas confundunt. Proinde Apostolica & catholica doctrina tradit, & confitetur tres esse distinctos proprietatibus, sed trium eandem esse essentiam siue naturam, eandem omnipotentiam, maiestatem, bonitatem, sapientiam. Quamuis enim ordo sit in Trinitate, inæqualitas tamen in ipsa nulla est prorsus: nullus est alio tempore prior uel dignitate potior: sed trium est una deitas, & hi tres sunt unus & æternus deus. Ac primitiua quidem ecclesia, temporibus Apostolorum & proximè insequentibus simpliciter sic credidit, spretis & repudiatis quæstionibus curiosis, superuacaneisque disputationibus. Simul autem exorti sunt in ecclesia Dei uiri pestilentes, loquentes peruersa, quos Apostolus meritò appellauit lupos graues, gregi non parcentes. Hi noxias & peregrinas contexuerunt quæstiones, blasphemas linguas in ipsum cœlum exacuentes. Contenderunt enim tres personas non posse unam esse naturam uel essentiam, ideoque asserta Trinitate plures à Christianis cum ethnicis deos adorari. Rursus cùm non possit esse nisi unus deus, consequens esse eundem sibi esse patrem, filium & spiritum sanctum. Ita enim eos ineptire oportebat, quos non dirigebat uerbum dei, sed crassa carnis humanæ imaginatio. Ac puniebat Deus hoc modò giganteam istorum hominum audaciam, quorum animi omni reuerentia & timore dei uacui, contendebant impiè in ipsam dei faciem aciem oculorum carnis defigere. Cæterum cogebantur fideles & uigilantes ecclesiarum antistites atque pastores, à caulis ouium Christi huiusmodi lupos abigere, & pro ueritate orthodoxa, hoc est, pro Vnitate & Trinitate, pro monarchia & mysterio dispensationis strenuè certare. Certamen uaria peperit uocabula, quibus oportuit lubricos homines tenere uel circumscribere. Nata sunt itaque mox ab initio uocabula Vnitatis, Triadis uel Trinitatis, Essentiæ, substantiæ, Personæ. A Græcis ferè usurpata sunt

Error crassus Patrispassianorum.

Ioan. 16.

Matth. 27.

Ioan. 14.

Ioan. 10.

Disputatio exorta de Deo.

Actor. 20.

Voces in hac disputatione usurpatæ quales.

οὐσία, ὑπόστασις, πρόσωπον: nos dicimus essentiam, subsistentiam, & personam. Ex his rursus exortæ sunt posterioribus annis in ecclesia nouæ & recentes altercationes. Disputarunt acutè de Essentia & subsistentia, eadem ne an diuersa sint. Ruffinus enim Aquileień. Eccles. histor. lib. 1. cap. 29. De differentia, inquit substantiarum & subsistentiarum, quas Græci οὐσίας & ὑποστάσεις uocant, mota est quæstio. Quidam enim dicebant substantiam & subsistentiam unum uideri: & quia tres substantias non dicimus in deo, nec tres subsistentias dicere debeamus. Alij uerò, quibus longè aliud substantia quàm subsistentia significare uidebatur, dicebant, quia substantia ipsa rei alicuius naturam rationemq́ qua constat, designet: subsistentia autem unicuiusque personæ, hoc ipsum quod extat & subsistit, ostendat. Scripsit & Basilius magnus doctam Epistolam de Discrimine essentiæ & substantiæ ad Gregorium fratrem. Porrò Hermius Sozomenus Historiarum lib. 5. cap. 12. Multarum, inquit, ciuitatum Episcopi Alexandriam conuenientes, Nicęna dogmata cum Athanasio & Eusebio (Vuercelleń.) confirmant, & spiritum sanctum & patri & filio coessentialem esse confitentur, ac triadem nominant, & hominem quem Deus uerbum assumpsit, non corpore tantùm sed & anima perfectum censendum esse docent: sicut & priscis ecclesiæ doctoribus uisum est. Quoniam uerò quæstio de οὐσίᾳ & ὑποστάσει ecclesias turbarat, deq́ illis crebræ contentiones ac disputationes motæ fuerant, admodum sapienter mihi determinasse uidentur, haud esse nominibus illis statim initio de Deo utendum: nisi quis Sabellij opinionem retundere conetur, ne penuria nominum eundem tribus appellationibus uocare uideatur, sed singulos peculiariter trifaria distinctione intelligat. Addit Socrates in Histo. lib. 3. cap. 7. Non autem nouam quandam religionem à se excogitatam in ecclesiam induxerunt, sed quæ inde ab initio & ecclesiastica traditio habuit, & Christianorum sapientes euidenter demonstrarunt. Et reliqua.

Essentia & substantia, uel subsistentia.

Abeant ergo quò digni sunt Papæ propugnatores, qui docentibus nobis omnia ueræ pietatis & salutis plenè comprehendi & tradi scripturis canonicis, obijciunt quo scripturæ loco contineantur uocabula trinitatis, personæ, essentiæ, substantię, denique Christum habere animam rationalem? Tametsi enim illa uocabula totidem literis scripta non legantur in canonicis libris, (utpote alia quàm Latina lingua ab ipsis prophetis & Apostolis scriptis) res tamen, quas uocabula illa significant, manifestissimè in his comprehenduntur atque docentur, quas deinceps omnes & singulæ gentes sua lingua enunciare, próque sua utilitate & necessitate pronunciare possunt. Abeant cum his & Sophistę omnes, quibus doctum uidetur, adorandum Trinitatis mysterium peregrinis, curiosis, imò & perniciosis inuoluere quæstionibus. Pijs satis est simpliciter & secundum scripturas, symbolumq́ Apostolorum, credere & confiteri unam esse diuinam naturam siue essentiam, in qua sunt pater, filius, & spiritus sanctus. Neque hîc admodum soliciti sumus, siue substantias aut subsistentias aut personas nomines, modò distinctionem & cuiusque proprietates distinctè exprimas, unitatemq́ sic confitearis, ut interim Trinitatem non confundas, nec suis personas spolies proprietatibus.

Omnia quæ de Deo credenda sunt, plenè contineri in scripturis canonicis.

Verùm præstat iam ex scripturis clara proferre testimonia, quibus Trinitatis mysterium & personarum distinctionem proprietatemq́ euidenter demonstremus. Dicit in Euangelio secundum Matthęum Dominus, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris, & filij, & spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæ præcepi uobis. Ea uerba allegans, Tertullianus cōtra Praxeam, Nouissimè mandauit, inquit, discipulis, ut tingerent in patrem, & filium, & spiritum sanctum. Non in unum: nam

Testimonia adorādæ trinitatis euangelica. Matth. 28.

nam nec semel, sed ter ad singula nomina, in personas singulas, tingimur. Hæc ille. Vt autem singulæ personæ singulariter exprimuntur, ita diuinitas omnium eadem & communis singulariter in eo docetur, quòd iubet baptizare non tantùm in nomen patris, sed & filij & spiritus sancti. Negat enim & pernegat Apostolus Paulus electionis uas, quenquam in ullius hominis, qui nihil aliud quàm homo est, nomẽ esse baptizandum, aut ab Apostolis baptizatum. An, ait, in nomine Pauli baptizati fuistis? Deus est itaque pater, filius, & spiritus sanctus, in quorum nomen baptizamur. *1. Corinth. 1.*

Idem Dominus in Euangelio secundum Ioannem dicit: Cùm uenerit paracletus, quem ego mittam uobis à patre, spiritus ueritatis, is inducet uos in omnem ueritatem. Non à semetipso loquetur, sed quæcunque audierit loquetur. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit uobis. Omnia quæcunque habet pater, mea sunt, propterea dixi quòd de meo accipiet, & annunciabit uobis. Habes in his Domini uerbis personam patris à quo mittitur spiritus, personam filij qui mittit, & personam spiritus sancti qui uenit: habes item communionem diuinitatis & omnium bonorum inter se mutuam & æqualem. Spiritus enim non à semetipso loquitur, sed quod audierit. De meo, inquit filius, accipiet. Et iterum, Omnia quæcunque habet pater, mea sunt: ergo & quæ filius habet, patris sunt: estꝗ coæqualis omnium diuinitas, gloria, & maiestas. *Ioã. 14. & 16.*

Congruit cum his apertissimis elogijs, testimonium euidentissimum beatissimi Ioannis Baptistæ, & hoc quidem duplex. Principiò, Quem misit Deus, inquit, is uerba Dei loquitur. Non enim ad mensuram huic dat Deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manum. Qui credit in filium, habet uitam æternam, &c. Iterum habes in una diuinitate tres personas distinctas proprietatibus. Pater enim diligit, mittitꝗ filium, & omnia dat ei in manum. Filius mittitur, accipit omnia, sed spiritus sanctus datur à patre, & accipitur à filio iuxta plenitudinem. Deinde clamat idem ille Baptista, & ait, Vidi spiritum descendentem specie columbæ de cœlo, & mansit super eum. Et ego non noueram eum: sed qui misit me, ut baptizarem aqua, is mihi dixit: Super quem uideris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. Et ego uidi, & testatus sum hunc esse filium Dei. Rursus demonstrantur nobis luce clarius tres personæ distinctæ, non confusæ. Est enim qui Ioannem mittit pater. Spiritus sanctus non est pater uel filius, sed apparet super capite Christi, sub specie columbæ. Filius autem, filius, non pater, & patris quidem filius est, cuius capiti insidet spiritus sanctus. Huc iam pertinet ipsum patris cœlitus super Christum delatum testimonium. Dicit enim, Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea. Non potest autem idem sibi esse pater & filius: sed alius est pater, alius est filius: uerùm non aliud, sed idem Deus, eiusdem naturæ. Filius enim alibi clarissimè dicit, Ego & pater unum sumus. *Ioan. 3.* *Math. 3. & 17.* *Ioan. 10.*

Porrò quid clarius dici poterat pro personarum in adoranda Trinitate expressa distinctione proprietateꝗ, quàm quod archangelus Gabriel apud S. Lucã Dominicæ incarnationis sacramentum explanans, manifestè uirgini Deiparæ dicit, Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi: Quapropter & quod nascetur sanctum, uocabitur filius Dei? His quid obsecro poterat uel fingi manifestius & euidentius? Habes altissimi personam, nimirum patris. Nam præcessit in uerbis angeli, Is erit magnus, & filius altissimi uocabitur. Est autem filius patris filius. Habemus & filij & sancti spiritus expressas personas, cum suis proprietatibus, nec immixtas nec confusas. Pater non incarnatur nec spiritus sanctus, *Lucæ 1.*

ſed filius. Patri naſcitur è uirgine filius, is qui erat æterna & ineffabili generatione filius. Spiritus ſanctus autem, qui eſt uirtus altiſſimi, obumbrat uirginem, redditq; fœcundam. Ita uerò diſtinctas non diuiſas uidere licet perſonas, proprietatibus, non eſſentia diuinitatis uel natura diſtantes.

Apoſtolica de Trinitate teſtimonia. *Actor. 2.* Subijciam alia quoque (quamuis hæc abundè ſatis facere poterant) ſanctorum Apoſtolorum teſtimonia, & trium quidem in toto choro præclariſſimorum. Beatus Petrus coram eccleſia Iſraelis prædicans uerbum Euangelij, ſicuti teſtatur Lucas in Actis, inter alia dicit, Ieſum hunc excitauit Deus, exaltauitq; ad dexteram, ac promiſſione ſpiritus ſancti accepta à patre, effudit hoc quod uos iam cernitis & auditis. En Deus pater excitat filium & exaltat. Filius excitatur & exaltatur: ſedet ad dexteram patris. Ab hoc filius accepto ſpiritu ſancto donat hunc Apoſtolis. *Actor. 10.* Spiritus ergo procedit à patre & filio, in propria ſubſiſtens perſona, ſed unus amborum ſpiritus. Porrò in ſermone habito Cæſareæ in eccleſia gentium, hoc eſt, in domo familiaq; Cornelij Centurionis, idem Apoſtolus non minus obſcurè patris, filij, & ſpiritus ſancti perſonam exprimit, ac trinitatem in unam diuinæ naturę eſſentiam connectit.

Rom. 1. Sanctus Paulus Apoſtolus in principio Epiſtolæ ad Romanos dicit ſe ordinatum ad prędicandum Euangelium Dei, quod promiſerit per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui ſit genitus ex ſemine Dauid, ſecundum carnem, declaratus autem Dei filius per potentiam & ſpiritum ſanctificantem. *Galat. 4.* Idem in Epiſtola ad Galatas, Deus, inquit, miſit filium ſuum, factum ex muliere: ut adoptione ius filiorum acciperemus. Quoniam autem filij eſtis, emiſit Deus ſpiritum filij ſui in corda ueſtra clamantem, Abba pater. *Tit. 3.* Et iterum ad Titum, Deus ſecundum ſuam miſericordiam, inquit, ſaluos nos fecit per lauacrũ regenerationis ac renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos opulentè per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum. Veriſſimè ergo de S. Paulo loquens beatus Cyrillus libro in Ioan. 9, cap. 45. ſcribit, Cognouit rectiſſimè diuinus ille uir ſanctæ Trinitatis enumerationem: ac ideò ſingulas perſonas propriè atq; diſtinctè ſubſiſtere docet: & tamen incommutabilem identitatem Trinitatis apertè prædicat. Teſtimonia eius rei ſi quis omnia colligere enumrareq; uellet, omnes Pauli Epiſtolas haud dubiè recitaret.

1. Ioan. 2. Beatus Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta myſterium Trinitatis & diſtinctionem perſonarum præ cæteris fortiſſimè & euidentiſſimè aſſerens proponit: cùm in Euangelica hiſtoria, tum in ſua Epiſtola. Vnum ex multis proferam teſtimonium. In canonica ſua dicit: Quis eſt mendax, niſi is qui negat Ieſum eſſe Chriſtum? Hic eſt Antichriſtus, qui negat patrem & filium. Quiſquis negat filium, is ne patrem quidem habet. Vos igitur quod audiſtis ab initio, in uobis permaneat. Et mox, Non neceſſe habetis ut quiſquam doceat uos: ſed ſicut ipſa unctio docet uos de omnibus, & uerax eſt, & non mendacium: Audis in his patrem, audis filium, audis unctionem, id eſt, ſpiritum ſanctum. Pater non eſt filius, nec hic pater, nec ſpiritus ſanctus pater uel filius: ſed pater filij pater eſt, & filius patris filius, unctio autem proficiſcitur ab utroque. Sunt autem illæ perſonæ ſic coniunctæ & unitæ, ut qui unam ex eis neget, nullas habeat. Imò quiſquis negat hanc Trinitatem, Antichriſtus eſſe pronunciatur. Deum enim, qui unus eſt in Trinitate, & trinus in unitate, negat, adeoq; proprietates Dei confundens aut auferens, ipſum Deum talem qualis eſt negat.

Similitudinibus adumbratur trinitatis myſterium. Hæc autem teſtimonia & multiplicia & clariſſima arbitror ſatisfacere pijs. Credunt enim ſcripturis, nec curioſius in diuinam inquirunt maieſtatem, his ſolis contenti quibus bonitati Dei uiſum eſt illuceſcere hominibus. Sunt qui hanc rem,

quomodo

quomodo uidelicet tres personæ distinctæ dicantur, & sint tamen unus Deus, parabolis uel similibus quibusdam adumbrare contendant. Verùm nihil est in rebus creatis (quod & ab initio huius negotij admonui) quod propriè dici possit simile diuinæ naturæ: nec ullæ sunt hominum uoces, quibus propriè loquamur de ea: nec ullæ sunt humanæ mentis imagines, quæ adamussim diuinæ congruant essentiæ. Et S. Basilius differens de Vsia & hypostasi dicit, Fieri nequit ut exemplorum collationes per omnia ad ea quadrent, quorum usui exempla seruiunt. Iniuriam ferè adorandæ maiestati dicas fieri, si conferatur cum rebus humanis. Sed quoniam infirmitati nostræ scriptura sancta non parum condescendit, dabo simile, quamuis multum dissimile, quod uulgò profertur. Contemplare solem, & ab hoc manantes radios, tum ex utroque profectum calorem. Vt sol est fons luminis & caloris: ita pater fons est filij, qui est lumen de lumine. Et ut à sole simul & radijs manet calor, ita à patre & filio procedit spiritus sanctus. Iam uerò imaginare solem, qui nunquam cœperit esse, nec esse desiturus sit, nónne ab hoc sempiterno sempiterni nascentur radij, & utrinque proficiscetur calor æquè sempiternus, denique an non unus essentia uel substantia sol cernatur, trinus autem idem ille propter tres subsistentias uel personas? Vsus est parabola hac Solis Tertullianus, cuius uerba quæ & alia continent similia non pigebit recitare. Non dubitauerim, ait, filium dicere & radicis fruticem, & fontis fluuium, & Solis radium: quia omnis origo parens est, & omne quod ex origine profertur, progenies est: multò magis sermo Dei, qui etiam propriè nomen filij accepit, nec frutex tamen à radice, nec fluuius à fonte, nec radius à sole discernitur (separatur) sicut nec à Deo sermo. Igitur secundum horum exemplorum formam, profiteor me duos dicere, Deum & sermonem eius, patrem & filium ipsius. Nam & radix & frutex duæ res sunt, sed coniunctæ. Et fons & flumen duæ species sunt, sed indiuisæ. Et sol & radius duæ formæ sunt, sed cohærentes. Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit eius necesse est de quo prodit, non ideò tamen est separatum. Secundus autem ubi est duo sunt, & tertius ubi est tres sunt. Tertius enim est spiritus à Deo & filio, sicut tertius ex radice fructus ex frutice: & tertius à fonte riuus ex flumine: & tertius à sole apex (uel calor) ex radio: nihil tamen à matrice alienatur, à qua proprietates suas ducit. Ita trinitas per consortes & connexos gradus à patre decurrens, & monarchiæ nihil obstrepit, & *οἰκονομίας* statum (id est, dispensationis mysterium) protegit. Hanc me regulam professum, qua inseparatos ab alterutro patrem & filium & spiritum testor, tene ubique, & ita quid quomodo dicatur agnosces. Et reliqua. Hæc enim omnia Tertulliani sunt: qui non ita multò ab Apostolorum seculo floruit in Aphrica.

Contra Praxeam.

Verùm omissis idolis humanis siue parabolis aut similitudinibus, credamus firmiter claro Dei uerbo. Quod non assequitur humana ratio, teneat fides. Quod tradunt sacræ literæ, quod in carne docuit Christus, quod tot miraculis confirmatum est, quod per orthodoxam ecclesiam docet spiritus Dei, id multò certius habendum quàm quod mille demonstrationibus probatum sit, aut quod omnibus sensibus percipere possis. Paulus negat se angelum auditurum, si quid diuersum ab Euangelio Christi adferret. Quin potius arrogantis stultitiæ est, dubitare de his quæ nobis in scripturis & tanta quidem cum authoritate tradita sunt. Maior insania est, nolle diuinis credere oraculis, nō alia causa, nisi quòd noster intellectus nō omnia assequatur, quem tamen scimus ex ingenio & obtenebratum esse & odisse Deum. Apud philosophos impudens habetur, si quis reijciat authoritatem scriptoris alicuius præclari atque probati. Pythagoricis certè ad persuasionem satis erat,

Certitudo doctrinæ de Trinitate.

Gal. 1

αὐτὸς ἔφα, Ipse dixit. Et Christianus tergiuersari & quæstiones curiosas nectere & implicare audet, cùm audit, Deus hoc dixit & ita credere docuit? De regis diplomate nemo dubitat, si modò sigillum agnoscatur: quanta ergo temeritas est de diuinis addubitare testimonijs, quæ tam clara & spiritu Dei firmissimè obsignata sunt?

Summa credendorum de Trinitate.

Proinde ut in breuem summam colligamus id quod huius nostræ expositionis præcipuum est, beati patris Cyrilli uerba C. V. commemorabo, quæ leguntur Libro in Ioan. 9. capite 30. in hæc uerba, Recta fides in Deum patrem est, & in filium, non simpliciter, sed incarnatum, & in spiritum sanctum. Sancta enim consubstantialisq́ trinitas nominum differentijs, id est, personarum proprietatibus, distinguitur. Pater enim pater est, & non filius: filius quoque filius est, & non pater: & spiritus sanctus, spiritus sanctus est patris atque filij proprius. Eadem enim substantia deitatis est: quare non tres, sed unum Deum prædicamus. Oportet igitur in Deum nos credere: sed distinctè latiusq́ fidem exponentes, ut unicuique personæ eandem glorificationem referamus. Nulla enim fidei differentia est. Non enim maior debet esse in patrem, quàm in filium aut in spiritum sanctum, sed una & eadem ratio eius & modus est, in tribus æquali mensura personis consistens: ut etiam hoc pacto unitatem naturæ in trinitate fateamur. Hæc firmiter in animis nostris splendere fides debet, quæ in patrem & in filium est, & in filium dico etiam posteaquam factus homo, & in spiritum sanctum. Tantum ille. Hæc omnia plenioribus firmabuntur testimonijs, ubi uentum fuerit ad assertionem diuinitatis filij Dei & spiritus sancti. Id quod suo loco reseruamus.

Trinitatis mysteriũ patriarchis & prophetis cognitißimum.

Nemo autem existimabit hanc unitatis & Trinitatis Dei fidem uel à patribus ecclesiarumq́ Episcopis esse inuentam, uel Christi demum seculo ab Apostolis primùm prædicatam. Ad eum enim modum, ad quem exposuimus hucusq́, ab exordio mundi crediderunt sancti patriarchæ, prophetæ & omnes electi Dei. Quamuis non negem trinitatis mysterium per Christum mundo clarius esse expositum, certè patriarchis & prophetis cognitissimum fuisse trinitatis mysterium inclarescet ex testimonijs aliquot minimè dubijs, quæ mox subijciemus: ubi illud prius admonuerimus, sanctos Dei patriarchas & prophetas simplici reuelatione & uerbo Dei acquieuisse, & ideo nullas de Vnitate & Trinitate Dei quæstiones curiosas contexuisse. Clarè intellexerunt unum esse Deum patrem omnium, saluatorem unicum, & omnium bonorum authorem, nec alium esse extra uel præter hunc Deum. Illi ipsi clarissimè perspexerunt Dei filium, semen illud promissum, omnia cum patre communia habere: manifestissimè enim saluatorem dici, & redemptorem esse, à quo proficiscantur & conferantur omnia bona credentibus, audierunt: unde iam nullo negotio potuerunt colligere patrem & filium unum esse Deum, licet distent proprietatibus. Quia enim satis certi erant doctrinam de pluralitate deorum damnatissimam ex diabolo pullulasse, coluerũt illi non plures, sed unum Deum, quem tamẽ crediderunt esse trinum. Moses enim eximius Dei seruus mox ab initio libri sui primi dicit: In principio creauit dij cœlum & terram. Coniungit autem uerbo singularis numeri Creauit, nomen plurale Dij, non ut solœcismum committat, sed ut mysterium trinitatis denotet. Sensus enim est, Deus ille trinus, creauit cœlum & terram. Nam paulò post secum consultans Deus de producendo uel condendo homine, dicit, Faciamus hominẽ in imagine nostra. Et faciamus, ait, non faciam. Et, In imagine nostra, non mea. Verùm ne quis arbitretur consultationem cum angelis esse factam, audiat ipsum Deum apud Isaiam dicentẽ: Ego Dominus faciens omnia, extendens cœlum solus à me (id est, ex mea uirtute absq́ admini-

Genes. 1.

adminiculo aut socio) firmans terram. Ergo cum filio consultauit pater, per quem & secula condidit. Rursus ne quis existimet, quod Iudæi obtendũt, numero pluratiuo ista de deo honoris gratia ad morem humanum dici, audias licet quod mox in fine cap. 3. sequitur, Ecce Adam ille factus est sicut unus ex nobis, ut sciat bonum & malum. Posuit autem, Factus est, per enallagen, pro fiet aut eueniet: ut sit sententia, Ecce hoc ipsum eueniet Adamo, quod uni ex nobis, nempe filio: nimirum ut experiatur bonum & malum, id est, fortunam uariam, morbos uidelicet, calamitates & mortem, suauia (ut dici solet) & amara. Hæc est enim sors hominis. At filius incarnatus pro nobis, non pater, non spiritus sanctus, in similitudine ut homo repertus, & uariam fortunam etiam mortis expertus est. Id quod Adamo consolationis (non illusionis) gratia dictum claret. Sicut enim corpus protoplasto suum uestimento contra iniuriam cœli muniuerat bonus dominus, qui peccatorẽ in exilium eijcere statuerat: ita animum mœstum solatur consolationis plenissimo incarnandi passionisq́ exemplo. Sic autem corpore & anima instructos demum eijcit ex horto felicitatis in calamitosissimum exilium. Huius generis testimonia ubiq́ plurima occurrunt. Nam Abrahã tres uidit, sed cum tribus uelut cum uno *Gene. 18.*
colloquitur, & unum adorat. Et, Pluit dominus super Sodomam & Gomorram *Gene. 19.*
sulphure & igni à domino de cœlis, & subuertit ciuitates illas. Cæterum ne quis interpretaretur, Pluit dominus à domino, id est à cœlo, ipse subiũgit mox, De cœlis. Vt enim pater per filium omnia condidit; ita per eundem conseruat omnia: per eundem operatur adhuc. Post Mosen uerò prophetarum celeberrimus Dauid in Psalmis, Verbo domini, ait, cœli facti sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus *Psalm. 34.*
eorum. Audis autem unum esse dominum, in quo interim uerbum est & spiritus, utraq́ distincta, licet non separata. Dominus enim cœlos facit, sed per uerbum: cæterum omnis cœlorum ornatus cõstat spiritu oris domini. Idem Dauid canit: *Psalm. 110.*
Dixit dominus domino meo sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Alibi uerò idem hic Dauid fatetur disertè præter dominũ non esse alium. Hic interim non minus clarè canit, Dixit dominus domino meo, patrem utiq́ intelligens, qui filium Dauidis dominum collocarit ad dextram in cœlestibus. Ex Isaia colligi possunt plurima testimonia. Excellens uerò illud est, *Isaiæ 42.*
quod citauit Matthæus Apostolus hisce uerbis: Ecce filius meus quem elegi, dile- *Matth. 12.*
ctus meus, in quo placata est anima mea: ponam spiritum meum super illum, &c. Cum hoc congruit quod & Lucas citauit: Spiritus domini super me, eo quòd un- *Isaiæ 61.*
xit me, ad euangelisandum pauperibus misit me, &c. Habes in his testimonijs pa- *Lucæ 4.*
trem, filium, & spiritum sanctum. Hæc pauca ex multis. Nec enim affectamus uniuersas scripturas ueteris Testamenti euoluere.

Hanc ergo fidem qua credimus in deum patrem, filium, & spiritum sanctum, accepimus ab ipso deo, traditam nobis per patriarchas & prophetas, omnium clarissimè uerò declaratam per ipsum dei filium, dominum nostrum Iesum Christum, & sanctos eius apostolos: unde iam nullo negotio colligimus, cur omnes ecclesiarum synceriores antistites, uel ministri totaq́ Christi ecclesia hanc fidem tanto consensu, inde ab Apostolorum morte. Impijssimum certè fuisset, hac catholica & orthodoxa fidei forma relicta, eligere & sequi nouam. Extant etiam hodie multorum ecclesiasticorum scriptorum pijssimi & doctissimi libri, quibus orthodoxam hanc catholicamq́ fidem ex scripturis sanctis, & declararunt & defenderunt contra impios hæreticos. Extant uaria, sed omnia eiusdẽ generis, Symbola fidei, in multis edita episcoporum synodis. Extat, discitur, & recitatur hodie ab uniuersali ecclesia, & singulis eius membris doctis & idiotis, om- *Symbolum.*

Mysterium trinitatis non esse uentilandum disputationibus curiosis.

nisq; sexus & ætatis hominibus symbolum, quod Apostolorum dicitur: quo nihil aliud quàm quod hactenus declarauimus, profitemur, nos uidelicet credere in unum deum, nempe in patrem, filium, & spiritum sanctum. Cumq; tanta semper fuerit ab ipso mundi exordio omnium sanctorum in fide ista uera consensio, piissimè ab antiquis principibus regibusq; cautum est, ne quis porrò audeat fidem hanc de sancta dei unitate & trinitate, uel in dubium uertere, uel curiosis quæstionibus disputationibusq; inuoluere. Configebatur olim in populo Israelitico, quisquis limitē præfixum fuisset prætergressus. Sunt & nobis præscripti circa cognitionē dei termini, quos præterijsse nocet, imò quod præsentissima morte punitur.

Exod. 19.

Faxit dominus, ut ipsum, qualis est, deum summum, optimum, maximum, cognoscamus uerè, & colamus religiosè. Hactenus enim de modis & formis cognoscendi deum, qui substantia unus, personis trinus est, disseruimus qua potuimus simplicitate, synceritate, ac breuitate. Agnoscimus interim & fatemur liberè, nihil hactenus & istis quidem omnibus tanta dignum maiestate esse prolatum. Maior est enim deus æternus, optimus, maximus, omni maiestate, omni eloquentia omnium hominum, tantum abest, ut existimem me mea infantia hîc præstitisse tantillum. Quinimò supplex dominum clementissimum oro, quò nobis omnibus, pro sua misericordia & liberalitate, intellectum mentis nostræ illuminet se digna cognitione, per Christum dominum nostrum.

Deum esse creatorem omnium, omniaq; sua gubernare prouidentia: ubi & de bona Dei erga nos uoluntate, ac prædestinatione disseritur. SERMO IIII.

RESTAT, fratres, ut his quæ de deo protulimus, iam coronidis uice quædam non admodum prolixa de ea Dei Creatione subijciamus hodierno sermone, qua ipse conditor omnium, omnia ad utilitatem hominum, saluberrimè condidit, cùm uisibilia tum inuisibilia, eademq; nunc ut semper gubernat uel moderatur sapientissimè. Inde enim non mediocris dei cognitio nobis obtinget, & illustrabuntur multa, quæ in superiore tractatione parcius delibauimus. In indaganda, consideranda, excolendaq; creatione uniuersi partiumq; eius, laborauit omnis externorum domesticorumq; sapientum diligentia, & laborat adhuc laborabitq; donec hic mundus durauerit. Quis enim hucusq; uel sapientissimus peritissimusq;, uel diligentissimus scriptor naturalis historiæ, non plurima posteris elaboranda reliquit? Quis uel hodie, licet utatur doctissimorum scriptorum opera industriaq;, non cogitur adhuc plura & maiora mirari, quàm uel illi sint assequuti, uel ipse assequatur? Vult sapientissimus dominus perpetuò homines ingeniosos donisq; cœlestibus locupletatos occupari, exercerìq; in indagandis proferendisq; creationis & naturæ arcanis. Cæterum nos simpliciter comprehendimus fide condita esse secula ex nihilo nullaq; præiacente materia, per uerbum dei à Deo, subsistereq; in uirtute spiritus diuini. Sic enim crediderunt & docuerunt Dauid rex, & Paulus doctor gentium.

Psalm. 54.
Heb. 11.

Tametsi uerò uniuersi ratio, & creationis modus paucis nec comprehendi, nec proponi queat, conabor tamen quædam proferre in mediū, ex quibus utcunque rerum summa diligenter contemplanti elucescat. Ac malo hîc alienis uti uerbis, quàm meis, maximè cum existimem hoc negotium uix posse uiuidius exponi, quàm enarrarit Tertullianus in libro de Trinitate huiusmodi uerbis, Deus cœlum alta sublimitate suspendit, terram deiecta mole solidauit, maria soluto liquore diffudit, & hæc omnia proprijs & condignis instrumentis & ornata & plena digessit.

Tertullianus
Historia creationis breuibus comprehensa.

digessit. Nam & in solidamento (firmamento) cœli luciferos solis ortus excitauit, lunæ candentis globum ad solatium noctis menstruis incremētis orbis impleuit, astrorum etiam radios uarijs fulgoribus micantis lucis (noctem) accendit: & hæc omnia legitimis meatibus circumire totum mundi ambitum uoluit: humano generi dies, menses, annos, signa, tempora, utilitatesq; factura. In terris quoq; altissimos montes in uerticem sustulit, ualles in ima deiecit, campos æqualiter strauit, animalium greges ad uarias hominum seruitutes utiliter instituit. Syluarū quoq; robora humanis usibus profutura solidauit, fruges in cibum elicuit, fontium ora reserauit, & lapsuris fluminibus infudit. Post quæ ne non etiam ipsis quoq; delicijs procurasset oculorum, uarijs florum coloribus ad uoluptatem spectantium cuncta uestiuit. In ipso quoq; mari, quamuis esset & magnitudine & utilitate mirabile, multimoda animalia, nunc mediocris, nunc uasti corporis finxit, ingeniū artificis de institutionis uarietate testantia. Quibus non contentus, ne forte fremitus & cursus aquarum cum dispendio possessoris humani, alienum occuparet elementum, fines littoribus inclusit, quo cum fremens fluctus, & ex alto sinu spumans unda uenisset, rursum in se rediret, nec terminos concessos excederet, seruans iura præscripta, ut diuinas leges tanto magis homo custodiret, quantò illas etiam elementa seruassent. Post quæ hominem quoq; mundo præposuit, & quidem ad imaginem dei factum: cui mentem & rationem indidit & prudentiam, ut deum posset imitari: cuius etsi corporis terrena primordia, cœlestis tamen & diuini halitus inspirata substantia. Quæ cum omnia illi in seruitutem dedisset, solum liberum esse uoluit. Et ne in periculum caderet rursum soluta libertas, mandatum posuit, quo tamen non inesse malum in fructu arboris diceretur, sed futurum, si fortè in uoluntate hominis de contemptu datæ legis admoneretur. Nam & liber esse debuerat, ne incongruenter dei imago seruiret: & lex addenda, ne usq; ad contemptum dantis libertas effrænata prorumperet: ut & præmia condigna & merita pœnarum consequenter exciperet, suum iam habens illud, quod motu mentis in alterutram partem agitare uoluisset: ex quo mortalitatis inuidia utiq; in ipsum redit, qui cum illam de obedientia posset euadere, in eandem incurrit, cum ex consilio peruerso deus esse festinat, &c. Idem addit super solidamentum partibus, quæ hodie non sunt nostris contemplabiles oculis, angelos prius institutos, spirituales uirtutes digestas, thronos potestatesq; præfectas, & alia multa cœlorū spacia immensa, & sacramentorum infinita opera esse condita, &c. Hæc ille. Quorū quidem omniū summa hæc est, Deus ex nihilo, potentia sua, cœlū condidit, mare, & terram, quæ mox ornauit, ditauitq; omnium bonorum genere. In mundum autem hunc qui meritò appellationem accepit ab ornatu, ceu in magnificentissimum palatium, omni suppellectile splendidissima instructum, induxit hominem, cui & omnia subiecit. Id quod Dauid multa cū admiratione celebrans canit: Domine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra? Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, propter inimicos tuos ut destruas inimicum & ultorem. Equidem suspiciam cœlos tuos, opus digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu præparasti. Quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, ut rationem eius habeas? Minuisti eum paulò minus ab angelis (uel à deo) gloria & honore coronasti eum, & cōstituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues, insuper & pecora campi, uolucres cœli, & pisces maris, qui perambulāt semitas maris. Domine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra. Psalm. 8. Idem alibi canit: Tui sunt cœli, ô deus, &

Cœlum & sydera. *Terra.* *Mare.* *Homo.* *Angeli.* *Dauid celebrat creationis beneficium.* *Psalm. 89.*

tua est terra, orbem & plenitudinem eius tu fundasti ea. Tibi dies, tibi etiam nox, tu ordinasti luminaria & solem: tu statuisti omnes terminos terræ, æstatem & hyemem tu formasti ea. Quis autem tam stupidus, qui non ex his nullo negotio colligat, quantus sit deus noster, quanta uirtus dei, quàm bonus, diues, & munificus in hominem nihil tale meritum, deus, qui tantas opes, exquisitissimasq; delicias, & ornatum nunquam satis laudandum, propter hominem condidit, & ea omnia quæ condidit homini subdidit, seruireq; uoluit?

Deus cuncta gubernat. Porrò in creatione mundi consideranda uenit & uniuersi per eundem deum conseruatio & gubernatio. Neq; enim mũdus sua uirtute subsistit aut permanet, neque suo arbitrio uel temerè mouentur & agunt, quæcunq; mouentur & agunt. *Ioan. 5.* Dominus enim in euangelio dicit: Pater meus ad hoc usq; temporis operatur, & ego operor. *Hebr. 1.* Nam & Paulus: Deus per filium, inquit, etiam secula condidit, moderaturq; & portat omnia uerbo potentię suæ. *Acto. 17.* Item, Per Deum uiuimus, mouemur & sumus. *Acto. 14.* Et rursus, Deus non expertem testimonij se hactenus sinebat dum beneficia conferret, de cœlo nobis dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. *Prouidentia Dei.* Et Theodoretus de Prouidentia: Longe absurdissimum, inquit, est dicere, deum creasse omnia, eorum autem quæ fecit nullam habere curam, & creaturam ueluti cymbam aliquam & clauo gubernatore destitutam à contrarijs uentis huc & illuc impelli, scopulisq; & rupibus allisam confringi. Proinde hoc loco commemoranda uenit diuina gubernatio & prouidentia: quam cũ Epicureis negant etiam hodie omnes impij, dicentes in animis suis, An curaret res terrestres qui cœlos inhabitat? An obseruaret dicta & facta nostra minutissima omnipotens? Contulit ille omnibus creaturis suum ingenium & suam naturam, relinquens modò in manu consilij sui, ut pro suo ingenio moueantur, crescant, pereant, breuiter agant quod libet. Nescit hæc deus, neq; admodum de his est solicitus. Sic impij quidem impiè ratiocinantur: scriptura autem disertè & multis pronunciat imò demonstrat, deum prouidentia sua curare res mortalium, omniumq; propter hominem conditarum rerum. Ac utilissimum imò necessarium fuerit aliquot proferre super his ex uerbo Dei testimonia.

Psalm. 45. Dauid in sacris carminibus, Regnabit, ait, dominus in æternum: & regnum eius, regnum omnium seculorum est, & dominatio eius in generatione & generatione. En regnum Dei, inquit, regnum est omniũ seculorum, & dominatio eius in sempiternas generationes. Proinde mundum & omnia quę in mundo sunt, nõ tantùm creauit Deus, sed moderatur & conseruat adhuc, gubernabitq; ac conseruabit in finem usq;. Nam idem rex & uates Dauid prouidentiam Dei circa hominem celebrans canit: *Psalm. 139.* Tu domine cognouisti siue sedeam siue surgam: omnes uias meas exploratas habes. Quia non est uerbum in lingua mea quod nõ uniuersum noueris domine. A tergo & à fronte formasti me, & posuisti super me manum tuam. Et quæ sequuntur in Psalmo 138. qui totus huc pertinet. Congruit cum doctrina Dauidis testimonium Solomonis dicentis: *Prouerb. 21.* Cor regis in manu dei est sicut fluctus aquarum, quorsum uolet inclinabit. Sua cuiq; uia placet, dominus uerò corda impellit. *Matth. 10.* Nam & in euangelio dixit dominus: Nõnne duo passerculi minuto asse uæneunt: & unus ex illis non cadet super terram sine patre uestro? Vestri uerò etiam pili capitis omnes numerati sunt.

Sunt præterea alia in scripturis de diuina prouidentia testimonia euidentia. *Daniel. 2.* Daniel sapientissimus Orientis, & propheta Dei excellentissimus: Domini est sapientia, inquit, & fortitudo: ipse est qui mutat tempora, & quæ fiunt in tempore: abijcit reges & instituit reges: dat sapientiam sapientibus, & scientiam ijs qui pollent in-

lent intelligentia: ipse reuelat profunda & abscondita: nouit quid sit in tenebris, & habitat lux cum eo. Porrò Ethan Ezrahita canit: Tu domine, dominaris mari procelloso: cum attollit fluctus suos, tu compescis eos. Tu brachium habes omnipotentia præditum, roboras manum tuam, attollis dexteram tuam. Iustitia & æquitate stabilitum est regale solium tuum, bonitas & fides antecedunt faciem tuam. David uerò, De fructu operum tuorũ, ait, ô deus, saturabitur terra. Et producit fœnum pecori, & herbam ad usum hominis, & panẽ qui confirmet cor hominis, uinum autem ut exhilaret. Et mox in eodem Psalmo: Vniuersa ex te pendent, ut des eis cibum suum suo tempore: teq; dante colligunt, & te manum aperiente satiantur bonis. Si autem abscondas faciem tuam, turbantur: sicq; spiritũ eis eripias, expirant & redeunt in suum puluerem. Item, Sustentat dominus omnes cadentes: & erigit omnes collapsos. Dominus soluit compeditos: dominus illuminat cæcos. Dominus custodit aduenas, orphanum & uiduam subleuabit, & uiam impiorum exterminabit. Magnus dominus noster, & magna uirtus eius, & intelligentiæ eius non est numerus. Hic enumerat stellas, & omnes suis uocat nominibus. Ipse operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Dat iumento pabulum suum & pullis coruorum crocitantibus. Dat niuem sicut lanam, pruinam sicut cinerem spargit. Proijcit glaciem suam sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Mittet uerbum suum & liquefaciet ea, flabit spiritu suo & stillabunt aquæ. Et iterum: Scio quòd magnus est dominus, & antecellit omnes deos. Qui fecit quæcunq; uoluit in cœlo & in terra, in mari & omnibus abyssis. Qui eleuat nubes ab extremitate terræ, & fulgura cõuertit in pluuiam. Qui producit uentos de thesauris suis. Recitantur huius generis plurima in libro Iob cap. 38. & 39. ac passim in Psalmis librisq; sanctorum prophetarum: uerùm sufficiunt hæc quæ hactenus recitauimus testimonia, abundè satis testificantia, deum prouidentia sua gubernare hunc mundum, & omnia quæ sunt in mundo, hominẽ inprimis ipsum mundi possessorem, propter quem condita sunt omnia.

Psalm. 88. *Psalm. 104.* *Psalm. 145.* *Psalm. 146.* *Psalm. 147.* *Psalm. 135.*

Nihil hic tribuimus fato, uel Stoico, uel astrologico, neq; quicquam nobis negotij est cum ethnica illa bona uel mala fortuna. Abhorremus in uniuersum à philosophicis in hac caussa disputationibus, à scripturarum propheticarum Apostolicarumq; ueritate alienis. In solo uerbo dei acquiescimus, ideoq; simpliciter & credimus & docemus, deum omnia sua prouidẽtia gubernare, idq; pro bona sua uoluntate, iudicio iusto, ordineq; pulcherrimo, per media iustissima æquissimaq;: quæ si quis aspernetur & solum iactitet prouidentiæ uocabulum, fieri non potest ut rectè intelligat prouidentiæ negotium. Obstrepunt, Quandoquidem dei prouidentia geruntur in mundo omnia, non est quòd nos interponamus nostram industriam: licet otiosis stertere: satis fuerit tãtùm dei expectare impulsum. Si enim indiguerit nostra opera, uel nolentes adiget ad opus quod per nos fieri uolet. Cæterum sancti in scripturis proponuntur nobis, longè syncerius & sentire & loqui iudicareq; de prouidentia. Angelus dicit disertis ad Lotum uerbis: Festina in Zoar, & illic seruare: neq; enim facere possum quicquam, donec tu illuc uenias. En prouidentia Dei seruatur cum suis Lot, perduntur ciues Sodomæ, & uicinarum urbium. In ipso tamen opere conseruationis requiritur Labor Loti, & spontaneus quidem ille. Imò, Non possum facere quicquam, ait dominus, donec tu uenias Zoar. Dauid propheta & rex clarè dicit: Ego in te speraui domine, dixi deus meus es tu: in manu tua sunt tempora mea. Idem tamẽ ille qui se totum in diuinam coniecerat prouidentiam, sedulò deliberauit quomodo sua diligentia & industria eludat subterfugiatq; Saulis soceri sui insidias. Neq; aspernatur auxilium & ar-

Contra gentilismum. Obiectio *Sancti media non negligunt.* *Gene. 19.* *Psalm. 31.* *1. Sam. 19.*

tes Michol dilectæ coniugis. Nõ regerit dicens, Omnia aguntur dei prouidentia, artibus ergo nullis opus erit. Poterit me eripere ex militũ patris nostri manibus, qui omnipotẽs est, aut alio modo seruare miraculoso: quiescamus nos, & sinamus deum operari in nobis. Intellexit autem prouidentiam, ut per media certoq́; ordine procedere, ita sui esse officij, in timore dei se medijs applicare, omnemq́; mouere lapidẽ.
Acto.23. Audit S. Paulus sibi manifestè dici à domino: Sicut Hierosolymis de me testificatus es, ita oportebit te & Romæ testificari. Et quanquam nihil de ueritate promissionum dei addubitaret, nec ignoraret diuinæ prouidentiæ uirtutem, nihilominus nepotem ex sorore sua nunciantem Iudæos conspirasse in Pauli necem, clanculum dimittit ad Tribunum, petitum, ne producatur ad postulationem Iudæorum. Nec difficilem se præbet militibus Romanis deducẽtibus ipsum Antipatrida, inde uerò comitantibus ipsum equitibus. Cæsaream usque.
Acto.27. Idem rursus nauigans in mari Adriatico, & uicinus periculosissimo naufragio, perculsis in naui alijs cõmilitonibus, dicit: Hortor uos ut bono animo sitis: Iactura enim animæ nulla erit ex uobis, sed tantum nauis: Astitit enim mihi hac nocte angelus dei, cuius sum ego, quem & colo, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet sisti. Et ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Propter quod bono animo estote uiri. Credo enim Deo, quòd sic erit quemadmodum dictum est mihi. Cæterũ paulo post nautis è naui fugere quærentibus, dixit idem Paulus Centurioni & militibus: Nisi hi in naui manserint, uos salui fieri non potestis. Pertinent itaq; & media per quæ operatur Deus ad prouidentiam: unde minimè sunt negligenda. Sunt sane ex diuina gubernatione uel prouidentia diuina omnis generis impreßiones, igneæ, aereæ, & aqueæ. Dei enim uirtute, nõ sua ipsius, neq; temerè fœcundat terram æther, fluunt aquæ & refluunt, terra fructus suos profert. Et quanquam sancti nihil hic fieri existiment propter sua merita, dicente apud Matthæum saluatore:
Matth.5. Pluit pater super iustos & iniustos: nunquam tamen obliuiscuntur uerborum prophetæ dicentis:
Isaie 1. Si uolueritis & audieritis, bona terræ comedetis. Si uerò contumaces fueritis, gladio deuorabimini. Quoniam os domini loquutum est. Propheta enim ille magnus Moses prior dixit:
Deut.28. Si diligenter audieris uocem domini Dei tui, ut facias & custodias mandata eius, uenient super te omnes benedictiones. Benedictus eris in ciuitate: benedictus eris in agro. Benedictus erit fructus uentris tui, benedictus erit & fructus terræ. Aperiet tibi dominus ipsum cœlum, ut det pluuiam terræ tuæ tempore suo. Quòd si uocem domini dei tui non audieris, ut custodias atq; facias, uenient super te omnes maledictiones. Maledictus eris in urbe, maledictus eris in agro: & cœli super caput tuum erunt ærei: ac plagis multis percutiet te dominus, &c. Ac historiæ testantur illa dei populo cuncta sic euenisse, certè non sine dei prouidentia. Successus omnis dei benedictio est: calamitas & aduersitas eius maledictio. Hinc ergo colligunt sancti, prouidentia Dei moderari res hominum, sed ideo sibi minimè esse stertendum & media aspernanda, quinimò sedulò ambulandum per gratiam dei in uijs & medijs siue in præceptis ac institutis diuinis. Nam prouidentia dei ordinem rerum non turbat, officia uitæ, laborem & industriam non abrogat, nec tollit è medio iustam œconomicæ obedientiam, sed per hæc operatur salutem hominum accommodantiũ se religiose per auxilium diuinũ decretis seu instituto & operationi diuinæ: cui meritò acceptum ferunt quicquid bene fit, contra corruptioni humanæ & nostræ inscitiæ ac peccatis quicquid male fit. Bella ergo, pestes, & uarias calamitates, etsi per dei prouidentiam mortales affligere norunt sancti, illa tamen omnium hominum peccatis ferunt accepta. Nam Deus bonus est, qui mallet nobis bene quàm male esse.

Imò ipse non rarò pro bonitate sua, pessima consilia nostra in bonum nostrum conuertit: ut uidere est in historia Iosephi in Genesi.

Certè ex accurata diuinæ prouidentiæ consideratione colligunt omnes pij, Deum optimum optimè uelle hominibus. Nam maxima illi de nobis cura est, non in magnis duntaxat rebus, sed etiam in minimis. Tenet ille numeratos dies uitæ nostræ. In conspectu eius sunt omnia & singula membra nostra, tã interiora, quàm exteriora. Nam clarè dicit in Euangelio Dominus, omnes capitis nostri pilos esse numeratos. Tuetur nos sua prouidentia contra omnes morbos & omnia pericula. Alit nos, reparat, conseruat. Omnes enim creaturas ut ad salutem hominum condidit, ita conseruat & bono hominis applicat easdem. *Bona Dei uoluntas discitur ex Dei prouidentia.*

Non minus consolatur pios Dei cultores, doctrina de Præscientia & Prædestinatione Dei, quæ cum Prouidentia cognationem quandam habent. Præscientiam uocant illam in Deo cognitionem, qua cuncta priusquam fiãt, nouit, omniaq; quæ sunt, fuerunt, & erunt, tenet ob oculos pręsentia. Cognitioni enim Dei omnia sunt præsentia, nihil præteritum, nihil futurum. Prædestinatio autem decretum Dei æternum est, quo destinauit homines uel saluare uel perdere, certissimo uitæ & mortis termino præfixo. Vnde & præfinitio alicubi eadem appellatur. De his disputatur uariè, & à multis quidem satis curiosè & spinosè, ac itaquidem, ut non solum animarum salus, sed & gloria Dei apud simpliciores ueniat in periculum. Religiosi scripturarum scrutatores uel interpretes agnoscunt hîc nihil permittendum esse humano ingenio, sed à pronunciatis scripturæ simpliciter pendendum: agnoscunt modum, ut in rebus omnibus, ita in his inprimis seruandum. Perpetuoq; ita que hæc S. Pauli uerba, oculis & mentibus ipsorum obuersantur: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit ei, & reddetur? Illi ipsi nunquam obliuiscuntur admonitionis sapientissimi uiri Iesu Syrah, dicentis: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ pręcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt uidere oculis tuis. Interim uerò nec contemnunt, nec negligunt ea quæ de hoc negotio Deus seruis suis per apertas scripturas reuelare dignatus est. Præscientię dei multa extant, pręsertim in prophetia Isaiæ cap. 41. & sequentibus, testimonia, quibus etiam Dominus demonstrat se uerum esse Deum. Cæterum ab æterno immutabili consilio præfiniuit Deus, qui saluari, quiue damnari debeant. Finis autem, siue decretum uitæ & mortis breue est & omnibus pijs perspicuum. Finis prædestinationis uel præfinitionis, Christus est Dei patris filius. Decreuit enim Deus seruare omnes quotquot communionem habent cum Christo unigenito filio suo, perdere autem omnes quotquot à Christi filij sui unici communione alieni sunt. Communionem uerò cum Christo habent fideles, alieni à Christo sunt infideles. Nam Paulus in Epistola ad Ephesios: Elegit nos Deus, inquit, in Christo, antequam iacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti & irreprehensibiles coram illo, per charitatem: qui prædestinauit nos, ut adoptaret in filios, per Iesum Christum in sese, iuxta beneplacitum uoluntatis suę, ut laudetur gloria gratię suę, qua placatus est nobis in dilecto. En elegit nos deus, & elegit ante iacta mũdi fundamenta, elegit autem ut essemus irreprehensibiles, hoc est, æternæ uitæ hæredes. Cæterum in Christo, per uel propter Christum nos elegit. Et adhuc clarius: Prædestinauit nos, inquit, ut adoptaret in filios, sed per Christum, idq; gratis fecit, ut gloria detur gratiæ diuinæ. Proinde quicunq; in Christo sunt, electi sunt.

De prædestinatione Dei. *Roma. 11.* *Eccles. 3.* *Ephes. 1.*

O

1. Ioan. 5. Nam & Ioannes Apostolus dixit: Qui habet filium, uitam habet: qui non habet filium Dei, uitam non habet. Cum Apostolica doctrina congruit Euangelica. Nam in Euangelio dicit Dominus: Hæc est uoluntas eius qui misit me patris, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam: & ego suscitabo eum in nouissimo die. Ioan. 6. En hæc est uoluntas siue decretum Dei æternum, ait, ut in filio per fidem salui fiamus. Rursus & ex contrario de prædestinatis ad mortẽ, dicit Dominus: Ioan. 3. Qui non credit, iam condemnatus est, quia non credidit in nomen unigeniti filij Dei. Hæc est autem condemnatio, quòd lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. *Quis electus, & prædestinatus sit ad uitã.* Proinde si me roges, an electus sis ad uitam, an prædestinatus ad mortem, hoc est, an sis de damnandorum, an saluandorum numero, simpliciter ex scriptura Euangelica & Apostolica respondeo: Si communionem cum Christo habes, prædestinatus es ad uitam, & es de numero electorum: si uerò alienus es à Christo, utcunque uidearis pollere uirtutibus, prædestinatus es ad mortem, ac præscitus, ut aiunt, ad damnationem. Altius & penitius in consessum diuini consilij subrepere nolo. Atque hîc repeto superiora scripturæ testimonia: Deus prædestinauit nos, ut adoptaret in filios per Iesum Christum. Hæc est uoluntas Dei, ut qui credit in filium, uiuat: qui uerò non credit, moriatur. Fides ergo certissimum signum est quòd electus sis, dumq; uocaris ad communionem Christi, & fidem doceris, electionem & beneuolentiam suam erga te declarat benignus Deus.

Tentatio grauis in hac causa. Sanè per quàm grauiter tentantur & exagitantur quæstione Electionis simpliciores. Conatur enim diabolus congerere ipsorum mentibus odium Dei, quasi inuideat nobis salutem, destinaritq; morti. Hoc ut facilius persuadeat nobis, improbè fidem nostram labefactare contendit, quasi dubia sit nostra salus, quæ incertæ Dei, electioni innitatur. Contra ignita hæc tela muniant serui Dei pectora, huiusmodi ex scriptura petitis cogitationibus, adeoq; consolationibus. Prædestinatio Dei nulla innititur aut mouetur uel dignitate uel indignitate nostra: sed ex mera gratia & misericordia Dei patris, in solum respicit Christum. Et quoniam in hunc innititur salus nostra tantùm, non potest non esse certissima. Nam hallucinantur qui existimant prædestinari à Deo ad uitam saluandos, propter merita uel bona opera quę in ipsis præuidet Deus. Nam Apostolus Paulus disertè dicit: Elegit nos in Christo, in sese, iuxta beneplacitum uoluntatis suæ, ut laudetur gloria gratiæ suæ. Roma. 9. Et iterum: Non est uolentis neque currentis, sed miserentis Dei. Rursus, 2. Tim. 1. Deus saluos nos fecit, & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data est nobis per Christum Iesum, ante tempora æterna, sed reuelata est modò per apparitionem Domini nostri Iesu Christi. Gratis ergo nos ex mera sua misericordia, non propter merita nostra, sed propter Christum, & non nisi in Christo elegit, & propter Christum complectitur. Quia pater est, & hominũ amator. De quo & propheta Dauid cecinit: Psalm. 103. Misericors & clemens est Dominus, longanimis & multæ pietatis. Et quemadmodum miseretur pater filiorum, ita misertus est Dominus timentibus se. Ipse enim nouit figmentum nostrum, recordaturq; quòd puluis sumus. Quinimò apud Isaiam Isaia 51. legimus: Nunquid obliuiscetur mulier infantis sui, ut non misereatur filij uteri sui? Vtcunq; uerò illa obliuiscatur, ego tamen tui non obliuiscar. Certè in Christo filio Dei unigenito nobis exhibito, declarauit Deus pater quanti nos faciat. Inde colligit Apostolus. Roma. 8. Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus dedit illum, quî fieri potest, ut non & cum eodem omnia donet? Quid ergo non polliceamur nobis de tam benefico patre? Neque enim conqueri poteris tibi non esse

esse daturum filium, uel tuum non esse, quem dicit Apostolus datum pro nobis omnibus. Quinimò ipse Dominus in Euangelio clamans, dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Et iterum ad discipulos: Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Vnde & Paulus dixit: Seruator noster Deus uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Vetustissimis enim retro temporibus dictum est Abrahæ: Benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ. Et Ioel dixit: Et erit, ut quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus fiat. Id quod & Petrus repetijt Actor. capite 2. & Paulus Roman. capite 10. Isaias quoque dixit: Omnes nos quasi ouis errauimus, unusquisque ad uiam suam respexit: & Dominus fecit incurrere in ipsum omnium nostrum iniquitates. Idcirco & S. Paulus dicere audebat: Sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem: ita & per unius iustificationem propagatur bonum in omnes homines ad iustificationem uitæ. Proinde Dominus obuijs ulnis peccatores & publicanos in Euangelio recepisse legitur, his insuper uerbis adiectis: Veni quærere quod perierat. Nec ueni uocatũ iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Quæ quidem omnia huc pertinent, ut propius expensa, confirment nos de bona ergo nos uoluntate Dei, qui in Christo nos elegit ad salutem: quæ quidem salus non potest non esse certissima, modisq; omnibus indubitata: præsertim cùm ipse quoque in Euangelio dicat Dominus: Oues meę uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & uitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea, &c.

Matth. 11. *Marci 16.* *1. Tim. 2.* *Genes. 22.* *Ioel. 2.* *Isaiæ 53.* *Rom. 5.* *Matth. 9.* *Lucæ 19.* *Ioan. 10.*

Scio quid hic denuò angat multorum mentes, Oues, inquiunt, Christi electæ agnoscunt uocem Christi, firmaq; fide præditi indiuulse inhærent Christo, utpote qui tractum illum senserunt diuinum, de quo Dominus in Euangelio ait: Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum: ego uerò ut huiusmodi tractum nõ sentio, sic plena fide filio Dei non inhæreo. Sanè requiritur in primis uera fides ab electis. Electi enim uocantur, uocati uerò fide uocationem recipiunt, ac se accommodant uocanti. Qui non credit condemnatus iam est. Vnde & Paulus, Deus, inquit, est seruator omnium hominum, maximè fidelium. Porrò nisi trahamur à patre cœlesti, credere non possumus. Curandum autem etiam atque etiam, ne uanas opiniones de tractu illo diuino concipientes, ipsum negligamus tractum. Equidem uiolenter traxit Paulum, sed non omnes crinibus ad se trahit. Sunt & alij modi, quibus hominem ad se ducit, non autem ut truncum attrahit. Apostolus Paulus: Fides, ait, ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Trahit ergo Deus, cùm annunciat tibi per seruos suos Euangelium, cùm tangit cor, cùm ad preces te excitat, quibus illius gratiam & auxilium, illuminationem & tractum implores. Hęc cùm in animo sentis, noli alium expectare tractum, noli contemnere oblatam gratiam, sed utere præsenti, & ora pro gratiæ augmento. Piè etenim ad maiora & perfectiora subinde aspiras, interim tamen minora non est quòd asperneris. In Euangelio secundum Matthæum ampliores opes recipiunt, qui pauculis talentis acceptis, fideliter negotiati fuerant. Qui uerò spreuerat talentum creditum, & ignauiæ suæ nescio quid curæ prætexebat, grauiter accusatur, imò pecunia semel data iterum spoliatur, & conijcitur in æterna tormenta, uinculis constrictus condemnationis. Quinimò in genere pronunciat Dominus: Omni habenti dabitur & abundabit. Qui uerò non habet, etiam id quod habet auferetur ab eo. Habet autem qui gratiam Dei agnoscit, magnificat & excolit. Ei additur ad cumulum gratiarũ, ac redditur abundantior. Non habet, qui dona Dei non agnoscit, & subinde

De tractu prædestinatorum ad uitam. *Ioan. 6.* *1. Tim. 4.* *Actor. 9.* *Rom. 10.* *Matth. 25.* *Matth. 13.*

alia nescio qualia imaginatur, interim gratiam acceptam & præsentem non exhibe-
lit. Et hi ferè prætexere solent, tractum sibi nondum obrigisse: ac periculosissimum
2. Corinth. 6. esse cum donis Dei negotiari. Multò autem aliter S. Paulus iudicans, dicit: Quin
1. Timoth. 2. & adiuuantes obsecramus, ne in uacuum gratiam Dei receperitis. Et ad Timo-
theum: Commonefacio te, ut suscites donum Dei quod est in te. Non quòd sine
Deo aliquid ex nobis ipsis possimus: sed quòd nostram operam requirit Dominus,
quæ tamen non est extra & sine eius auxilio & gratia. Verè enim idem Apostolus
Philip. 2. dixit: Deus operatur in nobis uelle & perficere, pro bona animi sui uolũtate. Item:
2. Corinth. 3. Non quòd idonei simus ex nobis ipsis, tanquam ex nobis ipsis cogitare quicquam,
sed omnis idoneitas nostra ex Deo est.

Fides augmenta habet. Porrò nolo desperare quenquam, si non perfectissimam protinus experiatur
in animo fidem. Scriptura Euangelica ait: Vltrò terra fructificat, primùm herbam,
Marci 4. deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Sic enim & augmenta habet
Lucæ 11. fides. Ideoq; orarunt ipsi Apostoli Domini: Adauge nobis fidẽ Domine. Præterea
Marci 9. apud Marcum acclamat miser quidem saluatori: Age si quid potes Domine, sub-
ueni misertus nobis: sed audit protinus Dominum dicentem: Illud si potes crede-
re. Omnia possibilia credenti. Hic uerò exclamauit miser: Credo Domine, succur-
re incredulitati meæ. En credit hic miser, sentiens utiq; fidem in animo à Deo do-
natam: quam tamen intelligit usque adeò infirmam esse, ut Dei præsidio indigeat.
Orat ergo: Succurre incredulitati, id est fidei meæ: quæ si conferatur cum absolu-
ta fide, incredulitas uideri poterat. Verùm audite, quæso, quid hæc quantumuis
exigua effecerit fides, quid potuerit animus humilis, & à sola Dei misericordia de-
pendens. Protinus enim sanat miseri puerum, & incolumitati restitutum uelut
ex mortuis excitatum, patri fideli reddit. Si quis ergo fidem in animo sentit, ne de-
speret, licet intelligat hanc satis esse tenuem & exilem: coniiciat se totum in dei mi-
sericordiam, minimum aut nihil prorsus de suis præsumat uiribus, pro augmen-
to fidei indesinenter oret. In quo instituto certè saluberrimè confirmare possunt
quemlibet hęc consolatione plenissima Saluatoris ex sancto Euangelio uerba: Pe-
Matth. 7. tite & dabitur uobis: quærite & inuenietis: pulsate & aperietur uobis. Quisquis
Lucæ 11. enim petit, accipit: & quicunq; quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. An quisquam
est uestrum homo, qui si filius eius petierit panem, lapidem daturus sit illi? Aut si
piscem petierit, num serpentem addet illi? Si uos igitur, cùm sitis mali, nostis bo-
na dare filiis uestris, quantò magis pater uester qui est in cœlis, dabit bona, ipsum
spiritum sanctum, si postulaueritis ab eo? Hæc & similia in sacrosancto Euangelio
nobis proposita ad consolationem, plus mouere & confirmare debent animos no-
stros de bona imò optima erga nos Dei uoluntate, quàm diaboli suggestiones,
quibus non tantùm spem electionis nostræ subuertere, sed & Deum suspectum
nobis reddere conatur, quasi odio habeat creaturam suam, quam perditam malit,
Genes. 3. quàm seruatam. Atqui probè notus est sanctis ex suis artibus. Sic enim & primis
nostris parentibus imposuit. Teneamus nos firmiter pectoribus nostris impres-
sum, Deum nos elegisse in Christo, & propter Christum prædestinasse ad uitam,
ideóque fidem in Christum & donare & augere petentibus, eundémque ut pe-
tamus inspirare. Omnia enim salutis nostræ, gratiæ sunt diuinæ, nihil nostrum
est præter opprobrium. Hæc hactenus in medium attuli fratres, de mirifico ad-
mirandóque opere creationis ab æterno, uero & uiuo Deo, nulla profectò mole-
stia nullóque negotio. Dixit enim, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Ad-
fecimus paucula de gubernatione rerum omnium sapientissima & optima, per di-
uinam eius prouidentiam semper iustam æquissimámque: Item de bona Dei erga
nos

nos uoluntate, de Prędestinatione & alijs quibusdam his agnatis. Omnia uerò hęc recitauimus ad ornandam gloriam cognitionémque Dei creatoris nostri. Cui testimonium reddit tam inuisibilium quàm etiam uisibilium, & semper & tota natura. Quem angeli adorant, astra mirantur, maria benedicunt, terræ uerentur, inferna quæque suspiciunt. Quem mens omnis humana sentit, etiamsi non exprimit. Cuius imperio omnia commouentur, fontes scaturiunt, amnes labuntur, fluctus assurgunt, fœtus suos cuncta parturiunt, uenti spirare coguntur, imbres ueniunt, maria commouentur, fœcunditates suas cuncta ubiq; diffundunt. Qui peculiarem protoplastis nostris felicitatis hortum plantauit, mandatum dedit, sententiámque contra delictum statuit. Noe iustissimum de diluuij periculis liberauit, Enoch transtulit in amicitiæ societatem, Abrahamum adlegit, Isaac protexit, Iacobum auxit, Mosen populo ducem præfecit, ingemiscentes filios Israelis è iugo seruitutis eripuit, legem scripsit, patrum sobolem in terram promissionis induxit, prophetas spiritu instruxit, & per hos omnes filium suum unigenitum repromisit, & eo puncto quo sese daturum spoponderat misit, per quem etiam nobis in notitiam uenire uoluit, & in nos omnia bona sua cœlestia effudit. Et quia ultrò largus & bonus est, ne totus hic orbis auersus gratiæ eius fluminibus aresceret, Apostolos doctores in totum orbem per filium suum mitti uoluit, ut conditio generis humani agnosceret institutorem, & siquidem sequeretur, haberet quem pro Deo in suis iam postulationibus, patrem diceret. Cuius modò prouidentia non tantùm sigillatim per homines cucurrit aut currit, sed etiam per ipsas urbes & ciuitates, quarum exitus prophetarum uocibus cecinit, imò etiam per totum orbem. Cuius propter incredulitatem exitus, plagas, diminutiones pœnasq; descripsit. Et ne quis non etiam ad minima quæque, Dei putaret istam infatigabilem prouidentiam peruenire, Ex duobus, ait Dominus, passeribus unus non cadit sine patris uoluntate: sed & capilli capitis uestri omnes numerati sunt. Cuius etiam cura & prouidentia, Israelitarū non sinit nec uestes consumi, nec uilissima in pedibus calceamenta deteri. Nec immeritò. Nam si hic omnia complexus est continens, omnia autem & totum ex singulis constant, pertinget consequenter eius ad usque singula quæque cura, cuius ad totum quicquid est peruenit prouidentia. Huic soli gloria.

De solo Deo viuo, vero & æterno adorando, inuocando & colendo, deq; uera & falsa religione. SERMO V.

DIXI de Deo, quis, qualis & quantus sit, non equidem quod debui, sed quod potui: adumbraui item quàm bona propensaq; sit eius erga hominem uoluntas, quem in filio unigenito æternæ destinauit saluti, quem & in præsenti seculo uniuersorum constituit Dominum, subiectis ei omnibus: iam uerò ne ignoret homo quid debeat Deo tam potenti, & patri tam benigno ac munifico, subiungam modò dissertationem de Deo hoc uiuo, uero & æterno, ab homine adorando, inuocando & colendo. Homo enim nec conditus nec natus est, ut astra, sicuti philosophus ille desipiebat, contempletur, sed ut sit imago & templum Dei in quo inhabitet regnetq; Deus, ideoq; Deum agnoscat, reuereatur, adoret, inuocet ac colat, adeoq; & Deo coniungatur, & uiuat cum eo ipso æternùm. Dicam uerò de adorando Deo primùm, deinde de inuocando, postremò de colendo. Vnde nullo negotio intelligemus, quæ uera, quæue falsa sit religio. Vberrimi quidem sunt loci propositi, sed comprehendam breuibus quæ scriptura sancta de illis nos docet, non singula quidem, sed potissima, & quantum saluti nostræ

ſobriæq́ue cognitioni ſufficere uidetur.

Adorare quid. Adorare in ſcripturis diuinis, ſignificat honoris cauſſa caput aperire, incurua-
re ſe, inclinare uel flectere genua, aut toto etiam corpore procumbere in terram,
procidere in faciem ad pedes alicuius, more ſupplicum, in ſignum humiliationis,
ſubiectionis deditionisq́ue, ac refertur maximè ad corporis habitum. Hebræi ſubin-
de unico utuntur uocabulo Schahah, quod omnes interpretes uerterunt per uoca-
bulum adorare, inclinare, incuruare & procumbere. Græci reddiderunt per uerbũ
προσκυνῶ, id eſt, genua flecto, caput detego, ſupplico uel adoro. Eſt aũt προσκύνησις
adoratio, uel ab oſculando ſic dicta, uel à moto galero. Nam κυνέω ſignificat oſcu-
lor. Ac oſculum quondam cultus, uenerationis aut adorationis fuiſſe ſymbolum
colligitur ex 31. cap. Iob. Quid quod uel hodie receptiſſimum eſt honoris uene-
rationisq́ue gratia manum oſculari? Rurſus κυνῆ ſignificat galerum, biretum uel pi-
leum: ut adorare ſit nudare uel aperire caput uenerationis ergò. Reſpexerunt for-
taſſis & Latini ad corporis habitum. Nam orare utrunque ſignificat & petere ali-
quid & dicere. Adorat itaq́ue, qui coniecto in aliquem uultu ſuppliciter aliquid pe-
tit. Veriſimile eſt & Germanos huc reſpexiſſe. Nam adorare reddunt per anbät-
ten. Quod præterea uerti poterit zů füſſen fallen. Matth. 9. legis: Ecce primas qui-
dam uenit ad Ieſum, & adorauit eum. At Marcus eandem contexens hiſtoriam,
Et ecce uenit quidam, inquit, principum ſynagogæ, nomine Iairus, & cùm uidiſ-
ſet eum, procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multum: utiq́ue exponens no-
bis quid ſit adorare, nimirum procidere ad pedes alicuius, & ſupplicem ſe ſub-
ſternere deprecariq́ue. Ita enim legimus & in ueteri ſcriptura de Iacobo Iſraele pa-
Geneſ. 33. tre noſtro: Et ipſe progrediens, adorauit pronus in terram ſepties, donec appropin-
quaret frater eius Eſau. De Dauide & Abigaele ſic legimus in Samuele; Cùm ui-
1. Sam. 25. diſſet Abigael Dauid, feſtinauit, & deſcendit de aſino, & procidit coram Dauid
ſuper faciem ſuam, & adorauit ſuper terram, & cecidit ad pedes eius, dicens: Mihi
Domine illa imputetur iniquitas, &c. Similiter ſcriptum legitur de Nathan pro-
3. Reg. 1. pheta: Et cùm ad Dauidem ingrederetur, adorauit pronus in terram. Hoc etenim
Adorare homines. honoris communicans concedit Dominus hominibus, uel ſenio uel authoritate
Pſalm. 82. dignitateq́ue conſpicuis. Homo enim imago Dei uiua eſt. Et Deus ipſe homines
Ioan. 20. authoritate præcellentes deos appellare dignatur. Vnde Apoſtoli Chriſti Petrus
1 Pet. 2. & Paulus populum Dei inſtruentes docuerunt, ille quidem, Deum timete, regem
Roma. 13. honorate: hic autem, Magiſtratus Dei miniſter eſt: reddite ergo omnibus, cui
honorem, honorem: cui timorem, timorem. In lege dicit Dominus, Coram cano ca-
pite aſſurge, &, Honora parentes. Propter hoc Dei præceptum reuerentur pij, ſe-
nes, parentes, & magiſtratus, obedientiaq́ue fideli Deo placent. Cæterum adorare
uel honorare ſimulachra, cuiuſcunq́ue tandem ſpeciei aut formæ ſint, nuſpiam con-
Exodi 20. cedit Dominus. In lege enim dicit: Non adorabis, non coles. Et per prophetam
Iſaiæ 44. Iſaiam: Nullúſne, inquit, apud ſe expendit hoc negotium, & ait: Ligni partem
combuſſi igni, coxi panem, aſſaui carnem & comedi, & ex reſiduo abominationẽ
facerem, & ante truncum ligneum adorarem? Apud eundem prophetam multa
Eſaiæ 2. cum indignatione pronunciatum legis, Repleta eſt terra eius idolis, opus manuũ
ſuarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incuruauit ſe homo, & hu-
miliatus eſt uir: ne ergo remittas eis. Proinde ſpiritu prophetico inſpiratus uetu-
Lib. 2. cap. 18. ſtus ſcriptor Lactantius contra Gentes diſputans, ſic ſcriptum reliquit, Simu-
» lachra ipſa quæ coluntur, effigies ſunt hominum mortuorum. Eſt autem peruer-
» ſum & incongruens, ut ſimulachrũ hominis, à ſimulachro Dei (homine) colatur.
» Colit enim quod eſt deterius & imbecillius. Deinde ipſæ imagines ſacræ, quibus
uaniſſimi

uanissimi homines seruiunt, omni sensu carent, quoniam terra sunt. Quis autem non intelligat nefas esse rectum animal curuari, ut adoret terram? Quæ ideo pedibus nostris subiecta est, ut calcanda nobis non adoranda sit, qui sumus ideo excitati, ut non reuoluamur deorsum, ne hunc cœlestem uultum proijciamus ad terram, sed oculos eò dirigamus, quò illos naturæ suæ conditio direxit. Quicunque ergo sacramentum hominis tueri, rationemque naturæ suæ nititur obtinere, ipse se ab humo suscitet, & erecta mente oculos suos tendat in cœlum: non sub pedibus quærat deum, nec à uestigijs suis eruat, quod adoret. Quia quicquid homini subiacet, infra hominem sit necesse est: sed quærat in sublimi, quærat in summo: quia nihil potest homine maius esse, nisi quod fuerit supra hominem. Deus autem maior est homine: supra ergo non infra est: nec in ima potius, sed in summa regione quærendus est. Quare non est dubium, quin religio nulla sit ubicunque simulachrũ est. Nam si religio ex diuinis rebus est, diuini autem nihil est, nisi in cœlestibus rebus: carent ergo religione simulachra. Quia nihil potest esse cœleste in ea re, quæ fit ex terra. Quod quidem de nomine ipso sapienti apparere potest. Quicquid enim simulatur id falsum sit necesse est: nec potest unquam ueri nomen accipere, quod ueritatem fuco & imitatione mentitur. Si autem non omnis imitatio nõ res seria, sed quasi ludus ac iocus est, non religio in simulachris, sed minus religionis est. Præferendum est igitur uerum omnibus falsis. Calcanda terrena, ut cœlestia consequamur. Hæc non temere recitauimus hactenus ex Lactantio: redimus modò ad institutum nostrum. Cap. 19.

Quoniam uerò exterior corporis habitus formatur ferè secundum interiorem animi qualitatem, & exterior corporis adorantis habitus, adorantem subijcit, dedicat atque addicit ei qui adoratur, transfertur adoratio ad interiorem quoque hominem, ut adorare sit deum reuereri & respicere, huic se deuouere, & ipsi indiuulse adhærere, ab hoc uno pendere in omnibus, & ad hunc recurrere in quibuslibet nostris necessitatibus. Porrò animum uera fide & sancto timore dei sic rectè imbutum, sequitur mox, cum necesse est & facultas conceditur, exterior adoratio. Est enim adoratio duplex, alia animi uel spiritus, interior, syncera ac uera: alia corporis, exterior, insyncera, fucata, ac falsa, si quis nulla sit religione imbutus. Vera adoratio est ueræ fidei & sancti timoris dei fructus, nempe addictio supplex & humilis consecratio, qua nos dedicamus, addicimus subijcimusque deo nostro, quem intelligimus ut optimum clementissimumque patrem, ita summum & omnipotentem esse deum: toti ergo ab ipso solo pendemus, & in ipsum solum respicimus: quod & externa adoratione, protinus atque occasio nobis datur, exprimimus atque testificamur. Totum hoc rectius intelligemus ex subiectis his scripturæ sanctæ testimonijs. Canit David: Venite exultemus domino, iubilemus deo salutari nostro. Præoccupemus faciem eius in confessione, & in Psalmis iubilemus ei. Quoniam deus magnus dominus, & rex magnus super omnes deos: quia in manu eius sunt fines terræ, & altitudines montium ipsius sunt. Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam manus eius firmauerunt. Venite adoremus & procidamus & ploremus ante dominũ, qui fecit nos: quia ipse est dominus Deus noster, & nos populus pascuæ eius & oues manus eius. Intelligis ideo nobis adorandum esse deum, & ipsi adhærendum laudesque canendas, quia deus est potentissimus creator omnium, etiam noster creator, pater & pastor noster. Similiter in euangelio secundum Matthæum fidem sequitur adoratio, & quasi ex illa nascitur atque souetur. Postquam enim edocti miraculo discipuli credidissent Iesum esse Christum, Accesserunt, ait Matthæus, & adorauerunt eum, dicentes: Verè Dei

Adoratio spiritualis.

Adoratio duplex.

Psalm. 94.

Matth. 14.

Ioan.9. filius es. Rursus in Ioanne legis dominum interrogasse eiectum è synagoga cæcū illuminatum ac dixisse: Credis ne in filium Dei? Cæcum autem respondisse. Quis est domine ut credam in eum? Respōdisse autem Iesum & dixisse: Et uidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. Ad hæc protinus sequitur in historia, At ille ait: Credo domine & adorauit eum. Huc iam pertinet quod dominus in euangelio ad *Ioan.4.* Samaritanam dicit: Veri adoratores adorabunt patrem spiritu & ueritate. Approbat enim dominus spiritualem & internam adorationem, non externam & fucatam uel hypocriticam, sed quæ proficiscitur ex animo regenerato fide per spiritum sanctum, & syncerè in unum Deum tendentem. Nam legimus in ueteri historia, *In historiis Regum.* in ueritate adorasse eos principes, qui toto corde uni deo se consecrarunt & à solo penderunt: rursus non integro corde adorasse dominum, qui syncera fide destituti, simul à creaturis pependerunt. Rationem autem huius adorationis subijcit in euangelio dominus. Adoratio, inquit, adorato per omnia respondere debet, Deus autem qui adoratur spiritus est & ueritas, delectaturq; spirituali cultu & uera fide: spiritu ergo & ueritate adorari debet.

Vere adorare Deum quid sit. Proinde sanctis maxima cura est, ut interior mentis adoratio integra sit, adorentq; inprimis animo & uerè, syncera fide & numinis reuerentia: interim foris supplices quoq; procidunt & adorant coram domino. Sequitur enim interiorem adorationem exterior. Adorant & hypocritæ deum corpore satis suppliciter, sed quia animus peregrinatur nec adhæret fide & reuerentia domino, audiunt à do- *Isaie 29.* mino per prophetam: Populus hic labijs suis me honorat, cor autem eorum longè *Matth.15.* abest à me: sed frustra me colunt docentes doctrinas, præcepta hominum. Et hæc quidem est fucata & falsa adoratio. Falsa est & illa imò scelerata & abominanda, qua adorantur uel cum deo, uel pro aut sine deo creaturæ. Quinimò in uniuersum non adorant deum, qui deum nec metuunt, nec in deum credunt, nec pendent à solo Deo.

Soli deum adorandum esse. Equidem fatentur omnes deum adorari oportere, sed non omnes syncerè agnoscunt & confitentur solum deum esse adorandum, restat ergo demonstrandū, quòd solus deus sit adorandus ab hominibus. Adoratio coniuncta est cum uera fide, & syncera numinis obseruantia: quæ cum soli deo debeātur, solus certè deus adorandus est. Toties itaq; in lege & prophetis repetitur & inculcatur, Dominum deum tuum adorabis, & deum alienum non adorabis. Est autē deus alienus, quicquid tibi extra & præter deum unicum, uiuum, uerum & æternum deligis adorandum: solus itaq; uerus uiuus & æternus deus est adorandus. In euangelica hi- *Matth.4.* storia legimus diabolum tentasse dominum nostrū Christum, subductoq; in montem excelsum, inde illi commonstrasse omnia regna mundi eorumq; gloriam, ac dixisse: Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me: dominum uerò respondisse: Abi satana, scriptum est: Dominum deum tuum adorabis, & illum solum coles. Cohærent autem inter se mutuum, ut disiungi non possint, adoratio & cultus: unde cum solus coli postulet, certè solus uult adorari. Et magnus dei prophe- *3.Reg.18.* ta Helias docens deum consortis in cultu impatientissimum esse, ad populū cum deo simul & deum Baal adorantem, clamat: Quousq; tandem uos claudicatis in duas partes? Si dominus est deus, sequimini eum: si Baal, ite post ipsum. Quasi di- *Matth.6.* xerit, non potestis simul deum adorare & Baal. Nemo potest duobus dominis ser- *Deut.6.* uire. Dominus enim deus noster totum requirit cor nostrum, totam mentē & ani- *Hebr.1.* mam: nihil ergo relinquit nobis quod ulli alij impendamus. In epist. ad Hebræos ostendit Paulus Christum angelis excellentiorem esse, quia Christum adorant angeli, nec uicissim adorantur. Si autem angeli non adorantur, quē dabimus præter Deum

deum uiuum uerum & æternum, qui mereatur adorari? Solus ergo deus adorandus est. Nam in reuelatione Iesu Christi facta beato Ioanni apostolo & euangelistæ, sic legimus scriptum: Et uidi alterum angelum uolantem per mediū cœli, habentem euangelium æternum: ut euangelisaret habitantibus super terrā, & omni genti & tribui & linguæ & populo, dicentem magna uoce: Timete deum, & date illi honorem: quia uenit hora iudicij eius, & adorate eum, qui fecit cœlum & terram, mare & fontes aquarum. Et iterū in eodem libro legimus: Et cecidi ante pedes angeli, ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris, Conseruus tuus sum & fratrum tuorū habentium testimonium Iesu, deum adora. Rursus in fine libri eiusdem legis: Et postquam audissem & uidissem, cecidi ut adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc ostēdebat. Et dicit mihi: Vide ne feceris: cōseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum qui seruant uerba libri huius. Nec multum ab hac re abludit S. Petri factum dictumq́, cuius ad pedes cum procidisset Cornelius Centurio, & adorasset, dixit Petrus: Surge, & ego ipse homo sum, simul autem iniecta manu procumbentem erigebat. Religiosissimè ergo scripsit de Vera religione Augustinus, dicens: Non sit nobis religio humanorū operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices, qui talia fabricantur, quos tamen colere nō debemus. Non sit nobis religio cultus hominum mortalium. Quia si piè uixerint, non sic habentur, ut tales quærant honores: sed illum à nobis coli uolūt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse cōseruos. Honorandi ergo sunt propter imitationem: non adorandi propter religionem Si autem male uixerint, ubicunq; sint, non sunt colendi. Idem Augustinus libro de Consensu euangelistarum primo, cap. 18. disputat: Quare Romani nunquam receperint & deum, & dei cultum Hebræorum, cum tamen omnium fermè Gentiū deos receperint colendos? & respondet nulla id alia factum caussa, quàm quòd Hebræorum deus solus uoluerit coli absq; consorte. Verba eius si quis requirat, hæc sunt: Nihil restat ut dicant cur huius dei sacra non receperint: nisi quia se solum coli uoluerit: illos autē deos gentium, quos isti iam colebant, coli prohibuerit. Socratis enim (quem sapientissimum omnium hominum etiam oraculo fuisse firmarunt) sententia est, unumquenq; deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendū præceperit. Proinde Romanis summa necessitas facta est, non colendi deum Hebræorum. Quia si alio modo eum colere uellent, quàm se colendum ipse dixisset, non utiq; illū colerent, sed quod ipsi finxissent. Si autem illo modo uellent, quo ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant quos ille coli prohibebat: ac per hoc respuerunt unius ueri dei cultum, ne multos falsos offenderent: magis arbitrantes sibi obfuturam fuisse istorum iracundiam, quàm illius beneuolentiam profuturam. Hæc Augustinus. Et quanquam hæc de cultu dei scripta sunt, nos autē disputemus de adoratione numinis, non tamen aliena sunt à proposito. Nam cohærent inter se indiuulse adoratio & cultus dei. De hoc paulò post plura. Ex illis autem colligimus, solum adorandum esse deum uerum, uiuum & æternum, iuxta illam legis decantatissimam sententiam: Dominum Deum tuum adorabis, timebis, eiq; soli seruies: ipsi adhærebis, iurabisq; in nomine eius.

Apoc. 14. *Apoc. 19.* *Apoc. 22.* *Act. 10.* *De uera religione cap. 55.* *Augustinus.* *Quare Romani nunquam receperint Deum Iudæorum colendum.* *Deut. 10.*

Cæterum magna præmia ueris suis adoratoribus promisit & præstitit deus ab initio, præstabitq; quoad hic mundus steterit. Contra uerò ingentia credimus mala illis parata esse, qui uel deū non adorant, uel pro deo uero alienos adorant deos. Dominus in reuelatione sua Ioanni apostolo facta: Timidis, inquit, & incredulis, & execratis & homicidis, & scortatoribus & ueneficis, & idololatris & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.

Bona & mala adorantium & non adorantiū *Apoc. 21.*

Inuocare quid. Hæc diximus hactenus de adorando Deo, dicemus porrò de inuocando Deo,
Deut. 32. secundo utique loco de quo me dicturum promisi. Inuocare & inuocado in scri-
pturis uariè usurpatur. Significat enim in testem uel testimonium dicendum pro-
ducere. Sic inuocat Moses in testimonium contra filios Israelis cœlum & terram,
per prosopopœiam. Rursus inuocari nomen alicuius super aliquo, est eius nomi-
Gene. 48. ne appellari. Inuocetur nomen meū, inquit Iacob, super eos, id est, super Ephraim
& Manasse, hoc est, appellentur meo nomine, perinde ac si mei filij sint, dican-
Isaiæ 4. turq́ non filij quidem Iosephi, sed filij Iacobi Israelis. Sic mulieres dicunt ad mari-
tum: Inuocetur nomen tuum super nos, id est, sine ut appellemur tuo nomine,
tuæq́ fiamus uxores. Hæ enim per coniugij copulam maritorum indipiscuntur
nomina. Ad eundem modum sæpe legimus in prophetis & sacra historia: Domus
super quam inuocatum est nomen tuum, id est, domus quæ tuo nomine appella-
tur diciturq́ domus domini. Ioab quoque militiæ princeps Dauidi dicit: Tu cā-
2. Reg. 12. pe urbem (Rabbam, Ammonitarum regiam) ne ego capiam, & inuocetur nomen
meum super eam: id est, ne ego dicar Rabbæ domitor. Scripturarum itaque & lo-
quutionum scripturæ imperitissimi sunt, qui illam Iacobi sententiam, quam iam
produximus, citant pro asserendo patrocinio & inuocatione sanctorum, quasi Ia-
Daniel 9. cob uoluerit nomen suum inuocari à nepotibus. In Daniele legis: Populus super
quem inuocatum est nomen Dei: sed nihil aliud significat quàm populus qui di-
citur dei populus. Nulla hic mentio inuocationis petitoriæ. Præterea usurpatur
Acto. 9. inuocatio pro religione. Lucas enim in Actis dixit: Habuit Saulus potestatem
2. Tim. 2. uinciendi omnes qui inuocant nomen domini. Et Paulus: Discedat ab iniquita-
te omnis qui inuocat nomen domini. Item, Sectare pacem cum omnibus qui
inuocant nomen domini, id est, qui sunt ueræ religionis Christianæ. Postremò in-
uocare significat in auxilium euocare, clamoribusq́ perpetuis aliquid postulare.
Inuocatio Dei quid. Est ergo inuocatio Dei, de qua in præsenti disserimus, humani animi in summa
necessitate aut in desyderio aliquo ad deum eleuatio, & auxilij consilijue arden-
tissima per fidem postulatio, adeoq́ in fidem dei deditio, ac ueluti receptus qui-
dam tanquam ad asylum & unicum præsidium. In inuocatione ergo uera requi-
ritur in primis animus fidelis, qui agnoscat deum esse omnium bonorum autho-
rem ac datorem unicum, qui uelit inuocantes audire, & possit omnia nobis uota
desideriaq́ largiri. Requiritur indesinens & ardens petitio. Verùm de his plura
dicentur, cum dominus dederit loqui de Oratione fidelium. Nam inuocatio est
Orationis species.

Deum esse inuocandum. Iam uerò ostendam deum in omnibus nostris uotis inuocandum, adeoq́ so-
lum inuocandum esse. Certè sunt diserta dei mandata præcipientia inuocare no-
men domini promittentis se uota nostra pro sua in nos bona uoluntate exaudi-
3. Reg. 8. turum, largiturumq́ nobis salutaria. Ex multis unum & alterum profero testi-
monium. Solomon omnium mortalium sapientissimus, docet deum inuocare in
omnibus singulisq́ necessitatibus, commemoratis speciatim potissimis hominum
uotis. Idem argumentum tractat pater Solomonis sanctissimus rex Dauid, per
integrum Psalmum 107. Commemorat ergo uarios hominum casus & labores,
afflictionem siue oppressionem, errores periculáue itineris, carceres seu uincu-
la, morbos mortisq́ metum morte nonnunquam atrociorem, discrimina in mari
ac fluminibus, sterilitates, inopiam, calamitates atq́ contemptum ignominiamq́.
Illa, inquit, si cui obueniant, non accepta ferat uel deo tutelari, uel fortunæ, uel con-
stellationi, sed deo omniscio & omnipotenti, eumq́ fide sedulò inuocet. Nam sæ-
pius repetit hæc uerba uates: Et cum clamassent ad dominum in tribulatione sua,

eripuit

eripuit eos ex angustijs suis. Ea uerò de causa repetit toties, ut fiducia concepta discamus in omnibus casibus inuocare nomen domini. Solomon enim in prouerbijs iterum dicit: Turris fortissima est nomē domini, ad ipsam currit iustus, & exaltabitur siue extra periculum erit. *Prouerb.18.* Asaph quoque in sanctis carminibus canit: Sacrifica deo sacrificium laudis, & persolue altissimo uota tua, & inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. *Psalm.50.* Inducit autem ipsum deum loquentem & postulantem sacrificia, non pecuina, aurea uel argentea, sed laudem & inuocationem. Simul pollicetur auxilium, & testificatur quòd inuocando & laudando honoretur. Vnde Dauid dixit: In tribulatione mea inuocabo dominum, & ad deum meum clamabo, & exaudiet de templo suo uocem meam, & clamor meus perueniet in aures eius. *Psalm.17.* Ioel quoque dixit: Omnis qui inuocarit nomen domini, saluus erit. *Ioelis 2.* Et dominus apud Ieremiam: Inuocabitis me, & uiuetis: orabitis me, & exaudiam uos: quæretis me & inuenietis: siquidem ex toto corde uestro quæsieritis. *Ierem.29.* Præterea non legimus beatos patres nostros, quenquam in omnibus suis uotis siue paruis siue magnis inuocasse alium quàm Deum uiuentem in secula. Nam ipse dominus apud Asaph dicit: In angustijs inuocabas me (Israel) & eripiebam te. *Psalm.80.* Dauid quoque, In te sperauerunt, ait, patres nostri, sperauerunt & liberasti eos. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. *Psalm.22.* His omnibus subiunge iam præceptum Christi domini, Cum oratis dicite: Pater noster, &c. Subiunge quæ sequuntur Lucæ 11. & Matth. 7. Petite & dabitur uobis, & reliqua. Concludimus ergo deum uerum uiuum & æternum, ab omnibus hominibus in omnibus necessitatibus inuocari oportere.

Solum deū esse inuocandum.

Sed frustra fortassis laboro in his, cum pauci aut nulli negent deum inuocandum esse, hoc diligentius demonstrandum uidetur, quòd solus sit inuocandus. Nam multi deum quidem inuocant, sed simul cum deo aut pro deo delectos etiam patronos, unde non solum deum inuocant. Solum autem inuocari oportere sic ostendimus, Inuocatione postulamus auxilium, uel ut bona nobis dentur, uel ut auertantur à nobis mala. Id quod nulla copiosiore indiget probatione, cum non possit negari à quoquam ratione sana utente. Iam uero solus deus auxiliator est, qui unus bona confert, & mala aufert. Nam in euangelio dicit dominus: Nemo bonus nisi unus, nempe Deus. *Matth.18.* Vsurpauit autem unus pro solus. Rursus in lege per Mosen dicit dominus: Videte quòd ego sum solus, & non sit alius deus præter me. *Deut.32.* Et iterum per Isaiam: Nunquid non ego dominus & non est amplius Deus præter me: Deus iustus & saluans non est præter me. *Isaiæ 45.* Et Dauid: Quis, inquit, est deus præter dominum, & quis petra, præter deum nostrum? *Psalm.18.* Indignissimè itaque tulerunt cultores dei, quoties ab ipsis postularunt homines ea quæ dominus confert. Dicebat Rahel ad Iacobū: Da mihi filios, alioqui morior. Sed scriptura protinus addit: Et iratus Iacob, dixit: Num pro deo ego sum, qui tibi denegauit fructum uentris? *Gene.30.* Quinimò dum rex Syriæ à rege Israelis Ioramo, nō admodum pio, postularet ut Naamanum curaret lepra infectum, ait Ioram: Nunquid ego sum Deus, ut possim uiuificare & mortificare? Nam is mittit ad me, ut curē hominem à lepra. *4.Reg.5.* Proinde certissimum est, solius esse Dei dare bona, & mala auertere. Vnde iam consequens est solum deum inuocari oportere. Nam si patroni, quos inuocant tanquam auxiliares qui non solū deum inuocant, bona dare aut mala auertere possent, profectò non unus tantum deus esset. Nam & hi dij essent. Non autem sunt dij, quia unus est deus, qui solus confert bona, mala aufert: solus ergo deus inuocandus est, patroni non sunt inuocandi, ut qui nec bene nec malefacere possunt. Nam quod quidam hic ex suis capitibus opponunt, patronos quidem

non ex seipsis, sed ex deo bene uel male facere, dubium imò falsissimum est. Dic
Isaie 42. enim per prophetam ipse dominus, Ego dominus, Hu (ipse uel essentia) est nome
meum, & gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Cæterum
gloria Dei est, quòd solus & unus omnium bonorum nō modo fons inexhaustus,
sed & distributor æquissimus est, eoq; nomine inuocatur & colitur ab homini
bus. Psalm. 50.

Exodi 20. Præterea cum nemini, nisi uni deo sit sacrificandum, certe solus deus eit ado
Acto. 14. randus. Clamat in lege dominus; Qui immolat dijs, præterquam domino soli, ex
terminetur. Ideoq; Paulus & Barnabas Lystrensib. sacrificia parantibus, quæ ip
sis offerrent apostolis, tanquam ad intolerandam blasphemiam uestes suas scide
runt. Rursus enim in lege domini legimus: Quicunq; suffimentum incensi fece
Exodi 30. cerit, ut id olfaciat, excindetur e populo suo. Atqui sacrificia piorum sunt preces,
Psalm. 115. gratiarum actiones, & inuocationes diuini nominis. Dauid enim, Tibi, inquit, sa
Psalm. 104. crificabo sacrificium laudis, & nomen domini inuocabo. Et iterum: Disponatur
oratio mea incensum in conspectu tuo, & eleuatio manuum mearum, sacrificium
Hebr. 13. uespertinum. Paulus quoq;: Per Christum, inquit, offerimus hostiam laudis sem
per deo, hoc est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Nam & propheta
Osee 14. Oseas iussit nos immolare uitulos labiorum. Quoniam itaq; soli deo est sacrifican
dum, utiq; solus deus est inuocādus. Nec possibile est patronos illos cœlites, quos
uocant, non solum deum inuocantes, si beati sunt, huiusmodi inuocationes postu
lare ab hominibus: imò hi & in deum & in diuos peccant, tribuentes his, quod
nulli agnoscunt beati spiritus. Dixit beatus Augustinus, nō boni dei angelos, sed
cacodæmones esse, qui non unum solum ac summum Deum, sed seipsos sacrificijs
coli uolunt. Cæterum beati spiritus dum adhuc corporibus fuerunt connexi, ora
uerunt: Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo & in terra, idcirco liberati modò ab omni
corruptione, multò plenius imò perfectissime consentiunt in uoluntatem dei, quæ
iubet omnes solum adorare & inuocare deum.

Rursus inuocatur is demum legitime & cum fructu, qui corda inspicit ino
cantium, uota audit & desideria explere potest omnium uiuentium. Eum uero
omniscium & omnipotentem cordiumq; scrutatorem esse necesse est. Porro cum
solus deus is sit, proculdubiò solus inuocari debet. Nam Deum solum cordium es
scrutatorem, nulli conclusum loco, sed ubiq; præsentem ac omnipotentem, Salo
3. Reg. 8. mon hisce uerbis testatur: Ecce coeli & coeli cœlorum non capiunt te, & quanto mo
do domus ista quam ædificaui? Tu itaq; exaudies in cœlo, in habitaculo mansio
nis tuæ, & propitius eris. Facies & dabis unicuiq; iuxta omnes uias suas, qui co
gnoscis cor eius. Tu enim solus nouisti corda filiorum hominum. Patroni uero
cœlites, quos isti uocant, nec hominum cogitationes norunt, neq; per cœlum, per
terras & per maria diffusi, omniscij, præsentes ubiq;, & omnipotentes sunt. Alio
qui enim in diuinam transmutati essent naturam, desinerentq; esse creaturæ: uo
rum, licet per Christum fruantur æterna beatitudine, creaturæ tamen manent,
nec omniscij nec omnipotentes sunt, ergo minime inuocādi sunt. Certe in eodem
puncto atq; momento innumeræ mortalium myriades uota sua offerunt: ubi
nē oportet eum qui exaudiat, in puncto & in momento, & non per interualla no
uisse & posse omnia, adeoq; & in momento manum auxiliarem præbere omni
bus. Quod ut nulla, quantumuis excellens creatura potest, ita solus deus omni
scius & omnipotens, omnia potest, ideoq; solus inuocādus est. Scio quid his oppo
nant patronorum cœlitū patroni, illos ex sua natura nec uidere nec audire quæ
à nobis fiunt in terris, sed in uultu dei ceu lucidissimo speculo cernere omnia quæ

Deus

Deus dignatur reuelare, atque ita rescire res nostras & opitulari. Sed hoc figmentum per omnia dubium, nullis potest scripturis sanctis comprobari. Quin potius contrarium asserit scriptura de diuis coelitibus. Nam in Isaia clamat Dei populus: *Isaia 63.* Tu es pater noster ô Deus: siquidem Abraham non cognouit nos, neque Israel agnouit nos, Tu uerò Domine & pater noster & redemptor noster. Si uerò patriarchae populi sui tam studiosi ignorauerunt quid ageret, quem obsecro beatorum dabimus, quicquid faciamus nosse, uiuentiumque rebus misceatur? Profectò, quod sacer Psalmus personat, uerum est, Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. *Psal. 26.* Si derelinquunt nos parentes nostri, quomodo obsecro res nostras uel norunt uel curant? Sufficiat nobis quod Dauidi abunde satis fuit, dicenti: Dominus mei curam suscepit. *4. Reg. 22.* Iosiam legimus ex hac uita translatum in aliam, ne mala uideret, quae Dominus inferre statuerat populo Israelitico propter conscelerati ssimam uitam. Beatae ergo animae Dei conspectu fruuntur, ex hoc participant luce & gaudio sempiterno, nullas res nostras norunt, neque nosse necesse est, Domino solo gubernante omnia.

Iam & illud constat, inuocationem ex fide uelut fructum ex radice oriri. Paulus enim illud prophetae adducens: Quisquis inuocarit nomen Domini, saluus erit, mox adiicit: Quomodo autem inuocabunt eum, in quem non crediderunt? *Rom. 10.* En ut iterum duxerit ex altero Apostolus: Non inuocatur in quē non creditur. Proinde in quem credimus, eundem & inuocamus. In solum autē Deum credimus, icirco eundem solum inuocamus. Nam ubicunque fides uera est, ibi est etiam donū sancti spiritus. Nam Apostolus ait, Quòd si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. *Rom. 8.* Et iterum, Non accepistis iterum spiritum seruitutis ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Vera ergo fiducia in Deum praediti, Deum quem solum patrem omnium agnoscunt, inuocant. Nec poterit uel minima particula in illa solenni inuocationis formula, tradita nobis à filio Dei, ullo pacto attribui patronis. *Matth. 6.* Proinde solus Deus inuocandus est.

Horret sanè animus hominis peccatoris tantam accedere maiestatem. Quis enim sibi dignus uideatur, qui in conspectum prodeat sanctissimi, iustissimi & tremendi Dei? *De intercessore apud Deum.* Hic ergo suggerunt quidam patrocinium uel intercessionem coelitum diuorum, per quorum interuentum aditus nobis pateat ad Deum. Sed hoc citra testimonium scripturae proferunt. Scriptura sicut legem nobis proposuit de inuocando Deo, promissionesque adiecit amplissimas: sic praeceptum proponit per quem inuocemus Deum, addita promissione praestantissima, per unicum Christum Iesum aperiens nobis aditum ad patrem. In Euangelio enim dicit Dominus: Amen amen dico uobis, quaecunque petieritis patrem sub nomine meo, dabit uobis. *Ioan. 16.* Hactenus non petistis quicquam sub nomine meo, Petite & accipietis, ut gaudium uestrum sit perfectum. Et quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater per filium. *Ioan. 14.* Si quid petieritis per nomen meum, ego faciam. His quid poterat dici plenius & clarius? Iubet Christus per nomen suum inuocare Deum patrem, & promittit se confectum fidelibus daturum, quicquid postulent in nomine Christi. Quis autem dubitet uel tantillum de ueritate & constantia promittentis? Quid ergo opus posthac fuerit intercessione diuorum? De his inuocandis, aut per interuentum ipsorum perueniendi ad Deum, nullum habemus testimonium scripturae, nullam promissionem. Quibus addo, contemnere mandatum & praeceptum Dei, quicunque contendit per alios, quàm per Christum & eius intercessionem perueniri ad patrem. Qui obtemperat Christi mandato, & per nomen Christi inuocat, ei nihil opus est diuorum interuentu. An non omnia plenè

Solus Christus intercessor & aduocatus apud patrem. Mediator redemptionis & intercessionis.

in Christo habet. Dicimus itaque & asserimus solum Christum esse mediatorem, intercessorem, & aduocatum apud patrem in cœlis omnium qui sunt in terris hominum, atque ita solum, ut post ipsum non sit opus aduocatis alijs. Fatentur plerique Christum esse nobis datum intercessorem apud Deum, sed quia multos alios coniungunt, certè non ad solum relegant omnes, nec unicum mediatorem prædicant. Comminiscuntur Christum esse mediatorem redemptionis & unicum quidem, cæterum non unicum intercessionis, sed plures simul cum ipso. Scriptura autem ut nobis Christum proponit unicum mediatorem redemptionis, ita & intercessionis. Vnum atque idem est officium mediatoris, redemptionis, & intercessionis. Mediator medium sese interponit inter dissidentes, & utrisque coniungitur ingenio & natura. Et intercessor ingerit se mediũ inter discordes, ac nisi partibus utrisque communis sit, intercessor esse non potest. Vtrobique spectatur reconciliatio dissidentium. Necesse est ergo certam esse discordiæ caussam, qua sublata dispareat & dissidium. Caussa dissidij peccatum est. Intercessoris ergo uel mediatoris est expungere peccatum, ut è medio tollatur dissidium. Hoc non expiatur uerbis siue precibus, sed morte & sanguine. Hebr. 9. Inde necessariò colligimus, solum Christum esse mediatorem uel intercessorem apud patrem. Principiò enim solus Christus medium sese ingerere potest inter Deum & homines: quia solus utriusque naturæ particeps est. Diui altera tantùm participant. Nam homines sunt, Christus uerò Deus & homo est. Deinde qui intercessor est, idem reconciliator sit oportet. Est enim finis intercedentis reconciliatio. Solus autem Christus hominum est reconciliator, ergo & unicus intercessor. Nam intercessoris est, caussam discordiæ dissoluere, id est peccatum tollere. Solus autem Christus, nulla creatura tollit peccatum. Relinquitur ergo Christum solum esse intercessorem. Huc iam pertinent

1.Tim.2. scripturæ testimonia. Paulus, Vnus, inquit, est Deus, unus etiam conciliator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus. Et quamuis loquatur disertè Apostolus de redemptione, mediatamen hæc uerba collocantur inter dissertationem de inuocatione Dei, utique per Christum, qui unus est mediator redemptionis & intercessionis. Vt enim unus

Rom.5. nos redemit, ita redemptos iam unus commendat nos patri. De hoc audiamus iterum Apostolus dicens ad Romanos: Christus cùm adhuc peccatores essemus pro nobis mortuus fuit: multò igitur magis nunc iustificati sanguine eius seruabimur per eum ab ira. Et adhuc planius, Nam si cùm inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati, seruabimur per uitam ipsius.

Hebr.7. Alibi enim idem ait: Semper uiuit Christus, ad hoc ut interpellet pro nobis. Et iterum:

Rom.8. Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Idem rursus aditum nobis ad patrem aperit per Christum in Epistola ad Heb. 4. & ad Ephes. 2. cap. Quia ipse Dominus Iesus in Euangelio non plura ostendit

Ioan.10. ostia, sed unum ostium tantùm: Ego uerò, inquit, sum ostium. Et iterum: Ego

Ioan.14. sum uia & ueritas & uita. Nemo uenit ad patrem, nisi per me. An non omnia alia media, omnes alias uias & patronos alios omnes exclusit qui dicit, Ego sum uia, ueritas & uia, & talis uia, ut non pateat alia aggressus ad patrem, nisi per me, id est, per me unum & solum? Alibi uerò in Euangelio, ne quis retardaretur pudore & indignitatis suæ peccatorumque conscientia, aut Christi filij Dei gloria, quò minus per nomen Christi inuocet & eius se credat patrocinio, ipse idem clarè & benignè omnes ad se suumque patrocinium inuitans clamat: Venite ad me omnes qui labo-

Matth.11. ratis & onerati estis, & ego requiem præstabo uobis.

His non minus euidentia eaq; plurima poterunt ex Epistola ad Hebræos colligi testimonia. Inter alia excellit hoc: Christus cum maneat in æternum, ait Apostolus, perpetuum habet sacerdotium. Vnde & saluos facere ad plenum potest, qui per ipsum adeunt Deum: semper uiuens ad hoc ut interpellet pro illis. Talis enim decebat ut esset nobis pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus, &c. Vide obsecro quot in hoc Pauli testimonio habeamus argumenta probantia Christum, solum in cœlis apud patrem esse fidelium intercessorem. Sacerdotis proprium officium est intercedere. Solus Christus autem sacerdos est coram Deo: solus ergo intercessor est. Iam & sacerdotium Christi perpetuum uel immutabile est: non itaque nos semel immolando redemit tantùm unus effectus mediator redemptionis, sed perpetuus etiam mediator intercessionis interpellat pro nobis in finem usque. Licet enim & iudex sit Dominus noster, infidelium tamen iudex est patronus fidelium, uniuersorum autem iudex tandem in fine seculi. Et si perpetuum habet sacerdotium (ἀπαράβατον) immigrabile inquam, quod ad alium successione uel communicatione transire non potest, solus utique manet Christus intercessor fidelium. Præterea non est ulla causa, ob quam alios post Christum, uel cum Christo intercessores nobis asciscamus. Christus enim ad plenum nos saluos facere potest: nihil alijs quod ipsi agant relinquens. Obseruemus autem illud inprimis, quod disertè addit: Qui per ipsum adeunt Deum. Per ipsum inquam, mediatorem, sacerdotem, & intercessorem Christum. Per hunc enim solum patet accessus ad patrem. Quibus accedit, quòd hic uiuit, & in hoc uiuit, ut interpellet pro nobis. Viuunt & diui cœlites in regno Dei cum Christo: sed sibi non nobis uiuunt. Christus nobis uiuit, & intercedit pro nobis: solus ergo intercedit, non diui intercedunt. Manifestissimè hæc euincunt, opinor, quòd de intercessionis mediatione non redemptionis loquitur Apostolus. Postremò tales requirit in intercessore notas, quales non reperias, nisi in uno & solo Christo Domino. Licet enim angeli innocentes sint, tamen non sunt sublimiores cœlis. Diui cœlites tametsi iam purgati sint à peccatis, natura tamen à peccatoribus non sunt segregati, nec cœlis sublimiores facti, Domini uidelicet angelorum & uniuersæ creaturæ. Solus filius talis est, & huic hæc reseruatur gloria: solus ergo apud patrem est intercessor fidelium. Hebr. 7.

Istis Paulinis testimonijs adijciemus adhuc unum S. Petri, & alterum beatissimi Apostoli & Euangelistæ Ioannis. Sanctus Petrus docet sanctos, id est, nos fideles, in hoc seculo, Christo uiuo lapidi uiuos lapides esse impositos per fidem, factosq; domum spiritualem & sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum. En sumus impositi non diuis, sed Christo lapidi uiuo: ex quo & uiuificamur, & in ædificio conseruamur. Constituti sumus domus spiritualis & sacerdotium sanctum, in hoc ut spirituales non pecuinas offeramus hostias, nimirum nosmetipsos & preces nostras Deo, per Iesum Christum, non per diuos. Sunt enim & hi nobiscum domus spiritualis, uiui lapides, Christo impositi, & propter Christum uiuentes. Porrò beatus Ioannes scribit: Filioli mei, hæc scribo uobis ne peccetis: si quis autem peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autē tantùm, sed etiam pro totius mundi. Non arbitror quicquam nostro proposito congruentius, euidentius & firmius meliúsue uel cōfingi posse. Audimus Christum Iesum constitutum nobis à Deo, non tantùm redemptionis mediatorem, qui semel redimat, sed qui sit sempiternus mediator etiam intercessionis, qui toties astet apud Deum patrem aduocatus, quoties homo peccator 1. Petri 2. 1. Ioan. 2.

delinquit & patrocinio opus habet: quem & rei confidenter accedant, eique caussas coram Deo peragendas commendent. Si quis, inquit Ioannes, peccauerit, habemus aduocatum apud patrem. En aduocatum appellat Ioannes, quem defensores patrocinij diuorum nuncupant mediatorem intercessionis. Nam aduocatus, παράκλητος, significat tutorem, fautorem, consolatorem, patronum, uel procuratorem, qui caussam nostram agit. Ac obserua quem nobis definiat atque proponat aduocatum, non diuam uirginem, non Petrum uel Paulum, non seipsum uel Stephanum, sed Iesum Christum. Si credidisset hominibus necessarium & salutare esse præterea diuorum cœlitum patrocinium, coniunxisset & hos Christo Domino, nunc Christum solum nobis proponit. Addit: Iustum, quod perinde est, ac si dixisset: Non est quòd quis eius diffidat patrocinio, aut patronum patri minus existimet esse gratum. Filius est, Christus est, iustus est, ergo patri gratissimus est: qui in conspectu iustissimi Dei pro nobis iniustis comparere potest. Talis iustitia non inuenitur in ullo Adæ filio. At requiritur in intercessore. Communicat quidem sanctis iustitiam suam, per fidem, sed ea sanctis imputatur & imputatiua est: in Christo naturalis ac uelut innata est propriáque iustitia. Nam Christus Iesus unus ille in cœlo & in terra iustus est, cui non necesse est prius uel precari uel offerre pro proprijs peccatis, deinde pro populi sceleribus. Solus enim peccatum non habet, & iustitia est uniuersorum: solus itaque apud patrem intercedit, quia nemo naturaliter & propriè iustus est, nisi Christus solus. Ac præstat hic inprimis obseruare, quòd Christus appellatur propitiatio uel expiatio, non equidem peccatorum aut hominum unius aut alterius seculi, sed omnium peccatorum hominúmque totius mundi fidelium. Vnus ergo omnibus sufficit Christus: unus omnibus proponitur intercessor apud patrem. Quoties enim peccas, toties paratum habes apud patrem iustum intercessorem. Non quòd imaginemur in cœlo tanquam in foro, patrem in throno, ueluti iudicem considere, filium uerò patronum nostrum toties procidere in genua, & patrocinari nobis, quoties peccamus: sed cum Apostolo intelligimus Christum aduocatum & sacerdotem ecclesiæ uniuersalem & unicum semper apparere in conspectu patris: quoniam ut uis mortis eius, (tametsi nō moriatur quotidie) sic uirtus intercessionis semper efficax est. Accedamus ergo ad Deum per Christum, redemptionis & intercessionis unicum mediatorem, intercessorem & aduocatum. Non poterimus non placere Deo patri, si commendemur ipsi per filium unigenitum.

Intercessio Christi qualis.

Responsio ad quædam aduersariorum argumenta. *Rom. 8.*

Porrò infirma sunt argumenta, quibus patroni patronorum cœlitum ipsorum conantur confirmare patrocinium uel intercessionem. Spiritus, inquiunt, intercedit pro nobis, iuxta doctrinam Apostolicam, ergo solus Christus non intercedit. Respondeo, Paulum non loqui de alio intercessore in cœlis, sed de spiritu hominis precantis in hoc seculo, qui incensus & illustratus Dei spiritu ingemiscit & intercedit pro sanctis. Aperta sunt Apostoli uerba. Addunt isti, Legimus de angelorum precibus in scriptura, & quòd preces fidelium conspectui Dei offerant: ergo non solus Christus in cœlis orat uel intercedit pro nobis, sed & sancti. Nos uerò negamus hoc consequi: quia scriptura docet angelos esse ministratorios spiritus: ac pro ipsorum officio offerre preces tantùm uelut ministros in conspectum Dei, sed non intercedere, aut homines exaudiri propter angelos, sed propter Christum, qui intercedit, & propter quem oratio allata ad Deum, ipsi grata est. Quòd si isti tale quiddam & de animabus sanctorum beatis proferre & à simili argumentari uolunt, doceant primùm animas constitutas esse spiritus administratorios. Sed non poterunt: & si possint, nondum tamen approbauissent diuos cœlites esse

Angelorum oratio. *Hebr. 1.*

esse intercessores. Nam ne angeli quidem propterea intercessores sunt, quòd preces hominum Deo offerunt. Eadem nobiscum, inquiunt, charitate cohærent, & quia spiritus beatorum in cœlis agentes, nos in terris amant, pro charitatis huius ingenio & pro nobis orant. Respondemus illos citra scripturas sic colligere. Vt enim libenter concedamus diuos in cœlis non esse sine proximi charitate: addimus tamen hanc in sanctis cœlitibus minimè habere nunc hoc ingenium & hæc officia, quæ olim habuit in terra. Alioqui plurima alia absurda diuis tribueremus, quasi ea faciant aut patiantur, quæ tamen nec faciunt nec patiuntur. Dum in terris uixerunt, pro charitatis ingenio indoluerunt & exultauerunt orarúntque nobiscum, imò & interpellarunt pro nobis: nunc cùm exuerunt hanc corruptionem, & deseruerunt nos, in cœlis agentes cum Domino, neque norunt res nostras neque mouentur ullis affectibus terrenis. Sentiũt nobis abundè consultum esse absque ipsorum opera. Sentiunt item constitutum esse salutis negotium, ut ipsi quiescant à laboribus suis, lętenturq; in Christo, hic uerò intercessor sit unicus apud patrem omnium in miseria uiuentium hominum, quia omniscius & omnipotens est, neque commouetur, neque delassatur aut ignorat quicquam: sed omnia intercessoris perfectissimè obit & perficit. Sciunt hanc gloriam solo Dei filio competere, ideoq; hanc ambiunt minimè, ut ipsi se intercessores statuant pro Christo. Antecellit enim hic charitas Dei charitatem proximi. Obijciunt isti, diuos non intercessoris illius unici ritu orare in cœlis, sed eo modo quo in terris orarunt pro confratribus. Diximus autem modò non consequi, Hoc fecerunt in terris, idem ergo faciunt in cœlis. Nec probari potest scripturis disertis, quòd diui in cœlis pro nobis orent. Cur ergo subinde dubia uelut certa nobis dogmata proponunt? Et ut donemus illos orare in cœlis, id quod patrum non pauci scripserunt, ideò tamen non sequitur diuos esse inuocandos. Notissima est enim illa S. Augustini sententia quæ legitur exarata libro de Ciuitate Dei 22. cap. 10. Gentes dijs suis & templa ædificauerunt, & statuerunt aras, & sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autem martyribus nostris non templa sicut dijs, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum uiuunt spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo & martyrum & nostro sacrificio immolamus: ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione uicerunt, suo loco & ordine nominantur. Non tamen à sacerdote qui sacrificat inuocantur. Quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum uerò sacrificium est corpus Christi, quod non offertur ipsis: quia hoc sunt & ipsi. Hæc ille. Satis clarè testificans sanctos non inuocari uel inuocandos esse, quòd Deo competat sacrificium, non sanctis. Proinde cùm adijciunt aduersarij, Ecclesiam à multis annis inuocasse sanctos, ecclesiam non errare, idcirco inuocantes sanctos non errare. Respondemus ecclesiam non errare quando audit uocem sponsi & pastoris sui: errare autem quando neglecta uoce pastoris, sua sequitur decreta. Errauit tota Israelis ecclesia unà cum summo pontifice Aarone senioribusq; populi, cum præterita lege Dei, imagine Deum repræsentatum choris & concentibus coluit, secus quàm ipse instituerat. Nec absoluuntur ab errore & peccato Israelitę, quòd multis annis uitulum non sustulerunt. Regerunt, Iuuerunt inuocati, ergo inuocandi sunt diui. Non rarò feliciter cedit quod contra uerbum dei instituitur. Quis autem inde colliget bonum esse quod instituitur contra uebum Dei? ueluti bello deprædandos homines, quia bellis uidemus milites truculentos ditescere. Videbantur & gentium dij exaudire uota supplicum, sed nunquid ideò inuocandi sunt dij gentium? Verùm non instituimus ad singula istorum argumenta respondere, quod aliàs

Ecclesia inuocans sanctos.

pro nostro dono fecimus. Concludimus ergo uerbum ueritatis ex ore Dei pronunciatum, docere nos inuocationem nominis Dei per interuentum Iesu Christi: neque legimus ullum ueteris uel noui Testamenti sanctum (cuius meminerit quidem scriptura) ullum inuocasse, quantumuis excellentem patriarcham aut prophetam demortuum, neque ullum Apostolum Apostolorúmque discipulum inuocasse aliter quàm per nomen Iesu Christi: teneamus ergo firmiter, perfectissimam & tutissimam esse doctrinam, quæ iubet nos omnes Deum solum per unicum filium inuocare, atque ipsum Deum hoc à singulis nobis postulare: & cùm obedimus, Deo placere.

Colere quid. Restat locus ultimus de Colendo Deo. Vocabulum colere Latinis latè patet. Colimus enim amicitiam, literarum studia, arua & senes. Nos in præsenti usurpamus colere pro seruire, hoc est, in omnibus se seruuli instar morigerum & obsequentem præbere, uereri uel uenerari cultumq; exhibere. Hebræi utuntur suo Abad, quod Latinus interpres uertit Seruiuit, coluit, uel sacrificauit. In libro Regum legis: Et Achab seruiuit ipsi Baal ipsumq; adorauit. *3.Reg.16.* Græcis cultus hic uel λατρεία uel δουλεία appellatur. Sumitur alterum pro altero. Quanquam reuera seruire maius sit quàm colere. Sustineas enim nulla difficultate colere aliquem, sed eidem non item seruire. *Cultus Dei.* Dicimus ergo cultum Dei esse seruitutem, qua se homines Deo reuerenter subijciunt & obediunt, ipsumq; iuxta uoluntatem eius uenerantur. Colunt itaq; Deum qui ipsum seriò timent, ei se morigeros obediendo præbent, colentes ipsum internè & externè, sicut constituit.

Duplex est Dei cultus. Cultus enim Dei duplex est, Verus & Falsus. Verus appellatur uera religio, uera fides, & pietas. Falsus nuncupatur superstitio, idololatria & impietas. Nã uerus cultus is est, qui oritur ex uero timore Dei, ex fide syncera, soli se Deo subdit, & ad uoluntatem Dei in omnibus se accommodat. Falsus cultus cõstat rebus contrarijs. De quo plura dicemus ubi uentum fuerit ad superstitionem. Verus Dei cultus rursus diuiditur perspicuitatis gratia in cultum Dei internum & externum. *Internus Dei cultus.* Internus cultus soli Deo cordiũ scrutatori cognitus est. Versatur enim in timore dei & iusta obedientia, in fide, spe & charitate: unde oriuntur adoratio Dei, inuocatio, gratiarum actio, patientia, perseuerantia, pudicitia, innocentia, beneficentia, ac reliqui fructus spiritus. His enim donis Dei & rebus spiritualibus, Deus, qui spiritus est, colitur uerè. Sine his nullus Deo cultus probatur, utcunq; in conspectu hominum splendidus & sumptuosus purusq; esse uideatur. Hic cultus Dei testimonia habet diuina & humana, inprimis uerò legis, prophetarum, & Apostolorum. In lege enim dicit Moses: *Deut. 10.* Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & incedas in cunctis uijs eius, diligas eũ, & seruias domino Deo tuo, toto corde tuo, & tota anima tua, ut scilicet custodias præcepta & statuta eius, quæ ego præcipio tibi hodie in bonum. *Mich.6.* Micheas propheta inducit de uero Dei cultu interrogantes, quibus hic in rebus consistat, & respondet: Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid à te requirat Dominus, nempe facere iudicium, diligere misericordiam, & solicitũ uel submissum ambulare cũ Deo tuo. *Rom. 12.* S. Apostolus Paulus: Obsecro, inquit, uos fratres per miserationes Dei, ut præbeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, acceptam Deo, rationalem cultum uestrum. Et ne accommodetis uos ad figuram huius seculi, sed transformemini per renouationem mentis uestræ, ut probetis quæ sit uoluntas Dei, quod bonum atq; acceptum & perfectum. *1. Thes. 1.* Idem Apostolus paucis uerbis uerum cultum Dei in conuersionem ab idolis ad deum fidemq; Iesu Christi concludens ait, Macedones & aliæ gentes de uobis annunciant, quomodo conuersi fueritis ad Deum à simulachris,

lachris, ut seruiretis Deo uiuenti & ueraci, & expectaretis filium eius de coelis, quem excitauit à mortuis Iesum, qui liberat nos ab ira uentura. Porrò S. Iacobus Apostolus: Religio pura & immaculata, inquit, apud deum & patrem, hæc est, inuisere orphanos & uiduas in afflictione sua, & immaculatum seipsum seruare à mundo. Hæc diuina & perspicacia sanctæ scripturæ testimonia abundè satis declararunt c. v. quinam sit uerus dei internus cultus. Humana testimonia nihil tamen à diuinis discrepantia, plurima ubiq; occurrunt in scriptoribus ecclesiasticis. Lactantius lib. Instit. 6. cap. 9. In dei agnitione, ait, & cultu summa uersatur: in hoc est spes omnis & salus hominis, hic est sapiētiæ gradus primus, ut sciamus quis sit nobis uerus pater, eumq; solū pietate debitā prosequamur, huic pareamus, huic deuotissimè seruiamus, in eo promerendo actus omnis & cura & opera collocetur. Huius generis alia quoq; idem ille copiosè recitat eiusdem libri cap. 10. & luculentissima de Vero dei cultu cap. 1. Placet autem pro multis unum Romani martyris, ad tribunal Rom. apud Iudicem Asclepiadem liberè pronunciatum, recitare de Vero Dei cultu testimonium. Postquam enim de deo animosè & religiosè dixisset quis & quantus sit, subiungit.

Iacobi 1.

De uerò dei cultu, testimonium Romani martyris.

Cognoscis ipsum, nunc colendi agnoscite
Ritum modumq;, quale sit Templi genus,
Quæ dedicari sanxerit Donaria,
Quæ Vota poscat, quos sacerdotes uelit,
Quod mandet illic Nectar immolarier.
Ædem sibi ipse mente in hominis condidit:
Viuam, serenam, sensualem, flabilem,
Solui incapacem posse, nec destructilem,
Pulchram, uenustam, præminentem culmine,
Discriminatis inlitam coloribus.
Illic sacerdos stat sacrato in limine,
Foresq; primas uirgo custodit fides,
Innexa crines uinculis regalibus,
Poscit litari uictimas Christo & patri,
Quas scit placere candidatas, simplices.
Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Pacis quietem, castitatem corporis,
Dei timorem, regulam scientiæ,
Ieiuniorum parcitatem sobriam,
Spem non iacentem, semper & largam manum.
Ex his amœnus hostijs surgit uapor,
Vincens odorem balsami, thuris, croci,
Auras madentes Persicorum aromatum,
Sublatus inde cœlum ad usq; tollitur.
Et prosperatum dulce delectat Deum.

Templum.

Sacerdos.

Sacrificia.

Et quæ in hanc sententiam ibi sequuntur. Sufficere hæc puto de interno Dei cultu: interim agnosco quædam in illis referri posse & ad externum Dei cultum.

Externus Dei cultus ex interno nascitur, nec Deo soli, ut hic cognitus est, sed etiam uenit sub sensum hominis, estq; obseruatio uel exercitatio rituum ab ipso deo institutorum, quibus internum cultum & testificamur apud homines, & exercemus, ad gloriam Dei nostramq; utilitatem. Huius generis erant in ueteri populo Templum, sacerdotiumq;, cum omnibus ceremonijs à Deo institutis, quæ

Externus dei cultus.

frequentissime appellatur cultus Dei. Ac erat hic certis limitibus circumscriptus. Non enim licebat cuilibet pro suo arbitrio cultum dei fingere: quemadmodum fuse ostenditur in lege & in historia sacra. Seruiebat autē externus ille cultus gloriæ dei fideliumq; utilitati. Id quod plenius exposui cum dissererem de Ceremonijs Israeliticis. Porrò sicut Christus ueteres illos ritus abrogauit, ita pro eis oppidò pauculos reposuit. Cœtum enim sacrum instituit: in quo uult ad gloriam suam nostramq; utilitatem prædicari uel enarrari uerbum dei ex scriptura sancta, orari in commune, & percipi dispensariue sacramenta. Ad quæ necessarius est locus accommodus, idoneum tempus, ratio iusta, cum instrumētis sanctis. Vbi pij rursus nihil permittunt suo arbitrio. Nam ex uerbo Dei, quem colunt, colendi modum totamq; rationem petunt. De quo nonnihil dictum est in quarto primæ tabulæ præcepto, diceturq; copiosius loco & ordine suo. Breuiter, Colunt deum externo cultu, qui ex fide & obedientia statis temporibus in sacrū cœtum coeunt, qui disciplinam seruant ecclesiasticam ex uerbo domini depromptam, qui audiunt uerbum Dei, uel diuinarum scripturarum sanctam enarrationem, qui publicè orant cum Ecclesia, qui sacramentis religiosè participant, aliosq; legitimos & salutares ritus obseruant. Hoc autem cultu suo Deum glorificant apud homines, & utilitatem non exiguam à deo percipiunt, nempe benedictionem augmentumq; donorum cœlestium. Nullis, opinor, hic opus esse testimonijs scripturarum, approbantibus hæc quæ hactenus diximus de externo Dei cultu. Vbiq; enim in euangelica historia, in Actis & epistolis Apostolorum obuia sunt plurima. Nam dominus Iesus ubiq; sacros cœtus colligit in quibus prædicat euangelium precesq; commendat. De Maria sedente ad pedes eius audienteq; prædicationem eius, pronunciat:

Lucæ 11. Vnum hoc necessarium, Maria bonam partem delegit, quæ non auferetur ab ea. Et alibi: Beati, inquit, qui audiunt uerbum dei & custodiunt illud. Certè sacramenta ipse dominus instituit & usurpauit. Refraganti enim Ioanni, à quo postulabat baptismum dicentiq;: Mihi opus est ut abs te baptizer, & tu uenis ad me? respondit: Omitte nunc. Sic enim decet nos ut compleamus omnem iustitiam. Vnde & Apostolus Paulus disciplinam ecclesiasticam diligenter cōmendans ecclesijs, cœtus sacros instituit pulcherrimè. Loci omnibus sunt cognitissimi 1. Cor. 11. 14. & 16. item 1. Timoth. 2. & alibi.

Solum deum esse colendum. Priusquam uerò hunc locum concludam, demonstrabo solum deum esse colendum. Et certè cultus ipse, quo de hactenus disseruimus, nō potest impendi ulli creaturæ, neq; angelis neq; diuis cœlitibus, soli deo competit: unde nemo tam cæcus est, qui non uideat deum his solum coli oportere. Et cum dominus cultum suum uel seruitutem à nobis requirit, totum cor nostrum requirit, nihil ergo re-

Deute. 13. linquitur quod impendamus alijs. In lege sua dicit spiritu Dei plenus Moses: Post dominum deum uestrum incedetis, atq; eum timebitis, præcepta eius custodietis, & uocem eius audietis, ipsi seruietis atq; adhærebitis. Nec refert quòd hic uocabulum Solus nō apponitur, cum emphasi insinuetur. Cum enim dicit: Ipsi seruietis, & ei adhærebitis, quid aliud intelligemus, quàm ipsi & non alij, ergo soli? Præterea in 6. cap. Deut. non legis: Dominum Deum tuum timebis, & illum solum coles, iurabisq; in nomine eius: sed, Dominū Deum tuum timebis, & illum (emphaticè) coles, iurabisq; in nomine eius. Cæterum dominus in euangelio hæc Legis

Matth. 4. uerba adducens contra tentatorem, & emphasim explicans: Scriptum est, inquit, Dominum deum tuum adorabis, & illum solum coles. Quod quidē testimonium sanè luculentissimum, solum sufficit demonstrationi nostræ, quòd solus Deus sit colendus. Adijciam his humanum præterea testimonium, sed diuino suffultum,

quod

quod & alibi in libris nostris posuimus. S. August. de Quantitate animæ sic ostendit solum Deum esse colendū. Quicquid anima colit ut Deum, necesse est ut melius esse, quàm seipsam putet. Animæ autem natura, nec terra, nec maria, nec sydera, nec luna, nec sol, nec quicquam omnino quod tangi aut his oculis uideri potest, non deniq; ipsum, quod uideri à nobis non potest, cœlum, melius esse credendum. Imò hæc omnia longè deteriora esse, quàm est quælibet anima, ratio certa conuincit. Et mox: Si quid ergo aliud est eorum quæ Deus creauit, quiddam est deterius, quiddam par: deterius, ut anima pecoris: par, ut angeli: melius autem nihil. Et si quando est aliquid horum melius, hoc peccato eius fit, nō natura: quo tamen non usqueadeo fit deterior, ut ei pecoris anima uel præferenda aut conferenda sit. Deus igitur solus ei colendus est, qui solus eius est author. Homo autem quilibet alius, quanquam sapientissimus & perfectissimus, uel prorsus quælibet anima rationis compos & beatissima, amanda tantummodo & imitanda est, eiq; pro merito atq; ordine, quod ei congruit, deferendum. Nam scriptum est: Dominum deum tuum adorabis, & illi soli serues. Hæc Augustini sunt. Et illa hactenus de uno solo uiuo uero & æterno Deo colendo disputauimus.

Quomodo colendi sunt sancti.

Cæterum quicunq; syncera fide Deo adhærent, & unum adorant, inuocant & colunt legitimè, religiosi rectè nuncupantur: studium & actio ipsorum uera est religio. Hanc alij dictam uolunt à relinquendo, propterea quòd per ipsam relinquamus falsos deos, errores omnes, & cupiditates terrenas, sectemur autem uerum deum, ueritatē & cœlestia. Massurius Sabinus, Religiosum est, inquit, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum à nobis est. Dictum est uerbum à relinquendo, tanquam ceremoniæ à carendo. At M. Cicero religionem dictā arbitratur à relegendo, quod qui religiosi sunt, cuncta solicitè relegant, quæ ad deorum cultum pertinere uidentur. Cæterum confutatur hic multis à Lactantio Firmiano, antiquo ecclesiæ scriptore, lib. Instit. 4. cap. 28. ubi inter alia, Hac conditione gignimur, inquit, ut generati nos Deo iusta & debita obsequia præbeamus, hunc solum nouerimus, hunc sequamur. Hoc uinculo pietatis obstricti deo & religati sumus, unde ipsa religio nomen accepit. Et mox, Diximus nomen religionis à uinculo pietatis esse deductum, quòd hominem sibi deus religarit, & pietate constrinxerit: quia nos seruire ei ut domino, & obsequi ut patri, necesse est. Hunc sequuti & alij scriptores ecclesiastici, Hieronymus & Augustinus, & ipsi religionem deduxerunt à religando. Ille enim in Comment. ad 9. cap. Amos, iste, inquit, fasciculus una domini religione constrictus est. Religio ergo à religando, & in fascem domini uinciendo, nomen accepit. Hic autem de Quant. animæ cap. 36. Vera religio est, ait, qua se uni deo anima, unde se uelut peccato abruperat, reconciliatione religat. Idem de Vera religione cap. ult. dicit: Religet nos religio uni deo omnipotenti, unde dicta creditur religio. Dicimus ergo religionem ueram aliud non esse, quàm amicitiam, connexionem & confœderationem cum Deo uero uiuo & æterno, cui uera fide connexi, solū adoramus, inuocamus, & colimus, à quo toti pendemus, uiuentes in omnibus ad uoluntatem uel secundum præscriptum legemq; uerbi eius. Proinde rectissimè totum salutis fideiq; negotiū comprehenditur uno religionis uocabulo: quod alibi fœdus & pactum, alibi uerò coniugium in scripturis appellatur. Sicut enim fœdere uniuntur confœderati: sic deus & homo connectuntur religione: & ut coniugio in unum corpus rediguntur maritus & uxor, ita religione in corpus spirituale connectimur cum deo ueluti marito, & cum ipso dei filio, ueluti sponso & capite nostro. Huc ergo pertinent quæcunque in scripturis proferuntur de seruando fœdere & fide coniugij. Fœdifragi, perfidi,

De uera religione.

Cicero

Lactantius

Religio unde dicta

Hieronymus

Augustinus

Vera religio quid.

& adulterio infames sunt, quicunque non uni Deo per fidem connexi, solum adorant, inuocant per Christum, & colunt prout ipse in uerbo suo coli uoluit. Illi ipsi nuncupantur etiam superstitiosi.

De superstitione.

Superstitio enim falsa est religio, quæ Deum non colit, sed aliud pro Deo, uel non solum, uel non ritè aut legitimè colit. Extendit se superstitionis uocabulum ad aniles usque fabulas & deliros errores. Germanicè enim nuncupamus superstitionem aberglouben/mißglouben/vnd mißbrüch. Exactißimè uerò de uocabulo hoc disputans Lactantius lib. Instit. 4. cap. 28. sic scribit: Religio ueri Dei cultus est: superstitio falsi. Superstitiosi uocantur, non qui filios suos superstites optant: omnes enim optamus: sed aut ij qui superstitem memoriam defunctorum colunt: aut qui parentibus suis superstitibus, colebant imagines eorum domi, tanquam deos penates. Nam qui nouos sibi ritus assumebant, ut in deorum uicem mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabãt, hos superstitiosos uocabant: eos uerò qui publicos & antiquos deos colerent, religiosos nominabant. Vnde Vergilius: *Vana superstitio veterumque ignara deorum.* Sed cum ueteres quoque deos inueniamus, eodem modo cõsecratos esse post obitum, superstitiosi ergo qui multos & falsos deos colunt: nos autem religiosi, qui uni & uero Deo supplicamus, &c.

Superstitio si qui

Deos alienos deo uero relicto colere.

1 Versatur superstitio in his maximè capitibus, Vel cum non colitur dominus,
2 sed alij dij pro ipso, relicto uno uero & uiuo Deo: uel cum colitur quidem domi-
3 nus, sed non solus, uerum alij simul cum ipso: uel cum ipse quidem colitur, sed non legitimo cultu. Primo superstitionis genere peccauerunt ferè gentes, quæ deũ uerum ignorauerunt, adeoque & pro deo uero falsos & confictos siue alienos coluerunt deos. Eadem insania laborasse & Israelitas Dei populum testis est sanctissimus propheta Ieremias, expostulans cum populo ac dicens: Audite uerbum domini omnes tribus & familiæ Israelis sic dicit dominus: Quidnam iniquitatis deprehenderunt patres uestri in me, ut tam longè à me recederẽt, & sectarentur uanitatem, fierentque uani: neque dixerunt: Vbi dominus, qui eduxit nos de terra Ægypti, qui traduxit nos per desertum, per terram uastam & inuiam, per terram siticulosam & umbram mortis, per terram per quam nemo transibat, in qua nec homines habitabant? Et induxi uos in terram cultam & fertilem, ut comederetis bona & fructum eius. Ingressi autem contaminastis terram meam, & hæreditatem meam reddidistis abominandam. Sacerdotes non dixerunt: Vbi est dominus? & qui tenere debebant legem non cognouerunt me, & pastores præuaricati sunt in me, prophetæ prophetauerunt in Baal, & idola sequuti sunt. Propterea ultra iudicio contendam uobiscum, ait dominus, & disceptabo cum filijs uestris. Transite enim ad insulas Chittim & uidete, & in Kedar mittite, & considerate diligenter, ac inspicite num simile quid factum sit, num ulla gens mutarit deos qui tamen dij non sunt: populus autem meus mutauit gloriam suam in idolum. Obstupescite cœli super hoc, exhorrescite uehementer, ait dominus. Quoniam duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderũt sibi cisternas, cisternas, inquam, pertusas, quæ continere non ualent aquas. Audis populum Israelis inexpiabili scelere deseruisse deum uenam uiuam, ac puteos sibi effodisse pertusos. Aquæ significant bonum absolutum, quo desiderium & animæ & corporis satiari potest. Scaturigo talis solus deus est, supremum & consummatissimum bonum. Hoc deserto foderunt, id est, maximis laboribus & impensis pararunt sibi lacunas, nimirum conuerterunt se ad creaturas, ad eos qui non sunt dij, neque desideria eorum exaturare potuerunt. Hoc malum & hodie uulgare est, dum relicto

Ierem. 2.

Deo

deo multi conuertuntur ad diuos cœlites, à quibus postulant, quod petendũ erat à Deo, neq; dari potest nisi à solo Deo. Hic locum habet idololatria, id est, cultus simulachrorum: superstitiosi enim sunt non tantùm qui fingunt sibi deos falsos, relicto deo uero, aut fiduciam figunt in res nihili, sed etiam qui uenerantur simulachra uel Dei uel deorum. Nam imagines uel simulachra statuuntur uel ipsi deo uero, uel dijs falsis, ipsis inquam creaturis. Non licet autem ulla imagine repræsentare deum immensum, æternum & uiuentem in secula: nec licet imagine expressum uel adorare uel colere: ergo multo minus licet creaturis statuas uel simulachra consecrare ad cultum. Plurima extant scripturæ testimonia contra idololatriam, ut Exodi 20. Isaiæ 40.44. Psal.113. 1.Cor.5.10. Rom.1. Galat.5. 1.Thess.1. 1.Petri 4. 1.Ioan.5. Ieremiæ 10. cap. Porrò diligenter hic admoneo simpliciores ne sibi patiantur imponi. Nam idololatræ nomen subterfugere non potest qui simulachra ueneratur, metuit, illis nonnihil confidit, ante ipsa procumbit, dona eis offert, in loco celebri & honorato retinet, cæreos & incensa eis affigit, amat, ornat, tuetur, excolit, & sacris qualibuscunq; colit. Verùm de idololatria diximus aliàs copiosissimè. *Idololatria.*

Porrò coluerunt quidem deum Israelis, sed non solum, uerùm alios quoque deos cum uero deo illi de quibus in historia Regum legimus, Et nihilominus colebant dominum. fecerunt autem sibi de nouissimis sacerdotes excelsorum, & ponebant eos in phanis sublimibus: & cum dominum colerent, dijs quoq; suis seruiebant iuxta ritum gentium, de quibus translati fuerant Samariam. Et iterum, Gentes itaq; illæ timuerunt dominum, & simul seruierunt sculptilibus suis: nec aliter fecerunt filij & nepotes eorum, quàm patres ipsorum, usque in præsentem diem. Hoc autem malum hodie uulgare est prorsus. Inuenias enim cultores Dei, quibus minimè persuadeas solum deum esse colendum, imò asseuerãtes hæresim esse execrabilem negare cum Deo diuos & inuocandos & colendos. Contra quos satis disputatum est aliàs, & in hoc nostro Sermone. *Non solũ deum uerũ, sed alios simul cum deo colere.* 4.Reg.17.

Hic quoq; obseruandus uenit modus & ratio uaria superstitiosè colendi Dei. Neq; enim ille duntaxat superstitiosè colit deum, qui in animo fingit primùm quidem deum, deinde eundem simulachro exprimit, cui mox sacrificia & incensa offert prostratusq; coram illo adorat, & suppliciter ueneratur: sed ille in primis, qui incommunicabiles dei proprietates creaturis cõmunicat, licet nullo exprimat simulachro: uel qui munera diuinitus accepta arbitratur à diuis cœlitibus esse collata. Porrò incõmunicabiles dei proprietates sunt, omnia posse, omnia scire, ubiq; præsentem esse, omnia audire, auxilium ferre, benignum, iustum, & misericordẽ esse. Certè Isaias prophetarum eruditissimus & authoritatis maximæ, hisce ueluti firmissimis argumẽtis euincit deos Babyloniorũ & Gentium non esse deos: quia non possunt prædicere aut scire uentura: nec possunt bene uel male facere. Proinde posse omnigenis bonis locupletare, & iustis pœnis coërcere, ita omniscium & omnipotentem esse, proprietates dei sunt, nulli creaturæ communicabiles: superstitiosus ergo est, qui has diuis cœlitibus tribuit, & ideo eos colit & inuocat. Oseas propheta grauiter inuehitur in Iudæos, attribuentes dijs alienis munera dei, adeoq; synagogam talium nuncupat scortum uel meretricem. Filiorum, inquit, eius non miserebor, quoniam filij sunt ex scortatione suscepti. Siquidem mater eorum scortata est, quia dixit, Ibo, sequar amatores meos, qui dãt mihi aquam meam, panem meum, lanam meam, & linum meum, oleum meum & pocula mea. Et mox: Nec agnouit quòd ego dedi ei frumentum uinum & oleum, quodq; ei multum argenti & auri contuli, quæ fecerunt ipsi Baal. Nec hodie infrequens est *Proprietates dei non tribuendæ sunt alienis.* Isaiæ 41. 42. &c. *Dona dei nõ tribuẽda sunt dijs alienis.* Oseæ 2.

diuis cœlitibus, non Deo soli, prouentum terræ & tempestates uel temperatas uel sæuas ferre acceptas. Verùm ea superstitio est non pietas.

Colere deū sed non legitimè. Præterea superstitiosè colitur deus, quando solus quidem, sed tamen non modo legitimo colitur. Illegitimus cultus proficiscitur ex arbitrio hominū, alienusq; est à uerbo & institutis Dei. Legitimè enim Deus colitur, quādo secundum ipsius uoluntatem & uerbum colitur. *Deut. 12.* In lege sic præcepit dominus: Caue tibi ne requiras deos gentium, dicens: Quomodo coluerunt gētes illæ deos suos: sic ego faciā. Non facies sic domino deo tuo, &c. Quicquid ego præcipio uobis, id obseruabitis ut faciatis: non addes quicquam super ipsum, nec minues ab eo. *Leuit. 10.* Nadab & Abihu offerunt domino ignem alienum: ergo concremantur coram domino flamma cœlesti. *2. Reg. 6.* Perit etiam Oza, quòd aliter contrectauisset arcam dei, quàm mandarat in lege sua dominus. *Iudic. 17.* Micha in libris Iudicum uero Deo, qui appellatur Iehouah, imaginem, aram, sacellum & cultum instituit. Sed reprobatur à scriptura sancta, quia is non tantùm ex scriptura diuina non erat petitus, sed modis omnibus legi diuinæ aduersabatur. *3. Reg. 12. 13.* Sed & Ieroboam deo Israelis cultum magnificū, cathedralia templa, & statuas aureas posuit: uerùm cum non congruerent cum uerbo domini, damnantur in uniuersum omnia pro execrandis sacrilegijs. Imò quid in uniuersum sentiamus de omnibus cultibus à deo nec institutis nec cum uerbo dei cōgruentibus, sed ex nostra bona intentione confictis, declarat nobis unicum præstantissimi prophetæ Samuelis testimonium, contra Saulem & eius sacrificia his pronunciatum uerbis: *1. Reg. 15.* Nunquid uult dominus holocausta & uictimas, & non potius ut obediatur uoci domini? Melior est enim obedientia quàm uictimæ, & auscultare præstat arietum pinguedini. Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Huc facit quod apud Isaiā legimus: *Isaiæ 66.* Qui bouem immolat, quasi qui interficiat uirum: qui pecudem cædit, est uelut is qui iugulat canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, benedicit iniquitatem. Hæc omnia elegerunt in uijs suis, & in abominationibus suis anima eorum oblectata est. Vani itaq; & abominabiles cultus sunt, qui non reducuntur ad purum dei uerbum. *Isaiæ 29. Matth. 15.* Nam idem propheta, Frustra, inquit, colunt me docentes doctrinas hominum.

Deus uiuus, uerus & æternus, qui solus uult ac debet adorari, inuocari & coli, uera omnes homines religione donet, & ab omni superstitione uana liberet: per Iesum Christum dominum nostrum.

Filium Dei ex patre ineffabiliter genitum, consubstantialē esse patri, ideoq́; Deum uerum: eundem esse hominem uerum, nobis consubstantialē, ideoq́; uerum Deum & hominem manentem in duabus inconfusis naturis, & in una persona indiuisa. SERMO VI.

RES ipsæ rerumq; ordo flagitant, ut postquam in genere dixi de Deo, eiusq; unitate & trinitate, porrò differam sigillatim de personis adorandæ trinitatis, in primis autem de domino nostro Iesu Christo uero Deo & homine, deinde de spiritu sancto: quo si imbuti fuerint animi nostri, cedent omnia quæcunq; dixerimus audierimusq; ad gloriam nominis Dei animarumq; nostrarum salutem. Oremus itaq;, &c.

Filius ex patre ab æterno genitus ineffabiliter. Pater ille æternus origo & author rerum omnium, æterna & ineffabili generatione filium genuit. Vniuersa enim scriptura concorditer deum appellat patrem, & patrem quidem æternum. Nullus autē pater sui ipsius, sed filij pater est: & quia pater hic æternus est, necessariò filium æternum habeat oportet, æqualem sibi per

omnia, coæternum & consubstantialem. Certè S. Paulus ad confirmationem huius ueritatis catholicæ profert ex ueteri scriptura duo testimonia. Cui, inquit, angelorum dixit unquam Deus, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et iterum, Ego ero ei pater, & ille erit mihi filius: quæ omnia Christo Iesu filio Dei accommodat: de quo & Micheas testatus est, Et tu Bethlehem Ephrata, paruula quidem es in millibus Iuda: ex te prodibit mihi dominator in Israele: & exitus eius (siue emanationes eius) à seculo, à diebus æternitatis. Vnde ipse in Euangelio secundum Ioannem dicit filius Dei: Amen dico uobis, antequam Abraham fieret ego sum. Et Ioannes, In principio, inquit, erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Intelligit autem per uerbum non uocale illud transiens, non consiliũ Dei, sed filij personam. Mox enim subiungit: Et uerbum caro factum est. Scimus autem filium Dei non cogitationem aut propositum Dei (sicut nugantur hæretici) esse incarnatum. Atqui is qui in tempore incarnatus, ante æterna tempora erat apud patrem, adeoq; Deus uerus cum Deo uero. Nam uerbum erat apud Deum inquit, & Deus erat uerbum. Quia in principio, nimirum ab æterno, erat apud Deum. Hæc simplicia scripturis tradita, ideoq; uerissima, de generatione filij ex patre sempiterna, minimè curiosis sufficere arbitror. Scriptura enim non explet hic curiosorum uana desideria, neque subtiliter de his disserit, imò paucula quæ credamus tradit. Quod autem illa uel non tradit uel pauculis adumbrat, salubriter uel ignoramus, uel traditis inhærentes plura non inquirimus. Sanctus pater Cyrillus illud Ioannis Euangelistæ exponens: In principio erat uerbum, Ne infinita, inquit, quærentes, inexplicabilis nobis fiat consideratio, quæ nunquam possit in exitum peruenire, nec principium principij dabimus, nec filium in tempore à patre genitum concedemus, sed æternaliter cum patre ipsum esse confitebimur. Si enim in principio erat, quæ mens poterit unquam ultra illud Erat conuolare? aut quando illud Erat mente ita tenebimus ut cogitationes nostras non antecedat? Meritò igitur stupore perculsus clamat Isaias: Generationem autem eius quis enarrabit? Omnem enim mentem excedens, omnemq; rationem humanam superans, ineffabilis est. Et mox: Quoniam, inquit, ante secula filius est, in tempore genitus esse non potest: sed est semper in patre quasi in fonte: sicuti ab ipso dictum est: Ego ex patre exiui & ueni. Quasi enim fontem patrem intelligimus: in quo uerbum est sapientia, uirtus, character, splendor, & imago eius existens. Quare si nullum unquam erat tempus quando absq; sapientia, uirtute, charactere, splendore ac deniq; imagine sua erat pater, fateri necesse est coæternum & esse filium, qui sapientia, uirtus, &c. patris æterni est. Quomodo enim character, aut quomodo imago exquisitissima patris est, nisi pulchritudinem illius perfectè consequutus sit cuius imago est? Non est autem absurdum quod diximus in patre filium tanquam in fonte intelligendum esse. Nihil enim aliud nobis nomen fontis significat quàm ut ex quo: filius uerò in patre & ex patre est, non profluens foras, sed aut quasi à sole splendor, aut quasi ab igne insita sibi caliditas. In his enim exemplis unum ab uno produci & ambo consempiterna sic esse conspicimus, ut aliud absque alio nec esse possit nec naturæ suæ rationem retinere. Quomodo enim erit Sol splendore priuatus? uel quomodo erit splendor, nisi sol sit à quo defluat? ignis uerò quomodo erit calore carens? uel calor unde prodeat, nisi ex igne, aut ab alio forsan non procul à substantiali qualitate ignis disiecto? Sicut igitur quæ ab istis profluunt simul cum illis sunt unde profluunt, ac semper unde fluant ostendunt: sic in unigenito intelligendum est. Ex patre enim esse intelligitur, sed in patre etiã esse creditur: non alienus à natura, neq; post patrem natura secundus: sed in ipso

Hebr. 1. Psalm. 2. 2. Reg. 7. Mich. 5. Ioan. 8. Ioan. 1. Cyrillus. Esaie 53.

patre semper & cum ipso, & ex ipso, secundum ineffabilis generationis modum. Hactenus Cyrillus. Et illa quidem de patre & de inenarrabili generatione filij dei firmiter secundum scripturas sunt credenda.

Confeßio de filio Dei Iesu Christo Domino nostro.

Porrò de filio Dei teneamus & indubitanter credamus, quòd patri consubstantialis atque ideo Deus uerus sit, quòd idem ille incarnatus pro nobis & homo factus, in utraque tam diuina quàm humana subsistat natura, ita tamen ut naturæ hæ neque confundantur inter se neque diuidantur. Credimus enim unum atque eundem Dominum nostrum Iesum Christum uerum esse Deum & hominem uerum. Quæ quidem singula per suas partes dilucidè, & quantum Dominus gratiæ dederit, demonstrabimus.

Filium patri esse consubstantialem.

De uocabulo Homoousij, quod concorditer Latini uerterunt Consubstantiale, diu & multum apud ueteres altercatum esse testatur Ecclesiastica historia. Quid significet & quomodo usurpatum fuerit à celeberrima Synodo Nicena, breuibus & significãtissimè sic exposuit doctissimus & pijssimus Eusebius Pamphili Cæsarien. antistes. Quòd patri filius consubstantialis dicitur, expressam habet significationem, quòd nihil similitudinis cum factis creaturis filius Dei habet, sed soli patri, qui ipsum genuit assimulatur, nec ex alia est substantia aut essentia, nisi patris. Et mox idem, Cui sententiæ ad hunc modum expositę, rectè subscribi posse uisum est: quando ex ueteribus doctos ac illustres Episcopos ac commentatores de patris & filij diuinitate disserentes, Homoousij dictione usos esse cognouimus. Hæc Socrates Historiarum lib. 1. cap. 8. Certè sancti ecclesiarum pręsides hæreticorum hypocrisi, lubricitate & malitia adacti, uocabula maximè significantia & minimè ancipitia, & ipsi usurparunt & alijs usurpanda imposuerunt, quibus partim ueritatem orthodoxam disertè exprimerent, partim dolos & artes malitiosas hæreticorum redarguerent atque retegerẽt, imò & excluderent. Confitebatur Arius, filium Dei Deum esse, sed consubstantialem interim patri negabat, quare declarabat se non syncerè confiteri ueram filij diuinitatem. Nec refert admodum si uocabulum aliquod commodum & rei explicandæ idoneum in scriptura sacra tot literis quot in aliena lingua scribitur non extet, modò illud disertè scripturis expressum legatur, quod uocabulo significatur. Proinde si ostenderimus filium eiusdem esse substantiæ aut naturæ cum patre, adeoque æqualem Deo & similem, unumque cum ipso, abundè demonstrauimus filium patri esse Homoousion siue consubstantialem. Zacharias

Zach. 13.

propheta Deum inducens loquentem, dicit: Excitare, ô gladie, super pastorem meum, & super uirum coæqualem mihi, percute pastorem, & dispergentur oues gregis. En pastorem percussum appellat Deus coæqualem suum. Quis autem sit

Matth 26. Ioan. 10.

pastor ille percussus, declarat historia Euangelica, ipsum nobis Dei filium Dominum Iesum Christum exhibens. Nec obest sed prodest causæ nostræ quod Hieron. non legit Virum coæqualem mihi, sed Virum cohærentem mihi. Nam ut ille non

עמית

negat amith significare coæqualem, ita aliud reponit æquè efficax. Cùm enim uertit uirum cohærentem mihi, intimam ipsamque substantialem, ut sic dicam, inhęrentiam siue coæqualitatem patris & filij, exprimere uoluit. Nam in Commentarijs addit: Et uir cohærens Deo quis est nisi qui ait: Ego in patre & pater in me.

Ioan. 5.

Rursus legimus in Euangelio Ioannis: Propterea quærebant Iudæi Iesum interficere, quia non solum soluisset sabbatum, (ἀλλὰ καὶ πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν θεόν) sed & patrem suum (proprium utique) dixisset Deum: æqualem (ἴσον) se faciens Deo. Cæterum Græci ἴσος exponunt per ὅμοιος. Nec potest illa æqualitas ullibi consistere, nisi in substantia. Intelligunt enim Iudæi, quod Ariani uidere nolunt, Dominum singulari quodam modo deum appellasse patrẽ suum, utique ἴδιον proprium, natiuũ seu

seu genuinum, ex quo naturaliter naturalis & consubstantialis filius genitus sit. Sequitur enim: Æqualem se faciens Deo, nimirum uirtute siue potentia, æternitate & essentia. Nam idem Dominus apud eundem Euangelistam dicit: Ego ex Deo processi & ueni. Non tantùm Veni dixit: sed Processi. Processit talis ex patre qualis est pater substantia, certè lumen de lumine, Deus uerus ex Deo uero, *Ioan. 8.* Nam iterum Iudæis dicit: Amen dico uobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Non dicit Fui uel ero, sed Sum, alludens ad nomen Domini Iehouah, & explicans *Ioan. 8.* suam substantiam diuinitatis eandem esse cum substantia patris, & idcirco se esse patri consubstantialem. Adhuc enim clarius: Ego, inquit, & pater unum sumus. *Ioan. 10.* Vnum, inquam, non concordia, sed identitate & essentia. Agitur enim eo loci de potentia & maiestate Dei. Cumq; protinus Iudæi lapidibus Dominum ista loquutum adobruere uellent, clarè satis declarauerunt quomodo intellexerint uerba eius. Lapidabant enim blasphemos, gloriam Dei uel conuitijs impetẽtes, uel sibi ipsis arrogantes.

Huc pertinet quod Paulus de filio Dei loquens, ait, Qui est imago Dei incon *Coloss. 1.* spicui, primogenitus uniuersæ creaturæ, quòd per illum creata sint omnia. Si enim imago est Dei inconspicui, coæqualis sit Deo oportet. Nam alibi appellat eundem *Hebr. 1.* characterem Dei, expressam (& per omnia probissimè respondentem archetypo) imaginem. Certè imago & similitudo est rerum non disparium, sed æqualium. Primogenitus autem dicitur, quia princeps & dominus est, non quòd & ipse accenseatur creaturis. Omnia enim quæ condita sunt, per ipsum condita sunt: ergo ipse non est creatura, sed Deus uerus, naturæ utiq; & substantiæ diuinæ, unus cum patre. Ad Philippenses idem Apostolus dicit filium esse in forma Dei. At in forma Dei esse, nihil aliud est, quàm Deo per omnia æqualem, consubstantialem adeoq; Deum ipsum esse. Nam quid sit esse in forma Dei, clarissimè per oppositum membrum illustratur. Sequitur enim: Formam serui assumpsit. Id quod rursus exponitur per consequens: In similitudine hominum constitutus, id est, uerus homo factus, cæteris hominibus nulla dissimilis in re, excepto peccato: quod alibi dilucidè exprimitur. Et hic rursus addit: Et figura repertus ut homo. Ideoq; in forma Dei *Philip. 2.* esse, est Deo coæqualem & consubstantialem esse. Adijcit enim: Non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo. Rapina enim est res aliena: nam possidetur per iniuriam. Natura ergo & proprijssimo modo coęqualis est patri filius, Deus uerus. Et sensus uerborum Pauli hic est: Tametsi esset filius eiusdem gloriæ & maiestatis cum patre, potuissetq; extra humiliationem manere in gloria, maluit se tamen exinanire, id est, hominis naturam assumere, & sese in pericula & ipsam mortem conijcere. Alioqui enim iuxta diuinitatem nihil sensit mutationis. Deus etenim est immutabilis, & uicissitudinis expers.

Ista cùm ita habeant, piè S. Ambrosius libro de Fide contra Arianos capite 5. *Ambrosius.* Cùm ergo hanc unitatem substantiæ, inquit, in patre & filio non solum propheticа, sed & Euangelica authoritate cognoscas, quomodo dicis in scripturis diuinis homoousion non inueniri? quasi aliud sit homoousion, quàm quod dicit: Ego de Deo patre exiui, Et, Ego & pater unum sumus, &c. Præceptorem Ambrosium sequutus discipulus beatus Augustinus in Altercatione cum Pascentio, homoousiō *Augustinus.* scripturæ locis confirmans, demonstrat hoc sanctè in fide & religione nostra usurpari. Id ipsum facit libro contra Maximinum Arianorum Episcopum tertio, capite 14. Sed quid necesse est plura coaceruare? Spero enim dilucidis scripturæ sanctæ locis clarè satis demonstratum esse, filium patri esse consubstantialem, atq; ita credi oportere. Hoc ipsum consequenti tractatione iterum per scripturarum testi-

monia non parum illustrandum fore speramus.

Filium Dei uerum esse Deum

Deum uerum esse Dei filium Dominum nostrum Iesum Christum negauit Arius cum suis complicibus. Scriptura uerò ueracissima tam manifestè approbat, ut nihil possit addubitare cui ueritas cordi est. Recitabimus in præsenti testimonia & argumenta aliquot maximè perspicua, quibus interueniente spiritu sancto confirmetur fides nostra, ipsaque ueritas catholica & orthodoxa illustretur.

Apud Matthæum in 3. ca. baptizato Domino nostro per Ioannem Baptistam, aperti sunt cœli, descenditque spiritus sanctus specie columbæ super caput Domini nostri Iesu Christi, protinus etiam audita est uox è nubibus à diuina gloria sic pronunciata: Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea. Et Ioannes Baptista apud Ioãnem Euangelistam: Vidi spiritum, inquit, descendentem specie columbæ de cœlo, & mansit super eum: & ego non noueram eum, sed qui misit me ut baptizarem aqua, is mihi dixit: Super quem uideris spiritum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. Et ego uidi & testatus sum hunc esse filium Dei. Huc pertinet quod beatus Petrus rogatus à Domino: At uos quem me esse dicitis? omnium nomine respondit: Tu es Christus ille filius Dei uiuentis. Et iterum obijciente Domino: Num & uos uultis abire? Respondit rursus omnium nomine S. Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus quòd tu es Christus filius Dei uiui. Dicimur quidem & nos filij Dei, sed per adoptionem, Christus autem non per adoptionem neque per imputationem, sed per naturam. Nam Marci 14. cap. dicit summus sacerdos Domino nostro. Tu es Christus ille filius benedicti? Apud Matthæũ idem ait: Adiuro te per Deum uiuum, ut dicas nobis, an tu sis Christus filius Dei uiui? Respondit Iesus: Ego sum. Nam uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis, & uenientem in nubibus cœli. Id quod repetitum apparet ex 7. Danielis cap. Cæterum hanc confessionem Domini coram Pilato ueluti blasphemam morteque expiandam adducunt, clamantes: Nos habemus legem, & secundum legem nostram debet mori: quia filium Dei se fecit. At illi ipsi in Euangelica historia contra Dominum intonant: Nos è stupro non sumus nati: unum patrem habemus Deum. Certum ergo est, Iudæos non aliam ob caussam accusasse saluatorem nostrum crimine maiestatis diuinæ læsæ, quàm quòd dixisset se naturalem non adoptiuum esse Dei filiũ. Hoc enim non erat capitale, illud erat capitale. Nam & Ioan. 5. legimus, Propterea quærebant Iudæi magis interficere Iesum, quia non solum soluisset sabbatum, sed & patrem suum dixisset Deum, æqualem se Deo faciens. En habes modum quomodo appellarit se Dei filium, non per adoptionem aut reputationem, sed per naturam atque substantiam. Nam iterum uolentibus lapidare Dominum, ipse opponit, Multa bona opera ostendi uobis ex patre meo, propter quod eorum bonorum operum me lapidatis? Responderunt iterum Iudæi, dicentes: Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, nimirum quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum. En quid poterat dici clarius? Facis teipsum Deum. Et quid oro dixerat? unde hæc colligebant? Ego ouibus meis do uitam æternam, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est: & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater unum sumus. Dare uitam æternam, est uirtutis diuinæ: seruare & ita seruare ut nemo de manibus possit rapere, eiusdem est uirtutis. Probat autem suam assertionem Dominus tali argumentatione. Nemo potest oues rapere ex manibus patris mei: ergo nemo potest rapere ex manibus meis. Probatio antecedentis: quia pater maior omnibus est: id est, maximus omniũ est: cuius uirtus diuina superat omnia.

Margin notes: Ioan. 1. — Math. 16. — Ioan. 6. — Christus naturalis est Dei filius. — Ioan. 19. — Leuit. 24. — Ioan. 8. — Ioan. 10.

Probatio consequentiæ, quia ego & pater unum sumus, nimirum non uoluntate duntaxat concordi, sed potentia & maiestate, de qua agitur in præsenti, non de concordia, sed pari potestate uiuificandi & conseruandi. De qua copiosissimè ipse Dominus disputat per integrum cap. 5. Euangelij Ioannis, demonstrans se remittere peccata, uiuificare atque excitare ex mortuis sua uirtute, perinde atque patrem, ergo ipsum esse eiusdem potestatis & maiestatis diuinæ cum Deo patre. Hæc sunt tam euidẽtia & illustria, ut si nulla alia haberemus testimonia, sola hæc abundè sufficerent pro assertione ueræ filij Dei diuinitatis, quòd scilicet filius est Deus uerus.

Rursus idem Dominus & saluator noster magna libertate, & uerborum luce, absque omni ænigmate & uerborum obscuritate, palàm & disertè ad discipulos dicit: Ne turbetur cor uestrum, Creditis in Deum, & in me credite. Ego sum uia, ueritas & uita, qui uidit me, uidit patrem. Non creditis quòd ego in patre sum, & pater in me? Certum est autem Christum Dominum doctorem esse cœlestem, ueritatis constantissimum assertorem, qui neminem nec seduxit nec potuit seducere. Sed iubet nos credere in ipsum ut Deum uerum. Est itaque Dominus noster Deus uerus. Nam & alibi clarissimè dicit: Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi, qui confidit mihi, habet uitam æternam. Ioan. 14. Ioan. 6.

Idem iterum in Euangelio perspicuè pronunciat, & ait. Pater uenit hora, glorifica filium tuum, ut & filius tuus glorificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis uitam æternam. Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Quibus uerbis & unitatem Dei contra ethnicos, plures deos colentes, asseruit, & personarum distinctionem pulchrè insinuauit, interim etiam se uerum Deum esse cum patre prædicauit. Mox enim subiungit: Glorifica me tu pater apud temetipsum gloria, quam habui priusquàm hic mundus esset apud te. Non puto hic mihi prætereundam Tertulliani argumentationem, quo minus C. V. recitem ex libro de Trinitate, in quo plurima colligit diuinitatis Christi solidissima argumenta: Si homo tantummodo Christus, inquit, quare credendi nobis regulam talem posuit, qua diceret: Hæc est autem uita æterna, ut sciant te unum & uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum? Si noluisset se etiam Deum intelligi, cur addidit: Et quem misisti Iesum Christum, nisi quoniam & Deum accipi uoluit? quoniã si Deum nollet intelligi, addidisset: Et quem misisti hominem Iesum Christum: nunc autem neque addidit, nec se hominem nobis tantummodo Christus tradidit, sed Deo iunxit: ut & Deum per hanc coniunctionem sicut est intelligi uellet. Est ergo credendum secundum præscriptam regulam in Dominum unum uerũ Deum, & in eum quem misit Iesum Christum consequenter: qui se nequaquam patri, ut diximus, iunxisset, nisi Deum quoque intelligi uellet. Separasset enim ab eo, si Deum intelligi se noluisset. Inter homines enim tantummodo se collocasset, si hominem se esse tantummodo sciret: nec cum Deo iunxisset, si se non & Deum nosset: nunc & de homine tacet, quoniam hominem illum esse nemo dubitat, & Deo se iungit meritò, ut credituris diuinitatis suæ formulam poneret. Si homo tantummodo Christus, quomodo dicit: Et nunc honorifica me gloria quam habebam apud te priusquam mundus erat? Si antequam mundus esset gloriam habuit apud Deum, & claritatem tenuit apud patrem, ante mundum fuit. Neque enim habuisset gloriam, nisi prius fuisset qui gloriam posset tenere. Nemo enim habere aliquid poterit, nisi ipse ante fuerit qui aliquid tenet. Sed enim Christus habet gloriam ante mundi institutionem: ergo ante mundi institutionem fuit. Nisi enim ante mundi institutionem esset, ante mundi institutionem gloriam habere non posset, cùm ipse non esset. Sed Ioan. 17.

enim homo gloriam ante mundi institutionem habere non potuit, qui post mundum fuit. Christus autem habuit: ante mundum igitur fuit: non igitur homo tantummodo fuit, qui ante mundum fuit. Deus est igitur, quoniam ante mundū fuit, & gloriam ante mundum tenuit. Post hæc ostendit Tertul. hæc non interpretanda esse de prædestinatione, sed de substantia Christi. Sed hæc hactenus.

Sanctus Apostolus Paulus in Epistola ad Romanos semel & iterum ostendit uerbis minimè obscuris, Dominum nostrum Iesum Christum uerum esse Deum. Nam in 9. cap. de Christo loquens, dicit: Qui est in omnibus Deus laudandus in secula. Notissima sunt quæ idem ille scribit in 1. ad Corint. 8. cap. Diuus Apostolus & Eangelista Ioannes in sua canonica diuinitatem filij tam manifestè demonstrat, ut qui non uideat, corpore & animo cęcus sit. In fine Epistolę: Scimus, inquit, quòd filius Dei uenit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum, qui uerus est: & sumus in uero, in filio eius Iesu Christo. Hic est uerus Deus & uita æterna.

1. Ioan. 5.

Iam Deus est per quem uiuimus, mouemur & sumus, teste Paulo: per Christum autem Dominum nostrum uiuimus, mouemur & sumus; sicut ipse clarè docuit in Euangelio secundum Ioannem: Christus ergo Deus est uerus.

Actor. 17.

Apud Isaiam in cap. 43. & 45. dicit Dominus. Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me Saluator. Deus iustus & saluans non est præter me. At Ieremias in 23. capite, Christum Dauidis filium appellat Iehouah & iustitiam nostram. Item apud Isaiam de filio loquens pater: Dedi te in lucem gentium, inquit, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Cæterum cùm non sit ullus Deus alius, præter unum, nulla alia uera salus & iustitia, nisi unica illa diuina: consequens profectò est, Christum uerum esse Deum patri coæqualem per omnia.

Isaie 49.

Apud eundem Isaiam dicit Dominus: Per meipsum iuraui, exibit de ore meo iustitiæ uerbum, & non retractabitur: quia mihi flectetur omne genu, & iurabit omnis lingua. Atqui Paulus dixit: Donatum est Christo nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu se flectat omne genu cœlestium ac terrestrium, & infernorum, omnisq́ue lingua confiteatur quòd Dominus sit Iesus Christus, ad gloriam Dei patris. Proinde necesse est Christum uerum esse Deum. Nam cùm adoratur coliturq́ue, cùm confitemur ipsum esse Dominum, id quidem non cedit ad ignominiam, sed ad gloriam Dei patris. Siquidem in Euangelio secundum Ioannem sic dicit Dominus: Pater omne iudicium (nimirū omnia iura & omnē administrationem, gloriam ac potestatem) dedit filio, ut omnes honorēt filium sicut honorant patrem. Qui non honorat filium, non honorat patrem, qui misit illum. Huc ergo iam pertinet quod apud Isaiam prophetam iterū legimus: Ego Dominus, Hu (uel ipse) est nomen meum, & gloriam meam alteri uel alieno non dabo, &c. Dat autem gloriam suam filio: hic ergo substantia sua, secundum diuinitatem, nō est alienus à patre, licet in propria persona agnoscatur. Quid quod in Euangelio secūdum Ioannem Dominus non dicit? Et nūc glorifica tu me pater apud temetipsum gloria, quam dedisti priusquam hic mundus esset apud te: sed quam habui priusquàm hic mundus esset apud te. Habui, inquā, dicit, non accepi. Quanquam scriptura & hoc uocabulo utitur non rarò propter dispensationis mysterium.

Isaie 45. Philip. 2. Ioan. 5. Isaie 42. Ioan. 17.

Apud Michæam dicunt Christiani, Omnes gentes ambulant unaquæq́ue in nomine Dei sui, nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri. Cæterum ambulant in nomine & uia Iesu Christi, dicentis in Euangelio: Ego sum uia & ostium, Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Deum ergo esse Christum quis est qui ignoret? Nam apud Ezechielē dicit Dominus: Solus ego pascam gregem meum. Et mox subiungit: Pascet eum seruus meus. Dauid, nimirum Christus,

Mich. 4. Ioan. 10. 14. 8. Ezech. 34.

stus, Dauidis filius, pastor ille uniuersalis ecclesię unicus, atque idcirco Deus uerus. Oportet enim uniuersalem pastorem, regem & sacerdotem, æternum, omniscium & omnipotentem esse, omnibus hominibus in omnibus locis præsentem. Proinde uerus Deus est filius Dei, quia Mesias est.

Præterea quid oro clarius & minus controuersum est, quàm quòd solus Deus peccata remittit? Necesse est ergo nihil esse clarius & minus dubium, quàm quod credimus Christum esse uerum Deum. Quia est agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. *Marci 2. Ioan. 1.*

Rursus cum Christum rectè appellet Paulus spem nostram: nam Isaias prædixit: In illo gentes sperabunt, Ieremias uerò clamet: Maledictus omnis qui spem suam collocat in homine, beatus uerò qui deo fidit: necessariò Christum deũ confiteri oportet. Nam sæpe apud Ioannem ingeminat: Amen dico uobis, qui fidit mihi, habet uitam æternam. Possem huius generis innumera ex scripturis proferre argumenta, attestantia filium Dei dominũ nostrum Iesum Christum unius & eiusdem esse cum patre naturæ, ideoque Deum uerum ex Deo uero: uerùm spero sanctis & minimè contentiosis auditoribus illa quæ produximus, satisfacere. *1. Tim. 1. Isaiæ 11. Ierem. 17.*

Restat ut demonstremus dei filium incarnatum pro nobis, & ex Maria uirgine, uerum hominẽ, nobis per omnia, peccato excepto, consubstantialem, esse natum. Lex, prophetæ & apostoli manifestissima nobis exhibent ueræ carnis uel humanitatis filij dei argumenta. In Lege enim dicit dominus: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Cæterum caput serpentis, quis nesciat esse diaboli regnum, uim uel potentiam? Hanc autem fregisse Iesum Christũ, tota attestatur scriptura. Atqui hic nuncupatur semen mulieris. Et semen quidem propter ueritatem humanæ naturæ: semen autem mulieris, non uiri, propter conceptionem ex spiritu sancto & natiuitatem ex Maria uirgine factam. Et quoniam hæc fuit filia Dauidis, Abrahæ & Adam, consequens est filium Mariæ uerum esse hominem. Quemadmodum enim Adamo dictum audiuimus: Semen mulieris conculcabit caput serpentis: ita eandem promissionem Abrahæ renouatam & inculcatam legimus hisce uerbis: In semine tuo benedicentur omnes gentes orbis. Paulus uerò ad Galat. manifestè dicit, semen hoc Abrahæ, in quo benedictionem cõsequimur, Christum esse Iesum. Idem Apostolus: Nuspiam, inquit, angelos assumit, sed semẽ Abrahæ assumit: per angelos utique excludens quasuis substantias spirituales, per semen Abrahæ ipsissimam intelligens humanæ carnis substantiam. Nam subiungit: Vnde debuit per omnia similis fratribus esse. Et quoniam hi communicant carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem. Certè scriptura lineam prosapiæ Christi diligentissimè deducit ex lumbis Abrahæ in Iacobum, & ex hoc rursus in Iudam, inde rursus in Dauidem. Huic renouantur iterum promissiones de incarnando dei filio. Nathan enim Dauidi dicit: Sic dicit dominus: Cum completi fuerint dies tui, dormierisque cum patribus tuis, excitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, regnumque eius firmabo. Is extruet domum nomini meo: & ego confirmabo regni eius solium in æternũ. Neque est quod hæc quisquam interpretetur de Solomone. Hic enim uiuente patre Dauide natus, regnumque eius citò dilapsum est. Cæterũ Nathan loquitur de filio qui sit Dauidi nascendus post mortem. Cum dormieris, inquit, cum patribus tuis, excitabo semen tuum post te. Et quale hoc futurũ sit, manifestissimè declarat, & ait, Quod egredietur de utero tuo. Nam & Psalm. 132. legimus, De fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Porrò uirgo Maria Dauidici fuit seminis propago, ex qua genitus est Christus dominus, de quo loquens angelus, & uetusta illa exponens ua- *De uera humanaque Christi carne. Gene. 3. Gene. 22. Galat. 3. Hebr. 2. 2. Reg. 7.*

Lucæ 1. ticinia, ad uirginem dicit: Et dabit illi dominus deus sedem Dauid patris ipsius, regnabitq; super domum Iacob in æternum: & regni eius nō erit finis. Huc quoque pertinet quod Elisabetha dicit ad uirginem ex Galilæa in montana Iudææ uenientem: Et unde hoc mihi ut ueniat mater domini mei ad me? Benedicta tu inter
Matth.1. Lucæ 3. mulieres, & benedictus fructus uentris tui. Certè Matthæus & Lucas ex prosapia & ueluti lumbis Dauidis lineam Christi deducunt in ipsam usque uirginem Mariam, quæ concipit ex spiritu sancto, id est, fœcundante ipsam spiritu sancto. Eadem mensibus completis, quibus absoluitur fœtus, peperit: qui uerò natus est, modis omnibus apparet homo uerus: collocatur in præsepio fascijs inuolutus, crescit & adolescit pro ratione corporis humani, fatigatur, recreatur, gaudet, dolet, esurit, sitit, edit, bibit, metuit, denique moritur. Id quod multis approbat ueritas e-
Matth.1. Ioan.2. uangelicæ historiæ. Nec ipsa erubescit scriptura Mariam appellare matrem domini, non utiq; putatiuam, sed ueram & naturalem, utpote quæ de proprij corporis substantia ueram carnem & humanam substantiam dedit filio Dei, attestante cum
Isaiæ 7. Lucæ 1. Matth.1. Galat.4. Isaia angelo dei, ac dicente: In utero cōcipiet uirgo & pariet filium. En in utero dicit. Et rursus apud Matthæum dicit angelus idem: Quod in illa conceptum est, à spiritu sancto profectum est. Vnde Apostolus ad Galatas dicit filium dei factum esse ex muliere, nimirum secundum naturam humanam. Est enim Christus fructus uentris Dauidis, & uirginis Mariæ, genitæ ex lumbis Dauidis, sed & Ioannes Apostolus & euangelista, Verbum, inquit, caro factum est, & habitauit in nobis. Carnem nuncupans deum, uerum utiq; hominem appellat. Nam idem apo-
1.Ioan. 4. stolus alibi: Omnis spiritus, ait, qui confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex deo est: & omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne uenisse, ex deo non est. Liberè ergo pronunciamus, Valentinum, Marcionem, Appellem & Manicheum, negantes ueram Christi carnem, esse ex diabolo, & ideo modis omnibus unà cum omnibus ipsorum sectatoribus fugiendos. Locum autē de ue-
Philip.2. ra Christi carne hisce dilucidissimis Pauli uerbis concludimus: Cum Christus esset in forma dei, semetipsum exinaniuit, formā serui accipiens, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo: humiliauit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Proinde indubitatum est, dei filium ueram & humanam assumpsisse carnem, & in ea nobis per omnia, peccato excepto, esse consubstantialem.

Resuscitatus ueritatem corporis nō deposuit dominus. Neq; uerò resuscitatus ex mortuis dominus noster, tametsi clarificatus, ueritatem corporis sui semel assumpti deposuit. Et clarificatio ueritatem naturæ non abolet. Dicit enim discipulis: Spiritus carnem & ossa non habet, sicut uidetis me habere. Proinde ueram illam suam carnem secum uexit in cœlum, in uera carne apparet pro nobis semper in conspectu Dei patris, in uera carne uenturus est iudicare uiuos & mortuos, in uera carne uidebunt eum qui confixerunt ipsum. Secundum hanc naturam Christus (qui iuxta diuinitatem non creatura, sed creator est) creatura est. Habet enim caro Christi initium, descenditq; ex Adamo, qui est creatura dei uiuentis. Et quamuis hæc satis communita sint robore scripturarum, non pigebit tamen C.V. recitare sententiam beati patris Cyrilli, quam eadem de re hisce uerbis in epistola ad Successum episcopum Isauriæ Diocæsarieñ. scriptam reliquit, Quia in tuo Commonitorio tale quippiam reperi, quasi post resurrectionem, sancta caro Christi saluatoris omnium nostrûm, in deitatis sit conuersa naturam, ita ut iam tota diuinitas sola esse uideatur oportere, credidimus etiam ad hoc dare responsum. Et post aliquot uerba, Post resurrectionem erat quidem corpus ipsum, quod passum fuerat, ueruntamen iam non habens in se infirmitates huma-

nas,

nas. Nō enim illam patientem famis laboris uel similis alicuius asserimus, sed iam incorruptibile confitemur: nec hoc solum, sed & uiuificum. Vitę enim corpus est, id est, unigeniti filij Dei, glorificatū est claritate deo dignissima, & intelligitur Dei corpus. Idcirco si quis illud diuinum dicat, sicut & hominis humanum, à decentissima ratione non deuiat. Vnde puto beatissimum quocꝫ Paulum dicere: Etsi cognouimus secundum carnem Christum, nunc tamen non nouimus. Dei enim, ut dixi, proprium corpus existens, omnia humana transcendit. Conuersionem autē in deitatis naturam, corpus è terra nō potuit sustinere. Hoc enim impossibile est: alioqui deitati derogamus tanquā factę, & uelut assumpto aliquid in se, quod eius iuxta naturam proprium non sit. Dehinc æqualis probatur ineptiæ dicere conuersum esse corpus in deitatis naturam, & illud quod uerbum sit in carnis substantiā commutatum. Sicut enim hoc impossibile est: quia inconuertibile & incommutabile comprobatur: ita etiam illud non est possibile in deitatis essentiam uel naturam aliquid creaturarum posse conuerti. Est autem creata etiam caro. Ideocꝫ diuinum quidem dicimus corpus Christi, quia corpus est dei & ineffabili gloria illustratum, incorruptibile & iam sanctum atcꝫ uiuificum confiteamur: quòd autem in naturam deitatis sit immutatum, necꝫ sanctorum patrum quisquam sensit aut docuit, necꝫ nos ita sentimus. Hæc Cyrillus. Theodoretus uerò Cyri episcopus, dialogo 2. Eranist. Ostendam, inquit, corpus domini etiam post ascensionem corpus uocari. Audi ergo Paulum dicentem: Nostra conuersatio in cœlis est, ex quo expectamus Seruatorem dominum Iesum, qui transformabit corpus humilitatis nostræ, ut sit conforme corpori gloriæ ipsius. Non est ergo mutatum in aliam naturam, sed mansit quidem corpus uerum diuina gloria impletum, & lucis emittens radios. Sin autem illud in aliam naturam mutatum est, eorum quocꝫ corpora similiter mutabuntur. Fient enim illi conformia. Sin autem corpora sanctorum seruant suæ naturæ characterem, corpus quocꝫ domini similiter habet suam substantiam immutabilem. Tantum Theodoretus ille.

2. Cor. 5.

philip. 2.

Porrò quando profitemur Christum ueram habere carnem, non intelligimus inanimatam carnem. Confitendum est enim Christum habere animam rationalem siue humanam, non expertem mentis. Arius docebat dei filium solam assumpsisse carnem absꝫ anima, uerbum autem fuisse animæ loco. Et Apollinarius animam Christo tribuebat, sed adimebat mentem, rationalem esse negans. Scriptura & animā Christo tribuit, & animæ non adimit mentem. Ipse dominus dicit in euangelio: Filius hominis uenit, non ut sibi ministretur, sed ut ipse ministret, utcꝫ det animam suam redemptionem pro multis. Idem Matthæus de ipso scriptum reliquit: Cœpit affici dolore & mœstitudine. Et dixit Iesus: Tristis est anima mea uscꝫ ad mortem. Et alibi ipse dominus: Nunc anima mea turbata est, ait. Quòd si hæc anima Christi mente destituta fuit, quæ potissima animæ portio est, quomodo animā habuit? quomodo tristari & intelligere, desiderare & meminisse potuit? Desiderio, inquit dn̄s, desideraui hoc pascha manducare uobiscum antequam patiar. Desiderium uerò ex deitate non existit, necꝫ ex sola carne, necꝫ ex anima mentis exorte, sed ex perfecta humanitate corporis & mentis. Præterea legimus in euangelio dixisse dominum: Filius hominis non uenit ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum. Idcirco non solam carnem, sed & rationalē assumpsit animam. Homo enim & anima & corpore perierat: ut ergo anima & corpore seruaretur, uerè humanum corpus & rationalem animam assumpsit seruator Christus, hoc est perfectissimum hominem. Secundum scripturas itacꝫ confiteri ueram fidem docens beatus Athanasius, dixit, Christus deus est, ex substan-

Christum habere rationalem animam.

Matth. 20.

Matth. 26.

Ioan. 12.

Lucæ 22.

Lucæ 9.

tia patris, ante secula genitus: & homo ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.

Hereticus error & ueritas orthodoxa circa mysteriū incarnationis.

His usque huc demonstrauimus Christum Iesum dominum nostrum esse Deum uerum & hominem uerum, consubstantialem patri secundum diuinitatem, nobis autem consubstantialem secundum humanitatem: nam animam rationalem & carnem habet uerè humanam. Dicemus porrò de coniunctione uel unione harum naturarū in unam personam: qua in re turpiter à quibusdam ueteribus quondam aberratum esse tradunt historiæ. Eutyches enim constituebat in Christo unam tantùm naturam, eamque ex diuina & humana compositam, id est, confusam: à quo nō longè recesserunt Monothelitæ, unam duntaxat in Christo uoluntatem agnoscentes. Illam carbonariam uitare uolens Nestorius, incidit in calcariam. Confitens enim duas naturas, totidem personas asseruisse uidetur, docens uerbum ca[...]ō unitum esse in eandem personam, sed inhabitasse duntaxat: unde & diuam uirginem deiparam appellari uetabat. Contra quos communis totius ecclesiæ secundum scripturas sentientis assertio tradidit, duas in Christo naturas, naturarumque proprietates esse confitendas, quæ ita coierint in unam personam indiuisam, ut nec diuina natura mutata sit in humanam, neque hæc in illam, sed utraque suum retineat ingenium, subsistant auem utræque in unitate personæ. Vnus enim atque idem Christus secundum ingenium diuinæ naturæ, immortalis, secundum ingenium humanæ naturæ mortalis, atque idem ille deus immortalis & homo mortalis, unicus est saluator mundi. De qua re dicemus modò, Deo aspirante, paulò plura & explicatiora.

De unione diuinitatis & humanitatis.

De ipsa coniunctione diuinitatis & humanitatis ueræ in Christo, non spinosè neque subtiliter disputarūt prophetæ & Apostoli. Simpliciter enim loquentes dixerunt: Deus homo factus est. Vel, Deus hominem assumpsit. Nam Ioannes apostolus & euangelista, Verbum, inquit, caro factum est. Id est, deus homo factus est: uel dei uerbum incarnatum est. S. Paulus, Deus, ait, manifestatus est in carne. Et iterum, Filius Dei nusquam angelos assumit, sed semen Abrahæ assumit. Secundū apostolorum ergo doctrinam explicantes coniunctionis diuinæ & humanæ naturæ in Christo mysterium, dicimus, Deus incarnatus uel homo factus est. Deus hominem assumpsit. Deus in carne humana apparuit uel manifestatus est. Subtiliora his rimari uelle, est se in ingentia coniicere pericula. Sunt qui in his plenius exponendis utuntur uocabulis societatis, participationis & communionis, nec citra authoritatem scripturarum, Paulo dicēte, Quia pueri communionem habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem.

Ioan. 1. 2. Tim. 3. Hebr. 2.

Hebr. 2.

Christū utrasque naturas retinere impermixtas.

Cauendum hic tamen in primis, ne coniunctas naturas in una persona confundamus, aut proprietatibus suis spoliemus. Nam Deus natura sua est æternus & immutabilis, deus itaque idem semper manens, non commutatur in humanam uel in ullam aliam naturam, sed humanam sibi coniungit, sociat, assumit, adeoque unit. Rursus nisi humana natura creatura maneat, & hoc ipsum sit, quod dicitur, humana non est, manens ergo hæc in sua substantia assumitur à diuina. Proinde manent in una Christi persona duæ naturæ, diuina & humana, & utraque retinet suum ingenium suamque proprietatem. Id quod aliquot scripturæ locis iam ostendemus. Isaias in cap. 7. Virgo, inquit, concipiet & pariet filium, & uocabitur nomen eius Immanuel. Vtranque in Christo agnoscit naturam, nam secundum diuinam appellatur Immanuel, id est, nobiscum deus: secundum humanam naturā concipitur & nascitur. Idem propheta, Puer natus est nobis, inquit, & filius datus est nobis, &c. Datur enim qui ab æterno est: nascitur autem qui in seculo esse incipit.

Isaie 9.

cipit. Proinde unus atque idem & diuinam & humanam retinet naturam. Nam & Micheas dicit: Et tu Bethlehem Ephrata, paruula quidem es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur qui dominator sit in Israele: & exitus eius à seculo, à diebus æternitatis. En quid poterat dici clarius? Vnus atque idem duplices habet natales, quatenus enim Deus est, generatio eius est à diebus æternitatis: quatenus uerò homo est, nascitur in Bethlehem. Proinde unus atque idem Christus deus uerus atque homo uerus est. Rursus interrogat in euãgelio secundum Matthæũ dominus pharisæos, & ait, Quid uobis uidetur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei: Dauidis. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum dominum, dicens: Dixit dominus domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellũ pedum tuorũ? Si ergo Dauid uocat eum dominum, quomodo filius eius est? Quasi dicat: Cum Christus extra controuersiam sit filius Dauidis, & hic eundem, non ex affectu humano, sed ex spiritu sancto appellet dominum, nimirum Deum uerum eiusdem potestatis cum patre, consequens est Christũ & hominẽ uerum & deum esse uerum. Angelus Gabriel utranque hanc naturam non minus clarè designans, uirgini Mariæ dicit: Quod nascetur sanctum, uocabitur filius Dei. Nascitur enim ex uirgine homo uerus, ex homine uero: atqui hic est filius Dei. Nam & Elisabetha appellat uirginem matrem domini, nimirum Dei. Præterea in euangelio Ioannis legas plurima huius generis, quæ utranque in eodem Christo naturam, ueluti digito demonstrent. Creditis, inquit dominus, in deum, & in me credite. Et iterũ, Pater maior me est. Item, Exiui à patre, & ueni in mundum: iterum relinquo mundum, & uado ad patrem. Rursus alibi, Pauperes semper habebitis uobiscum, me non semper habebitis. Et iterum, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Quæ quidem sententiæ ueluti contrariæ nõ possunt simul esse ueræ, nisi agnoscamus Christum retinere naturarum proprietates inconfusas uel impermixtas. Paulus ad Romanos manifestè dicit se uocatum apostolum ad annunciandũ euangelium Dei, quod antea promiserit per prophetas suos, in scripturis sanctis, de filio suo, qui genitus sit ex semine Dauidis, secundũ carnem, declaratus autem sit filius Dei, per potentiam, spiritum sanctificationis & resurrectionem ex mortuis. Agnoscit ergo utranque naturam in Christo apostolus. Nam secundum carnem, inquit, Christus est Dauidis filius: si uerò spectemus potentiam miraculorum, uiuificam ex mortuis resurrectionem, & quòd Christus spiritum sanctum mittit, & omnes fideles sanctificat, apparet eum qui Dauidis filius est, secundum carnem, Dei quoque esse filium, secundum diuinam potentiam. Idem Apostolus pari euidentia & luce in secundo capite ad Philippenses utranque in Christo naturam asserit. Quoniam uerò is locus iam sæpius adductus est, ad alia transeo citanda.

Mich. 5. *Matth. 22.* *Psalm. 110.* *Lucæ 1.* *Ioan. 14.* *Marci 14.* *Matth. 28.* *Rom. 1.*

Sanctus Augustinus non suam duntaxat, sed totius ecclesiæ in toto orbe suo seculo florentis, confessionem fidei exponens, epistola ad Dardanum 57. sic scriptum reliquit: Noli dubitare ibi nunc esse hominem Christum Iesum unde uenturus est, memoriterque recole, & fideliter tene Christianam confessionem: quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dextram patris, nec aliunde quàm inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos: & sic uenturus est illa angelica uoce testante, quemadmodum ire uisus est in cœlum, id est, in eadem carnis forma atque substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cauendum est enim ne ita diuinitatem astruamus hominis, ut ueritatem corporis auferamus. Non est autem consequens ut quod in deo est, ita sit ubique ut Deus. Nam & de nobis uera-

Non miscentur uel confunduntur naturæ in Christo.

cissima scriptura dicit, quòd in illo uiuimus, mouemur & sumus: nec tamen sicut ille ubique sumus: sed aliter homo ille in deo, quoniam aliter & deus ille in homine proprio quodã & singulari modo. Vna enim persona deus & homo est, & utrunque est unus Iesus Christus, ubique per id quod deus est, in cœlo autem per id quod homo. Idem enim author paulò post: Spatia, inquit, locorũ tolle corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi sint, & ideo necesse est ut non sint. Et in fine epistolæ idem ille dicit: Christum dominum nostrum unigenitum dei filium, patri coæqualem, eundemque hominis filium, quo maior est pater, & ubique totum præsentem esse non dubites tanquã Deum, & in eodem templo Dei esse tanquam inhabitantem Deũ, & in loco aliquo cœli propter ueri corporis modum. Hoc ipsum adhuc fusius idẽ ille exponit Tractatu in Ioan. 50. & contra Felicianum Arianum cap. 9. 10. & 11. item de Agone Christ. cap. 24. usque ad 27. Quibus coniungemus & S. martyris Vigilij episcopi Tridentini testimonium. Is enim contra Eutychẽ pro assertione utriusque in Christo naturæ disputans, dicit: Si uerbi & carnis una natura est, quomodo cum uerbum ubique sit, non ubique inueniatur & caro? Nam quando in terra fuit, non erat utique in cœlo: & nunc quia in cœlo est, non est utique in terra: & in tantum non est, ut secundum ipsam Christum spectemus uenturum de cœlo, quem secundum uerbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundum uos aut uerbum cum carne sua loco continetur, aut caro cum uerbo ubique est. Quando una natura contrarium quid & diuersum non recipit in seipsa. Diuersum est autem & longè dissimile circumscribi loco & ubique esse: & quia uerbum ubique est, caro autem eius ubique non est, apparet unum eundemque Christum utriusque esse naturæ: & esse quidem ubique secundum naturam diuinitatis suæ, & loco contineri secundum naturam humanitatis suæ: creatum esse & initium non habere: morti subiacere & mori non posse: quod unum illi ex natura uerbi, qua deus est: aliud ex natura carnis, qua idem deus homo est. Igitur unus dei filius idemque hominis factus filius, habet initium ex natura carnis suæ, & non habet initium ex natura diuinitatis suæ: creatus est per naturam carnis suæ, & non est creatus per naturam diuinitatis suæ: circumscribitur loco per naturam carnis suæ, & loco non capitur per naturam diuinitatis suæ: minor est etiam angelis per naturam carnis suæ, & æqualis est patri secundum naturam diuinitatis suæ: mortuus est natura carnis suæ, & non est mortuus natura diuinitatis suæ. Hæc est fides & confessio catholica, quam apostoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc usque custodiunt. Hactenus Vigilij martyris & episcopi uerba recitauimus, in hoc ut pulcherrimus intelligatur consensus scripturæ sanctæ, ecclesiæ uniuersalis & pijssimorum patrum atque doctorum in hoc dogmate, quo confitemur in Christo utriusque naturæ proprietates inconfusas manere.

Christũ in una persona manere indiuisum.

Rursus modis omnibus cauendum est, ne propter naturarũ proprietates asserendas retinendasque, discerpamus unitatem personæ: quasi duo sint Christi, quorum alter passibilis & mortalis, alter sit impassibilis & immortalis. Nam unus & idem est Christus, qui secundum diuinitatem immortalis, secundum humanitatẽ mortalis agnoscitur. Nestorius negabat diuam uirginem Mariam esse dei genitricem. Dicebat enim deum immutabilem, & idcirco innascibilem esse matreque carere. Vnde orta suspicio quòd dominum nudum esse hominem diceret, & dogma Pauli Samosateni & Photini tueretur. De qua re multis agit Socrates Historiarũ lib. 7. cap. 32. Peccauit autẽ contra scripturam & ueram fidem Nestorius. Elisabeth enim Zachariæ uxor, & mater beati Ioãnis Baptistę, spiritu sancto plena, disertis uerbis

uerbis diuam uirginem salutat & prædicat matrem Domini, id est, matrem Dei. Et quamuis diuina natura generationis & corruptionis exors sit, certissimum est tamen eum quem Maria peperit, reuera deum esse. Nam quod ex ipsa natum est (ait angelus) filius Dei est: peperit ergo Deum: ac meritò appellatur Dei genitrix. Si enim Deum non genuit, nudum hominē peperit, nec Dei filius hominē inseparabiliter sibi sociauit. Ad eundem modum cùm Deus natura sua sit immortalis, mori certè non potest: si uerò quis ea de causa absolutè negaret Deum pro nobis crucifixum & oblatum, adeoq; mortuum esse, contradiceret Paulo dicenti: Si ipsum cognouissent, haudquaquam Dominum gloriæ crucifixissent. Quis uerò nesciat Deum gloriȩ uel Deum gloriosum non posse crucifigi? interim cùm ille qui secundum carnem patiebatur & cruci affigebatur, Deus erat, non nudus duntaxat homo, rectè dicimus Deum pro nobis passum & cruci esse affixum: licet is qui passus sit, secundum id solum passus sit, quod pati potuit. Nam Petrus Apostolus, Christus, inquit, passus est pro nobis carne. Eundem sequuta synodus Toletana prima, in hæc uerba decreuit, Si quis dixerit aut crediderit deitatem nascibilem esse, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit deitatem Christi conuertibilem fuisse uel passibilem, anathema sit. Si quis dixerit uel crediderit deitatis & carnis unam in Christo esse naturam, anathema sit. Et Damasus Episcopus Roman. Si quis dixerit, inquit, quòd in passione crucis dolorem sustinuerit filius Dei & Deus, & non caro cum anima, quā induit forma serui, quam sumpsit, sicut dixit scriptura, anathema sit. Ergo cùm Paulus dicit Deum sibi acquisiuisse ecclesiam suo sanguine, quis tam insanus ut credat diuinam naturam habere, uel unquam habuisse sanguinem? interim quis tam stupidus ut non uideat carnem quam Deus assumpsit habere sanguinem, cumq; Deus id quod assumpsit non reputet uelut alienum, sed proprium, rectissimè dicimus Deum proprio suo sanguine redemisse mundum. Vnde & Theodoretus Cyri Episcopus dialog. Eran. 3. sub finem dixit: Si Christus est & Deus & homo, ut & sacra docet scriptura & beatissimi patres perpetuò prædicarunt, ut homo ergo passus est, ut Deus autem mansit impassibilis. Quando uerò corpus uel carnem uel humanitatem passam esse dicimus, diuinam naturam nō separamus. Sicut enim unita erat & esurienti & sitenti & defatigatæ, quinetiam dormienti & de passione subeunda, tristitia & mœrore confectæ, nihil horū quidem suscipiens, sed ei permittens ut naturæ affectiones & passiones susciperet: ita etiam ei coniuncta erat dum crucifigeretur, & concessit ut perageretur passio, ut passione mortem solueret, dolorem quidem ex passione nō suscipiens, passionem autem sibi adaptans & accommodans, utpote templi sui & carnis coniunctæ, per quam etiam membra Christi appellantur qui crediderunt: & eorum qui crediderunt ipse caput appellatus est. Hæc ille.

1. Corinth. 2.

1. Pet. 4.

Actor. 20.

Hæc figura loquendi appellatur ab alijs ἀλλοίωσις alteratio uel mutatio, à Ioan. Damasceno ἀντίδοσις mutua largitio uel alternata attributio. Vulgò nominari solet idiomatum cōmunicatio, nempe cùm alteri naturȩ ea proprietas communicatur, quæ propria est alterius. Verbi gratia, Nemo ascendit in cœlum, ait Dominus, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Certè non erat tunc humana natura in cœlo, cùm hæc loqueretur Dominus, sed in terra: quia tamen assumpta est caro in societatem diuinitatis, huius proprium, humanitati communicatur. Et Fulgentius Episcopus hanc interpretationem agnoscens libro ad Thrasimundum regem secundo, sic reliquit scriptum. Non (hoc dixit) quia humana Christi substantia fuerit ubiq; diffusa, sed quoniā unus idemq; filius dei atq; hominis filius, uerus Deus ex patre, sicut homo uerus ex homine, licet secundum ueram

De communicatione idiomatum.

Ioan. 3.

humanitatem suam, localiter tūc esset in terra, secundum diuinitatem tamen (quæ loco nullatenus continetur) cœlum totus impleret & terram. Hæc ille. Proinde diligenter obseruandæ sunt sententiæ de Christo in Euāgelicis & Apostolicis scriptis testantes. Quædam enim peculiariter referuntur ad diuinam eius naturam, quales illæ sunt, Ego & pater unum sumus: Antequam Abraham fieret ego sum, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum: Ipse est ante omnia, imago Dei inconspicui, per quem condita sunt omnia. Quædam uerò referuntur singulariter ad humanam eius naturam: siue ad missionem dispensationisq; mysterium: cuius generis illæ sunt: Pater maior me est: Minuisti eum paulò minus ab angelis: Tristis est anima mea usque ad mortem. Sunt rursus testimonia quæ ad utranque respiciunt naturam, neutri uerò seorsim satis congruunt. Talia sunt hæc: Caro mea uerus est cibus, & sanguis meus uerus est potus: Potestatem habeo remittendi peccata, excitandi in uitam quos uolo, iustitiam & sanctitatem conferendi: Ego sum pastor, ostium, lux, uia, ueritas & uita: Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Hęc enim ueram Christi substantiam nobis proponunt atque commendant, ueri, inquam, saluatoris & mediatoris Dei & hominis personam. Nam nemo remittit peccata, nisi solus Deus. Rursus non remittuntur hęc sine morte & sanguinis effusione: sicut testatur Apostolus in 9. cap. ad Hebræos. Rursus sunt testimonia quæ non possunt expediri commodè nisi per communicationem idiomatum. De qua hæc sufficere spero.

Hebr. 2. Ioan. 6. Ioan. 20.

Rursus personam mediatoris Dei & hominis minimè lacerat, quisquis propter unionem naturarum non tam latè extendit humanitatem, quàm latè diffunditur (ut sic dicam) diuinitas. Nam in Euangelio secundum Matthæum non ingreditur corpore suo domum Centurionis dominus, cùm tamen dubium non sit, diuinitate præsente non absente, curatum esse morbum famuli centurionis. Quis autem dixerit ideò dissolutam esse personam à beato Matthæo, quòd humanitatem Christi non extenderit ad diuinitatem usque? Angeli de corpore Christi resuscitato ex mortuis & iam glorificato, mulieribus loquentes, dicunt: Non est hic, Surrexit. At non ignoramus ubique esse diuinitatem. Et tamen non dissuerunt indissolubilem personam angeli, quòd humanum Christi corpus diuinitati non æquarunt per omnia. Illi ipsi angeli non lacerant personam Christi, cum sublato ex monte oliuarum eius corpore in cœlos, ipsi astantes in terris testificantur, ad eum modum rediturum ad quem modum recedentem uiderunt. At quis Dominum tunc quoque eis præsentem fuisse negare audeat? In cœlis ergo est non in terris, secundum ueri corporis modum, ubiq; autem in cœlis & in terris Dominus noster secundum infinitam ipsius diuinitatem. Homo constat anima & corpore, & hæc naturis inter se diuersissima, unam personam non duas constituunt. Quisquis autem cuique suum proprium attribuit & defendit, personam minimè discindit. Dormit corpus, anima non dormit: hæc propria partium, non efficiunt duas personas. Huc pertinere uidetur quod Theodoretus in 3. Dialogo scriptum reliquit, dicens: Naturalem animæ & corporis unionem non soluimus, sed nec à proprijs corporibus animas separamus: sed ea quæ sunt naturarum propria consideramus. Quando ergo dicit scriptura. Extulerunt autem Stephanum uiri pij, & fecerunt planctum magnum super ipsum, dicésne animam cum corpore esse sepultam? Non opinor. Et quando audieris Iacob patriarcham dicentem: Sepelite me cum patribus meis, intelligis id de corpore non anima esse dictum: interim legis: Illic sepelierunt Abraham & Saram uxorem eius, &c. In quibus corporis non meminit scriptura, sed per omnia animam simul & corpus significauit. Nos autem rectè diuidimus

Non discerpitur persona Christi. Matth. 8. Marci 16. Actor. 1.

& dicimus animas esse immortales, sola autem corpora patriarcharum sepulta esse in spelunca duplici. Ita nos quoque dicere consueuimus, in hoc uel illo loco, hic uel ille sepultus est: & non dicimus corpus huius uel illius, sed hic uel ille. Quicunque autem sanæ mentis est, scit nos loqui de corpore. Ita cùm Euangelistæ toties meminissent corporis Christi sepulti, tandem personæ nomen posuerunt, & dixerunt Iesum positum esse in monumento, &c. Hæc Theodoretus.

Cùm uerò extra controuersiam sit, hanc fidē & doctrinam à temporibus Christi ad nostram usque ætatem, in sancta Dei ecclesia floruisse, & contra innumeros satanæ & hæreticorum assultus firmissimam perstitisse, atque illa ipsa scripturarum testimonijs & sanctarum synodorum symbolis tradita & confirmata sit, hortor C. V. ut inuocato Christi nomine, in ea perseueretis, & Christo uero Deo & homini uera agglutinati fide & obedientia, perpetuas agatis gratias, adorantes regnantem in secula seculorum.

De Christo rege & sacerdote, de Regno & sacerdotio eius unico & æterno, & de Nomine Christiano. SERMO VII.

DEMONSTRAVI C. V. Christum Iesum Dominum nostrum uerum esse Deum & hominem, id quod luculentiorem habebit utilitatem, si intelligamus quis eius rei fructus sit. Is uerò potissimum cognoscitur ex officijs Christi Domini. Hic rex est & sacerdos populi Dei, regnum ergo habet & sacerdotium: quæ si paulò diligentius expenderimus, aperient nobis maximum diuinitatis & humanitatis Christi fructum.

Rex est Christus Iesus, ergo & Dominus est uniuersorum, rector & gubernator omnium quæ in cœlo sunt & in terra, inprimis ipsius ecclesiæ catholicæ, quæ est communio sanctorum: & quia rex est ac Dominus, certè pro regali munere liberator siue assertor, uindex ac defensor, denique & legislator est electorum. Hic enim contriuit caput serpentis, fortem illum, populi Dei sæuissimum hostem, alligauit superatum, & diripuit spolia. Eripuit electos è potestate tenebrarum & reposuit in libertatem filiorum dei, ut simus eius peculium, sanguine regis nostri sanctificati, populus acquisitionis, qui seruiamus ei in iustitia & sanctitate. Ipse humilis benignus & clemens est, quod de eo etiam Euangelica historia ex Zacharia repetit Matth. 21. cap. Ipse pro nobis uigilat, ipse defendit & tuetur nos, ipse omni bonorum genere nos ditat, instruitque contra hostes armis spiritualibus, & uires resistendi & uincendi liberaliter confert. Ipse templū Dei eiectis Chananæis repurgauit, iniquas leges scidit, ab illis nos liberauit, nunc uerò sceptro oris sui nos moderatur & regit, legibus æquissimis & optimis promulgatis. Nam Deus est & homo, ideoque solus est monarcha, rex regum, & dominus dominantium. Nam subditos sibi habet reges & dominos in orbe uniuersos. Hos quidem sua sponte per fidem obedientes: illos autem uel reluctantes potentia sua subiectos. Ideoque propheta Dauid, Sapite, inquit, ô reges, erudimini iudices terræ, seruite Domino in timore, & exultate cum timore, Osculamini filium ne irascatur, & pereatis in uia. Alibi enim idem propheta, Dixit Dominus Domino meo, ait, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Dominus emittet uirgam suæ potentiæ è Zion, dominare in medio inimicorum tuorum. Isaias quoque Dominum loquentem inducens; Leuabo manum meam super gentes, & inter populos exaltabo signum meum, & apportabunt filios suos in humeris, eruntque reges alumni tui, & reginæ nutrices eorum. Id quod copiosius exponunt histo-

Christus est rex uniuersorum. Genes. 3. Lucæ 11. Coloss. 1. 2. Pet. 2. Lucæ 1. Zacha 9. Matth. 21. *Christus est monarcha.* Psalm. 2. Psalm. 110. Isaiæ 49.

Isaie 16. riæ Ecclesiasticæ. De hoc rege Christo uaticinantes prophetę, dixerunt: Et præparabitur in misericordia solium, sedebitq; super eo in ueritate, in tentorio Dauidis,
Ierem. 23. iudicans & uelociter reddens quod iustum est. Et iterum, Ecce dies uenient, dicit dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus eius saluabitur Iuda, & Israel habitabit tutò: & hoc nomen eius quo uocabunt eum, Deus iustitia nostra.

De regno Dei. Quoniam uerò Rex est dominus noster, idcirco regnum habeat oportet. Regnum appellatur tam ipsa regio ditioq; regi subiecta, quàm ipse dominatus, imperium, potestas & administrandi ratio. Proinde ecclesia sanctorum, communio, o-
Mich. 4. bediens subiectáque regi Christo, appellatur regnum Dei. Dicit enim Micheas: Et regnabit dominus super eos in monte Zion: ergo Zion (quæ significat ecclesiam) est regnum Dei. Ac regnare dicitur Deus, cùm suos illos in ecclesia regit, gu-
Rom. 14. bernat, seruat & asserit, denique uarijs charismatibus donat atque fœcundat. Paulus enim dicit: Regnum Dei non est cibus & potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto. Prętere regnum Dei est ęterna illa gloria & felicitas, quam Deus
Matth. 25. electis suis communicat. Dicit enim in Euangelio Dominus: Venite benedicti patris mei, possidete regnum, quod paratum est uobis ab exordio mundi. Et Latro moriturus mox morienti Domino in cruce supplicans, & consors huius regni fie-
Luce 23. ri cupiens: Domine memento mei, ait, cùm ueneris in regnum tuum. Rursus cum Euangelium nos doceat quomodo regnet in nobis Deus in hoc seculo, in aliud uerò illud nos aliquando ad se transferat, hoc est, cùm Euangelium illud sit per quod dominium suum erigit Dominus, nō temerè appellauit regnum dei apud Matth. in 13. cap. Alibi uocatur ea de caussa sermo regni. In summa, nos in præsenti per regnum Dei intelligimus ipsum cœtum sanctorum, ecclesiam, inquam, catholicā, uirtutemq; seu administrationem regnantis in ipsa Dei, hoc est, conseruantis, gubernantis & glorificantis eam.

Vnum Dei regnum cōsideratur dupliciter. Et hoc quidem regnum Dei unicum est. Nam unus modò Deus, unus duntaxat rex Christus, una ecclesia & uita æterna est. Cæterum unum hoc Dei regnum secundum dispensationem consideratur dupliciter. Principiò iuxta omnipotentiam dei. Hic enim cùm sit summus & omnipotens, regnum & potestatem iustam æquissimamq; habet & exercet in omnes creaturas uisibiles & inuisibiles, siue hæ uelint siue nolint subesse. Deinde iuxta suum spiritum, quo regnat in suis electis. Ita uerò dupliciter rursus consideratur regnum Dei, uel enim terrenum est, & dicitur regnum gratiæ: uel cœleste est, & appellatur regnum gloriæ.

Regnum dei in terris gratiæ. Regnum gratiæ terrenum, non ideò appellatur terrenum, quòd carnale terrenumq; sit, instar regni Babylonici, Persici, Alexandrini uel Romani: sed quòd in terris sit. Sancta enim ecclesia Dei bona ex parte uersatur in hisce terris, carne & sanguine participans, donec uiuit in terris: licet non secundum carnem uitam uiuat terrenam. Nam secundum spiritum, per quem regitur, uiuit uitam cœlestem.
Prouerb. 24. Non quòd non peccent consortes regni dei. Septies enim cadit iustus, & resurgit,
2. Sam. 7. Vnde & gratiæ regnum nuncupatur. Donec enim uiuimus in hoc seculo, gra-
Quomodo regnet Christus in terris in regno suo. tiam & misericordiam suam nunquam negat rex & dominus noster, ueniam nobis postulantibus. Ac pendent toti à gratia regis sui fideles, perpetuam agunt pœnitentiam, & ad perfectiora subnituntur. Nam omnia sua componunt ad leges sui regis & principis. Etenim regnat hic in electis suis per uerbum ueritatis & per spi-
Apocal. 1. ritum sanctum. Verbo ueritatis quid faciant aut fugiant sancti docet. Spiritu suo
Regnum Dei spirituale. sancto commouet corda, & uires sufficit fugiendi prauum & persequendi bonum. Siquidem non tam sibi regnat rex noster quàm nobis. Facit enim & nos reges, ut

liberati

liberati à diabolo, damnatione, peccato & maledictione, diaboli, damnationis, peccati & maledictionis, adeoque rerum omnium simus Domini, & ipsius filij Dei cohæredes. His de caussis regnum Dei, spirituale regnum dicitur. Nam consortes regni Dei, spiritu Dei imbuti, fructus proferunt spiritus, non opera carnis, denique gubernantur spiritu Dei. Neque uerò more regum huius seculi regnat Dominus noster, dicens Pilato: Regnum meum non est ex hoc mundo. Qua sententia abutuntur nonnulli, colligentes nihil externi fore in ecclesia dei, quo nomine & magistratum remouent, & tam subtiliter de regno Dei loquuntur, ut nescias ubi sit, aut qui huius regni sint consortes. Non uident ex materia dicti colligendum esse sensum. Iudæi accusantes Dominum apud Pilatum, impingunt ei crimen affectati regni. Hoc diluens dominus, Pilato ostendit regnum suum non tale futurum, quod eiecto Tiberio Cæsare parandum sit & retinendum armis, moréque huius seculi administrandum. Id demonstrans subiungit: Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique pugnarent ne traderer Iudæis. Infert ergo: Nunc autem regnum meum non est hinc: ideoque non pugnant pro me, ut eiecto Tiberio me collocent in solium regni. Et mox: Ego in hoc natus sum, inquit, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium feram ueritati. Omnis qui est ex ueritate, audit uocẽ meam. Quemadmodum ergo ueritate (non mendacio, dolis & artibus instar principum huius seculi) parat sibi regnum, ita ueritate & retinet & administrat regnum suum Christus: & quicunque amplectuntur ueritatem, consortes sunt regni Christi, siue principes sint siue populares: omnes hi obtemperant uoci regis seruiuntque principi summo. Hic tamen disertè addimus, non posse reges aliter seruire Domino & regi suo, quàm reges, id est, faciendo ea quæ debent facere reges, exercere uidelicet iudicium & iustitiam. Licet enim hi in mundo sint, non regnant tamen iuxta mundum: quia gubernantur iam à spiritu regis sui Christi, omniáque dirigunt ad præscriptum uerbi Dei, & in omnibus ducendos sesé præbent spiritui Dei: & eatenus ne horum quidem regnum est ex hoc mundo. De his alibi multa secundum scripturas ex beato Augustino citauimus. Ac tuetur aliquando rex noster Christus opera principum ecclesiam ac ministros. Aliquando expositam persequutionibus per infirmitatem eandem seruat & propagat. Premitur enim, sed non opprimitur, regnante semper & uincente in suis Christo principe maximo. Iam termini huius terreni regni Christi porriguntur ad extremos terræ fines. Pertinent enim ad regnum Christi omnia regna mundi & omnes gentes. Pertinent huc omnia prophetarum testimonia de Vocatione omnium gentium, quorum plurima inuenias in Isaia & Zacharia, qui regnum Christi in terris magnificè describunt. Vnde occasionem acceperunt Iudæi fingendi nescio quàm amplifica de maiestate & uictorijs Messiæ: quæ tamen abundè in Christo iamdudum completa sunt, sed spiritualiter magis quàm carnaliter. Illi uerò dum carnalia somniant & expectant, spiritualia fastidiunt, destituuntur utrisque. Fideles autem munificentia & liberalitate Christi regis abundantissimè consequuntur quæ promiserunt prophetæ bona, nempe pacem cum Deo & hominibus amplissimam, omnigenamque felicitatem, ut semper sint beati, semper sint tuti (licet pugnent perpetuò) ab omnibus hostibus cùm uisibilibus tum inuisibilibus, gaudeantque incolumitate sempiterna. Quæ quidem amplissimo dicendi genere proposuerunt in scriptis suis prophetæ, nihil tamen intelligentes aliud, quàm quod modò diximus, fideles felicissimos futuros ac in Christo possessuros omnia bona cùm animæ tum corporis, quantum uidelicet sanctis est necessarium & salutare. Et hoc est illud regnum (utrunque iam intelligimus tam gratię quàm glorię) quod expectauerunt Ioseph ille Ramathęus,

Ioan. 18.

Ioan 18

Termini regni Christi in terris.

Propheta de regno Dei.

Simeon iustus, & Anna prophetissa cum alijs sanctis. Hoc ipsum regnum annunciauit Samaritis Philippus diaconus, & Romanis beatus Apostolus Paulus, quod testatur Lucas in Actis Apostolicis cap. 8. & 28. Sedes uerò uel solium adeoq; palatium regis nostri cœlum est. Ascendit enim uictor in cœlos, & consedit ad dexteram Dei patris omnipotentis. Inde ueluti sol iustitiæ illucescit omnibus in ecclesia uel in regno eius agentibus: imò fidelium quoque corda sibi delegit in quibus habitet. Alioqui nullam in terris sedem uel palatium regni habet. Quinimò ut intelligamus regem etsi corporaliter non præsentem in terris, sed cœlo illatum esse, propterea non abesse regno suo, se quidem in uerbo suo capiti, nos autem corpori uel membris comparat. Iam ergo sicut corpori suo nunquam deest caput, ita regnum Dei non est sine principe Christo. Et sicut uitalis spiritus ex corde, ex capite autem uirtus sentiendi mouendiq; corpori infunditur: Sic ex principe Christo uiuificamur: illo nos iustificante, conseruante, consolante, confirmante, & ab omnibus malis defendente. Sicut omnia membra reguntur à capite, sic omnes fideles in regno Christi à rege Christo gubernantur. Paulus ergo, Deus, inquit, suscitauit Christum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum ac potestatem, & uirtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur, non solum in seculo hoc, sed & in futuro, & omnia subiecit sub pedes illius, & eum dedit caput super omnia ipsi ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. Cuius quidem generis alia complurima inuenire licet in literis Apostolicis: inprimis illud: Christus est caput ecclesiæ, & idem est qui salutem dat corpori. Nam exposuit semetipsum pro ecclesia, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquę per uerbum, ut adhiberet eam sibi gloriosam, &c. Et hæc hactenus de regno Christi in terris, quod & gratiæ regnum & militans ecclesia appellatur.

Sedes uel soliũ regis Christi.

Ephes. 1.

Ephes. 5.

Porrò regnum Dei, cœleste & gloriæ regnum nuncupatur, ea de causa, quod dominus & rex noster eos quos in terris sanctificauit & direxit spiritu suo adeoq; & iustificauit, liberatos carne & ereptos ex hoc seculo, in cœlis glorificat, inq; suum & omnium sanctorum cõsortium gaudiumq; recipit. Animæ enim fidelium simul atq; migrant ex corporibus, protinus recipiuntur in cœlum, ut regnent cum Christo rege æterno, & lætentur sine fine cum omnibus sanctis. In iudicio uerò ultimo, quo credimus per Christum regem uiuos & mortuos iudicandos, excitabuntur sanctorum corpora, clarificabuntur, animabus suis rursus coniungentur, & uniuersi, quotquot ab exordio mundi adhæserunt regi Christo, unà cum Christo rege & principe æternùm uiuent & regnabunt in gloria. De hoc regno sanctorum multa prædicauerunt prophetæ & Apostoli, inprimis autem beatus Ioannes Apostolus in sua Apocalypsi. Hoc appellarunt alij triumphantem ecclesiam.

Regnum dei in cœlis gloriæ.

Apoc. 21. & 22.

Regnum hoc Dei uel Christi, æternum est regnum. Sicut enim in finem usque mundi futura est ecclesia in terris, utcunque insaniat hic mundus & mundi princeps: sic post iudicium corporibus & animabus felices & æternùm cum Christo regnabunt siue uiuent fideles. Nam in Euangelio dixit dominus: Portæ inferorum non præualebunt aduersus ecclesiam. Erunt item nouissima tempora sicuti fuit seculum Noe, in quo licet multis partibus superarent fidelium ecclesiam impij, seruatus est tamen Noe cum suis in arca, impij uerò extincti sunt diluuio. Sic præualebit quidem modis omnibus iniquitas in fine seculi, sed seruabuntur interim electi in regno Christi, per Christum, quem illi iudicem expectabunt, uidebuntq; redemptorem uenientem in nubibus cœli. Sed & Daniel in prophetia sua omnium regnorum ortum & interitum etiam Antichristi describit, regno autẽ populi sanctorum

Regnum Christi est regnum æternum.

Matth. 16.

Matth. 24.

Daniel. 7.

ctorum nullum finem tribuit, sed æternū fore testatur. Idem facit Zacharias propheta in capite duodecimo. Nam sancti in terris regnant per Christum, & è terris in cœlum translati conregnabunt cum rege Christo in secula seculorum. Et scriptura frequenter de altero tantum loqui solet. De utroq; regno intelligimus multos scripturæ locos, in primis illud quod dictum est à Saluatore, Cum oraueritis dicite: Pater noster qui es in cœlis: Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum. Oramus enim, ut ipse dum in terris uiuimus in nobis regnet, quò ipsi quoq; regnemus super mundum & principem mundi, adeoq; ne regamur à satana, neue regnet in nobis peccatum, quin potius ut hic ab ipso gubernati regnemus aliquando cum Christo in cœlis. *Matth. 6.*

Ex aduerso regnum mundi quale sit, claret ex consideratione capitis seu regis & principis eius, qui est diabolus, author peccati, impuritatis ac mortis. Regnat hic in mundo, princeps utiq; regni tenebrarum. Non quòd Deus & Christus eius non sit rex uniuersorum: sed quòd perfidi apostatæ sua propria malitia, à Deo ad diabolum deficientes, hunc sibi constituant principē, cui & sponte sese subijciunt & regendos præbent, uiuentes in omni impietate, iniustitia & immunditia, cōformantes se suo capiti diabolo: cum quo æternū in futuro seculo punientur, quemadmodum in præsenti seculo passi sunt sese gubernari ab ipso, facientes uoluntatem eius. Hunc principem huius seculi, alibi etiā deum huius seculi cognominatū, superauit Christus uerus rex & monarcha orbis, regnumq; eius destruxit: non ut non sit, donec hoc seculum manet: sed ne electis noceat. Viuit & æternū uiuet (licet in miseria, quæ uita reuera mors est) satanas: sed nulla ei uirtus est contra redemptos Christi principis. Regnum habet & habebit ad finem usq; mundi, sed in filijs diffidentiæ: sed & periturum in hoc seculo & quasi momentaneū est hoc regnum. Nam mundus transit, & omnia pereunt mundana: uerùm alienissimi ab hoc regno, imò hostes quasi iurati huius regni sunt electi dei omnes. Nec potest sua uirtute princeps tenebrarum consortes regni Christi abripere in regnum iniquitatis. Conatur hoc quidem sedulò, & uarijs tentationibus uexat electos: sed hi uincunt per eum qui olim pseudo regem illum latronumq; principem superauit, docuitq; ut spreto principe hoc fœdo, & mundo mundanisq; concupiscentijs, innocentiæ studentes, spiritui bono nos regendos permittamus. Hæc de rege Christo & regno eius unico & æterno, qua potui breuitate exposui hactenus. *Regnum mundi quale.* *Ioan. 12.* *2. Cor. 4.* *1. Ioan. 3.*

Iam uerò Christus dominus noster sacerdos est, adeoq; pontifex ille maximus unicus & æternus, quem summi pontifices populi ueteris præfigurarunt. Dauid enim in carmine suo planè diuino cecinit: Iurauit dominus, & non pœnitebit eū, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedek. Quæ uerba beatus Apostolus adducens & illustrās in epistola ad Hebræos hæc reliquit scripta: In cœlum præcursor pro nobis ingressus est, iuxta ordinem Melchizedek, pontifex factus in æternū. Nam hic erat Melchizedek rex Salem, pontifex Dei altissimi, qui occurrit Abrahæ reuertenti à cæde regum, & benedixit illi: cui & decimas ex omnibus impertitus est Abrahā. Qui primùm quidem ex interpretatione dicitur rex iustitiæ, deinde uerò etiam rex Salem, quod est pacis, ignoti patris, ignotæ matris, ignoti generis, nec initium dierum neq; uitæ finem habens, sed assimilatus filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Equidem dominus noster Iesus Christus & rex iustus pacificusq;, iustitia atq; pax fideliū, & sacerdos ille est perpetuus, qui iuxta humanitatē ex uirgine absq; uiri semine editus creditur, & idcirco ignoti patris, iuxta diuinitatē autem ex patre genitus, & ideo ignotæ matris, & genitus quidem ineffabiliter ab æterno, ac propterea generis ignoti, neq; principiū neq; finē *Christus Iesus pontifex maximus.* *Psalm. 110.* *Hebr. 7.* *Gene. 14.*

uitæ habens. Licet enim iuxta humanitatem mortuus sit & sepultus, iuxta diuinitatem tamen manet immortalis & sempiternus Deus. Idem ille qui rex est, etiam sacerdos agnoscitur, nō secundum ordinem Aaronis, sed secundum ordinē Melchizedek. Sicut enim scriptura hunc unum commemorat sacerdotem: ita unus Christus sacerdos manet in perpetuum, sacerdotium habens sempiternum. Vocabantur autem & inungebantur quondam summi sacerdotes, non ingerebant se ui aut artibus tanto muneri. Vnde Apostolus dixit: Nemo sibijpsi usurpat honorem, sed qui uocatur etiam à Deo, quemadmodum & Aaron. Ita & Christus non sibijpsi usurpauit gloriam, ut fieret pontifex: sed ab eo cōstitutus est, qui dixit illi: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut & alibi dicit: Tu es sacerdos in æternū secundum ordinem Melchizedek. Nullibi uerò legis nostrum illum oleo delibutum esse uisibili: nam unctus est chrismate inuisibili, spiritus sancti uidelicet plenitudine, propheta testante: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitię præ cōsortibus tuis: Et iterum, Spiritus domini super me, propterea quod unxit me, ad euangelisandum pauperibus misit me. Cæterum quando officium sacerdotum quondam fuisse legimus seruire tabernaculo, docere populum, intercedere inter deū & homines, orare pro populo & huic benedicere, item sacrificare, & cōsecrare uel sanctificare, & iam constet Iesum Christum legitimum esse sacerdotem, certum est eundem illis ipsis obstrictum esse officijs, sed his quidem tanto præstantioribus, quantò sacerdotium consequutus est excellentius. Seruiebant Aaronici isti tabernaculo corruptibili & significatiuo: at dominus noster sublatus in uerum tabernaculum, ipsum cœlum, ministrat sanctis dei omnibus. Nam cœlum & Ecclesia sanctorum est uerum summi nostri sacerdotis & tabernaculum & templum. Christus sacerdos noster doctor est & magister unicus & æternus uniuersalis ecclesiæ suæ. Etenim docuit non illud duntaxat seculum, quod uixit in diebus carnis suæ, sed spiritus Christi fuit in prophetis, per quem & nunc regit omnes catholicæ ecclesiæ cathedras. Ipse Christus loquitur nobis adhuc, & loquetur in finem usque seculi, per os siue scripta sanctorum apostolorum omniumq; doctorum annunciantium doctrinam Apostolorum. Ac sufficit doctrina hæc Catholicæ Ecclesiæ. Nam omnia ea plenè comprehendit, quæ pertinent ad uitam sanctam & felicem. Christus pōtifex noster intercedit pro omnibus sanctis in templo suo. Orat enim pro nobis apud patrem in dextra dei unicus omnium fidelium aduocatus & patronus. Nam ascendit ad dexteram dei patris, ut ibi semper appareat in conspectu dei, & omnia nostra negotia fideliter exequatur. Qua de re dixi copiosius Sermone proximo, ubi disserui de inuocatione & intercessione. Idē dominus noster benedicit nobis solus. Ipse enim factus est execratio & maledictio pro nobis, ut nobis benediceretur in ipso: iuxta singulare & antiquum illud uaticinium: In semine tuo benedicentur omnes nationes terræ. Præterea sacrificat pro nobis Christus dn̄s noster. Nam thymiama adolet, cum pro nobis supplicat & apparet in dextera Dei. Hostiam uerò pro peccatis non pecuinam, sed semetipsum obtulit deo uiuenti, hostiam semper efficacē ad expianda omnia populi peccata. De qua cum copiosè disseruerim in tractatione Ceremoniarum, hic data opera breuior sum. Rursus cum dominus noster Iesus Christus sit sanctus sanctorum, sanctificat utique catholicam ecclesiam & consecrat, inungens ipsam oleo sancti spiritus, ut efficiamur & sancti & sacerdotes qui offeramus Deo spirituales hostias. Legimus enim unguentum illud sacrum in caput effusum Aaronis, descendisse in barbam, & extremas uestimenti eius fimbrias. Nam Christus summus pontifex uniuersalis Ecclesiæ suæ, spiritum suū effundit tam in remotissimos quàm in propinquos.

Clamat

Hebr. 5. — *Psalm. 2.* — *Christus unctus* — *Psalm. 45.* — *Isaiæ 61.* — *Quomodo Christus sacerdos, obeat sacerdotis munera.* — *Christus doctor est Ecclesiæ.* — *Christus intercedit.* — *Christus benedicit.* — *Christus sacrificat.* — *Christus sanctificat.*

Clamat enim in euangelio: Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ: Et iterum: Ego me pro eis sanctifico, ut sint & ipsi sanctificati in ueritate. In summa, cum dicimus & confitemur Iesum Christum esse sacerdotem siue summum pontificem populi fidelis, hoc dicimus, Christum esse electum & propositum nobis doctorem & magistrum, qui uniuersalem ecclesiã regat & doceat, qui intercedat & omnia nostra negotia fideliter agat apud patrem in cœlis, qui sit patronus, intercessor & aduocatus fidelium solus apud deum, qui hostia corporis sui, sit perpetua omnium peccatorum totius mundi unica expiatio, absolutio, iustificatioq́, qui credentes consecret in sacerdotes, ut & ipsi Deo patri per Iesum Christum acceptas offerãt oblationes ac sint domus & tabernaculum Dei. Ioan. 7. Ioan. 17.

Ex his facile erit æstimare quale sit sacerdotium Christi sacerdotis & pontificis nostri. Sacerdotium est ipsum officiũ uel ipsa functio & operatio sacerdotis, qua ipse sacerdos Christus in cœlis ac in catholica Ecclesia omnia agit quæ sunt muneris sacerdotalis. Proinde necesse est sacerdotium hoc Christi pontificis nostri non uisibile & corporale, sed omnino esse spirituale. Recte enim Paulus, Si esset in terra Christus, inquit, non posset esse sacerdos: ubi ministrant tabernaculo uel templo qui sunt de tribu Leuitica: ubi est templum uel tabernaculum cum uestibus & uasis multiplicibus sanctis. Cæterum Christus dominus noster est de tribu Iuda, regia inquam tribu natus: quamuis interim non ignoremus tribum regiam & pontificiam fuisse commixtas. Nam legimus Elisabetham, quæ erat ex filiabus Aaron, fuisse cognatam uirginis deiparæ Dauidicæ. Nec templo aut uasis sacris unquam legitur usus dominus noster in ministerio suo. Tametsi enim aliquoties docuerit in templo, tamen non in eo solo docuit. Nunquam in eo ad aras sacras, uel thymiamatis uel holocaustorum sacrificauit: nullis unquam usus est uestibus sacerdotalibus significatiuis. De quibus dixi dũ exposui ceremoniales leges. Ergo cum pro expiatione peccatorum uniuersi huius mundi sacrificare uellet, extra portam passus est, & semetipsum uiuam & sanctissimã obtulit hostiam: iuxta quod typi & uaticinia atq́ figuræ præcesserant in lege Mosis, de quibus rursus disserui in tractatione Legum ceremonialiũ. Oblata uerò corporis sui hostia ascẽdit in cœlum, & consedit ad dextram patris, ut inde illucescat suæ ecclesiæ, & ibi semper pro nobis appareat in conspectu Dei patris. Ideoq́ corporaliter iam non fungitur officio sacerdotali in terris, ita nos nunc erudiens sicut in diebus carnis suæ sui seculi homines docuit. Nunc enim spiritu mentes suorum illustrat, doctrinamq́ apostolorum euãgelicam reparat quotidie, adeoq́ ipse nihilominus loquitur per ora docentium & prædicãtium euangelium. Benedicit nobis cœlitus, hoc est, omni benedictione cœlesti nos locupletat. De illo loquens Apostolus: Et unctio, ait, quam accepistis ab eo, manet in uobis. Et non necesse habetis, ut quisquã doceat uos, sed sicut ipsa unctio docet uos de omnibus, & uerax est & non mendacium. Et sicut docuit uos, manete in ea. De hoc loquens diuinus uates dixit: Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas. Ex quibus discimus, Pontifici nostro Christo nullo opus esse suffraganeo episcopo aut uicario in ecclesia. Ipsus enim adest ecclesiæ, & regit eam per spiritum suum. Idem ille in cœlis ad dexteram patris, non toties supplex pro nobis procumbens in genua intercedit quoties peccamus. Semel exauditus est à patre pro reuerentia, cum in diebus carnis suæ pro nobis preces obtulisset cum clamore ualido & lachrymis. Nunc enim

De sacerdotio Christi. Hebr. 8. Hebr. 13. 1. Ioan. 2. Isaiæ 44. Hebr. 5.

ſemper apparet pro nobis in conſpectu Dei. Omnia noſtra relucent in conſpectu eius, ac pater reſpicit in faciem Chriſti ſui, propter quem omnibus eius membris eſt placatus, audiens eos & tribuens eis quæcunque poſtulant ſalutaria: iuxta illud

Ioan.16. ſaluatoris dictum: Amen amen dico uobis, quæcunque petieritis patrem in nomine meo dabit uobis. Nullæ ergo hic nobis turbæ, nulla moleſtia, nullus labor imaginandus eſt, quo defatigetur qui omnium eſt in cœlis apud deum patrem interceſſor, aduocatus & ſacerdos. Id quod & proximo Sermone ubi diſſerui de inuocatione & interceſsione, monui. Proinde Sacerdoti noſtro fungenti munere ſuo in cœlis coram Deo, nulla opus eſt ara thymiamatis, nullo thuribulo, nullis uaſis aut ueſtibus ſacris: multò minus opus habet ara holocauſtorum. Nam in cruce, quæ ipſius ara fuit, ipſe ſemetipſum ſemel tantum obtulit. Neque enim quiſquam mortalium dignus erat offerre deo uiuo dei uiuentem filium. Vnica autē hoſtia illa ſemper efficax eſt ad expianda omnia omnium hominum totius mundi peccata.

Et quamuis in tractatione legum Ceremonialium de his teſtimonia plura adduxerim, non poſſum tamen hic mihi temperare quin ſingularia aliquot repetā. Nequit enim hoc negotium dignè & diligenter ſatis hominum imprimi pectoribus, in quo eſt fructus diuinitatis & humanitatis Chriſti, denique uniuerſa ſalus noſtra. Paulus ad Hebræos de ueteris Teſtamenti ſacerdotibus uel pontificibus loquens, & cum his Chriſtum ſummum pontificem conferens, imò omnibus modis

Hebr.7. præferens, dicit: Et illi quidem plures facti ſunt ſacerdotes, propterea quòd per mortem non ſinerentur permanere. At Chriſtus quòd maneat in æternum, perpetuum uel immigrabile (quod ſucceſsione ad alium non tranſit) habet ſacerdotium. Vnde & ſaluos facere ad plenum poteſt qui per ipſum adeunt Deum, ſemper uiuens ad hoc ut interpellet pro illis. Talis enim decebat ut eſſet nobis pontifex pius, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus & ſublimior cœlis factus: cui non ſit quotidie neceſſe quemadmodum illis pontificibus, prius pro proprijs peccatis uictimas offerre, deinde pro peccatis populi. Nam id fecit ſemel cū

Hebr.9. ſeipſum obtulit. Et idem iterum, Non in manu facta ſancta, inquit, ingreſſus eſt Chriſtus exemplaria uerorum: ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc in conſpectu dei pro nobis. Nō ut ſæpius offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex ingreditur in ſancta ſingulis annis per ſanguinem alienum. Alioqui oportuiſſet illū ſæpius paſſum fuiſſe à condito mundo. Nunc autem ſemel ſub conſummationem ſeculorum, ad profligationem peccati per immolationem ſuijpſius apparuit. Et quatenus illud manet omnes homines, ut ſemel moriantur, poſt hoc autem iudicium: ita & Chriſtus ſemel oblatus eſt, ut multorum peccata tolleret, rurſus abſque

Hebr.10. peccato conſpicietur his qui illum expectant in ſalutē. Rurſus idem Paulus: Omnis quidem ſacerdos aſsiſtit quotidie, inquit, ſacra peragens & eaſdem ſæpius offerens hoſtias, quæ nunquam poſsint auferre peccata. Hic uerò una pro peccatis oblata uictima perpetuò ſedet ad dexteram dei, id quod ſupereſt expectans: donec reddantur inimici ipſius ſcabellum pedum eius. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui ſanctificantur. Hæc hactenus omnia Pauli ſunt apoſtoli. Non exiſtimo autem iſta teſtimonia copioſiore illuſtranda eſſe interpretatione & propoſito noſtro aptāda. Omnia enim ſine ulla noſtra expoſitione ſunt illuſtriſsima, cauſſæque quam agimus quàm apetiſsimè congruunt. Nam totum ſacerdotium Chriſti, præſertim quod interceſsionē ac hoſtiam uel ex expiationem unicam & æternā attinet, planè ſiſtunt atque exponunt oculis contemplandum. Eiuſdem ſacerdotij eſt etiam fideles omnes deo ſacerdotes cōſecrare: non ut offeramus pro expiatione peccatorum, ſed ut ſingulis quaſi momētis preces noſtras,

gratia-

gratiarũ actiones, & nosmetipsos pietatisq; officia offeramus. Ioannes enim apostolus & euangelista, Iesus Christus princeps regum terræ, inquit, dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris per sanguinem ipsius: & fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo. Eandem sententiã inuenire est & in epistola beati Petri. In omnibus uerò his cernere licet, quis fructus nobis existat defluatq; ex diuinitate & humanitate Christi regis & pontificis nostri. Neq; enim posset is esse regum princeps & pontifex summus, nisi Deus esset & homo. *Apoc. 1.* *1. Pet. 2.*

Atq; hic locus postulat modò ut dicamus aliquid de nomine Christiano & officijs hominis Christiani. Christiani nomen habemus à Christo, cui indiuulsè connexi membra sumus corporis eius, cuius ipse caput est. Christus autem non proprium (Iesus enim appellatur) sed officij nomen est à chrismate deductũ, ut Christus idem sit ut unctus. Ideoq; Tertullianus appellationem esse ait non nomen. Ac addit, Vnctus non magis nomen est quàm uestitus, accidens nomini res. Cæterum ungebantur chrismate reges & summi pontifices, idcirco Christus significat nobis eum qui est rex & sacerdos uel pontifex summus. Quoniam uerò Christiani nuncupamur à Christo qui unxit nos spiritu sancto, certè sumus & nos reges & sacerdotes. Vbi cernere licet quantum beneficium ex Christo deo & homine acceperimus, fecit enim nos reges & sacerdotes. Cernimus quodnam sit officium Christianorum, hanc dignitatem ad extremum usq; tueri spiritum, ne rursus à satana nobis eripiatur. Cæterum si reges sumus, certè rerum domini & liberi sumus, regentes utiq; non recti non subiecti. Liberi, inquam, à peccato & à morte æterna, & ab omni impuritate: domini autem satanæ, principis mundi, & ipsius mundi. Regimus enim mundum & carnem: non ab his regimur. Huc pertinent illa Apostoli uerba, Ne regnet peccatũ in mortali uestro corpore, ut obediatis illi per cupiditates eius: neq; accommodetis membra uestra arma iniustitiæ peccato, sed accommodetis uosmetipsos deo uelut ex mortuis uiuentes, & membra uestra arma iustitiæ deo: Peccatũ enim uobis non dominabitur. Ideoq; quando princeps mundi adeoq; ipse mundus & caro, eiusq; affectio praua peccatum, in seruitutem ex libertate retrahere satagit, nos quia reges sumus strenuè omnino repugnemus oportet, ac perseuerantes in pugna uincamus per uirtutẽ Christi regnantis in nobis. Etenim S. Ioannes Apostolus, Omne, inquit, quod natum est ex deo, uincit mundum, Et hæc est uictoria quæ uicit mundum fides nostra. Huc pertinet doctrina de Libertate & seruitute, de qua Decade proxima disserui. Colligimus ex istis omnibus primarium Christianorũ officium esse semper stare in acie, locum suum tueri, uigilare & adniti uiribus & modis omnibus, necubi ab hoste satana superati, regia dignitate spoliemur, detrahamurq; in seuitutem infernalem. Certè si in Christo & cum eodem superauerimus, conregnabimus, id est, uiuemus cum ipso & omnibus sanctis in gloria in secula seculorum. Sic autem reges in Christo, sic Christiani sumus. *De nomine Christiano.* *Christiani reges & sacerdotes.* *Christiani reges.* *Rom. 6.* *1. Ioan. 5.*

Rursus quia Christiani, hoc est, uncti sumus, sacerdotes certè sumus, & proinde pro officio sacerdotali docemus, admonemus, adhortamur, & consolamur omnes fratres nostros & nostræ fidei commissos homines. Vbi tamen necessariò distinguimus inter sacerdotium Christianum & ministerium ecclesiasticũ. Omnes quidem Christiani tam mares quàm fœminæ sacerdotes, sed non omnes ministri ecclesiæ sumus. Neq; enim omnes promiscuè concionari publicè, sacramenta administrare, aliaq; pastorum officia facere, nisi legitimè ad hoc uocati ordinatiq;, possumus. Sacerdotium hoc nostrum commune, est spirituale, uersaturq; in communibus officijs pietatis, non in publicis & legitimis Ecclesiæ ministerijs. Vnde *Christiani sacerdotes.*

priuatim alius alium erudire & admonere potest & debet, dumque hoc facit, sacerdotali fungitur munere: ueluti cum paterfamiliâs liberos suos instituit domi suæ in pietate, cum materfamiliâs castigat & erudit filias: denique cum quisque nostrum proximum quenque hortatur ad studium pietatis. Nam Apostolus Paulus, Exhortemini uos inuicem, inquit, quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex uobis induretur seductione peccati. Præterea cum simus sacerdotes, Deo nostro dignas hostias offeramus oportet. Satis autem testati sumus, post Christum summum & unicum sacerdotem seu pontificem nostrum omnibus seculis & toto in orbe, neminē offerre sacrificium expiatorium. Is enim semel, sed semper & omnibus efficacem purgandis peccatis omnium hostiam obtulit, cum semetipsum obtulit. Nos ergo offerimus illi gratiarum actiones laudesque, memoriam sacrificij illius unici celebrantes: offerimus preces, offerimus nosmetipsos, hoc est, corpora nostra, hostiam deo uiuentem ac rationalem, unà cum pietate omnifaria ac beneficentia. Paulus enim, Per Christum, inquit, offerimus hostiā laudis semper Deo, hoc est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Ac beneficentiæ & communionis ne obliuiscamini. Talibus enim hostijs delectatur deus. Verùm plura de his sacrificijs dixi Sermone proximo, in quo tractaui quis sit uerus Dei cultus. Quando uerò omnis sanctificatio est & existit ex uno pontifice summo Iesu Christo, non possumus nos aliter sanctificare, nisi honesta & pura conuersatione uitæ: quæ à nobis requiritur, nimirum ut simus sancti, & innocenti uita sanctificemus nomen dei nostri, ne propter nos malè audiat inter homines, quin potius uideant fidelium bona opera, & glorificent patrem in cœlis. In his autem nemo est qui non uideat comprehendi omnia Christiani hominis officia, in quibus nisi nos exerceamus strenue, non uideo nos tanto nomine dignos.

Hebr. 4.

Hebr. 13.

Nomen Christianum uetustißimum.

Acto. 11.

Nomen autem hoc sacratissimum Lucas author est fidelibus primùm esse inditum Antiochiæ in Syria: id quod tamen nemo sic intelligat quasi antea fuerit omnibus omnino incognitum. Nunc enim factum est uulgatissimum, quondam fuit tantum excellentissimorum sanctissimorumque hominum, & re magis quàm nomine, quamuis & nomine utcunque cognitum. Nam Eusebius in Ecclesiast. hist. commemorat antiquos patres Adamum, Seth, Noe, Abrahamum & his alios similes, omnes fuisse Christianos, ideoque religionem Christianam longè integerrimam esse uetustissimamque. Verba Eusebij si quis requirat hæc sunt, Non noua sed coram omnibus hominibus uetustate celebris ac cunctis nota gens Hebræorum est. Huius libri ac literæ uetustos uiros continent, raros quidem & paucos numero, pietate uerò & iustitia omnique uirtutum genere præstantes, ante diluuium differentes, postea alios ex filijs ac nepotibus Noe, utpote Tharam & Abrahamum, de quo tanquam duce & progenitore ipsi Hebræorum posteri gloriantur. Quòd si quis hos omnes iustitiæ testimonio decoratos, ab ipso Abrahamo ad primum usque hominem, ipsis operibus, etsi non nomine, Christianos fuisse dixerit, à ueritate certè non aberrauerit. Christianum quippe nomen uirum significat, qui per Christi cognitionem & doctrinam, animi moderatione & iustitia, continentiaque uitæ & uirtutis fortitudine ac pietatis confessione erga unum ac solum omnium deum excellit. Hoc autem priscis illis non minus curæ fuit quàm nobis. Nec corporalis itaque circuncisionis rationem habuerunt, sicuti nec nos: nec sabbatorum obseruantiæ, quemadmodum neque nos, neque abstinentiæ ciborum, neque discriminum aliorum: quæ postea Moses primus omnium instituit, ac symbolicè perficienda tradidit: sicuti talia & nunc quoque Christianorum non sunt. Sed ipsum etiam Christum Dei perspicuè uiderunt. Siquidem illum & Abrahæ apparuisse, & re-

sponsa

sponsa decisse Isaaco & Israeli, Mosiq́ & prophetis post ipsum loquutum esse, iam antea declaratum est. Vnde & pios istos Christi nomen sortitos esse inuenies: iuxta uocem de illis dictam, nempe, Ne attingatis Christos meos, & contra prophetas meos ne malitiose agatis. Manifestum itaque est hanc pietatis inuentionem uirorum illorum qui temporibus Abrahæ piè uixerunt, quæ nuper per Christi doctrinam cunctis est gentibus annunciata, primam esse omniumq́ antiquissimam & uetustissimam. Hæc Eusebius.

Porrò si in hoc speculo nominis Christiani contemplemur nos, uidebimus paucissimos esse hodie hoc sacro nomine dignos. Omnes quidem uulgò sic appellamur, & omnes Christiani uolumus appellari, sed pauci uitam professione nostra dignam uiuimus. A chrismate sacro nuncupamur Christiani. Chrisma sacrum est ipse spiritus sanctus. Super quo autem requiescet spiritus meus, ait Dominus, nisi super humili & quieto & tremente ad sermones meos? Nos uerò uerbum Dei floccifacimus, turbulentissimis sumus mentibus, affectibus prauis corrupti, tumemus superbia, ideoq́ chrismate caremus sancto. Quis ergo Christianos nos esse dicat? Regimur plerique affectibus prauis, carne, mundo, & à principe huius seculi, pauci regimus mundum ac carnem & quæ in eis sunt. Imperium ergo in nobis, non spiritus Dei, sed spiritus mundi ac carnis obtinet. Dominatur nobis satan, caro & mundus, uiuimus enim in illis & obedimus eis, unde liberi ab omni iustitia & sanctitate, serui sumus, seruitutem seruientes turpissimam. Neque enim liberari cupientes, uel redemptorem quærimus, uel impatientes tyrannidis rebellamus, sed ignaui & molles, subigendos & sub tyrannide retinendos nos substernimus: imò piget & tædet nos laborum, uigiliarum, precum, omniúmque officiorum pietatis, securiq́ delitescimus ueluti in ganea. Quis autem tales porcos sacrosancto nomine Christiano dignaretur, nisi ineptissimus & fœdissimus quisque? Nihil ergo mirum si tales æternùm arsuri detrudantur ad tartara, ut ibi æternùm ei coniungantur, quem hic sibi sequendum iniquissimè elegerunt. Iam uerò quotusquisque nostrum docet, monet, & hortatur eodem Christiano nomine gloriantes? Nihil hic dico de doctoribus ecclesiasticis, sed de officio Christiani hominis mihi sermo est. At segnes sumus plerique in erudiendis nostris & confratribus. Vel enim piget laboris, uel timemus periculum. Reijcimus ergo monendi instituendiq́ officium ad publicos ecclesię ministros: quasi huius à nobis planè nihil requiratur. Audiuntur idcirco uoces ab hominibus ferè indignissimæ, Non habeo sacerdotium, non sum Pfaff/cur ergo docerem, cur monerem? Atq́ his non est curæ, utcunque blasphema & spurca dicantur uel domi uel foris. Sibi enim uiuunt, & gloriam dei ac proximi salutem nihil ad se pertinere putant. Quas uerò hostias deo nomineq́ nostro dignas offerimus? Vbi sunt preces & gratiarumactiones? Vbi est mortificatio carnis nostræ ac abnegatio huius seculi? Vbi est misericordia seu beneficentia? Vbi est uita innocēs & sancta? Contraria possem, siquidem necesse esset, longo recensere catalogo, sed quorsum attinet manifesta omnibus hominibus copiosa expositione repetere? Nam quis oro negat uitam præsentis seculi, hominum, inquam, qui Christiano gloriātur nomine, fœdam, fœtentem, ac pestiferam esse? Quæ cùm compertissima sint, nihil peccaui qui paulò ante dixi paucos hodie esse Christianos. Qui sapiunt & suo nomine cupiunt respondere, audiant saluatorem nostrum dicentem in Euangelio Matthæi, Contendite intrare per arctam portam: quoniā lata est porta & spaciosa uia quæ abducit in exitium, multiq́ sunt qui ingrediuntur per illam. Quoniam angusta est porta & stricta uia quæ abducit ad uitam: & pauci sunt qui inueniunt eam. Cęterū quod inprimis dictum oportuerat,

Pauci sunt Christiani.

Isaiæ 66.

Matth. 7.

In pseudochristianos.

peccant in religionem professionémque Christianam grauissimè, qui ut sacerdotium & regnum Christi non syncerè agnoscunt, ita se in primis commendabiles & catholicos esse gloriantur, quòd ea designant quæ modis omnibus regnum & sacerdotium Christi obscurant. Christiani solo hoc titulo & nomine contenti, nullam aliam ambiunt uel admittunt appellationem. Isti uerò quasi leuis sit Christiani appellatio, non quiescunt donec alijs quoque uocentur nominibus, quasi in nomen Brunonis, Benedicti, Roberti aut Francisci sint baptizati. Christiani soli legslatori magistro & doctori Christo adhærentes, alienorum uocem non agnoscunt, diuinisque à scripturis non recedunt uel latum culmum. Isti autem hæreticum esse criminantur, nisi quasuis Romanæ ecclesiæ constitutiones, licet ex diametro cum uerbis doctrinaque Christi pugnantes, recipias & pro diuinis adores. Christiani agnoscunt se habere unum regem, liberatorem, saluatorem & caput in cœlis. Isti uicarium in terris adorant, & salutem tribuunt rebus nedum leuiculis, sed putidissimis. Christiani omnē fiduciam in Deum figunt, cui uota & omnes preces offerunt per Iesum Christum, quem solum credunt pontificem summum & patronum uel aduocatum fidelissimum esse omnium credentium. Isti creaturis figmentisque hominum supplicant, ac tot sibi deligunt patronos & intercessores, quot in cœlis uiuunt sancti. Christiani sciunt hostiam Christi semel immolatā, semper esse efficacem ad expianda omnia omnium in toto orbe terrarum omniumque seculorum hominum peccata. Isti uerò ter & quater hæreticum esse clamitant, non agnoscere Christum quotidie immolari à sacrificis ad hoc consecratis. Itaque omnibus commune est nomen Christianum, sed res nomine designata, duntaxat fidelium uni Christo adhærentium.

Conclusio. Concludimus iam totam de Rege & sacerdote Christo dissertationem hisce S. Augustini uerbis, Filius Dei qui fecit nos, factus est inter nos, & rex noster regit nos: & ideò sumus Christiani, quia ille Christus. Christus à chrismate dictus est, id est, ab unctione. Reges autem ungebantur & sacerdotes, ille uerò unctus est rex & sacerdos. Rex pugnauit pro nobis. Sacerdos obtulit sese pro nobis. Quando pugnauit pro nobis, quasi uictus est, iure autem uerè uicit. Crucifixus est enim, & de cruce sua in qua erat fixus diabolum occidit, & deinde rex noster. Vnde autem sacerdos? quia se pro nobis obtulit. Date sacerdoti quod offerat. Quid inueniret homo quod daret? Mundam uictimam? Quam uictimam? Quid mundum potest offerre peccator? O inique, ô impie, quicquid attuleris immundum est. Quære apud te quid offeras, non inuenies. Quære ex te quid offeras, non delectatur uel arietibus, uel hircis, uel tauris. Omnia ipsius sunt etsi non offeras. Nihil mundum inuenit in hominibus quod offerret pro hominibus: seipsum ergo obtulit mundam uictimam, hostiam immaculatam. Non ergo obtulit quod nos illi dedimus, sed quod accepit à nobis, & id mundum obtulit. Carnem ex utero uirginis accepit, ut mundam offerret pro immundis. Ipse rex, ipse sacerdos: in eo lætemur. Ipsi gloria in secula seculorum.

De Spiritu sancto tertia in adoranda Trinitate persona, eiusque diuina virtute. SERMO VIII.

RESTAT ut post exposita mysteria filij Dei Domini nostri Iesu Christi, consequenter dicamus de Spiritu sancto, eiusque potentia & operatione diuina. Nisi autem is inspiret mentes & regat linguam, nunquam poterimus quicquam de ipso uel dicere uel audire ulla cum dignitate aut utilitate. Sicut enim

cut enim ea quæ dei sunt nemo nouit nisi spiritus dei, ita homines scientiam rerum diuinarum & cognitionem sancti spiritus non aliunde hauriunt, quàm ex eodem hoc Dei spiritu. Oremus ergo Deum patrem, ut per filium Dominum nostrum Iesum Christum, misso in corda nostra hoc spiritu suo sancto, dignetur illustrare tenebrosas mentes nostras, & dirigere nos secundum scripturas sanctas in uia ueritatis syncera.

Initio autem uidetur nobis non inutiliter explicandum Spiritus uocabulum, quòd id in scripturis uariè & frequentissimè usurpetur: unde non rarò impinget grauiter quisquis uim eius uocis ignorauerit. Spiritus propriè nota est elementi, significans aerem, uentum, halitum. Ea significatione dictum legimus à saluatore, Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, aut quò uadat. Et Paulus, Si orem lingua, inquit, spiritus meus orat, at mens mea fructu uacat. En spiritum usurpat Apostolus pro flatu uel uoce. Nam linguæ subiungit & menti opponit. Per metaphoram transfertur ad omnem incorpoream substantiam, opponiturque corpori. Spiritus ergo significat angelum siue bonum siue malum. Propheta enim, quod & Paulus repetijt, dixit: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Item, Nónne sunt omnes administratorij spiritus? Hæc testimonia de bonis intelliguntur: quando de malis loquitur scriptura, ferè addit aliquid, ut spiritus malus, uel spiritus immundus. Appellamus & spectra, uel species, assumpta aliqua forma obscuriore, spiritus. Sic Apostoli non credentes resurrexisse uero suo corpore Dominum, ipsum quidem uidentes, existimarunt se uidere spiritum. Quibus ille pedes & manus ostendens, addit, Spiritus carnem & ossa non habet, sicut uidetis me habere. Rursus usurpatur Spiritus pro animali uita, sicut & Latinis spirare uiuere, expirare mori est. Dauid, Cùm dederis colligunt, inquit: & cùm aperis manum tuam, satiantur bonis: cùm uerò abscondis faciem tuam conturbantur, cùm colligis spiritum eorum deficiunt, & in puluerem suum reuertuntur. Et Dominus apud Mosen, Perdam, inquit, uniuersam carnem, in qua est spiritus uitæ. Peculiariter item rationalis anima hominis nuncupatur spiritus, adeóque spiritus sæpissimè ponitur in sacris literis pro anima rationali hominis. In Euangelio enim legis: Iesus inclinato capite tradidit spiritum. Et de sancto martyre Stephano legis: Et lapidabant Stephanum inuocantem & dicentem: Domine Iesu suscipe spiritum meum. Solomon enim prior dixit: Reuertetur puluis in terram sicut fuit, & spiritus redibit ad Deum, qui dedit illum. Iam uerò significat Spiritus affectum, agitationem animi, propensionem atque impulsum. Solomon enim, Vrbi dissipatæ similis est, inquit, cuius spiritus caret retinaculo. Sæpe reperias poni in scripturis spiritum superbiæ, iræ, libidinis aut inuidiæ, pro affectione superba, iracunda, libidinosa aut inuida. Dicitur & spiritus infirmitatis Lucæ 13. cap. ipsa, inquam, affectio ægra & morbi uis. Significat spiritus & spirituales motus, quos excitat in cordibus sanctorum sanctus spiritus, adeoque ipsa dona per spiritum in corda hominum transfusa, Id quod in Paulo ubique obuium est. Alicubi opponitur spiritus literæ, corpori, figuræ, typo uel umbræ, usurpaturque pro altiore seu mystico sensu ipsoque rei nucleo: ut cùm Paulus dicit: Circuncisio cordis, circuncisio est quæ spiritu constat non litera. Et iterum: Dominus fecit nos idoneos ministros noui Testamenti, non literę, sed spiritus. Nam litera occidit, spiritus uiuificat. Ergo inuenias spiritum poni pro inspiratione, reuelatione atque doctrina. Ioannes enim, Ne credatis, inquit, cuiuis spiritui, sed probate spiritus an ex Deo sint. Item, Spiritum ne extinguatis, prophetias ne aspernemini. Postremò appellatur Deus, immensa & ineffabilis illa uirtus spiritus. Deus, inquit, Dominus noster, est

Exponitur spiritus uocabulū.
Spiritus aer uel uentus.
Ioan. 3.
1. Corinth. 14.
Spiritus angelus.
Psal. 104.
Hebr. 1.
Spiritus spectrum.
Lucæ 24.
Spiritus uita.
Psal. 145.
Psal. 104.
Genes. 6.
Spiritus anima hominis.
Lucæ 22.
Actor. 7.
Eccles. ultimo.
Spiritus animi affectio.
Prouer. 25.
Spiritus motus spirituales.
Spiritus mysticus sensus.
Rom. 2.
2. Cor. 3.
Spiritus reuelatio.
1. Ioan. 4.
1. Thess. 5.
Spiritus deus.
Ioan. 4.

ſpiritus, & eos qui adorant eum, ſpiritu & ueritate oportet adorare. Hac ratione uocabulum ſpiritus commune eſt omnibus perſonis adorandæ trinitatis: peculiariter tamen tertiæ perſonæ trinitatis accommodatur, de qua Sermonem hunc inſtituimus.

Spiritus ſanctus quid. Et quamuis ſpiritus ſanctus, eò quòd Deus ſit, nullis poſſit circumſcribi limitibus: eſt enim natura ſua ineffabilis, immenſus, incomprehenſibilis, æternus: ut tamen certo ordine de eo aliquid dicam, adumbrabo ſaltem id quod de ipſo fuſiſſimè tradit ſcriptura, ipſius ſancti ſpiritus inſpiratio. Spiritus ſanctus eſt tertia in adoranda trinitate perſona, Deus uerus, ex patre & filio procedens, qui fideles illuminat, regenerat, ſanctificat, & omnibus bonis adimplet. Cæterum ſpiritum ſanctum tertiam eſſe in adoranda trinitate perſonam, demonſtratum opinor abunde ſatis in Sermone huius Decadis 3. Equidem unica hæc Saluatoris noſtri ſententia, Baptizate eos in nomen patris, & filij, & ſpiritus ſancti, abundè confirmat pijs mentibus, quòd ſpiritus ſanctus eſt tertia in trinitate perſona.

Spiritum ſanctum eſſe uerum deum. Porrò Deum eſſe uerum, eiuſdem poteſtatis, gloriæ, maieſtatis & eſſentiæ cū patre & filio, illud inprimis arguit quòd tertia eſt in ſancta trinitate perſona. Neque cogitandum eſt hunc illis minorem eſſe, quòd tertio loco numeratur. Nam licet ordine commemoretur à nobis trinitas beata, nullus tamen gradus, nullum tempus, nullus locus aut numerus eſt in benedicta trinitate. Nam ſecundum ſcripturam confeſſus eſt beatus Athanaſius, & dixit, Fides catholica hæc eſt, ut unum Deum in trinitate, & trinitatem in unitate ueneremur: neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim perſona patris, alia filij, alia ſpiritus ſancti: ſed patris & filij & ſpiritus ſancti una eſt diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas. Qualis pater, talis filius, talis ſpiritus ſanctus. Increatus pater, increatus filius, increatus ſpiritus ſanctus. Immenſus pater, immenſus filius, immenſus ſpiritus ſanctus. Æternus pater, æternus filius, æternus ſpiritus ſanctus: & tamen non tres æterni, ſed unus æternus, &c. Sed & S. Auguſtinus libro de Trinitate 15. cap. 26. In illa ſumma trinitate, ait, quæ eſt Deus, interualla temporum nulla ſunt, per quę poſſit oſtendi aut ſaltem requiri, Vtrum prius de patre natus ſit filius, & poſtea de ambobus proceſſerit ſpiritus ſanctus. Et reliqua. Certè confitemur unum eſſe Deum patrem, filium & ſpiritum ſanctum, & hunc eſſe æternum. Neminem ergo conturbet quòd ultimo loco ponitur ſpiritus. Nam cùm Apoſtolus in *2. Cor. 13.* Epiſtola ad Corinthios benedictionem contexit: Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, inquit, & dilectio Dei & communicatio ſancti ſpiritus ſit cum omnibus uobis. *1. Corinth. 12.* Vltimo quidem loco commemorat ſpiritum: uerùm idem Paulus, Diuiſiones donorum ſunt, ait, ſed idem ſpiritus: & diuiſiones miniſteriorum ſunt, ſed idem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, ſed idem eſt Deus, efficiens omnia in omnibus: primo utique loco conſtituens ſpiritum, docens ordinem nominum non facere dignitatum differentiam. Hac ratione etiam in priore teſtimonio patri filium *Matth. 28.* præpoſuit, non euertens ordinem, quem poſuit apud Matthæum Dominus: ſed trinitatis in honore æqualitatem oſtendens. Quid enim clarius dicas, quàm quòd ſcriptura dicit ſpiritum ſanctum ſanctificare, renouare, regenerare, uiuificare ac ſaluare? Hæ autem ſunt operationes ſoli deo congruentes. Ex operationibus itaq; manifeſtè agnoſcimus ſpiritum ſanctum eſſe Deum, eiuſdem eſſentiæ & potentiæ cum patre & filio. Eſt enim ſpiritus ſanctus ab æterno ante omnes creaturas uiſibiles & inuiſibiles creator non creatura, teſtificante Iob, Spiritus eius ornauit cœlos. *Iob. 26.* Item Spiritus Dei condidit me, & afflatus omnipotentis indidit mihi uitam. Za- *Luce 1.* charias ſacerdos pater Ioan. Baptiſtæ, Benedictus, inquit, Dominus Deus Iſrael, quia

quia fecit redemptionem populo suo: sicut loquutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, prophetarum suorum. At S. Petrus, Non uoluntate hominis, inquit, allata est prophetia, sed à spiritu sancto impulsi, loquuti sunt sancti Dei homines. Ex his obsecro quis non colligat spiritum sanctum esse Deum? Deus enim loquutus est per os prophetarum: & spiritus sanctus loquutus est per os prophetarum. Spiritus sanctus ergo Deus est. Idem Petrus spiritum sanctum disertis uerbis appellauit Deum, Ananiam accusans furti imò & sacrilegij. Cùm enim dixisset: Cur seduxit Satanas cor tuum, ut tu mentireris spiritui sancto? subiunxit protinus: Non es mentitus hominibus, sed Deo. Doctrinæ S. Petri per omnia conueniunt quæ docuit doctor gentium S. Paulus. Credentes enim nuncupauit templa Dei. Nescitis, inquit, quòd templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis? Et iterum, Nescitis quòd corpora uestra sunt templum sancti spiritus quem habetis à Deo, & non estis ipsi uestri iuris? Pro eodem usurpat Paulus, templum esse Dei, & templum esse sancti spiritus: consequitur ergo quòd spiritus sanctus sit Deus. Nam in Epistola ad Corinthios disertè spiritum sanctum nominat Deum. Posteaquàm enim dixisset, Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, generaque gratiarum recensuisset, mox subiungit: Omnia autem hæc operatur unus & idem spiritus, diuidens peculiariter unicuique sicut uult. At idem paulò ante dixerat, Diuisiones operationum sunt, sed idem est Deus, omnia efficiens in omnibus. Euidentissimum uerò diuinitatis spiritus sancti argumentum construit insignis eruditionis uir, Didymus Alexandrinus ille, ostendens item naturam eius alienam prorsus esse ab angelica. Nam 1. lib. de Spiritu sancto sic interprete beato Hieronymo scriptum reliquit, Si spiritus sanctus unus de creaturis esset, saltem circumscriptam haberet substantiam, sicut uniuersa quæ facta sunt. Nam etsi non circumscribantur loco & finibus inuisibiles creaturæ, tamen proprietate substantiæ finiuntur: spiritus autem sanctus cùm in pluribus sit, non habet substantiam circumscriptam. Mittens quippe Iesus prædicatores doctrinæ suæ, repleuit eos spiritu. Neque uerò omnes Apostoli ad omnes gentes pariter sunt profecti, sed quidam in Asiam, quidam in Scythiam, & alij in alias dispersi nationes, secundum dispensationem illius quem secum habebant spiritus sancti, quomodo & Dominũ dicentem: Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. His & illud congruit, Eritis mihi testes usque ad extremum terræ. Si ergo hi in extremis finibus terræ, ob testimonium Domini constituti, distabant inter se longissimis spacijs, aderat autem eis inhabitator spiritus sanctus, incircumscriptam habẽs substantiam, demonstratur angelica uirtus ab hoc prorsus aliena. Angelus quippe qui aderat, uerbi gratia, Apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodem tempore adesse alijs in cæteris mundi partibus constitutis. Spiritus autem sanctus non solum seiunctis à se hominibus præsto est, sed & singulis quibusque angelis, principatibus, thronis, dominationibus inhabitator assistit, &c. Quis autem hic non colligat spiritum sanctum uerum esse Deum? Plurima alia diuinitatis ueræ spiritus sancti argumenta collegit idem ille author, deinde S. pater Cyrillus, & absolutè disputauit de ea S. Athanasius ad Theophilum lib. de Trinitate 11. nos paucula hæc hactenus recitata, obsequentibus ueritatemque amantibus satis fore credimus.

2.Pet.1.

Actor.5.

1.Corinth.3.

1.Corinth.6.

1.Corinth.12.

Hæc qui firmiter credunt non mouentur ullis opinionibus & quæstionibus peregrinis, circa hoc negotium curiose imò impiè à malè feriatis quibusdam inductis. Nam negasse quidam feruntur spiritum sanctum esse Dominum. Ministrum enim ac ueluti instrumentum quoddam patris & filij esse tradiderunt. Cæterum Christus Dominus spiritum sanctum sibi & patri coniunxit, tradens baptismi for-

Spiritus sanctus non est minister nec instrumentum.

mam. Dicit enim, Baptizantes eos in nomen patris, & filij & spiritus sancti. Atqui manifestum est creatori non coniungi in Baptismo creaturam, neque subseruiens esse quicquam in diuinitate. Itaque Synodus Constantinopolitana in Symbolo suo uoces aliquot spiritui sancto addidit, quibus errores aliquot elideret, Dominũ & uiuificatorem ipsum appellans. Nam cùm Dominum uocat, filio æquat & excludit seruilem uel ministerialem conditionem, præterea negat illum istorum esse instrumentum. Vnus est enim Dominus: non sunt plures domini. Et filius non est spiritus sancti Dominus: sed dominium est commune trium personarum, quæ sunt unus tantum Dominus. Cùm autem Dominus sit spiritus sanctus, certè non est ministerio seruili addictus, sed dominica authoritate præditus: nec ad opus exequendum subseruit, sed cooperatur patri & filio, adeoque ipse ut Dominus operatur.

Spiritus sanctus substantia est, non accidens.

Feruntur rursus alij quidam docuisse spiritum sanctum non esse substantiam uel personam, sed ueluti accidens, hoc est, concitationem uel agitationem aut motum piæ ac renouatæ mentis. Ac reuera appellatur non rarò mens nostra spiritu sancto illuminata spiritus: sed probè nobis distinguenda est creatura à creatore, & à substantia accidens. Distinxit beatus Apostolus nostrum spiritum à spiritu Dei sancto, cùm dixit: Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Idem spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Ac idem Apostolus: Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Quis autem non intelligat hominis mentem à spiritu sancto instructam hic appellari spiritum, non ipsam tertiam in adoranda triade personam? Et mens illa, quod illuminationem attinet, non ex semetipsa existit, sed proficiscitur à spiritu sancto illuminante, nec ab alio, quàm qui est tertia persona in trinitate, sed non est ipsa persona spiritus sancti: sicut imaginatio proficiscitur ab anima, nec tamen est ipsa anima. Concitatio illa spiritus in nobis est accidens: Deus autem non est accidens neque accidenti permiscetur. Confitendum est itaque secundum scripturas, spiritum sanctum esse personam subsistentem, natura aut essentia patri & filio coæqualem, & idcirco adorandum nobis & glorificandum uti Deum uerum & creatorem: rursus pium uel sanctum motum in animis sanctorum per eundem spiritum sanctum excitatum, esse effectum & creaturam huius spiritus sancti, dicique spiritum sanctum, sed suo modo. Alioqui non negamus ipsum nobis sanctum spiritum promissum communicari: uerùm pro modulo nostro & sicut ille uult. Quis enim hominum comprehendat plenitudinem æterni & immensi Dei?

Rom. 8.
Galat. 5.

De processione spiritus sancti.

Porrò de processione sancti spiritus ex patre & filio subtiliter & grauiter disputatum est à theologis. Quæritur enim an à patre solo, an & à filio procedat? In qua quæstione Latini à Græcis plurimum dissentire uidentur. Quæritur item qualis sit illa processio? Nos omissis pluribus curiosis quæstionibus, ea breuiter proferemus in medium, quæ salutaria & scripturis sanctis sunt conuenientia. Quis enim curiosorum hominũ quæstiones omnes, ociosorumque cogitationes & audaces & immundas, citra offensionem optimorum uirorum, & maximè simplicium auditorum excusserit? Spiritum sanctum à patre & à filio procedere, scriptura manifestè docet, quæ apertissimè ostendit illum utriusque uel amborum esse spiritum. Ille enim est de quo dicit Apostolus: Quoniam autem estis filij, misit Deus spiritum filij sui in corda uestra. At de eodem spiritu loquens filius, ait, Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri loquitur in uobis. Rursus idem filius de spiritu sancto dicit: Quem ego mittam uobis à patre. Et iterum alibi, Quem mittet pater in nomine meo. Procedit ergo de utroque tam de patre quàm de filio. Tametsi enim alicubi legatur dictum esse de spiritu sancto, Qui à patre procedit, non negatur

Spiritus sanctus procedit à patre & filio.
Galat. 4.
Lucæ 21.
Ioan. 15.
Ioan. 14.
Ioan. 15.

gatur tamen & ex filij substantia procedere. Quinimò Cyrillus scriptor Græcus S.Ioan. Euangelium interpretans, & hunc ipsum locum enarrans lib.10.cap.33. Cum spiritum ueritatis, inquit, id est, suum (ipse enim ueritas est) paracletum appellauerit, ex patre ipsum procedere ait. Nam sicut filij spiritus est naturaliter, in ipso manens & per ipsum procedens, sic certè patris quoque spiritus est. Quibus autem spiritus communis est, ij profectò substantialiter disseparari non possunt. Rursus S.Augustinus in 15.de Trinitate lib.cap.26. Qui potest intelligere, inquit, in eo quod filius dicit, Sicut habet pater uitam in semetipso, non sine uita existenti iam filio, uitam dedisse, sed ita eum sine tempore genuisse, ut uita quam pater filio gignendo dedit, coæterna sit uitæ patris, qui dedit, intelligat, sicut habet pater in semetipso, ut de illo procedat spiritus sanctus, sic dedisse filio, ut de illo procedat idē spiritus sanctus: & utrunque sine tempore, atque ita dictum spiritū sanctum de patre procedere, ut intelligatur quod etiam procedit de filio, de patre esse & filio. Si enim quicquid habet, de patre habet filius, de patre habet utique ut de illo procedat spiritus sanctus. Hæc ille. Ex istis omnibus colligimus, spiritum sanctum procedere tam à patre quàm filio. *Ioan.5.*

Iam quod modum processionis attinet, duplicem uidemus esse spiritus sancti processionem temporariam & æternā. Temporaria processio ea est, qua sanctus spiritus procedit ad sanctificandos homines. Æterna uerò processio ea est, qua ab æterno ex deo emanat. Vtrobique ab utroque, tam patre quàm filio procedit spiritus. Nec diuisim à patre in filium, & ex filio in creaturas procedit. Nam una eademque, indiuisa, inquam, est natura & substantia patris & filij, adde & coæterna. Temporaria processio ferè appellatur missio ac donum. Mittitur autem spiritus sanctus hominibus dupliciter, uisibiliter, uidelicet sub specie aliqua uisibili, utpote columbæ, & linguarum ignearum: sicuti datus legitur in euangelio & Actis Apostolorum Christo & Apostolis: inuisibiliter quotidie & singulis quasi momentis donatur fidelibus, irrigante gratia sua nos spiritu Christi & conferente nobis fidem, spem, & charitatem. Porrò æterna processio spiritus sancti qua è substantia patris & filij procedit, perinde ut filij generatio ex patre, ineffabilis est. Vnde in euangelio non dicitur processit aut procedet, sed procedit. Ita enim ostendit dominus procedendi æternitatem ac coæternam & insectilem minimeque differentem esse substantiam patris, & filij, & spiritus sancti. S.Augustinus libro de Trinitate 15.cap.26. Qui potest intelligere sine tempore generationem filij de patre, intelligat sine tempore processionem spiritus sancti de utroque. Si uerò quis roget, Cum spiritus sanctus ex substantia patris & filij procedat, qui fiat quod non dicatur filius? Respondeo, scripturam secundam personam appellare filium, ac testificari hunc unigenitum esse patris: eandem nuspiam memorare spiritum sanctum generari uel filium dici. Nec aliud ad hanc quæstionem responderunt ueteres. Placet autē similitudo quæ hic profertur, si è duobus fontibus emanaret unus fluuius, rectè diceretur ab utroque profluere, neutrius tamen filius diceretur. His non sine fructu nec extra propositum coniungere uidebor Didymi disputata de Missione, ne quis perperam & secundum carnem intelligat quod interpretādum est ex fide spiritualiter. Spiritus sanctus consolator à filio mittitur, inquit, non secundum angelorum, aut prophetarū, aut apostolorum ministerium, sed ut mitti decet à sapientia & ueritate spiritum dei, indiuisam habentem cum eadem sapientia & ueritate naturam. Etenim filius missus à patre, non separatur nec disiungitur ab eo manens in eo, & habens illum in semetipso. Quin spiritus ueritatis supradicto modo missus à filio de patre egreditur, non aliunde ad alia transmigrans. Im-

Duplex est processio sancti spiritus.

Temporaria missio.

Aeterna processio.

Vide Sermo.3. huius Decadis circa initium.

posſibile quippe hoc pariter & blaſphemum eſt. Si enim hic ſpiritus ueritatis iuxta naturas corporum certo ſpatio circumſcriptus eſt, alium deſerens locum ad alium commigrauit: ſed quomodo pater non conſiſtens in loco ultra omnem corporum eſt naturam: ita & ſpiritus ueritatis nequaquam locorum fine clauditur, cum ſit incorporalis, & ut uerius dicam excellens uniuerſam rationalem creaturam. Quia ergo impoſsibile eſt & impium, iſta quæ diximus in corporalibus credere, exire de patre ſpiritum ſanctum ſic intelligendum, ut ſe ſaluator de eo exiſſe teſtatur, dicens: Ego ex deo exiui & ueni. Et ſicut loca & commutationes locorum ab incorporalibus ſeparamus, ſic & prolationes intus dico & foris ab intellectualium natura diſcernimus: quia iſtæ corporum ſunt recipientium tactum & habentium uaſtitates. Ineffabili itaq; & ſola fide noto ſermone credendum eſt, ſaluatorē dictum eſſe exiſſe à deo, & ſpiritum ueritatis à patre egredi, &c. Alias quæſtiones & intricatas & plurimas tranſeo intactas: religioſam & minimè curioſam, fidelem & non argutulam mentem in his requiro.

Vnus eſt ſpiritus ſanctus. Vnus eſt autem ſpiritus, quia unus atque idem eſt perpetuò Deus. Idem ergo ſpiritus eſt qui loquutus eſt patriarchis, prophetis, apoſtolis, & qui hodie loquitur nobis in eccleſia. Ideo enim Synodus Conſtantinopolitana ſic confeſſa fidem legitur. Credo in ſpiritum ſanctum dominum. Et mox, Qui loquutus eſt per prophetas in unam catholicam & apoſtolicam eccleſiam. Sumpta ſunt hæc ex ſancta ſcriptura. Nam S. Petrus diſertis uerbis teſtificatur in prophetis fuiſſe ſpiritū Chriſti. Non autem alius fuit in Apoſtolis, quàm ſpiritus Chriſti. Et Paulus Apoſtolus, Habentes, inquit, eundem ſpiritum, ſicut ſcriptum eſt, Credidi, proter quod loquutus ſum: & nos credimus, ideo loquimur. Ex quo teſtimonio Tertull. infert, & orthodoxè quidem, Vnus ergo & idem ſpiritus eſt qui fuit in prophetis & apoſtolis. Eundem promittit in eccleſia ſemper futurum. Errauerunt ergo, & turpiſsimè quidem, quicunq; apud ueteres finxerūt alium deum & ſpiritū ueteris, alium uerò eſſe noui Teſtamenti. Didymus ille Alexandrinus, illuſtre eccleſiarum Græciæ ſuo ſeculo lumen, libro de Spiritu ſancto primo: Nec exiſtimare, inquit, debemus ſpiritum ſanctum ſecundum ſubſtantias eſſe diuiſum, quia multitudo bonorum dicitur. Impaſsibilis enim & indiuiſibilis atque immutabilis eſt, ſed iuxta differentes efficientias & intellectus, multis bonorū uocabulis nuncupatur: quia participes ſuos non iuxta unam eandemq; uirtutem communione ſui donat, &c.

1. Pet. 1. 2 Cor. 4.

Incrementa ſpiritus. Cæterum incrementum uel augmentum, adde & diminutionem atque defectum habet in homine ſpiritus ſanctus: non quòd in Deum (qui, ſicut uulgò & rectè dicitur, nec maius nec minus recipit) cadat ulla mutatio, ſed quòd homo pro modulo ſuo, prout ſpiritui ſancto uiſum eſt, ſpiritum copioſè & liberaliter, uel modicè aut parcè accipiat. Dabatur cœlitus duplex portio ſpiritus Heliæ Heliſæo. Et de Saluatore noſtro dicitur, quòd pater ei ſpiritum dederit, non ad menſuram. Nam alibi dicit ipſe dominus, Quiſquis habet, dabitur illi, & reddetur abundantior. Quiſquis autem nō habet, etiam illud quod habet tolletur ab eo. Saul egregia acceperat chariſmata, quoniam uerò ea non excolebat, receſsit ab eo ſpiritus dei bonus, & ſucceſsit ipſum affligens ſpiritus malus. Recedit autem ſpiritus dei ſicut & accedit, non per interualla. Cum enim deſerimur à domino, recedit à nobis ſpiritus Dei. Vnde oraſſe Dauidem legimus: Ne proijcias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Et iterum, Spiritu principali confirma me.

4. Reg. 2. Ioan. 3. Matth. 13. 1. Sam. 16. Pſalm. 51.

De effectu & uirtute ſancti ſpiritus. Poſt iſta inueſtigandum uidetur, quis ſit effectus, quæ uirtus ſancti ſpiritus. Ineffabilis eſt autem uirtus omnipotentis & æterni dei, nemo ergo ad plenum expoſuerit quæ ſit uirtus ſancti ſpiritus. Dicam tamen aliquid, ea proferens in medium.

dium, quæ in hominibus maximè operatur. Alioqui enim per spiritum pater operatur omnia, per ipsum creat, sustinet, mouet, uiuificat, uegetat & conseruat omnia: per eundem fideles suos regenerat, sanctificat & uarijs charismatibus donat. Vnde in descriptione eius superius posita, quatuor membris præcipuas eius uirtutes in hominibus sese exerentes cōplexus, dixi illum fideles illuminare, regenerare, sanctificare & adimplere bonis omnibus. Quæ ut intelligantur rectius, proderit in primis spiritus sancti nomina uel appellationes, quas ipsi sancta tribuit scriptura, utcunque exponere: deinde unum & alterum ueteris & noui Testamenti locum de uirtute sancti spiritus editum recitare. Principiò nuncupatur spiritus dei sanctus, quia sanctificantur omnes per hunc quotquot sanctificātur creaturæ. Sanctificat gratia sua pater cœlestis, sed per sanguinem dilecti filij sui, sanctificatio autem per spiritum in nos deriuatur & obsignatur. Sanctificat ergo nos sancta trinitas unus Deus. Impium est ergo sanctificationem rebus tribuere alienis aut peregrinis. Impium est purificationem & iustificationē à creatore ad creaturas transferre. Dicitur præterea sanctus ad discretionē aliorum spirituum. Legimus enim in scripturis fuisse & esse spiritum mundi, spiritum uertiginis, spiritum fornicationis & immunditiæ, spiritum superbiæ. Ab his omnibus secernitur spiritus sanctus, qui inspirat huius mundi contemptum, qui aperit scripturas & confirmat in ueritate, qui purificat corda, & castas reddit conseruatq; mentes, qui denique humiles & mites efficit, & omnem à nobis malitiam dispellit. Idem spiritus sanctus appellatur Dei & filij spiritus. Dei quidem, ad differentiam spiritus satanæ. Filij autem, quia filij proprius & naturalis est: quem nobis quoque communicat, ut simus etiam nos filij Dei. Paulus enim, Templum Dei uos estis, inquit, & spiritus Dei habitat in uobis. Item, Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et iterum: Quoniam estis filij, emisit Deus spiritum filij sui in corda uestra, clamantem, Abba pater.

Spiritus sanctus.

Spiritus sanctus Dei & filij spiritus. *1. Cor. 3.* *Rom. 8.*

Porrò Paracletum nuncupauit ipse dominus noster spiritum sanctum in historia euangelica, dicens: Ego rogabo patrem & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere: quia non uidet eum, nec nouit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud uos manet, & in uobis erit. Significat autem παράκλητος consolatorem, impulsorem, exhortatorem, aduocatum siue patronum, qui clientis causam agit. Est enim spiritus sanctus omnium fidelium os, oculus, cor, consilium, manus & pes. Didymus in opere suo de Spiritu sancto, Ab operatione spiritui sancto, inquit, nomen imponens, Consolatorem uocat. Quia non solū consolatur eos quos se dignos reperit, & ab omni tristitia & perturbatione reddit alienos, uerū incredibile quoddam gaudium & hilaritatē eis tribuit, in tantū ut possit quis Deo gratias referens quòd tali hospite dignus habeatur, dicere: Dedisti lætitiā in corde meo. Sempiterna quippe lætitia in eorum corde uersatur, quorum spiritus sanctus habitator est. Certè solus spiritus sanctus securas & tranquillas reddit hominum cōscientias corā deo in iustificationis negotio, & in omnibus mūdi tentationibus. Paulus, Hoc solum cupio discere à uobis, ait, an ex operibus legis accepistis spiritum, an ex prædicatione fidei? Apostoli uirgis cæsi, cum donati essent spiritu sancto, & cōsolatorem illum præsentē haberent in animis, ibant gaudentes à conspectu concilij, quòd digni habiti essent, ut pro nomine Christi afficerentur contumelia. Ita legimus in historia ecclesiastica, martyres Christi spiritu sancto plenos in ipsis tormentis & mortibus acerbissimis, patientissimos fuisse ac deo cecinisse hymnos & egisse gratias. Præterea audiuimus spiritum sanctum à domino nuncupari spiri-

Spiritus sanctus paracletus. *Ioan. 14.*

Consolator & gaudium spiritus sanctus.

Acto: 5.

Spiritus sanctus spiritus ueritatis. *Ioan.16.*

tum ueritatis. Nam & alibi eundem eodem ornat nomine, dicit enim: Cum uenerit paracletus, quem mittam ego uobis à patre, spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Veritatis autem spiritus dicitur, quia est alius spiritus hypocriticus, spiritus impostor, erroneus & mendax in ore omnium pseudoprophetarum. Hic spiritus noster synceritatem, candorem & integritatem operatur in suis cultoribus. Hos docet omnem ueritatem: nam dominus noster alibi in euangelio, Paracletus ille, dicit, qui est spiritus sanctus, quẽ mittet pater nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæcunq; dixi uobis. Omnem itaq; ueritatem credendam, omnemq; pietatem Apostolos docuit spiritus ueritatis: & illi eandem plenè tradiderunt ecclesiæ. Nam spiritus sanctus omnes discutit errores, omnes extinguit hæreses, omnem idololatriam & impietatẽ profligat, & ueram fidem cordibus infundit, & ueram religionem in ecclesia confirmat. Exempla plurima suppeditant Acta apostolorum. Ex hoc Dei spiritu futura prædixerunt Apostoli, inter alia Antichristum & corruptionem postremi seculi nostri adumbrantes, admonentesq; ecclesiam, ne electi erroribus & impietatibus blasphemis implicentur.

Ioan.14.

Spiritus promißionis.

Spiritus autem promissionis ideo uocatur, quia patribus à deo per prophetas apostolis, omnibusq; doctrinæ apostolorum credentibus per Christum promissus, tandem & plenissimè per eundem est exhibitus. Admonet hoc uocabulum pios, ne suis meritis ingens ac salutare hoc donum acceptum sed meræ dei gratiæ ferant. Et promissione diuina conceditur imò donatur nobis spiritus sanctus: unde consequens est omnia dona esse gratuita: id quod Apostolus Paulus unicè in suis epistolis urget & inculcat, ad Romanos maximè & Galatas.

Galat.3.

Spiritus sanctus digitus dei. *Lucæ 11.* *Matth.12.*

Apud Lucam dicit dominus: Si digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit ad uos regnum Dei. Eadem uerba reddens beatus Matthæus: Quòd si spiritu dei, inquit, eijcio dæmonia, ergo peruenit ad uos regnũ Dei. Proinde spiritus sanctus appellatur digitus Dei, nimirũ uirtus & potentia Dei. Digitis operantur opifices, diuina uirtute per spiritum, inquam, suum operatur opera sua Deus: cuius potentia tanta est, ut uel minimus (liceat sic loqui) eius digitus omnem in mundo excellat uirtutem. Id apparuit in magis illis Ægyptiacis. Didymus parabolam refert ad unitatem substantiæ diuinæ, & diligenter ac in loco admonet, ne propter corporalia corporalem rerum spiritualium sensum nobis confingamus. Dicit enim, Verùm caue ne ad humilia deiectus, depingas in animo tuo corporalium actuum diuersitates, & incipias tibi magnitudines & inæqualitates & cætera corporum maiora & minora membra confingere, dicens digitum à manu, & manum ab eo cuius est manus, multis inæqualitatibus discrepare, quia de incorporalibus nunc scriptura loquitur, unitatem tantùm uolens non etiam mensuram substantiæ demonstrare. Sicut enim manus non diuiditur à corpore, per quam cuncta perficit & operatur, & in eo est cuius est manus: sic & digitus non separatur à manu cuius est digitus. Itaque reijce inæqualitates & mensuras cum de deo cogitas, & intellige digiti & manus & totius substantiæ unitatem: quo digito lex in tabulis lapideis scripta est. Hæc ille.

Exod.8.

Vide quæ dicta sunt contra Anthropomorphitas Ser.3. huius Decadis.

Spiritus aqua & fons uiuus. *Isaiæ 44.*

Iam per aquam & fontem uiuum siue perennem spiritus sanctus adumbratus legitur, cùm in propheticis, tum in apostolicis literis. Effundã, inquit apud Isaiam dominus, aquas super sitientem, & flumina super aridam. Et per interpretationem mox addit: Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Et in euagelio dicit dñs: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluẽt aquæ uiuæ.

Ioan.7.

Quibus

Quibus per expositionem subiungit historicus sacer: Hoc aũt dixit de spiritu, quẽ accepturi erant credentes in eum. Aqua certè fœcundat steriles agros, purificat coinquinata, sitientes potat, & æstuantes refrigerat. Fœcundat & gratia sancti spiritus steriles mentes ad fructificandum deo uiuenti. Purificantur corda nostra ab omni immunditia per eandẽ gratiam, eadem sitim extinguit animæ, afflictamq́ refocillat, & omne eius explet desiderium.

Ignis simplex est & purus, & alia quidem corpora consumit, alia uerò purgatiora mundioraq́ reddit, calefacit item, & multas in homine operationes habet utiles & necessarias. Rectè ergo per ignem adumbratur nobis spiritus sanctus. Nam purus est & simplex, impios consumit, fideles à sordibus peccatorum expurgat, redditq́ amore Dei & proximi flagrantes, sui nimirum amoris igne accendens. Cum hic apostolis dabatur in die Pentecostes, audiebatur sonitus, tanquam impetu uenientis flatus uehementis: qua re significabatur pietatis doctrinam diuina uirtute & mirabili successu per totum orbem fore propagandam, nequicquam renitente toto mundo. Ventus enim nemine obsistente totum perflat orbem, omnia penetrat, à nemine excludi potest: miros item habet in corporibus effectus mutandi. Et spiritus sanctus penetrat omnia, corda emollit, & ex intractabilibus ferocibusq́ facit obsequentissimos modestissimosq́. Apparent supra capita apostolorum discipulorumq́ donatorum spiritu sancto, igneæ linguæ, significantes utiq́ operationem eius, cuius erant symbola sancti spiritus. Nam erudit hic, exhortatur & consolatur fideles: neq́ frigidis sed igneis linguis instruit fideles. Fulminare enim & tonare uisi sunt apostoli, non loqui cum prædicarũt euangelium: quo nomine & quidam illorum nuncupati sunt ab ipso saluatore Filij tonitrui. Præterea apparet sanctus spiritus super dei filio, iam à Baptista Ioanne tincto, sub specie columbæ. Nam hæc mitis ac mansueta est, felle carens. Quæ locum dedit prouerbio, Columbini mores: item Columbina simplicitas, & Mãsuetior columba. Est enim columba in auibus, quod ouis in quadrupedibus, quæ nulli animantium meditatur noxam: unde & Christus appellatus est Ouis uel Agnus. De spiritu itaq́ dei, Sapiens ille rectissimè, Spiritus sapientiæ, inquit, sanctus est, unicus, multiplex, subtilis, disertus, illustris, incontaminatus, certus, suauis, boni studiosus, acutus, prohiberi nescius, beneficus, benignus, stabilis, securus, omnipotens, perspiciens omnia, omnesq́ spiritus rationales & mundos, etiam subtilissimos penetrans.

Spiritus sanctus ignis.

Spiritus sanctus flatus uehemens. Actor. 2.

Spiritus sanctus lingua ignea.

Spiritus sanctus columba. Matth. 3. Isaiæ 52. Ioan. 1. Actor. 8. Sapient. 7.

Rursus appellantur spiritu sancto donati uncti à domino. Nam spiritus sanctus dicitur & oleum & unctio. Nisi enim à spiritu sancto irrigati fuerimus, steriles contabescimus. Destituimur enim humore uitali cœlestiq́, & natura nostra semper arescimus. Vnctionis autem huius celebris typus præcessit in unctione ceremoniali regum & sacerdotum. Beatus Ioannes, Et unctio, inquit, quam uos accepistis ab eo, manet in uobis: & non necesse habetis ut quisquam doceat uos, sed sicut ipsa unctio docet uos de omnibus, & uerax est, & non mendacium. Et sicut docuit uos, manete in ea. Nam & apud Ieremiam dicit dominus: Hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies istos, dabo leges meas in mentem illorum, & in corde illorum inscribam eas, & ero illis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et non docebit quisq́ proximum suum, & unusquisq́ fratrem suum, dicens: Cognosce dominum. Nam omnes cognoscent me à minimo ad maximum. Quoniam placatus ero super iniustitijs eorum & peccatis eorum, & iniquitatum illorum non recordabor amplius. Verùm ostendimus paulò ante, spiritum sanctum esse uniuersalem omnis ueritatis doctorem. Huc pertinere uidetur quod S.

Spiritus sanctus oleum & unctio.

1. Ioan. 2.

Ierem. 31. Hebr. 8.

2.Cor.1. Paulus, Deus est, inquit, qui unxit nos, qui etiam obsignauit nos, deditque arrham spiritus in cordibus nostris. Nunc enim non tantum unctio nuncupatur spiritus sanctus, sed & obsignatio uel arrhabo salutis nostræ. Ἀῤῥα enim siue ἀῤῥαβὼν pars est solutionis, quæ fidem facit totius summæ persoluendæ, pignus scilicet. Et spiritus quidem sanctus testificatur nunc, imò & obsignat certificatque quòd simus filij dei, aliquando autem recipiendi in æternam hæreditatem. Paulus enim rursus, Obsignati estis, inquit, spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitæ possessionis, in laudem gloriæ ipsius. Ephes.1. cap. Ea certificatio mirum in modum confirmat mētes fidelium in tentationibus consolaturque, animat præterea ad patientiam in aduersis, & ad sanctimoniam uitæ. Hinc enim dixit beatus Ioannes, Vos ex deo estis filioli, & uicistis eos, quoniã maior est qui in uobis est, quàm qui in mundo. Et iterum, Nunc filij dei sumus, & nondum apparuit quod futuri sumus: scimus autem, quoniam si apparuerit, similes ei erimus: quoniam uidebimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hāc spem in eo, purificat se, sicut & ille purus est.

Spiritus sanctus arrhabo hæreditatis nostræ.

1.Ioan.4. 1.Ioan.3.

Quemadmodum uerò spiritus sanctus nexus est ineffabilis, quo æterna concordia inseparabiliter sibi iunctæ sunt tres personæ: Ita idem indissolubili uinculo sponsam Christi coniungit sponso suo, omniaque mystici corporis membra sempiterno fœdere inter sese copulat. Nam sicut membra corporis nostri cohærent integra, beneficio spiritus, ita corpus Christi mysticum conglutinatur per spiritum sanctum. Nihil itaque mirum est, quòd hic charitatis nomine insignitur, qui & cordibus nostris charitatem infundit.

Spiritus sanctus charitas. Rom.5.

Vtcunque uerò ex his nominibus sancti spiritus intelligi possit operatio eius, subijciam tamen testimonia scripturæ aliquot, ex quibus plenius intelligatur uirtus siue effectus eius, in nobis maximè. Isaias in principiò ferè libri sui describens personam regis Mesiæ, inter alia dicit: Super quo spiritus domini requiescet, spiritus sapientiæ & intelligentiæ, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & timoris domini, & faciet eum spirare timorem domini. Multis quidem membris expositis, nondum omnes spiritus uires enarrauit. Proinde non est quòd in arctũ septenarijque angustias cum uulgo concludamus uires uel dona spiritus. Audiuimus enim hactenus esse spiritum promissionis, doctrinæ, humilitatis & mansuetudinis, &c. Quibus insuper hæc quoque plurima connumerantur. Est enim spiritus sapientiæ. Hæc uerò quanta sit & quàm latè pateat, claret uel in rebus Solomonis. Sapientiæ coniungitur intelligentia, quæ dicitur esse praxis & applicatio sapientiæ, rebus, locis, temporibus & personis attemperata. Consilium autem requirirur & datur in rebus dubijs, & quid commodissimè agamus ostendit. Fortitudo uires ac constantiam sufficit exequendi perficiendique, adde & patienter perferendi, quæ consilio uel facienda uel patienda esse didicimus. Iã uerò Scientia experientia est, longo usu & tempore conquisita. Accedit his Timor, id est, pietas & uera religio, ad quam nisi referamus omnia nostra dicta & facta, nihil proderit sapientia, intelligentia, consilium, fortitudo & scientia. Breuiter, quisquis spiritu dei fuerit donatus, spirabit timorē Dei quicquid uel dicet uel faciet, denique omnia dicet & faciet ad gloriam Dei: & omnia quidem hæc ex unico spiritus sancti fonte gratis & plenè hauriuntur.

Operationes S. spiritus. *Isaiæ 11.* *Sapientia.* *Intelligentia.* *Consilium.* *Fortitudo.* *Scientia.* *Timor.*

Paulus Apostolus in epistola ad Romanos mirificam sancti spiritus uim in nobis operantē renatis describens, dicit: Qui in carne sunt, deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, siquidem spiritus dei habitat in uobis. Quòd si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Porrò si Christus in

Rom.8. *Spiritus mortificat & uiuificat.*

uobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem uita est propter iustificationem. Quòd si spiritus eius qui excitauit Iesum à mortuis, habitat in uobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra propter ipsius spiritum inhabitantem in uobis.

Idem Apostolus in Epistola ad Corinthios docet per reuelationem sancti spiritus, mysterium regni Dei nobis quàm manifestissimè esse reclusum. Nobis Deus reuelauit, inquit, per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates Dei. Quis enim hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo? Sic & ea quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei. Nos uerò non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ à Christo donata sunt nobis. Huc pertinent hæc Domini saluatoris ex sacrosancto Euangelio uerba: Veritatem dico uobis, expedit uobis ut ego uadam. Nisi enim abiero, consolator ille non ueniet ad uos: sin autem abiero, mittam illum ad uos. Et cùm uenerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me. De iustitia uerò, quia ad patrem uado, & posthac non uidetis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Manifestum est autem omnibus hisce capitibus comprehendi totam ueræ religionis summam, quam plenissimè tradidit ecclesiæ sanctus spiritus. Quod & in expositione nominum sancti spiritus attigimus. Sequitur in Euangelio: Ad hæc, multa habeo quæ uobis dicam, sed non potestis portare nunc. Cùm autem uenerit ille qui est spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit loquetur, & quæ futura sunt annunciabit uobis. Ille me glorificabit: quia de meo accipiet & annunciabit uobis. Cùm autem constet uenisse spiritum sanctum, claret eundem Apostolos in omnem induxisse ueritatem: adeò ut quod cum horum scriptis non congruit, meritò suspectum sit de mendacio. Alioqui non dubito quin hodie loquatur per suos in ecclesia: cæterum absque controuersia est, spiritum sanctum sibijpsi minimè contradicere. Ac futura per spiritum reuelata esse Apostolis, in explicatione nominum sancti spiritus attigimus. Nec dubium est quin adhuc multa sanctis in ecclesia reuelet, quæ uidelicet pertinent ad conseruationem ueritatis Christianæ & sanctorum.

1. Cor. 2.

Spiritus plenè reuelat mysteria regni Dei.

Ioan. 16.

Spiritus & futura prædicit.

Actor. 11.

Rursus legimus in Epistola Pauli ad Corinthios: Vnicuique datur manifestatio spiritus ad id quod expedit. Huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij uerò sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij dona sanationum per eundem spiritum, alij facultates potentiarum, alij autem prophetia, alij uerò discretiones spirituum, alij genera linguarum, alij uerò interpretatio linguarum. Sed omnia hæc efficit unus & idem spiritus, distribuens singula cuique pro ut uult. Clara sunt hæc omnia, nec ulla prolixiore indigent expositione. Magna uerò & euidentia sunt hęc dona sancti spiritus, quibus si ea quoque subijciamus quę idem Apostolus de eodem Dei spiritu contexit, uela colligemus. Fructus spiritus est, ait, charitas, gaudium, pax, tolerantia, comitas, benignitas, fides, mansuetudo, temperantia. Hæc, inquam, & omnes alias uirtutes inserit animis piorum, plantat, conseruat, tueturque, & ad iustam frugem producit spiritus sanctus, qui operatur omnia bona in omnibus.

1. Cor. 12.

Varia dona & munera spiritus sancti.

Galat. 5.

His omnibus epilogi uice subijciemus modò elegantissimam Tertulliani de Spiritu sancto disputationem. Ea talis est, Quoniam Dominus in cœlum esset abiturus, paracletũ discipulis necessariò dabat, ne illos quodammodo pupillos, quod minimè decebat, relinqueret, & sine aduocato & quodam tutore desereret. Hic est enim qui ipsorum animos mẽtesque firmauit, qui Euangelica sacramenta distin-

Elegans disputatio Tertul. de spiritu sancto.

xit, qui in ipsis illuminator rerum diuinarum fuit, quo confirmati, pro nomine Do-
mini nec carceres nec uincula timuerunt, quinimò ipsas seculi potestates & tor-
menta calcauerunt, armati iam scilicet per ipsum atque firmati, habentes in se do-
na quæ hic idem spiritus ecclesiæ Christi sponsæ quasi quædam ornamenta distri-
buit & dirigit. Hic est enim qui prophetas in ecclesia constituit, magistros erudit,
linguas dirigit, uirtutes & sanitates facit, opera mirabilia gerit, discretiones spiri-
tuum porrigit, gubernationes contribuit, consilia suggerit, quæque alia sunt cha-
rismatum dona componit & digerit: & ideò ecclesiam Domini undique & in o-
mnibus perfectam & consummatam facit. Hic est qui in modum columbæ, po-
steaquàm Dominus baptizatus est, super eum uenit & mansit, habitans in solo
Christo plenus & totus, nec in aliqua mensura aut portione mutilatus, sed cum to-
ta sua redundantia cumulatè admissus, ut ex illo delibationem quandam gratia-
rum cæteri consequi possint, totius sancti spiritus in Christo fonte remanente, ut
ex illo donorum atque operum uenæ ducerentur, spiritu sancto in Christo affluen-
Isaie 11. ter habitante. Hoc etenim prophetans Isaias aiebat: Et requiescit, inquit, super eum
spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & uirtutis, spiritus scientiæ & pie-
Isaie 61. tatis, & impleuit eum spiritus timoris Dei. Hoc idem atque ipsum & alio in loco
ex persona ipsius Domini: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, e-
Psalm. 45. uangelizare pauperibus misit me. Similiter Dauid: Propterea unxit te Deus tuus
Rom. 8. oleo lætitiæ à consortibus tuis. De hoc Apostolus Paulus: Qui enim spiritum Chri-
2. Cor. 3. sti non habet, hic non est eius. Et, Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Hic est qui ope-
ratur ex aquis secundam natiuitatem, semen quoddam diuini generis, & consecra-
tor cœlestis natiuitatis, pignus promissę hęreditatis, & quasi chirographum quod-
dam æternę salutis, qui nos Dei faciat templum, & nos eius efficiat domum: qui in-
terpellat diuinas aures gemitibus ineloquacibus, aduocationis implens officia, &
defensionis exhibens munera, inhabitator corporibus nostris datus, & sanctitatis
effector, qui id agens in nobis ad æternitatem & ad resurrectionem immortalita-
tis corpora nostra producat, dum illa in se assuefacit cum cœlesti uirtute misceri,
& cum spiritus sancti diuina æternitate sociari. Erudiuntur enim in illo & per ip-
sum corpora nostra ad immortalitatem proficere, dum ad decreta ipsius discunt se
moderanter temperare. Hic est enim qui contra carnem desiderat, quia caro contra
eum repugnat. Hic est qui inexplebiles cupiditates coërcet, immoderatas libidi-
nes frangit, illicitos ardores extinguit, flagrantes impetus uincit, ebrietates rei-
cit, auaritias repellit, luxuriosas comessationes fugit, charitates nectit, affectiones
constringit, sectas repellit, regulam ueritatis expedit, hæreticos reuincit, improbos
Rom. 8. foras expuit, Euangelia custodit. De hoc item Apostolus: Non enim spiritum mun-
1. Cor. 7. di accepimus, sed spiritum qui ex Deo est. De hoc exultat, & dicit: Puto autem quia
1. Cor. 14. & ego spiritum Dei habeo. De hoc dicit: Et spiritus prophetarum prophetis subie-
1. Tim. 4. ctus est. De hoc refert, Spiritus autem manifestè dicit quia in nouissimis tempori-
bus recedent quidam à fide, attendentes spiritibus seductoribus, doctrinis dæmo-
niorum in hypocrisi loquentium mendacia, cauteriatam habentium cõscientiam
1. Cor. 12. suam. In hoc spiritu positus nemo unquam dicit anathema Iesum, nemo negauit
Christum Dei filium, aut repudiauit creatorem Deum, nemo contra scripturas ul-
la uerba sua depromit, nemo alia & sacrilega decreta constituit, nemo diuersa iu-
Marci 3. ra conscribit. In hunc quisquis blasphemauerit, remissionem non habet non tan-
tùm in isto seculo, uerumetiam nec in futuro. Hic in Apostolis Christo testimo-
nium reddit, in martyribus constantem fidem religionis ostendit, in uirginibus
admirabilem continentiam signatæ charitatis includit, in cæteris incorrupta &
inconta-

incontaminata doctrinæ Dominicæ iura custodit, hæreticos destruit, peruersos corrigit, infideles arguit, simulatores ostendit, improbos quoque corrigit, ecclesiam incorruptam, & inuiolatam perpetuæ uirginitatis & ueritatis sanctitate custodit. Hactenus Tertullianus.

Vsque huc uerò non sine tremore disseruimus de adorandæ trinitatis sacrosancto mysterio, de patre, filio, & spiritu sancto, quod ex scripturis didicimus: ac subsistimus hic tandem, unitatem hanc in trinitate & trinitatem in unitate supplices adorantes. Retineamus autem in animis, & confiteamur distinctionem scripturis manifestissimè notatam, & unitatem summa nobis commendatam diligentia. Nam in scriptura patri principium agendi rerumq; omnium fons & scaturigo tribuitur: filio sapientia, consilium, ipsaq; in rebus agendis dispensatio: spiritui autem assignatur uirtus & efficacia actionis. Caueamus tamen ne propter distinctionem dissociemus unitatem substantiæ diuinæ. Vnus eim Deus est, in quo sunt illæ proprietates. Vnus est ignis, licet in eo tria cernantur, lumen, splendor & calor. Simul enim hæc exurgunt, simul consistunt: non præit lumen splendorem, neque hic calorem. Et quanquam aliud tribuatur lumini, aliud splendori, aliud calori, inseparabiliter tamen operantur. Itaq; cùm legimus Deum creasse mundum, intelligimus patrem ex quo omnia, per filium, per quem omnia, in spiritu sancto, in quo omnia, condidisse mundum. Et cùm legimus filium pro salute nostra incarnatum, passum, mortuum & resuscitatum esse, credimus patrem, & spiritum sanctum (etsi exortes fuerint incarnationis & passionis) salutem tamen illam nostram operatos per filium, quem credimus ab illis nunquam fuisse separatum. Cumq; peccata remitti dicuntur in spiritu sancto, credimus hoc beneficium & omnia alia beatitudinis nostræ beneficia inseparabiliter conferri ab uno, solo, uero, uiuo & æterno Deo, qui est pater, filius, & spiritus sanctus. Cui laus & gratiarumactio in secula seculorum, Amen.

Summa de unitate & trinitate Dei.

De bonis & malis spiritibus, hoc est, de Angelis Dei sanctis, & Diabolis siue cacodæmonibus eorumq; operationibus. SERMO IX.

SVBIVNGAM Sermoni de Spiritu sancto, disputationem de Bonis & malis spiritibus, hoc est, de Angelis Dei sanctis, & diabolis siue cacodæmonibus, eorumq; operationibus. De quibus cùm scriptura sancta certam utilemq; modis omnibus doctrinã nobis tradat, minimè uidetur ea nobis negligenda, sed qua possumus fide & diligentia proferenda in lucem. Turpe foret pietatis studioso, angelorum bonorum & malorum ingenia ignorare, quorum tam frequens fit mentio in sacris literis: imò pernitiosum esset nescire quales sint diaboli, qui eo nomine nos depredarentur, nobisq; imponerent facilius. Dicemus autem primùm de beatis angelis, deinde de cacodæmonibus.

Angeli uocabulum dicunt officij non naturæ, ac commune esse Latinis & Græcis à quibus mutuatum est, significare autem nuncium, missum uel legatum: ideoq; latius patere. Dicuntur enim angeli prædicatores ueritatis, ut apud Malachiam & Apostolum Paulum. Sunt enim legati Domini exercituum. Sanctus Petrus cacodæmones quoque uocauit angelos: sicut & Paulus, dicens fideles iudicaturos aliquando angelos, & sibi immissum esse angelum satanæ: peculiariter tamen appellat scriptura beatos Dei spiritus, ministros, cursores & satellites, angelos.

Angelus.

Malach. 2. 1. Cor. 11. 2. Pet. 2. 1. Cor. 6. 2. Cor. 12.

Et esse quidem angelos negarũt Sadducæi, Lucas enim in Actis Apostolorum,

Angelos esse.

Act. 23

Sadducæi, inquit, dicunt non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum: Pharisæi utraque confitentur. Ac reuera angelos esse testatur uniuersa scriptura, quæ pluribus in locis cōmemorat ipsos apparuisse hominibus, eisq́ annunciasse uoluntatem Dei, uel perfecisse aliàs opus eiusdem. Certè Dominus Iesus contra Sadducæos disputans in Euangelio: Erratis, inquit, nescientes scripturas, neque uirtutem Dei. In resurrectione enim neque matrimonium contrahunt, neque elocantur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo. Credamus ergo angelos esse. Meritò enim plus fidei apud nos inuenire debet filij Dei authoritas, & scripturarum sanctarum ueritas irrefragabilis, quàm omnium Sadducæorum impiorúmque hominum nugæ. Quid quod gentilium poetæ & philosophi angelos, quos ipsi deos appellant, confessi sunt? Fingentes enim deos à iustis hominibus in specie hominum hospitio exceptos esse, nihil aliud doctissimis quibusque sensisse uidentur, quàm quod sacræ literæ commemorant, Abrahamum & Loth angelos referentes homines peregrinos excepisse hospitio. Vtcunque uerò hoc habeat, certissimum est ex scriptura sancta & ex uaria experientia esse beatos Dei spiritus, hoc est, angelos bonos.

Matth. 12.

A. Steuch. de perenni philosophia lib. 8. cap. 6. & 8.

Quid sint angeli.

Qualis autem sit natura angelorum, exactè non potest ab ullo mortalium explicari. Plurima enim sunt in ordine creaturarum, quarum natura non potest adamussim & perfectissimè exponi: possunt tamen utcunque ad captum nostrum adumbrari. Sunt ergo qui dicunt angelos esse spiritus bonos, ministros, ignitæ naturæ, in ministerium Dei & bonorum conditos. Alij, Angeli sunt, inquiunt, cœlestes spiritus, quorum ministerio & obsequio utitur Deus ad exequenda omnia quæ decreuit. Proinde non uidebimur toto aberrare cœlo, si dicamus: Angelos esse spiritus bonos, cœlestes, substantias inquam incorruptibiles, in ministerium Dei & hominum conditos.

Creatos esse angelos. Hebr. 1. Colos. 1.

Creatos esse angelos à Deo, testatur scripturæ propheticæ & Apostolicæ. Nam Paulus illud citat Dauidis: Qui creat angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Idem Apostolus, per Christum, inquit, creata sunt omnia, quæ in cœlis sunt & in terra, uisibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Proinde nugas protulerunt hæretici, dicentes angelos creationis effectores & coæternos esse Deo uniuersorum. Deus enim in tempore & angelos & omnes alias creaturas condidit per filium.

Quando creati angeli.

De tempore autem quando creati sunt, cum luce ne ante hominem, an post hominem uniuersáque Dei opera, dicat qui potest tacente scriptura certum aliquid pronunciare. Veteres scripturarum interpretes Epiphanius & Augustinus, disertè & uerè fatētur de illo nihil in scripturis esse traditum. Quod autem scripturis non est traditum, non sine periculo quidem inquiritur, at sine periculo ignoratur. Satis est agnoscere angelos esse conditos, quandocunque demum constet conditos. Agamus Deo potius gratias, quòd humano generi tam præstantes crearit ministros. Viuamus in conspectu sanctorum Dei angelorum uitam sanctam & angelicam. Vigilemus ne sub bona specie nobis imponat, qui se transfigurat in angelum lucis.

Angelos esse substantias.

Iam quales creaturæ sint angeli porrò uidendum erit: Sunt cœlestes spiritus substantiæq́ incorruptibiles expeditissimæq́. Significanter dicimus angelos esse substantias, hoc est, creaturas essentia præditas. Quidam enim negant eos esse substantias, in propria essentia subsistentes: fingunt enim angelos nihil aliud esse quàm qualitates, motus seu inspirationes bonarum mentium. Sed scriptura canonica appellat eos ministros. Saluator noster dicit resuscitatos similes futuros angelis

Hebr. 1. Matth. 22.

angelis Dei. S. Paulus demonstrat filium Dei angelis esse excellentiorem, ut qui adorent ipsum ueluti Deum creatorem. Idem Apostolus, Nuspiam, inquit, legas filium angelos assumere, sed semen Abrahæ assumpsit. Quæ testimonia manifestissimè docent angelos esse substantias, non qualitates aut motus in mentibus hominũ. Vt iam non commemorem quòd toties sub specie uel imagine hominum hominibus apparuerunt. Teneamus ergo & confiteamur angelos esse substantias. Hebr.2.

Porrò quales sint substantiæ alij fortè melius explicarint: quod nemini inuideo. Ego fateor spiritus esse bonos, ad differentiam malorum. De quibus postea dicetur. Bonos autem fateor, non tam bonitate naturæ in qua perstiterunt, quàm operatione, semper enim ad bona instigant. Fateor item angelos esse spiritus, id est, substantias spirituales, cœlestes, incorruptibiles & expeditissimas. Scriptura enim testatur, & ait: Qui creat angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Spiritus, inquam, nominat scriptura angelos, & flammam ignis: non quòd angeli natura & substantia sua sint ignis corporalis: sed quod ignis eos utcunque referat qui diaphania, pulchritudine, incorruptibilitateque, agilitate item, celeritate, puritateq; sunt ornatissimæ & præstantissimæ creaturæ. Definitiones ecclesiasticæ satis crasse tradunt angelos esse substantias corporeas, sed sui generis. Nam solus Deus est incorporeus. Istæ ergo in hæc uerba statuerunt, Creatura omnis corporea est: angeli & omnes cœlestes uirtutes, corporeæ: licet non carne subsistant. Ex eo autem credimus corporeas, quòd localiter (hodie fortè commodius dicuntur angeli non circumscriptiuè sed definitiuè esse in loco) circumscribuntur, sicut & anima quæ carne clauditur. Nihil incorporeum & inuisibile natura credendum, nisi solum Deum, id est, patrem & filium & spiritum sanctum. Qui ideò rectè incorporeus creditur, quia ubique est, & omnia implet atque constringit: ideò & inuisibilis omnibus creaturis, quia incorporeus est. Hæc ibi. Cæterùm corpora illa uel iuuenum uel senum, in quibus apparuerunt non rarò angeli patribus, non fuerunt his propria uel naturalia, sed assumpta & aliunde ueluti mutuò accepta, ad tempus, & ad captum imbecillitatis nostræ. Qualia aũt illa ipsa assumpta corpora fuerint, aut unde assumpta, aut quo post dispensationem deposita sint, difficillimum est explicatu. S. Augustinus in Enchiridio suo ad Laurent. cap. 59. Quis explicet, inquit, cum qualibus corporibus apparuerint hominibus, ut non solum cernerentur uerum etiam tangerentur, & rursus non solida corpulentia, sed spiritali potentia quasdam uisiones non oculis corporeis, sed spiritalibus uel mentibus ingerant, uel dicant aliquid non ad aurem forinsecus, sed intus in animo hominis, etiam ibidem ipsi constituti: sicut scriptum est in prophetarum libro: Et dixit mihi angelus, qui loquebatur in me. Non enim ait: Qui loquebatur ad me: sed, In me. Vel appareant & in somnis, & colloquantur more somniorum. Habemus quippe in Euangelio: Ecce angelus Domini apparuit illi in somnis, dicens, &c. His enim modis uelut indicant se angeli contrectabilia corpora non habere: faciuntq; difficillimam quæstionem, quomodo patres eis pedes lauerint: quomodo Iacob cum angelo tam solida contrectatione luctatus sit: Cùm ista quæruntur, & ea sicut potest quisque coniectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, & absit error opinantium se scire quod nesciunt. Quid enim opus est ut hæc atque huiusmodi affirmentur, uel negentur, uel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur: Hæc Augustinus. Agnoscamus in his & similibus caussis omnipotentiam & admirandam dispensationem eius, qui quæ uult facit, cui sanè non difficile est substantias creare suo instituto idoneas congruasq;: cùm ex nihilo condiderit omnes uisibiles & inuisibiles creaturas.

Quales sint substantiæ angeli.

Psalm. 104.

Substantiæ corporeæ.

Qualia corpora assumpta ab angelis.

Angeli incorruptibiles. Porrò ex gratia uirtuteq; diuina asserimus angelos esse substantias incorruptibiles, adeoq; & immutabiles in sua felicitate, sine onere & impedimentis. Nam & beatus Augustinus dixit de Fide ad Pet. diaco. cap. 23. angelis non à natura insitam esse immutabilitatem, sed de gratia Dei collatam. Idem de uera Religione capite 13. Fatendum est, inquit, angelos natura esse mutabiles (si solus Deus est immutabilis) sed ea uoluntate qua magis Deum quàm se diligunt, firmi & stabiles manēt in eo, & fruuntur maiestate eius, ei uni libentissimè subditi. Congruunt cum his quæ in hæc uerba leguntur in Definition, ecclesiast. cap. 61. Virtutes angelicæ, quę in diuino amore fixę perstiterunt, lapsis superbientibus angelis, hoc munere retributionis acceperunt, ut nulla iam rubigine surripientis culpę mordeantur, ut & in contemplatione conditoris sine felicitatis fine permaneant, & in hoc sic conditæ æterna stabilitate subsistant. Hęc ille. Certè scriptura incorruptibilitatē angelorum ostendens, asserit nos in resurrectione futuros angelis similes. *Matth. 22. 1. Cor. 15.* Resurgemus autem incorruptibiles: sunt itaq; angeli incorruptibiles. Sic enim dicit Saluator: Filij huius seculi ducunt uxores, & nuptum dāt: Illi uerò qui digni habebuntur seculo illo & resurrectione ex mortuis, neq; ducunt uxores, neque nuptum dant: neq; enim ultra mori possunt. Æquales enim angelis sunt, & filij Dei sunt, cùm sint filij resurrectionis. Ex quibus intulit in diuinis decretis beatus Theodoretus: Angelos ergò nec, ut Græcorum poetæ & philosophi, in deos referimus, nec in masculinum & fœmininum sexum incorpoream naturam distinguimus. Immortali enim naturæ superuacanea est generis diuisio: neq; enim incremento opus habent cùm non diminuantur, &c. *Expeditißimi sunt angeli.* At expeditissimos sine impedimento & onere esse angelos, multis in locis significat scriptura. *Actor. 5.* In Actis Apost. ita legimus, Sacerdotes posuerunt Apostolos in custodia publica. Sed angelus Domini per noctem aperuit ianuas carceris, eductisq; illis dixit: Ite & stantes loquamini in templo populo omnia uerba uitæ huius. Cùm autem uenissent ministri, nec reperissent illos in carcere, reuersi nunciauerunt, dicentes: Carcerem quidem inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes foris stantes ante ianuas. In eodem libro sic scriptum iterum legimus: *Actor. 12.* Herodes Petrum posuerat in carcerem, ac dormiebat Petrus inter duos milites, uinctus catenis duabus, & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoq; latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge uelociter. Et exciderunt catenæ de manibus eius. Et mox, Cum autem præterijssent primam ac secundam custodiam, uenerunt ad portam ferream, quę ducit ad ciuitatē, quæ ultrò aperta est eis. En nulla quantumuis magna & fortia impedimenta angelū Domini impediunt, quò minus exequatur expeditissimè commissum sibi à Domino. Cedunt omnia & legato Domini aditum præbent. Decidit sua sponte ferrum ex manibus Petri. Hic tutus ambulat, præeunte angelo, per confertas militum turmas. Sera portæ nullo homine aperiente reseratur, & seruis Dei egressis rursus clauditur. Angeli, hoc est, legati isti cœlestes, natura sua spiritus expeditissimi celerrimiq;, diuina uolente & operante uirtute iam quidem uersantur in cœlis, simul autem atque uniuersorum Domino uisum est, euestigio adsunt hominibus in terris, ad quos cœlitus à Deo mittuntur. Ac in terris modò apud hos, modò apud illos consistunt. Non quòd loco suo modò non contineantur. Etenim cùm angelus mulieribus annunciaret Christi resurrectionem, ac uersaretur apud sepulchrum, non erat simul eodem momento in cœlis. Solus enim Deus loco non concluditur. Nam est præsens ubique: sed more corporum corruptibilium angeli lentè nec procedunt neque cum labore aut molestia mouentur. Interim disertè in scripturis in cœlos ascendere & inde ad nos descendere

dere commemorantur. Rectè omnino credimus, animas nostras simul atque excedunt è corporibus, protinus ingredi regiam cœlorum. Dominus enim in euangelio dixit: A morte transiuit in uitam. Et, Hodie mecum eris in paradiso. Atqui de mendico Lazaro legis: Accidit autem ut moreretur mendicus, & deportaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Huc iam & illud Danielis pertinere uidetur, dicentis: Adhuc autem me loquente & supplicante & confitente peccatum meum & peccatum mei populi Israel, & fundente meas preces ante dominũ deum meum, pro monte sancto dei mei, me, inquam, adhuc deprecante, uir ille Gabriel quem uideram in uisione à principio, citò uolans ad me peruenit. En animæ nostræ ab angelis subuehuntur in cœlos, quæ tamen alibi dicuntur e uestigio rapi in cœlum. Deinde simul atque orat dominum Daniel, nulla mora diuturniore interposita, celerrimè aduolans (ita enim pro captu nostro scriptura loquitur) angelus oranti adest, exauditumque à deo esse annunciat. Sunt itaque angeli celeres & expeditissimi, nullo onere depressi, neque ullo impedimento exclusi aut impediti ab his, ad quæ mittuntur cœlitus, tametsi ut creaturæ loco contineantur (licet non circumscribantur) & moueantur ratione certa & modo ei naturæ spirituali congruo. Exigit hæc fortasis tractatio, ut nonnihil dicatur & de robore potentia seu fortitudine angelorum. Sed quorsum attinet in re manifesta multa fundere uerba? Cum enim dominus angelos mittens sit omnipotens, nihil est quod angeli in suis illis legationibus & ministerijs non posint, nihil est in uniuersa rerum natura, quod se obijciat ministris dei omnipotentis. Neque enim frustra appellantur angeli Potentiæ & Virtutes. Vnum ex multis, neque hoc quidem maximum referam. Vnus angelus una nocte, nullo apparatu aut negotio, in castris Assyriorum ad mœnia Hierusalem, cæcidit centena & octoginta quinque millia militum strenuissimorum. In Daniele talem habemus Angeli descriptionem, ex qua & robur & præstantia angelorum colligi potest. Corpus eius sicut tharsis uel chrysolitus, & facies eius sicut fulgur, & oculi eius uelut lampades ignis, & brachia eius & pedes eius ceu species æris candentis, & uox uerborum eius ut uox multitudinis. Ita non est quod pluribus disputemus de cognitione & sapientia angelorum. Nam hæc non est immensa, cum sint creaturæ. Quantum uerò attinet legationes & ministeria ipsorũ, sapientissimi certè, instructissimi, & nulla parte diminuti sunt. Qui enim ipsos mittit, ipsa est æterna sapientia, legatosque suos instruit perfectissimè.

Ioan 5. *Luce 23. 16.* *Fortitudo angelorrum.* *Angelorum cognitio.*

Cæterum de multitudine ordineque angelorum disputatum est à theologis quibusdã acriter & subtiliter satis. Scriptura simpliciter tradit innumerabiles esse angelos. Daniel enim: Mille millia ministrabant ei, & decies mille myriades stabant ante illum. Christus quoque ad Petrum dixisse legitur, An non putas quòd possum nunc rogare patrem meum, & mittet mihi plus quàm duodecim legiones angelorum? Sed & Paulus, Accessistis, inquit, ad ciuitatem dei uiuentis, Hierusalem cœlestem, & ad innumerabilium angelorum cœtum. Plerique innumeram illam multitudinem distinguunt in nouẽ choros, & hos rursus redigunt in tres hierarchias; quarum singulas tres ordines habere affirmant, nempe primam Seraphim, Cherubim, Thronos: secundam, Dominationes, Virtutes, Potestates: tertiam Principatus, Archangelos, Angelos. Addunt quid inter se distent, & quodnã cuique proprium sit. Cæterum beatus Augustinus in Enchir. cap. 58. Quid inter se distent, inquit, dominationes, principatus, potestatesque, dicãt qui possunt: si tamẽ possunt probare quod dicunt. Ego me ista ignorare confiteor. Et contra Luscillianistas ad Orosium idẽ ille: Certè dicit Apostolus, inquit, siue sedes (throni) siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Et esse itaque sedes, dominationes, principa-

De multitudine & ordine angelorum. *Daniel 7.* *Matth. 26.* *Hebr. 12.* *Nouem chori angelorum.* *Colos. 1.*

tus & potestates in cœlestibus apparatibus firmissimè credo, & differre inter se aliquid indubitata fide teneo: sed quæ nam ista sint & quid inter se differant nescio. Nec ea sane ignorantia periclitari me puto, sicuti inobedientia si domini præcepta neglexero. Et mox idem ibidem indicat, in hæc operosius & curiosius minime esse inquirendum. Cuius quidē consilio libenter obsequimur, cernentes scripturas omnia nobis necessaria & salutaria suppeditantes de illis nihil tradere.

Expositio uocabulorum angelis attributorū. Hoc tamen negare non possumus uocabula illa (siue ordines appellare malis angelorum) sacris exprimi literis: unde pro nostra tenuitate utcunq; explicare cōuenit. Beati illi spiritus cœlestes, angeli in genere & simpliciter nuncupari uidentur, quòd sint dei summi cursores & legati. *Angeli.* Quos dici Archangelos apparet, quando in rebus Dei maximis ablegantur, nunciaturi aut facturi res omnino arduas & diuinas. *Archangeli. 1. Thess. 4.* Ita enim legimus in Paulo, dominum cum hortatu & uoce archangeli ac tuba dei descēsurum de cœlo. Nam ut magnis liceat componere parua, uidemus reges ac principes negotijs grauibus non nisi principes uiros destinare legatos. *Throni uel sedes.* Thronos dici apparet, uel quòd throno dei semper assistunt, uel quòd deus in angelis suam ueluti sedem collocasse legitur in prophetis, & ab his ceu in lectica regia uehi, Dauide canente, *Psalm. 18.* Inclinauit cœlos & descendit, & caligo sub pedibus eius. Et ascendit super cherubim. Vel, Vehebatur super cherubim, & uolabat: uolabat super pennas uentorū. Nota est præterea descriptio currus & solij Dei apud Ezechielem. *Dominationes. Principatus. Potestates. Virtutes. Exercitus.* Dominationes, Principatus & Potestates nuncupari uidentur, quòd deus imperium suum per angelorum ministerium in mundo administrat, suamq; potentiam exercet. Sic enim & uirtutes & Exercitus siue Cœlestis militia dicuntur. Dominum enim ceu stipatores cingunt, & his ille utitur ceu militibus suis, dictus deus Zabaoth, uel exercituum, dominus inquam, omnium angelorum, spirituum & creaturarum, quarum ministerio quando, ubi, quomodo & quantū uult, utitur. *Cherubim. Seraphim.* Cherubim dictos arbitratur à multitudine scientiæ beatus Hierony. Alij celeres exponunt. Seraphim ab ardore nomen habent. Vel quòd igni purissimo & clarissimo comparantur: uel quòd amore flagrant.

Deus utitur opera angelorū. Istis interim uocabulis adumbrantur multiplicia angelorum officia, operationésue uariæ, quas nos paucis comprehendere uolentes, diximus creatos esse angelos à deo in ipsius Dei & hominum ministerium. Nam Dauid cecinit, Qui creat angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Et iterum alibi, Benedicite domino omnes angeli eius, potentes uirtute, facientes uerbum illius, ad audiendam uocem sermonū eius. Benedicite domino omnes uirtutes eius, ministri eius qui facitis uoluntatem eius. Dixit & S. Paulus de angelis: *Hebræ: 1* Nonne omnes sunt administratorij spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos qui hæredes erunt salutis? Cæterum utitur deus angelorum ministerio nulla necessitate, sed bona sua uoluntate. Nam illis carere posset: cum nutu suo perficiat quod uult. Dixit enim & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt, nullo sibi angelorum cooperante: ita hodie quoq; quod uult etiam absq; angelis perficere posset. Quoniam uerò ex optima sua uoluntate illos condidit ad participatum uitæ & salutis æternæ, ipsorum erga nos sicuti & aliarum creaturarum opera utitur: quibus ipsi suam declarant fidem erga deum obedientiamq;, ac deus ineffabilem suam exercet beneuolentiam cùm erga ipsos quos æterni gaudij participes fecit ex gratia, tum erga nos, quos dignatus est honorare tam præclaro famulitio. Inter alia enim innumera & maxima dei beneficia, ad quæ non immeritò obstupescimus, non postremo loco numerandum uenit, quòd angelos nobis famulos dedit. Equidem maximum hoc est paternæ erga nos solicitudinis & curæ argumentum, in primis quòd tam pulchrè

pulchrè se nobis nostro attemperat captui & ingenio. Loquebatur quondam ipse dominus ore proprio in monte Sina cum ecclesia Israelitarum, sed cum intellexisset malle illam ipsum loqui per interpretem Mosen, accepit cōditionem, & postea loquebatur per Mosen huius erga illam ministeriū usurpās. Posset sanè deus perfectisimam fidem animis nostris infundere per spiritum sanctum, absq; ulla cooperatione hominum: uerùm quia sic nobis utile fore nouit, ministerium uerbi instituit, & per prædicationem euangelij apostolicam plantat fidem. Ac illam ordinationem semel institutam tam arctè custodit, ut cum per angelos idem facere potuisset, per ipsos tamen angelos releget fide instruendos ad Apostolos. Manifestū est enim quid angelus domini in Actis apostolorū egerit cum Cornelio, quem ad Petri prædicationem relegat. Ergo cum deus angelorum ministerium nobis congruum esse uidit, bona iam uoluntate, nulla necessitate eorum erga homines opera utitur. Et angeli quidem homines impensè amant, & spontè non coactè nec inuitè faciunt quod faciunt. Etenim eos non possunt nō amare impensissimè, quos uident creatori suo tam esse charos, ut ipsorum caussa unigenito suo non pepercerit, sed pro omnibus tradiderit in mortem acerbissimam. Vt hic non cōmemorem paratissimam obedientiam, quam deo suo præstant, qui uult & iubet eos inseruire sibi & hominibus. Dominus in euangelio testatur angelos in cœlis gaudere de conuersione peccatorum hominum. Apud Zachariam inducitur angelus domini ualde solicitus de miseria captiuorum in Babylone & liberatione ex captiuitate. Quæ omnia commendant nobis angelorum studia & amorem erga genus mortalium. Alioqui enim non commouentur beati illi spiritus affectionibus, solicitudine, tristitia, perinde ut nos in carne afficimur. Gaudent autē & exultant uti possunt gaudere beati spiritus, in quibus nihil est humanæ affectionis: quæ tamen non ipsis modò sed ipsi deo attribuitur per tropum, & sicut dicunt ἀνθρωποπαθῶς: quò animi nostri res spirituales & diuinas ueluti per parabolas rectius & facilius intelligant: cogitemus tamen perpetuò parabolas nō omnia assequi, ideoq; mentes ad altiora esse exaltandas, spiritualiaq; iudicanda spiritualiter.

Exodi 19. *Deut. 5.* *Actor. 10.* *Luce 15.* *Zach. 1.*

Patet autem angelorum ministerium latissimè, id quod recensitis aliquot speciebus quàm possum breuibus & perspicuis explicabo. Principiò seruiunt ipsi deo, quod iam satis declaratum arbitror præcedentibus, in omnibus. Eundē concelebrant laudibus sempiternis, adorātes, glorificātes & exultantes in ipso. Theodoretus enim super hac re scripturarum aliquot recitans testimonia, Angelorum ministerium, inquit, est dei laudatio, & hymnorū decantatio. De Seraphim enim dicit beatus Isaias quòd clamabant & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus Sabaoth: pleni sunt cœli & terra gloria eius. De Cherubim autem dixit diuinus Ezechiel, quòd audiuit dicentes: Beata est gloria domini ex loco eius. Canit item tota militia cœlestis Christo nato principi Carmen natalitium apud sanctum Lucam, dicendo: Gloria in excelsis deo, & in terra pax, hominibus bona uoluntas. Simul autem mortalibus exemplo præeunt, docentes quid & ipsi faciant, laudes & hymnos deo excelso offerant, quem & angeli nobiscum colunt & uenerantur.

Quæ sint angelorum ministeria. *Isaiæ 6.* *Ezech. 3.* *Lucæ 2.*

Deinde amant ueritatem angeli, eamq; propagatam, & gloriam dei modis omnibus promotam cupiunt, ideoq; & pseudoprophetas cum execrabili doctrina ac antichristo odientes, impediunt. Nam S. Petrus commemorat euangeliū filij Dei admodum iucundum gratumq; spectaculum esse angelis. In Reuelatione Iesu Christi facta Apostolo Ioanni, alligat satanam angelus domini: & angeli ubique sese antichristianis & pseudodoctoribus opponunt, promouētes ueritatem Chri-

1. Pet. 1.

Matth. 13. stianam. Nam & in fine seculi mittet filius hominis angelos suos, & colligent è regno illius omnia offendicula & eos qui patrant iniquitatem, ac mittent illos in caminum ignis.

Illi ipsi astant in conspectu Dei omnipotentis, expectantes mandatum eius, qui simul atque iusserit prodire & mandata ipsius exequi, e uestigio expediuerunt. Luce 1. Veniunt ergo ad homines nunciatum uoluntatē ac iussa Dei. Sic uenit Gabriel angelus primùm quidem ad Zachariam patrem Baptistæ, deinde ad diuam uirginem, annunciatum incarnationē filij Dei. Innumera huius generis exempla ubique in scripturis sanctis occurrunt.

Excubant pro salute nostra, soliciti pro nobis, sine conturbatione tamen, quod & prius admonuimus, admonent fideles maturè satis, futura prædicentes pericula, & consolantur afflictos. Matth. 2. Nam Magi admoniti per angelum Hierosolymam ad Herodem non redeuntes, ingens discrimen declinant. Ioseph quoque iussus ab angelo, fugit in Ægyptum, liberans Christum domini ex cruentis manibus Herodis. Luce 22. Sed & Christus ad montem oliuarum sanguineum profundens sudorem, Gene. 16. confortatur ab angelo. Et Hagar ancilla Saræ in summo constituta discrimine, angelica cōsolatione refocillatur: sicut & Paulus apostolus naufragio proximus audit ab angelo domini: Actor. 27. Ne timeas Paule, Cæsari te oportet sisti. Et ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum.

Rursus mittuntur angeli ad uindictam nocentium, ad sumendum, inquam, Exod. 12. supplicium de sceleratis & impœnitētibus. Nam primogeniti Ægyptiorū percu- Actor. 12. tiuntur ab angelo. Herodem Agrippam percutit angelus domini in Actis aposto- 4. Reg. 19. lorum. Castra Assyriorum referuntur cæsa cecidisse ab uno angelo. Et Dauid ui- 2. Reg. ult. dit angelum euaginato gladio inter cœlum & terram hærentem, grauissima peste affligere populum. Ita credimus cum filio hominis in iudicium uenturos san- 2. Thess. 1. ctos dei angelos, attestante Paulo, & dicente: Reuelabitur dominus Iesus de cœlo cum angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ, qui infligit ultionem ijs qui nō nouerunt deum & qui non obediunt euangelio domini nostri Iesu Christi. Nam Apoc. 16. & in Reuelatione Iesu Christi effundūt angeli plenas ira dei phialas in capita antichristianorum.

Præterea iubente Deo defensionem nostri suscipiunt, adsunt custodes nostri, aduigilantes ne quid nobis accidat aduersi, ac uias nostras dirigunt. Huc enim Psalm. 34. pertinent Psalmorum testimonia, complurima scripturæ exempla. Dauid, Afflictus iste, inquit, inuocauit, & dominus exaudiuit eum, & ex omnibus angustijs eius seruauit eum. Castra figit angelus domini circum eos qui ipsum timēt, & eri- Psalm. 91. pit eos. Et in alio Psalmo idem, Non accedet ad te malum, inquit, & flagellū non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leo- Matth. 18. nem & draconem. Et in euāgelio clarè dicit dominus, puellis additos esse dei an- Gene. 32. gelos, haud dubiè custodes. Iacob patriarcha ualde metuens fratrem Esau, angelos sibi obuiam uenientes cernit, & intelligit angelos sibi additos esse uiæ duces 4. Reg. 6. & custodes, contra ferociam fratris. In rebus Helisæi legimus regem Syriæ graui exercitu obsedisse urbem Dothan, in qua tum agebat Helisæus, quē ille instituerat capere: id cum sensisset minister Helisæi, & angeretur deploraretque magistri sortem, dixisse hunc: Ne timueris, eorum enim qui nobiscum sunt, plures sunt, quàm qui cum illis sunt: orasse item prophetam, ac dixisse: Aperi quæso domine oculos pueri ut uideat; aperuisseque dominum oculos ministri, qui uiderit montem plenum

plenum curribus igneis, uidelicet Helisæum instructum esse, & munitum custodia angelici exercitus. Abraham quoque dicit seruo suo: Dominus Deus cœli qui dixit: Semini tuo dabo terram istam, ipse mittet angelum suum ante te, nimirũ qui dirigat uiam tuam, tueatur te, faciatque uoti compotem. Nam ipse dominus in Exodo Mosi dixit: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, ut custodiat te in uia, & introducat te in locum quem præparaui. In Actis Apostolorum sæpe legis angelos inseruisse Apostolis, ac institutum ipsorum promouisse defendisseque contra aduersarios. *Gene.24.* *Exod.34.*

Apud Danielem inducuntur angeli regnorum principes aut præsides, ut Michael cum Gabriele, regni Israelitici, alius autem quidam regni Persici, & alius quidam regni Græcorum, & horum quilibet sui regni caussam agere, ac pro ipso decertare. Non quòd in cœlo ullum sit dissidium, ubi sanè summa pax & æterna est concordia ac quies, nec quòd bella gerantur inter angelos, ceu Deos Homericos: sed propter imbecillitatem captus humani confertur cœlum per parabolam allusionemque, aulæ principis alicuius potentissimi, in qua ex diuersis regionibus legati diuersas agunt caussas. Sic enim animo concipere debemus, deum uniuersorum regnorum unicum dominum, omnium audire caussas, omnium res agere: angelos autẽ pro nutu & uoluntate dei deo ministrare, quando his utatur dispensatoribus. Sic enim & Vigilem Nabuchodonosor in uisione cernit descẽdere cœlitus: & fata arboris excindendæ prædicere. *Daniel.10.* *Daniel.4.*

Cauendum hic tamen modis omnibus, ne nimium angelis contra ueræ religionis ingeniũ tribuamus, ne adoremus, inuocemus, aut colamus eos. Certè cum homines audiunt angelos sibi datos esse à deo ministros, & per hos nobis deũ benefacere, protinus arbitrantur nihil non honoris ipsis esse deferendum. Cæterum syncera pietas docet nos agnoscere deum esse omnium bonorum authorem, angelos esse Dei ministros, & ceu instrumenta per quæ is operatur, sicuti uidemus esse solem, lunam, astra, patriarchas, prophetas, apostolos. Quis uerò mentis sanæ solem aut astra quantumuis sint illustria & utilia hominibus, adorauit, inuocauit, aut coluit? Et quis obsecro ueræ fidei particeps, patriarchas, prophetas & apostolos, licet maximis instructos donis, & miraculis admirandos, adorauit aut coluit? Deum adoramus & colimus omnes, agnoscimusque deũ operari per sanctos: qui unà cum sanctis dei angelis nihil minus postulant quàm adorari & coli à nobis. Verè enim Lactantius libro Institut. 2. cap. 17. Angeli cum sint immortales, inquit, haud dici se deos aut patiuntur aut uolunt: quorum unum solumque officium est seruire nutibus dei, nec omnino quicquam nisi iussu eius facere. Sic enim mundũ à deo regi dicimus, ut à rectore prouinciã, cuius apparitores nemo socios esse in regẽda prouincia dixerit, quamuis illorum ministerio res geratur. Ideoque legimus & sanctum Augustinum dixisse, Cum exaudiunt angeli dei, ipse in eis exaudit, tanquam in uero nec manufacto templo suo. Certè si scripturam sanctã propius inspiciamus & expendamus, deprehendemus non uno loco dei & angelorũ nomina indiscriminatim poni. Angeli enim caussæ sunt remotiores & instrumentales, ut uocant, deus autem caussa est propriissima & principalissima. Nam in Actis apostolorum legimus dixisse Stephanum: Expletis annis quadraginta apparuit angelus domini in deserto, in monte Sina. Et mox idem subiungit. Et facta est uox domini ad eum, Ego sum Deus patris tui, &c. Eundem appellat dominũ, quem paulò ante dixerat angelum: nimirum quòd crederet angelum omnia iussu diuino dicere & facere: ut sermo & opus sit dei proprium, angeli uerò ceu instrumenta. Similiter dominus appellatur libro Iudicum cap. 6. qui iam dictus fuerat *Angelis non est nimiũ tribuendum.* *Sancti nolunt à nobis coli.* *Exaudit deus in angelis.* *Actor.7.*

Gene. 16. angelus. Hagar ancilla Saræ accepit ab angelo domini beneficium ingens in deserto, sed eadem huic non fert acceptum, sed domino. Eadem angelo non agit gratias, neque angelo consecrat memoraculum, multo minus angelum adorat & inuocat, imò colloquium quoq; ad deum refert. Sic enim testatur scriptura sancta: Vocauit autem Hagar nomen domini loquentis ad eam: Tu Deus qui uides me, &c. Filij Israelis, quos præcessit angelus domini in deserto, nunquam duci suo immolarunt, nuquam illum adorarunt uel coluerunt. Ita nec seruus Abrahæ angelo commendatus, eidem supplicat, petens ut institutum suum bene fortunet: sed deum adorat, & ab hoc postulat ut misericordiam suam exerceat erga herũ suum

Daniel. 3. Abrahamum. In Daniele apparet angelus domini, ambulans inter coniectos Danielis sodales in fornacem ardentem: sed liberati à flammarum uiolentia, non laudant angelum, nec huic liberationis beneficium ferunt acceptum, sed soli deo. Canunt etenim: Benedictus es domine Deus patrum nostrorũ, & laudabilis & gloriosus & superexaltatus in secula, &c. Ita & Paulus disertis uerbis Deum fatetur esse, cuius sit ipse, & quem colat, licet interim & angeli mentionem fecisset. Sic

Actor. 17. enim dicit in Actis: Astitit mihi hac nocte angelus dei, cuius sum ego, quem & colo, Deum nimirum. Nam alibi Ioanne uolente adorare ante pedes angeli, clamat

Apoc. 22. angelus: Vide ne feceris. Conseruus enim tuus sum & fratrum tuorum prophetarum, & eorum qui seruant uerba libri huius. Hæc clara sanctæ scripturæ testimonia euidenter nos docent, tametsi deus opera utatur angelorum erga nos, hos tamen agnoscendos esse à nobis pro ministris & cõseruis dei, ideoq; nec adorandos nec inuocandos, sed deum solum adorari, inuocari, & coli oportere.

Ab hac sancta scripturæ doctrina nihil discesserunt quidam Ecclesiæ ueteris ministri & scriptores ecclesiastici. Lactantius enim in eo libro quem paulò ante citauimus: Angeli nullum honorem sibi tribui uolunt, ait, quorũ honor in Deo est, Illi autem qui desciuerunt à Dei ministerio, quia sunt ueritatis inimici & præuaricatores, Dei nomen sibi & cultum deorum uendicare conantur. Iam uerò non aliter de hoc negotio iudicãs beatus Augustinus, sic scriptum reliquit, Quem inuenirem qui me tibi (alloquitur autem deum) reconciliaret? An eundum mihi fuit ad angelos? qua prece, quibus sacramentis? Multi conantes ad te redire, neq; per seipsos ualentes, sic, ut audio, tentauerunt hæc, & inciderunt in desiderium curiosarum uisionum, & digni habiti sunt illusionibus. Hæc extant Confess. lib. 11. cap. 42. Post quæ multis ostendit Iesum Christum esse mediatorem & intercessorem unicum omnium fidelium. Idem libro de Ciuitate dei 10. cap. 16. declarat multis optimos dei angelos deo non sibiipsis expetere sacrificia. De uera religione libro, ultimo cap. Optimos angelos, inquit, & excellentissima dei ministeria uelle credamus, ut unum cum ipsis colamus Deum, cuius contemplatione beati sunt. Neque enim & nos uidendo angelos beati sumus, sed uidendo ueritatem, qua etiam ipsos

Cultus angelorum grauiter damnatus.

diligimus angelos, & his congratulamur. Quare honoramus eos charitate nõ seruitute. Nec eis templa construimus. Nolunt enim sic se honorari à nobis. Quia nosipsos cum boni sumus, templa summi Dei esse nouerunt. Recte ergo scribitur hominem ab angelo prohibitum ne se adoraret, sed unum Deum, sub quo ei esset & ille conseruus. Ergo idem ille in Catalogo hæreticorum inter hæreticos numerat angelorum cultores, nuncupans Angelicos. Nam in disputatione sua contra

Vide quid sentias de tẽplo extructo S. Michaeli in monte Gargano.

Maximinum Arianorum episcopum lib. 1. probans spiritum sanctum esse deum, cultores angelorum manifestè appellat sacrilegos, & anathemate à Christo eiu[...] ecclesia percussos. Verba authoris si quis requirat, hæc sunt: Nonne si templum sancto angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematisaremur

ritur à ueritate Christi, & ab ecclesia Dei? Quoniam creaturæ exhiberemus eam seruitutem quæ uni tantùm debetur Deo. Si ergo sacrilegi essemus faciendo templum cuicunque creaturæ: quomodo non est Deus uerus, cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus? Hæc ille.

Ista de sanctis uel bonis Dei angelis dixi hactenus per compendium, transeo iam ad disertationem de spiritibus malis, de angelis, inquam, nequam & refugis, id est, de cacodęmonibus uel diabolis, dicturus de his breuibus & perspicuè quod scripturæ nobis sanctæ suppeditant. Esse diabolos negarunt quondam Sadducæi, & negant etiam hodie parum religiosi imò Epicurei quidam. Qui nisi resipiscant, sentient aliquando maximo suo malo & dæmones esse, & omnium impiorum, & Epicureorum esse tortores atque carnifices. Nam tota scriptura & omnes uiri pij & sapientes, quotquot uixerunt ab exordio mundi in hanc usque diem, confessi sunt esse cacodæmones siue diabolos. *De cacodæmonibus.* *Esse diabolos.*

Quid uerò sint diaboli, nō minus difficile est exactissima ratione definire, quàm dixi angelorum naturam plenè describi posse: adumbrabo tamen illos descriptione qualicunque, quò & ordine certo de eis possim disserere. Angeli mali, sunt spiritus deprauati, & ob defectionem æternùm condemnati, subiecti quidem Deo, sed nihilominus Deo & hominibus aduersi, utpote qui omnia sua studia ad despectum Dei hominumque deceptionem ac perniciem conuertunt. *Quid sit diabolus.*

Principiò diabolum esse creaturam inde claret, quòd unus duntaxat est creator, Deus uidelicet ille trinus & unus. Hic omnes condidit spiritus: at sub censum spirituum uenit & diabolus. Tempus creationis prius diximus in scriptura non definiri, quando ostendimus nullibi exprimi quo tempore ante hominem uel post hominem angeli sint creati. Istis iam subijcimus, angelos malos, non ex creatione factos esse malos, sed ex defectione propria. Omnia enim quę condidit Deus, erant & sunt ualde bona: omnes ergo angeli, sicuti & homines, natura boni sunt creati. Cæterum ipsi in bonitate hac sibi diuinitus insita concessaque non persstiterunt, sed propria deprauati malitia, sicut & homines, prolapsi & cœlo seu felicitate donata deturbati sunt à iustissimo Deo. Quando autem hoc factum sit, rursus non exprimit scriptura: apparet tamen id factum esse ante hominis lapsum. Etenim dæmon parentes nostros per serpentem solicitauit ad peccandum, pertraxitque in miseriam & mortem. Eadem scriptura nec peccatum diaboli quale fuerit peculiariter definit, nec modum deiectionis è cœlo disertè & singulariter refert: in genere dicit repertam esse in angelis prauitatem, ideoque præcipitatos in tartara. Nam in libro Iob legimus: Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. Ab his nihil abludens sanctus Petrus, dixit Deum angelis qui peccauerunt non pepercisse, sed catenis caliginis septos aut uinctos, præcipitasse in tartarum, seruandos in iudicium. Sed & Iudas frater Iacobi, apostolus Domini, Thaddæus cognominatus, eandem ferè repetens sententiam, dixit: Dominus angelos qui nō seruauerant suam originem (suam nimirum naturam in qua erant conditi) sed reliquerant suum domicilium (suam nimirum stationem & suum officium suámque fidem) ad iudicium magni illius diei uinculis æternis sub caligine seruauit. Quid quod Dominus & seruator noster Christus de diabolo loquens: Ille homicida erat ab initio, inquit, & in ueritate nō stetit. Hinc enim colligere possumus, diabolum aliquando stetisse uel fuisse in uero, sed desciuisse per defectionem perfidam. Ea testimonia, testificantia uidelicet peccasse angelum refugam, & præcipitem esse datum in tartara, satisfaciunt pijs & minimè curiosis mentibus. Citantur præterea ab alijs ex Isaia & Ezechiele testimonia eadem approbantia: quæ ut nō reijcimus, *Diabolum esse creaturam.* *Diabolum non esse creatum malum.* *De lapsu angelorum è cœlo.* *Iob 4.* *2. Pet. 2.* *Ioan. 8.* *Isaie 14.* *Ezech. 28.*

Lucæ 10. ita his nostris per allegoriam applicari non dubitamus. Quod ex Luca producitur: Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem, minus propriè de primo angelorum lapsu exponitur. Est enim alius diaboli lapsus, nimirum quo excidit ex sua tyrannide (qua animos hominum occuparat implicarátque erroribus & uitijs) per aduentum Christi in mundum & per prædicationem Euangelij syncerам. Dubium autem non est, angelos omnes, bonos esse conditos, desciuisse autem malos sua non Dei culpa. De quo dixi nonnihil & Decad. 3. Serm. 10. ubi de Origine peccati disputaui. Quibus iam adijcio elegantissimam euidentissimamq; & ex adytis scripturarum petitam Theodoreti Cyri Episcopi demonstrationem, qui in Epit. diuin. decret. Consideremus, inquit, an diaboli iustè patiantur, cùm talem naturam ab eo qui illos fecit acceperint? Quomodo autem bonus uocari posset creator uitij? Quomodo autem iustus, qui punit naturam, quæ nihil potest boni facere, sed uitij uinculis constricta est & alligata? Atqui iustum esse scimus Deum uniuersorum & fontem iustitiæ. Non ergo iniustè puniet dæmones. Et illorum ducem & bonorum opificem esse scimus Deum, qui ab omnibus rectè sentientibus bonus uocatur. Non ergo fabricatus est naturam quæ nihil quidem posset boni facere, solum autem uitium, præter suam sententiam, inuita pariat. Si autem nec malam naturam Deus est fabricatus: bonorum enim est, sicut & bonus est, effector: neque iniustè punire in animam inducit: iustus enim est & iustitiæ legislator, puniet aũt diabolum & qui ei subsunt: suapte ergo sententia & sponte malus est dæmon, & qui sunt ab eius partibus. Sicut enim hominem bonum ab initio Deus fabricatus est: libero autem mentis arbitrio, hi quidem (angeli boni) seruarunt incorruptam & integram quam acceperunt naturam, illi uerò (homines) in peius declinarunt, & diuinos characteres corruperunt, & qui erant Deo similes, ferinos reddiderunt: & ita diabolus & dæmonum caterua, qui erant cum alijs incorporeis, illorum quidem in Dominum Deum beneuolentiam non sunt imitati: insolentiæ autem & arrogantiæ morbo suscepto, ad id quod est deterius, conuersi sunt, & à priore sorte exciderunt. Hæc, ille. Cum Theodoreto consentit & beatus Augustinus, qui libro de Vera religio. cap. 13. Diabolus in quantum angelus est, inquit, non est malus, sed in quantum peruersus propria uoluntate. Magis enim seipsum quàm Deũ diligendo, subditus ei esse noluit, & intumuit per superbiam, & à summa essentia defecit. Et iterum Tractat. in Ioan. 42. Quæris, unde diabolus? Inde utique unde & cæteri angeli. Sed cæteri angeli in sua obedientia perstiterunt: ille inobediendo & superbiendo lapsus est angelus, & factus est diabolus.

Diabolus æternùm est condemnatus. Iam quod asserui spiritus illos deprauatos ob defectionem æternæ addictos esse condemnationi, uideo à nonnullis negari, pollicentibus damnatis spiritibus sub diem iudicij, redemptionem à pœnis. Sed contra hos disputarunt plerique doctores ecclesiastici, damnantes uno ore omnes dogma scripturis iam olim condemnatum. Nam iudex in fine seculi, finalem contra satanam & omnes impios sententiam pronunciaturus, dicet: *Matth. 25.* Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et mox subiungit testis ueritatis Apostolus & sacer historicus: Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti uerò in uitam æternam. *Marc. 9.* Nam apud Marcum quoq; dixit Dominus: In gehenna uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. *Ioan. 5.* Et apud Ioannem longè significantius: Qui bona fecerunt, prodibunt, ait, in resurrectionem uitæ, qui uerò mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. Non dicit: Ibunt uel in uitam uel in condemnationem: sed in resurrectionem uel uitæ uel condemnationis, id est, in sempiternam permanentiam uitę uel mortis. *Daniel. 12.* Daniel enim, ex quo dominus hæc uerba mutuò sumpsit, dixit:

dixit: Multitudo dormientium in puluere terræ resurgent, hi in uitam æternam, illi uerò ad probra & contemptum æternum. Nam Ioannes Apostolus dixit fumum ex condemnatis & præcipitatis in tartara ascensurum in secula seculorum. *Apoc. 20.* Certum est itaque damnationem impiorum omnino fine carituram futurámque sempiternam.

Porrò angelos desertores appellantes spiritus, non utique intelligimus per spiritum affectionem animi prauam, qualitatem seu mentis perturbationem aut corruptionem atque peccatum. *Diaboli sunt spiritus ac substantiæ.* Non enim desunt quibus uisum est diabolum non aliud esse quàm hominem sceleratum, uel commotionem animi sceleratam & peccatricem. Intelligimus itaque per spiritus substantias spirituales, præditas sensu & intelligentia. Comparet enim satanas inter ministros Dei, colloquens cum Domino, apud Iob in cap. 1. *Iob 1.* Euangelium quoque refert nobis dæmonas eiectos ex homine, inuasisse gregem porcorum, ac demersisse in profundum plaudis uel lacus Gadareni. *Matth. 8.* Refert præterea Euangelium diabolum peccasse ab initio, non perstitisse in ueritate, mendacem esse ac homicidam. *Ioan. 8.* Iudas commemorat angelum pugnare cum diabolo. Apud Marcum clamant & dicunt: Quid rei nobis tecum Iesu Nazarene? Venisti ad perdendum nos? *Marci 1.* Quinimò dicet ad diabolos Saluator iam iudex constitutus: Ite in ignem æternum. *Matth. 25.* Quæ omnia congruunt substantijs per se subsistentibus, non qualitatibus. Sunt ergo diaboli substantiæ spirituales. Qualia uerò sint corpora quæ sæpe assumunt, & in quibus apparent hominibus, nemo opinor exactè dixerit: quod & paulò superius admonuimus cùm disputauimus de assumptis à bonis angelis corporibus. *Qualia diabolorum assumpta corpora.* Etenim corpora & alienam quidem speciem à propria diabolos induere, euincit historia excitati per ueneficam Samuelis. Non excitabatur ex mortuis Samuel, sed Samuelem mentiens mendaciorum architectus, regi Saul imponebat. *1. Sam. 28.* Et Paulus testatur satanam sese transfigurare in angelum lucis. *2. Cor. 11.* Sed & historiæ testantur mirificum esse præstigiatorem diabolum in assumendis uarijs formis atque speciebus.

Sicut autem dixi de bonis angelis expeditissimos esse in ministerio suo, sine onere & impedimentis, ita dubium non est in suo genere & opere dæmonas esse instructissimos. *Diabolus expeditus, uafer & potens.* Tradunt enim scripturæ artes his esse mille, calliditatem & astutiam mirificam, cognitionem acutissimam latissimamque, ad omnia denique subeunda & perficienda promptissimos esse & infatigabiles. Pererrant totum orbem terrarum celerrimè, omnia sua instituunt uersutissimè, ideoque sortiuntur appellationes miras, ipsorum uires adumbrantes. Appellatur enim dæmon uel dæmonium, serpens uetus, impostor, princeps huius seculi, princeps tenebrarum, cui potestas est aeris, leo rugiens. De quibus & alijs non dissimilibus, mox dicam copiosius, ubi hoc prius admonuero, infinitam esse dæmonum turbam. *Dæmonum infinita turba.* Nam à Magdalena eijciuntur dæmonia septem. *Marci 16.* Septem alios se nequiores spiritus assumit diabolus ille, qui apud Matthæum semel eiectus cogitat atque consultat de restitutione in integrum. *Matth. 12.* Fit præterea in Euangelio secundum Marcum legionis mentio. *Marci 5.* Nam spiritus immundus rogatus à Domino, quodnam sibi nomen esset? Respondit: Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Ergo cùm alicubi mentio fit in sacris literis satanæ, non ita accipiendum est, quasi non sit nisi una uel substantia uel persona diaboli. Nam sub capite membra & ueluti species sub genere comprehenduntur. Meminit quidem alicubi scriptura principis dæmoniorum. Hostes enim Christi clamitant: In principe dæmoniorum eijcit dæmonia: *Marci 3.* sed eadem tamen non exprimit qualis sit principatus ille, & an ordine à se inuicem distincti sint maligni illi spiritus. Constat autem omnes impios esse sub uno capite, sicut omnes pij sunt

ſub uno Chriſto Domino. Conſtat dæmonas omnes eſſe eiuſdem uoluntatis deprauatæ, in hoc unicè omnia ſua intendentes, ut Deo aduerſentur, & hominibus incommodent. Sed de operationibus, actis ſeu effectis dæmonum dicam, ubi nomina ſeu epitheta eorum obiter explanauero.

Diabolus. Diaboli generaliter appellantur deprauati ſpiritus, quod perinde eſt ac ſi tu dicas, Calumniatores. Nam διαβολὴ Græcis ſignificat calumniam: at uocabulum diabolus petitum eſt à Græcis. Struit autem calumnias, deferendo homines Deo, & homines inter ſe committendo, ut iam non commemorem quôd Deum & opera eius ſuſpecta reddere conatur hominibus.. Ideoq; mendax alicubi appellatur, & mendacij author, omniumq; hypocritarum pater, proinde & omnium errorum, hæreſum, & impietatum ſcaturigo. Quoniam uerò Iudas hypocrita erat, mendax & calumniator atq; proditor, rectè nomen diaboli accepit à Domino.

Mendax. *Ioan. 6.*

Satan uel aduerſarium. *1. Pet. 5.* *Matth. 13.* *Matth. 4.* Aduerſarium nuncupauit Petrus Apoſtolus diabolum. Nam & Dominus ipſe appellauit inimicum hominem, ſeminantem zizania in agrum Dominicum. Eſt enim hoſtis Dei & hominum, opponens ſe uoluntati Dei, cui & gloriam ſuam præripere ſtudet, impediensq; ſalutem hominum, ac ſerens infinita in eccleſia Dei ſcandala. Et ſatanam quidem Hebręi nominant, quem nos aduerſarium dicimus. Transfertur uocabulum ad homines. Quia enim Petrus diuino ſe obiecit conſilio, audit à Domino: Vade retro ſatana. Sed & Dauid ad nepotem ex ſorore Zeruia Abiſaum: Quid mihi, inquit, & uobis filij Zeruia, cur efficimini mihi hodie in ſatanam? Contradicebat enim Abiſaus conſilio & decreto Dauidis.

Matth. 16. *2. Sam. 19.*

Demon. Dęmon appellatur, nimirum ſciens, callidus, & multarum rerum peritus, ἀπὸ τοῦ δαίω ſcio. Etenim Plato in Cratylo arbitratur ex Heſiodi ſententia dæmones quaſi δαήμονας dici, hoc eſt, prudentes & ſcientes. Huc referre oportet uocabulum ſerpentis: Serpens, inquit, ſcriptura, callidior erat cunctis terræ animantibus. Serpentem ergo dęmon delegit ſibi domicilium, ex quo artes ſuas exerceret & primis parentibus noſtris imponeret. Hic enim eſt impoſtor, deceptor & ſeductor orbis, uetus ſerpẽs & draco dictus. Quicquid enim in mundo eſt ſeductionis, artium malarum & fallaciarum, ex hoc uno omnium malorum fonte deriuatur. In prophanis literis uocabulum hoc longè diuerſiſſima uſurpatur ratione. Socrates enim apud Platonem: Ipſe aſſero, inquit, dęmona, id eſt, ſapientem omnem eſſe hominem quicunque ſit bonus, eumq; dæmonicum eſſe, id eſt, ſapientem & felicem uiuentem atque defunctum. Proinde apud Homerum frequentiſſimum eſt heroes hoc inſigniri uocabulo. In Euangelica autem hiſtoria dæmoniaci dicuntur obſeſſi à dęmonio. Paulus in prima ad Timotheum, ad hoc ueluti caput redigit omne corpus impoſturarum falſaq; ſapientia fucatarum doctrinarum.

Serpens & Draco. *1. Tim. 4.*

Leo rugiens. *1 Pet. 5.* Sanctus Petrus, Sobrij eſtote & uigilate, inquit, quoniam aduerſarius ueſter diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret: cui reſiſtite ſolidi fide. Per leonem adumbrat nobis diaboli ingenium. Eſt enim dæmoni robur maximum, improbitas peruicaciſſima, truculentiſſima ferocia: unde & à quibuſdam nominatur truculenta beſtia. Dominus nuncupauit homicidam. Hic enim & Caino & omnibus parricidis infandas cædes inſpirauit, & hodie quoque claſſicum ad omnia bella & ad omnes cædes ac ſeditiones canit, iram denique incendit, odia ſerit, inuidiamq; nutrit. Tentator cognominatur. Nunquã enim nõ ad malum ſollicitat, obijciens omnia quæcunq; putat allicere aut trahere poſſe ad res peſſimas.

Homicida. *Tentator.*

Spiritus malus & immundus. In Euangelica hiſtoria & in ſcriptis Apoſtolorum, diabolus obtinet ferè nomen ſpiritus immundi, mali uel maligni, impuri & nequam. Etenim non tantùm decidit ſua culpa à puritate, in qua primùm à Deo puriſſimo conditus

fuit.

fuit, sed nunc quoque impuritate delectatur & ad immundiciam pellicit omnes. Ex hoc authore proficiscuntur omnes libidines fœdæ, omnia stupra, adulteria, omnis luxus, ebrietas & crapula, omnis obscœnitas & uanitas, superbia & arrogantia, &c.

Iam & Beelzebub uocatur diabolus in Euangelio, eò quòd aliquando Accaronitæ in Palæstina putantes se uenerari Deum, diabolum reuera coluerunt. S. Paulus: Quis consensus, inquit, Christi & Belial? Belialem opposuit Christo, Deo utique diabolum. At Moses posuit cogitationem Belial pro nepharia & impia. Diabolus ergo nepharius est & impius, rebellis Deo & contumax. Belial enim omnino aiunt idem pollere, quasi tu dicas irregularis, sine iugo & sine disciplina. Nec desunt quibus uisum est diabolum figurari seu significari apud Iob per Behemoth & Leuiathan, Iob 40. & 41. cap. *Beelzebub.* *1.Cor.6.* *Belial.*

Sanctus Paulus dæmonas uarijs donat nominibus, dicens bellum pijs esse aduersus principatus & potestates, aduersus principes mundi & tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales nequitias in cœlestibus, aduersus principem cui potestas aeris, contra spiritum qui operatur in filijs inobedientiæ: quem alibi & Deum huius seculi appellat. Quemadmodum uerò Deus potentiam suam exercet in mundo, & in bonis ferè per angelos bonos, quos ea de caussa dixi nuncupari principatus & dominationes: Ita quia idem ille iusto suo iudicio imperium permittit diabolo in impios, principatus & potestates rectè dicuntur. Non quòd merum & summum imperium Deus illi tradat: Omnis enim potestas est solius Dei: sed quòd ei permittit tyrannidem. Significanter enim dicit principem esse mundi, nimirum impiorum. Nam per interpretationem sequitur: Princeps est tenebrarum seculi huius. Quis autem ignorat tenebras in scripturis significare ignorantiam, cæcitatem, incredulitatem, impietatem & scelera, denique his immersos impios homines? Et rursus subiungitur quod ueram explicet sententiam, Qui operatur in filijs inobedientiæ. Eximuntur ergo eius imperio fideles & obedientes, qui in regno Christi non in regno diaboli sunt. Nec alia ratione satanas nuncupatur Deus. Nam adiungitur Huius seculi. Reuera enim Deus nõ est diabolus, sed quia insani quidem in mundo inueniuntur qui hunc pro Deo habent, Dei nomen accepit. Non aliter exposuit hæc beatus pater Augustinus. Nam Tractatu in Ioan. 25. dicit: Absit ut diabolum mundi principem ita dictum existimemus, ut eum cœlo & terræ dominari posse credamus: sed mundus (dicitur enim princeps mundi huius) appellatur in malis hominibus qui toto terrarum orbe diffusi sunt. Et idem iterum de Agone Christiano cap. 1. Princeps huius mundi, ait, missus est foras: non quia extra mundum missus est: sed foras ab animis eorum qui cohærent uerbo Dei, & non diligũt mundum cuius ille princeps est: quia dominatur eis qui diligunt temporalia bona, quæ hoc uisibili mundo continentur. Non quia ipse Dominus est huius mundi, sed princeps cupiditatum earum, quibus concupiscitur omne quod transit. Per hanc cupiditatem regnat in homine diabolus & cor eius tenet. Interrogat idem ille doctor Tractatu in Ioan. 52. an ex animis prophetarum & patriarcharum non sit eiectus satanas, quando referatur in Euangelio per Christum esse foras pulsus? ac respondet: Eiectus est planè. Quomodo ergo dictum est: Nunc eijcietur foras? Quomodo putamus, nisi quia tunc quod in hominibus paucissimis factum est, nunc in multis magnisque populis iam mox futurum esse prędictum est? Sicut illud quod dictum est: Spiritus autem nondum erat datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus, potest similem habere quæstionem, & similem solutionẽ. Nondum enim erat illa abundantia gratię spiritualis data quę dabatur postea. Hæc ille. Porrò *Principatus potestates.* *Ephes.2. & 6.* *Deus huius seculi.* *Princeps mundi eiectus foras* *Principes aeris.*

cùm Apostolus dicit: Pugnam esse nobis aduersus spirituales nequitias in cœlestibus, per cœlestia non intelligit gaudia cœlestia, collocans iterum dæmonas in cœlos, sed aerem, id est, inferiorem mundi partem adeóque ipsum mundum. Nam alibi dicit: Secundum spiritum, cui potestas est aeris. Et uersantur quidem principes huius mundi in aere, circa, infra, supra nos, undique nos impetentes. Alioqui nec cœlum siue inferior regio aeris diabolorum subiacet imperio, ut quod in eo uelint possint, aut illis abutantur pro sua libidine, nisi quantum Deus permiserit iudicio suo iusto. Nam in hac disputatione semper pro confessa & indubitata ueritate tenendum est, Dominum Deum nostrum regem & gubernatorem esse omnium creaturarum, dominiumq́ suum in omnes retinere creaturas, exercereq́ ratione æquissima.

Operationes diaboli. Quanquam uerò ex his omnibus colligi possit, quanta & qualis sit operatio diabolica, pluscula tamen illis adijciam ne quid hac in re desideretur. Contraxi in descriptione diaboli omnes illius effectus, actus uel operationes in duo capita. Sunt enim dæmones Deo & hominibus aduersi, ut qui omnia sua studia ad despectum Dei hominúmque deceptionem & perniciem conuertunt. Summa igitur est, omnia sua dirigunt ad contemptum Dei hominisq́ perniciem. Ac potentiam eis esse non exiguam nocendi, perspicacem item intelligentiam producendi omnia in effectum, iam semel & iterum audiuimus. De uoluntate nocendi non est quòd quisquam dubitet. Dixit enim ad suos in Euangelio Dominus: Ecce satanas expetiuit uos ut cribraret sicuti triticum. Et iterum, Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Sed & S. Petrus: Obambulat, inquit, aduersarius uester tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret. Refragari autem illum Deo & perpetuo studio contradicere, omnesq́ creaturas in eius odium & despectum excitare, ubique testatur scriptura. Primorum certè parentum nostrorum animis improbè inspirabat opinionem de Deo longè indignissimam, quasi eis felicitatem malignè inuideret. Dicebat enim per Serpentem: Dixit ne Deus non manducandum esse de arbore illa? Et mox, Haudquaquam moriemini, uerùm Dominus nouit quòd eo die quo ederitis ex ipsa, aperientur oculi uestri, eritisq́ sicut dij, scientes bonum & malum. Quibus fallacissimis uerbis cùm crederent, perierunt ipsi, & totum mundum secum pertraxerunt in ruinam & interitum. Nec hodie quidem desinit calumniari cùm Deum ipsum tum eius opera, ut pariter secum nos abripiat in odium Dei, in diffidentiam ac desperationem & ad interitum sempiternum. Inuidet enim nobis salutem, ad quam destinati sumus per Christum. Verùm præstat paulò distinctius hac de re loqui. Nocet satanas hominum animis, corporibus & facultatibus. Animos enim perpellit aut solicitat ad peccandum. Præterea perturbat mentes hominum inq́ furorem adigit, mox etiam furore tumultuantes miserè diuexat atque conficit. Inde legas medicos aliquot maniam seu furorem appellare dæmonium malum. Corpora uerò uariè affligit morbis potissimum. Exemplum habemus sanctissimum Iob. In Euangelio secundum Lucam dicitur mulierem illam contractam, à satana alligatam fuisse annis decem & octo. Rursus in Euangelio secundum Marcum legimus de puero habente spiritum mutum. Quandocunque corripuerit, lacerat eum, ac spumans hic stridet dentibus suis & arescit, inq́ terram prolapsus prouoluitur. Idem spiritus ille malus opes & facultates terrenas homini eripit, uastat ac minuit, Id quod iterum claret in historia Iobi & Euangelij. Iob enim omni sua substantia exuitur, sic disponente res per milites & prædones satana. Grex quoq́ porcorū immersus paludi & suffocatus, ingens dedit Gergesenis damnum. Atqui raptus à dæmonibus per præceps in paludem deuoluebatur. Cæterum

Lucæ 22. Matth. 26. 1. Pet. 5. Genes. 3. Lucæ 13. Marci 9.

terum in his perficiendis sceleratus, quædam per se agit sociosq́ suos angelos nequam, quædam autem per alias creaturas. Per se agit exterius & interius hominẽ tentando commouendoq́. Obijcit enim species fallaces, transformans se in angelum lucis, insinuat se animis hominum. Alloquitur splendidas proponens promissiones & minas grauissimas, omnia tamen hæc adulterata dolis & mendacijs. Adducit enim non rarò rationes apparentes quidem, adeoq́ & scripturæ loca in speciem ualde congrua, sed tamen ad institutum suum malitiosè detorta. Hac autem ratione fidem ueram in animis hominum uel impedit luxatq́, uel eripit & subuertit prorsus, mox occupat totos & in certissimam propellit perniciem. Ita refertur ingressus cor Iudæ, totum præcipitem dedisse in exitium sempiternum. Soli quidem Deo patet cor hominis. Is enim solus est cordis & renum scrutator. Sed diabolus artibus hominem circumueniendo & immittendo cordibus prauas persuasiones, corda hominum intrare dicitur. Per alias uerò creaturas contra hominem idem ille agit, ueluti per elementa, cum contra nos excitat ignes, uentos, maria, grandines similesq́ calamitates. Excitat præterea homines cõtra nos, amicos, qui nos diuexent ac prodant, & inimicos qui cædibus bellis & persequutionibus nos atterant atq́ conficiant. Testimonium his iterum perhibet historia Iob, cui annumeres persequutiones cultoribus dei illatas. Iam & pseudoprophetas & incantatores idem ille contra nos incitat: quo pertinent præstigia & magiæ species omnes, quas efficaces esse testantur magorum Ægyptiacorum & Simonis opera, & locus Mosis Deut. 13. Pertinent huc in primis miracula falsa, & responsa uel oracula deprauata. Olim quidem his permultum nocuit ecclesiæ Dei, sicut testantur historiæ, neq́ hodie nocere desinit, id quod nos docet ipsa experientia. *Ioan. 13.*

Quamuis enim certum sit satanam non eijci uirtute satanæ, cedit tamen alter alteri ad tempus, in hoc ut facilius hominibus imponant, regnumq́ obtineant. Christus certè cum Apostolo Paulo prædixit postrema quoque secula fallacibus signis & uirtutibus mirum in modum fore dementanda. Extant ea de re loci clarissimi apud Matth. in cap. 24. & in 2. Thess. 2. cap. Plura de operationibus diaboli, & fusius quidem c. v. recitari poterant, sed speramus hæc in compendium recollecta sufficere, ut quæ occasionem suppeditant cogitandi ampliora. *Matth. 12.*

Ista autem nemo sic intelligat quasi diabolus omnium sit potens & quæ uelit mox etiam possit. Nam determinata uel definita contractaq́ est eius potentia, ut non tantùm possit, quantum uelit. Alioqui dudum subuersa perijssent omnia. Proinde non præter rationem adieci in descriptione diabolum esse deo subiectũ. Nam nihil hic nisi permittente deo potest facere. Permittit autem deus, uel ut suorum exerceat patientiam, acceleretq́ salutem: sicuti claret in historia Iob & uerbis Pauli ad Corinthios, dicentis: Ne excellentia reuelationum supra modum efferrer, datus mihi fuit stimulus in carne, nuncius satanæ, ut me colaphis cæderet. Nec dubium est quin grauissimis persequutionum tormentis multos martyres egregios prouehat, uel hodie & olim promouerit ad gloriam & requiem sempiternam. Vel certè permittit diabolo potestatem sæuiendi aut irruendi in homines, ut eo pacto ipsorum castiget improbitatem, uel incredulitatẽ puniat. Etenim diaboli sunt instrumenta iræ diuinæ, quæ ipsius exequũtur uindictã. Paulus enim: Antichristi aduentus, inquit, est secundum operationem satanæ, cum omni potentia ac signis & prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ, in ijs qui pereunt: pro eo quod dilectionem ueritatis non receperunt ut salui fierent. Et propterea mittet illis deus efficacem illusionem, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, sed approbauerunt iniustitiam. Atq́

Definita potestas diaboli. *2. Cor. 12.* *2. Thess. 2.*

hic ferè est neruus & uirtus magiæ uel incantationis, quæ in fidelibus elumbis est.

Pugnandũ fortiter cõtra diabolum, non metuendum.

Proinde non est quod quis sibi miserè metuat à diabolo. Quin potius dominũ exercituum ipsum, ait Isaias, sanctificate, is sit timor uester & pauor uester. Aiunt gentes aliquot orientales uenerari cacodæmonem, nimirum ne ipsis noceat. Sed hi cum ratione insaniunt prorsus. Deo enim nolente, quod modò dicere cœperã, aut non annuente, non potest tibi satan uel pilum attingere. Non enim potuit gregem porcorum prope paludem Gadarenam apud Gadaram pascentem corripere & perdere, nisi permissu domini. Sed & S. Augustinus enarrans Psalm.32. his uerbis historiam Iob adducit: Quid ipse diabolus? Nunquid ausus est uel unicam ouiculam tollere uiro sancto Iob, nisi prius diceret: Mitte manum tuam, id est, da potestatem? Ille uolebat, sed deus non sinebat. Quando hic permisit, ille potuit: non ergo ille potuit, sed qui permisit. Ideo bene eruditus ipse Iob, non ait sicut modò commemorare solemus, Dominus dedit & diabolus abstulit: sed Dominus dedit, & dominus abstulit. Hæc autem in tentationibus non mediocriter consolantur pios, qui intelligunt sibi extra dei permisionem nihil euenire posse: nec illum quicquam nisi quod ad emendationem & salutẽ conferat permittere, ideoq; se semper in diuina conseruari prouidentia beneuolentiaq;. Nam omnia quæ hactenus de potestate & operationibus dæmonum dicta sunt, non huc pertinent ut nos deijciant, sed ut uigilantiores reddãt. Vigilare iusit nos dominus, qui dæmonem uicit, & uincendi rationem tradidit. Ideo enim cum satana congressus est

Matth.4.

semel, iterum, & tertiò, ut nos instrueret quomodo pugnaremus contra hostem humani generis. Vicit hunc nobis, ne diffideremus iam fractum à nobis superari posse facilius. Vincemus proculdubiò per fidem. Fide enim Christo cõnectimur, & fide spiritum Christi haurimus, cuius uirtute triumphabimus. Certè Petrus ea de caussa iusit nos fide resistere. Sanctus Paulus ad hanc pugnam nos adhortans, ac panoplia præstantisima nos muniens, dicit: Assumite uniuersam armaturam Dei, ut positis resistere in die malo, & omnibus peractis stare. State igitur lumbis circuncinctis per ueritatem, & induti thoracem iustitiæ, & calceati pedibus ut parati sitis ad euangelium pacis. Super omnia assumpto scuto fidei, quo positis omnia iacula mali illius ignita extinguere, galeamq; salutaris accipite, & gladium spiritus qui est uerbum Dei, in omni deprecatione & obsecratione orantes in omni tempore, in spiritu, &c. Quibus & illud accedit, quòd eodem Apostolo teste, deus non sinit nos tentari supra id quod ferre possumus, simulq; tentationibus felicem concedit exitum. Hunc igitur deum reuereamur, hunc oremus, ut ipsius uirtute uincamus. Amen.

1.Ioan.5. *1.Pet.5.* *Ephes.6.* *1.Cor.10.*

De anima hominis rationali, & certissima eius post mortem corpoream salute.

SERMO X.



COGNATIONEM cum spiritibus habere animam hominis rationalem fatentur omnes, neque est, opinor, sapientum ullus qui neget saluberrimam & omnibus pijs necessariam esse cognitionem rationalis animæ hominis, de qua tam multa & diligenter præcipit scriptura sancta. Proinde ordo rerum, utilitas, atque ipsa necesitas requirit, ut etiam de anima hominis rationali dicam. Sequar autem scripturæ eiusq; interpretum simplicitatem, physica illis explicanda reliquens, quorum officium & professio est, nisi quatenus physicis in nostra disputatione carere non possumus. Scriptura sancta & eius interpretes de anima hominis nec curiosas quæstiones mouent, nec curiosis hominibus

nibus satisfaciunt, cum ea desiderent scire quæ exponi non possunt, aut si posint, his tamen nihil dum aptè dictum esse perpetuò uideatur. Semper enim hærent, semper discendo dubitant, nunquam ad cognitionem ueritatis tranquillo animo perueniunt, nunquam in simplici ueritate reperta consistunt, alia & multò plura & acutiora quàm intellexerunt, indagant. Nos uerò scripturis sanctis nouimus omnia simpliciter & clarè tradi, quæ sunt necessaria & salutaria, atque his simpliciter, piè uel religiosè acquiescendum esse: ergo quæ his tradita non sunt (in negotio salutis nostræ) scimus neq; inquirenda esse nobis, neq; salutem interturbare si nesciamus.

Vocabulum Animæ, uariè usurpatur in sancta scriptura. Principiò accipitur anima pro uiuente quolibet. Moses enim inducit deum loquentem: Producat terra animam uiuentem secundum speciem suam, iumentum reptile, & bestiam terræ. Quis enim ignorat animæ tres species uel partes (liceat interim sic loqui docendi gratia) aut facultates principales recenseri? Est enim anima uegetatiua, quæ in plantis agit. Est anima sensitiua, quæ non est sine uegetatiua, animatq; animantia bruta. Est item anima rationalis potentijs pluribus instructa, & utramq; illam comprehendens, qua donati sunt homines. Hinc anima in scripturis ponitur pro flatu quo spirant & respirant homines, adeoq; pro uita hominis aut animantis. Ita legimus: Anima eius in ipso est. Et iterum, Non persequar te ultra (inquit ad Dauidem Saul) eò quod anima mea pretiosa hodie fuerit in oculis tuis. Græci animam appellarunt ψυχὴν quasi ἀναψυχὴν, quòd respirando refrigeret. Hebræi Næphæsch appellitant à refocillando. Rursus ponitur anima in scripturis pro ipso animato adeoq; quouis uel potius toto homine. In lege enim dicitur: Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, ipsa morietur. Item in Paulo legimus: Omnis anima potestati supereminēti sit subdita. Et iterum in Genesi dicit rex Sodomæ ad Abram: Da mihi animas, & substantiam ipsam uel facultates accipe tu. Solet enim scriptura à parte totum denominare. Sicut enim per animam totum significat hominem, nobiliorem recensens partem, ita & per carnem inferiorem totum denotat. Præterea cū homini sicut & reliquis animantibus sit anima appetitiua, usurpatur anima in scripturis pro affectu, uoluntate & desiderio, uel cupiditate. Ezechiel enim dicit: Animam suam non saturabunt (Germanicè, Sy werdend jren glust nit büssen) uentres eorum non implebuntur. Postremò significat anima spiritum hominis rationalem. De qua disseremus, deo inspirante, in præsenti. Dissimulare tamen hic non possum, apud scriptores præclaros controuerti de anima & animo, idem ne an diuersa sint, & esse quidem rationes in utranq; partem. Qui distinguunt, aiunt nos anima uiuere, animo autem sapere: id quod Lactantius dicit de Opificio dei cap. 18. Ego uideo probatissimos quosq; scriptores permixtim uti utroq;, & alterum ponere pro altero.

Animæ uocabulum uariè usurpatum.
Gene. 1.
Anima flatus & uita.
Actor. 20.
1. Sam. 26.
Anima pro homine.
Leuit. 20.
Rom. 13.
Gene. 14.
Anima desiderium.
Ezech. 7.
Anima spiritus hominis.
Anima & animus.

Neque enim putandum est in homine duas esse animas. Rectissimè enim definierunt Definitiones ecclesiasticæ, pronūciantes capite decimoquinto: Non dicimus duas esse animas in uno homine: sicut Iacobus & quidam Syrorum scribunt, unam animalem, qua animetur corpus & immixta sit sanguini, & alteram spiritualem quæ rationem ministret: sed dicimus unam eandemq; esse animam in homine, quæ & corpus sua societate uiuificet, & semetipsam sua ratione disponat. Itaq; non putamus ullam eorum rationem esse habendam, qui in uniuersum negant esse animam. Hi enim perinde insaniunt, ut qui solem lucere negant. Omnes enim solem & uidemus & sentimus: sicut & animæ beneficio uiuimus.

Vnam esse animam.
Esse animam.

Porrò quid sit rationalis anima hominis, nondum potuere concorditer defi-

Anima quid sit.

nire sapientes huius seculi, quippe adeo dissentientes, ut uix duos inuenias qui idem dicant. Sunt autem sententiæ inter se discordes non paucæ. Quid quod ueteres scripturarum interpretes in definienda anima cunctantius progreßi sunt? Lactantius de Opificio Dei, negat animæ rationem & naturam assequi posse homines. Idcirco nihil prorsus aberrarunt à uero, quibus uisum est animam nulla finitione absoluta concludi posse, qua uidelicet eius natura exactißimè exprimatur: interim posse eius ingenium utcunque adumbrari, idque ex operibus seu actis eius attributisque scripturæ. Sunt ergo qui dixerunt animam esse spiritum uitæ, ad imaginem Dei creatum, & corpori humano inspiratum. Est qui sic describat: Anima est spiritus, per quē corpus, cui est connexus, uiuit, aptus cognitioni dei propter amorem, atque hinc coniunctioni cum eo ad beatitudinem æternam. Alius sic definit: Anima rationalis, est spiritus intelligens: altera pars substantiæ hominis: nec extinguitur cum à corpore discesit, sed immortalis est. Casiodorus sic definit: Anima hominis est à Deo creata, spiritalis propriaque substantia, sui corporis uiuificatrix, rationabilis quidem & immortalis. Nos descriptionem petitam ex scripturis expendendam pijs, & quæ totam hanc dissertationem nostram dirigat, proponimus: Anima est substantia spiritualis, corpori humano à deo infusa, ut ei coniuncta ipsum animet & dirigat, separata autem à corpore non intereat, sed immortalis æternum uiuat.

Animas esse substantias. *Matth. 10.* Negant nonnulli animam esse substantiam. Nam contendunt nihil aliud esse quàm uim uitalem in homine adeoque qualitatem quandam. Scriptura uerò sancta agnoscit animam subsistentem esse essentiam. Dominus enim in euangelio testatur animam in gehenna torqueri posse. Id quod protinus eadem euangelica authoritate in anima diuitis epulonis quasi oculis contemplandum demonstratur. *Lucæ 16.* *Lucæ 23.* Latroni dixit idem dominus, qui mentiri non potest: Hodie mecum eris in paradiso. Id quod nō potest de ulla latronis parte quàm anima exponi. Corpore enim affixus cruci hærebat. *Apoc. 6.* Vnde & Ioannes Apostolus & euangelista uidit subter altare animas interfectorum propter uerbum Dei. Audiuit easdem clamantes uoce magna, ac dicentes: Vsquequo domine, qui es sanctus & uerax, non iudicas & uindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Idem uidit animabus singulis singulas dari stolas, his insuper additis uerbis, à domino: Requiescite adhuc tempus modicum, donec compleantur cōserui uestri & fratres uestri, qui interficiendi sunt, sicuti & uos. Quæ quidem omnia non qualitatibus, sed essentijs subsistentibus competunt. Sunt ergo animæ hominum substantiæ. *Corporeæ an incorporeæ substantiæ animæ?* Quod ut exprimerent significantißimè, arbitror nonnullos scriptores ecclesiasticos quondam tradidisse, rationales animas hominum esse corporeas, hoc est, sui generis substantias propriè existentes. Nec puto me c. v. molestum futurum, si recitauero ad uerbum quæ de hac caussa in utranque partem disputauit D. Augustinus epist. ad S. Hierony. quæ ordine est 28. Incorpoream esse animam, inquit, etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum. Sed ne uerbi controuersiam uel superfluò faciam, uel meritò patiar: quoniam cum de re constat, non est opus certare de nomine: si corpus est omnis substantia uel essentia, uel si quid aptius nuncupatur id quod aliquo modo est in seipso, corpus est anima. Item si eam solam incorpoream placet apellare naturam quæ summè incommutabilis & ubique tota est, corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est. Porrò si corpus non est nisi quod per loci spacium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur uel mouetur, ut maiore sui parte maiorem locum occupet, & breuiore breuiorem, minusque sit in parte quàm in toto, non est corpus anima. Per

totum

totum quippe corpus quod animat non locali diffusione, sed quadam uitali intentione porrigitur. Nã per omnes eius particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, & in maioribus maior, sed alicubi intensius, alicubi remissius, & in omnibus tota, & in singulis tota est. Neq; enim aliter quod in corpore etiam non toto sentit, tamen tota sentit. Nam cum exiguo puncto in carne uiua aliquid tangitur, quamuis locus ille non solum totius corporis nõ sit, sed uix in corpore uideatur, animam tantum totam non latet: neq; id quod sentitur per corporis cuncta discurrit, sed id tamen sentitur ubi sit. Vnde ergo ad totam mox peruenit, quod non in toto fit, nisi quia & ibi tota est ubi fit, nec ut tota ibi sit cætera deserit? Viuunt enim & illa ea præsente ubi nihil tale factum est. Quod si fieret, & utrunq; simul fieret, simul utrunq; totam pariter non lateret. Proinde & in omnibus simul & in singulis particulis corporis sui tota simul esse non posset, si per illas ita diffunderetur, ut uidemus corpora diffusa per spacia locorum minoribus suis partibus minora occupare, & amplioribus ampliora. Quapropter si anima corpus esse dicenda est, non est certe corpus, quale terrenum est, nec quale humidum aut aëreum aut æthereum. Omnia quippe talia maiora sunt in maioribus locis, & minora in minoribus, & nihil eorum in aliqua sui patre totum adest, sed ut sunt partes locorũ ita occupantur partibus corporum. Vnde intelligitur anima, siue corpus siue incorporea dicenda sit, propriam quandam habere naturam, omnibus his mundanæ molis elementis excellentiore substantia creatam: quæ ueraciter non posit in aliqua phantasia corporalium imaginum quas per carnis sensus percipimus cogitari, sed mente intelligi uitaq; sentiri. Hactenus Augustini uerba recensui. Scriptura quoq; huc maximè inclinat ut incorpoream esse animam doceat. Diligenter enim & disertè spiritum appellat. Nam dominus in euangelio secundum Ioannem: Ego ponam animam meam, inquit, & iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego ponam eam à meipso. At apud eundem euangelistam legis, Dixit autem Iesus: Consummatũ est, & inclinato capite tradidit spiritum. Nam apud aliũ euangelistam exclamat: Pater in manus tuas trado spiritum meum. Et Matthæus: Iesus autem cum iterum clamasset, inquit, uoce magna, emisit spiritum. Quo referri potest proculdubiò quòd in Actis de Stephano protomartyre legimus: Et lapidabant Stephanum inuocantem & dicentem: Domine Iesu suscipe spiritum meum. His uerò significantius exprimere non possum qualis sit substantia animæ hominis; quam spiritum esse credo, propriam utiq; ac singularem suam habentem substãtiam à Deo creatam. Nam Augustinus, cuius uerba paulò ante adduxi, denuò in 1. cap. de Quantitate animæ dicit: Substantiam animæ nominare non possum: non enim eam puto esse ex his usitatis notisq; naturis quas istis corporis sensibus tangimus. Nam neq; ex terra, neq; ex aqua, neq; ex aere, neq; ex igni, neque ex his omnibus aut aliquibus horum coniunctis animam constare puto. Simplex animæ natura dici potest, quia ex alijs naturis non est. Quæ Augustini uerba imitando referre exprimereq; uolẽs Cassiodorus dixit: Anima hominis à deo creata spiritalis propriaq; substantia est. Ergo simpliciter assero, singularẽ, imò excellentem quandam & ab alijs spiritibus differentem substantiam habere animam, uerè quidem existentem & à creatione sua semper agentem, sed quam nos nostro eloquio circumscribere & eloqui non possumus.

Anima est incorporea siue spiritus. *Ioan. 10.* *Ioan. 19.* *Lucæ 23.* *Matth. 27.* *Acto. 7.* *Qualis substantia animæ hominis.*

Interim non probamus eos, qui exprimere uolentes qualis nam sit animæ substantia, ac dixerunt animam esse deum, uel certè partem portionémue dei. Nam utrunque reprobat scriptura. Etenim anima creatura & uicissitudini atq; peccatis immersa est, creator autẽ & munda ex semetipsa non est. Et quoniam creator

Anima nec Deus nec pars Dei est.

incommutabilis & indiuisibilis est, anima dei portio esse nõ potest. Eleganter ergo & uerè Aurelius Prudentius in sua Apotheosi, cùm multis fœdos hos errores confutasset, recolligens tandem ueritatis sententiam, canit:

Absurdè fertur Deus aut pars esse Dei, quæ
Diuinum summumq; bonum de fonte perenni
Nunc bibit, obsequio nunc culpa aut crimine perdit,
Et modò supplicium recipit, modò libera calcat, &c.

Hunc errorem ut elideremus & animam discerneremus ab alijs spiritibus substantijs ue spiritalibus, adiecimus in nostra descriptione, animam humanam à deo corpori humano infusam: unde creatam esse quilibet iam nullo intelligit negotio, sed & spiritum esse, non angelicum, sed humanum, id est à Deo humano corpori infusum, suæ essentiæ atq; naturæ.

De origine animæ. Vbi rursus noua se nobis offert explicanda quæstio de Animarum origine. Quæri enim solet, unde ueniant animæ, quando aut quomodo ingrediantur corpora sua? S. Hieronymus author est, plurimas easq; inter se diuersissimas fuisse quondam de origine animarum sententias. Scribens enim Marcellino & Anapsychiæ: Super animæ statu, inquit, memini uestræ quæstiunculæ imò maximè ecclesiasticæ quæstionis: Vtrum lapsa de cœlo sit, ut Pythagoras philosophus omnesq; Platonici & Origenes putant. An à propria Dei substantia, ut Stoici, Manichæus, & Hispaniæ Priscilliani hæreses suspicantur. An in thesauro habeantur dei, olim conditæ, ut quidam ecclesiastici stulta persuasione confidunt. An quotidie à Deo fiant & mittantur in corpora: secundum illud quod in euangelio scriptum est: Pater meus usque modo operatur & ego operor. An certè ex traduce, ut Tertullianus, Apollinarius & maxima pars Occidẽtalium autumant, ut quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, & simili cum brutis animantibus conditione subsistat. Cæterum refutatæ sunt omnes illæ opiniones solidis argumentis à scriptoribus ecclesiasticis, pro uerissima autem recepta & asserta est, quæ tradit animam ex nihilo creari & corpori infundi à deo, quando fœtus in utero materno sua forma suisq; partibus perfectus est. Definitiones enim ecclesiasticæ sic pronunciant: Dicimus creationẽ animæ solum creatorem omnium nosse, & corpus tantum per coniugij copulam seminari, Dei uero iudicio coagulari in matrice & compingi atq; formari, ac formato iam corpore animam creari & infundi. Vnde & beatus Hieronymus aduersus errores Ioan. Hierosolymitani episcopi disputans ad Pammachiũ, post recitatas uarias de origine animæ sententias, ait, An certè (quod ecclesiasticum est secundum eloquia saluatoris: Pater usq; modo operatur, & ego operor, Et illud Isaiæ: Qui format spiritum hominis in ipso, Et in Psalmis: Qui fingit per singulos corda eorum) quotidie fabricatur deus animas, cuius uelle fecisse est, & conditor esse non cessat? Hæc ille. Certè scriptura disertis uerbis docet animam non oriri ex terra, neq; esse ante corpus conditam, sed proficisci ex creatoris ore, nimirum ex uirtute Dei secreta, infundiq; formato corpori. Formationem enim patris nostri describens Moses, prius cõmemorat Adami formatum esse corpus, deinde in formatum & absolutum corpus inspiratam animam

Gene. 2. uitæ: Formauit, inquit, dominus deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem uel nares eius spiritum uitæ, factusq; est homo in animam uiuentem. Significat enim spiritus uitæ animalem rationalemq;, id est, humanam animam, quam uides corpori formato inspiratam siue infusam esse. Cumq; mulierem ex costa idem crearet dominus, animam certè nõ ex Adamo eiusq; anima traduxit in Euam, sed creatam formato corpori sua infudit bonitate & potentia. Neq; hodie aliter nos

creari

creari à Domino quàm ut corpori formato infundatur anima, locupletissimus testis est Iob, dicens: Manus tuæ (ô Deus) fecerunt me & plasmauerunt totum. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Cute & carne uestiuisti me, ossibus etiam & neruis compegisti me. En habes his elegantissimè descriptam, & conceptionem & formationem in utero materno corporis humani. Sequitur iam deinceps in Iob de anima: Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & uisitatio tua custodiuit spiritum meum. En uita, id est, anima corpori iam formato est à Deo infusa. Vitam, ait, & misericordiam tribuisti mihi. Adiecit uitæ misericordiam. Est enim mirum, in utero materno fœtum uiuere, tot uidelicet membranis inuolutũ, exerit ergo se in eo misericordiæ diuinæ beneficium ingens. Sequitur autem per interpretationem: Et uisitatio tua, id est, prouidentia & conseruatio tua, custodiuit seu conseruauit spiritum meum. Nunc enim spiritum uocat id quod appellarat prius uitam, id est, animam. Proinde rectè & secundum scripturas tenemus, animas hominum creari à Deo & infundi absolutis iam in utero corporibus, utcunque non attingamus acu, quod dici solet, singula huius caussæ puncta atque momenta. *Iob 10.*

Inspiciendum modò quid operetur in corpore hominis anima: breuibus id in descriptione complexi sumus, dicentes coniunctam corpori hominem animare & dirigere. Etenim complectitur anima rationalis uim uegetatiuam & sensitiuam, & eatenus corpus animat: præterea partes habet duas, officijs, non essentia distinctas, Intellectum & Voluntatem, & eatenus hominem dirigit. Intellectu enim qui & mens & ratio dicitur, percipit, dijudicat, & cognoscit intelligibilia, cernitque quid persequatur aut quid fugiat. Voluntate autem seu appetitu cognitum eligit, hoc amplectens, illud uerò repellens. Quæ rursus patent latissimè. Proinde singula persequar paulò copiosius. Principiò anima corpus hoc mortale & terrenum præsentia sua uiuificat, colligit in unum atque complexu miro retinet, nec diffluere neque contabescere sinit: alimenta per membra æqualiter, suis quibusque redditis distribuit, congruentiam eius modumque conseruat, non tantùm in pulchritudine, sed etiam in crescendo atque gignendo. Sed hæc omnia homini etiam cum arbustis communia uideri queunt. Hæc enim etiam uiuere, in suo item quidque illorum genere custodiri, ali, crescere, gignere uidemus atque fatemur. Videamus itaque quid anima possit & operetur in sensibus, ubi euidẽtior uita intelligitur. Intendit se anima in tactum, & eo calida, frigida, aspera, lenia, dura, mollia, leuia, grauia, sentit atque discernit. Deinde innumerabiles differentias saporum, odorum, sonorum, formarum, gustando, olfaciendo, audiendo, uidendoque dijudicat. Atque in his omnibus ea quæ secundum naturam sui corporis sunt, asciscit atque appetit, reijcit fugitque contraria: fœtibus quoque non iam gignendis tantummodo, sed etiam fouendis, tuendis, alendis atque conseruandis conspirat. Sed hæc rursus omnia animam etiam in bestijs posse nemo negat. Consideremus ergo quæ sit uis animæ hominis propria: & hic expende mihi mirabilem intelligendi & ratiocinandi facultatem, nec uulgarem, qualis est in brutis memoriam, sed reminiscentiam animaduersione atque signis commendatarum ac retentarum rerum innumerabilium: considera mihi tot artes opificum, agrorum cultus, extructiones urbiũ, uariorum ędificiorum ac moliminum multimoda miracula: inuentiones tot signorum in literis, in uerbis, in gestu, in sono, in picturis atque figmentis: tot gentium linguas, tot instituta, tot noua, tot instaurata, tantum librorum numerum, & huiuscemodi monimentorum ad custodiendã memoriam, tanquam curã posteritatis: officiorum, potestatũ, honorum, dignitatumque ordines, siue in familijs, siue domi militiæque

Operationes et uires animæ.

Ex 33. cap. Augusti. de Quantitate animæ.

in republica, siue in prophanis, siue in sacris apparatibus: considera mihi uim uerè admirabilem excogitandi fluuios eloquentiæ, carminum uarietates, ludendi ac iocandi caussa milleformes simulationes, modulandi peritiam, dimetiendi subtilitatem, numerandi disciplinam, præteritorum ac futurorum ex præsentibus coniecturam. Magnæ quidem hæ in hominis anima uirtutes seu operationes sunt, sed bonis & malis communes. Sequuntur ergo ex quibus uera bonitas atque laus homini ex uiribus animæ existit, & quæ in solis inueniuntur pijs. Audet se anima uniuerso corpori præponere, bonáque eius bona sua non putare, imò & contemnere: & inde quò magis se delectat, eò magis sese abstrahere à sordibus, totámque se purgare per fidem & spiritum sanctum, roborare item se aduersus omnia quæ de bono proposito dimouere moliuntur: societatem præterea magni pendere, homines charitate prosequi, nihilq́ue uelle alteri, quod sibi nolit accidere. Nam sequitur doctrinam diuinam, & credit per hanc sibi Deum loqui: coniungitur per spiritum & fidem cum ipso Deo, in quo delectatur uereq́ue feliciter uiuit, omnis generis uirtutes proferens. In hoc tam præclaro animæ studio magnus adhuc labor est. Acerrimè enim cum carne & mundo confligit: neque uspiam tuta ab infestationibus incursionibusq́ue satanæ conquiescit. Verùm hic quoque à Domino confirmata pulcherrimas reportat uictorias ac triumphos. Operatur ergo sanctissima quæque opera anima, sed sanctorum: animæ enim impiorum omnis generis scelera perpetrant. Sunt aliæ operationes animarum multæ, quas ne sim æquo prolixior, recitare desino. Hactenus uerò de anima hominis corpori adhuc coniuncta disserui: in qua dissertatione mira relucet Dei bonitas, animæ imò totius hominis munificentissimi creatoris, cuius gratiæ meritò acceptum ferimus, quicquid laudis animæ tribuitur. Dicam porrò de anima à corpore dissociata.

De anima à corpore separata.

Separata à corpore non desinit esse quod fuit, sed extincto iam corpore ipsa in sua permanet essentia superstes, immortalis omnino, & omnis corruptionis expers. Mors enim hominis non est animæ extinctio aut pernicies, sed disiunctio duntaxat aut discessus à corpore. Tollis ex laterna lucernam, lumen abstulisti laternæ, lucernam uerò non extinxisti: laterna propter ablatam lucernam tenebris squalet quidem, sed lucerna adeò nihil damni sensit ex translatione, ut exempta ex laterna iam clarius luceat & latius spargat radios sui luminis. Ita certè anima separata à corpore suo terreo luteóue, adeò non sentit ullum incommodum, ut molestia corporis liberata, liberius iam & efficacius uiuat & agat. Cæterum uulgus hoc non uidet, corpus duntaxat in extinctis anima spoliatum uidet, & quia hoc omni sensu & motu caret imò & computrescit, putat totum interijsse hominem. Nec desunt audaces & impij nequam, quibus in ore est neminem unquam à morte siue ex inferis redijsse, qui reditu suo approbarit extincto corpore superstites remanere animas. Sed malitiosè mentiuntur, simulantes se nescire quod certò nouerunt. Quis enim nesciat Christum Dei filium mortuum & sepultum quidem, sed tertia die à mortuis esse exuscitatum, rediente in corpus illa ipsa anima, quæ ante mortem animarat & rexerat corpus? Quis nesciat Christum uero corpore & sua ipsius rationali & genuina anima ascendisse in cœlos, ac consedisse in dextera patris, ut illuc quasi deposito pignore certissimo, toti orbi attestaretur, & animas nostras proprias & corpora nostra propria aliquando illuc fore transferenda? Quis nesciat tot mortuos ex mortuis in uitam reuocatos recepisse non nouas, sed ueteres illas suas animas? quod minimè factum esset, si morte corporea extinguerentur animæ hominum.

Anima est immortalis.

De morte animarum.

Obijciunt scripturam ipsam meminisse mortis animæ. Fateor id quidem. Anima enim

ma enim hominis & mortalis & immortalis est, secundum quendam modum suũ. *1. Tim. 1. & 6.*
Non enim omnimodo immortalis est, sicut Deus, de quo dictum est, quia solus habet immortalitatem. Et quidem memorabilis est mors animæ in scriptura sancta, sed ea refertur ad conditionem non ad substantiam animæ. Nam si uita animæ Deus est, certè mors animæ est Deo destitui & sibijpsi relinqui. Siquidem uiuit nihilominus in essentia sua rationalis anima, sed cùm miserè uiuit, misera uita mors uerè appellatur. Sed & desperatio ipsissima animæ mors est. Nam spe uiuimus. Et Paulus: Viuo non iam ego, ait, sed uiuit in me Christus: ac uitam quam *Galat. 2.* nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij Dei: ergo fide destituti mortui sunt, fide donati uiuentes. S. Augustinus de Fide & Symbolo cap. 10. Potest & anima, ait, sicut corruptibilis propter morum uitia, ita etiam mortalis dici. Mors quippe animę est apostatare à Deo, quod primum eius peccatum in paradiso sacris literis continetur. Et idem iterum lib. De Trinit. 14. cap. 4. Habet & anima suam mortem, inquit, cum uita beata caret, quæ uera animæ uita dicenda est. Sed immortalis ideò nuncupatur, quoniam qualicunque uita etiam si miserrima uiuit, nunquam desinit uiuere. Profitemur ergo ore libero animas hominum à corporibus separatas seu exemptas non interire, sed immortales æternùm uiuere, fideles quidem in æterna felicitate, infideles autem in æterna condemnatione.

Id quod solidis aliquot scripturæ testimonijs comprobare pergam, si illud monuero prius, testimonia scripturarum in hac caussa longè esse uiuidiora, quàm rationes humanas è philosophia contextas. Petuntur enim testimonia ex ore ipsius uiui, & in uita conseruantis Dei, qui cùm uerax sit, mentiri nescit, qui cùm uitã largiatur & uita sit, de uita omnium certissimè testari potest. Neq; dubium est cooperari uerbo Dei spiritum Dei, à quo nisi tangantur corda hominum, nihil efficient in mortis periculo maximè & in alijs tentationibus, quantumuis euidentes philosophicæ rationes. Carnei ergo & animales sunt prorsus, qui nõ erubescunt dicere, scripturis duntaxat sibi non posse persuaderi animarum immortalitatem. Imò firmum ac stabile in tentationibus nunquam erit, quod ex carne & sanguine profectum fuerit. Subijciemus itaq; aliquot certa testimonia & ea maximè clara. *Testimonia immortalitatis animarum.*

Dauid rex in orbe potentissimus & felicissimus, unico uersu & animarum immortalitatem & corporum resurrectionem complexus dixit: Non derelinques, Domine, in inferno animam meam, neq; dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Constat homo corpore & anima. Corpus corrumpitur morte, & redigitur in puluerem: sed ideò non peribit. Sicut enim corpus Christi sepultum non computruit, sed tertia die resurrexit, ita in die iudicij excitabuntur & corpora nostra & uindicabuntur per Christum à corruptione. Anima uerò nostra non demergitur ad inferos. Sed sicut anima Christi ad corpus ex inferis redijt, & in resumpto corpore in cœlos ascendit: ita & animæ nostræ uiuent per Christum, non morientur. *Psalm. 16.*

Solomon filius Dauidis, regum & omnium mortalium sapientissimus, uno & ipse uersu fata & corporis & animæ exponens, dicit: Reuertetur puluis in terram sicut fuit, & spiritus redibit ad Deum, qui dedit illum. Puluis appellatur à Solomone corpus humanum, quia à Deo factum refertur in Mose, ex puluere terræ. Corpus ergo redit in puluerem, computrescit enim & resoluitur in id quod ante fuerat in diem usq; iudicij, pronunciante Domino: Puluis es & in puluerem reuerteris. Verùm spiritus, id est, anima rationalis non interit cum corpore, non resoluitur in puluerem, quia non est sumpta de puluere, nec dissipatur in aerem, quia aere non constat, sed redit ad Deum superstes à morte. Ideò autem ad Deum redit, quia Deus dedit animam, & singulari modo hominem condidit ad similitudinem *Eccles. 12.*

& imaginem suam, inspirans in faciem eius spiritum uitæ, uitæ inquam, id est, talis potentiæ, non spiritum mortis. Non potest ergo interire, quia immortalitatē accepit à Deo, qui cùm uita sit, uitalem spiritum quem condidit conseruare potest.

Dominus Iesus, uerus Dei filius, uita & resurrectio fidelium, in Euangelio clarè dicit: Ne metuatis uobis ab his qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed metuite magis illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Si cæso corpore à tyrannis, anima non cęditur, manet ergo superstes ab extincto corpore, atque ita certò manet, ut exuta corpore, propter perfidiam æternùm arsura à iustissimo Deo coniiciatur in gehennam. Nam in eodem Euangelio iterum dicit Dominus: Qui uoluerit animam suam seruare, perdet eam, & qui eam mea causa perdiderit, inueniet eam. Perdit autem animam suam, non is duntaxat, qui uoluptatibus mundi ipsam defraudat & temperantissimè uiuit, sed is quoque, qui se propter confessionem fidei trucidandum offert tyrannorum truculentissimis manibus. Hic autem inuenit perditam animam, manent ergo superstites & immortales animæ hominum etiam post mortem corpoream.

Math. 10. Math. 16.

In Euangelio secundum Ioannem dicit Dominus: Amen amen dico uobis, qui sermonem meum audit & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium nō ueniet, sed transiuit à morte in uitam. Habes in hisce Domini uerbis mortem corpoream. At protinus ab hac testatur nos transire in uitam: superstites ergo manent à morte hominum animæ. Nunc enim nihil loquitur de corporis resuscitatione & salute, sed de animæ uita post mortem.

Ioan. 5.

In eodem Euangelio rursus dicit Dominus: Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Cæterum cōstat omnibus hominibus constitutum esse semel mori, nimirum morte corporali: uiuit ergo anima à morte corporali. Necesse est enim hominem fidelem non uidere uel non experiri mortem: nisi is falsum dixerit qui sacramento quod dixit, affirmauit. Vtrobiq; enim iusiurandum adhibuit, dicens: Amen dico uobis, quò minus dubitaremus de animarum immortalitate. Plurima extāt eaq; euidentissima in eodē Euangelio testimonia Christi filij Dei, ut cap. 6. & 11. quibus coniungemus modò unum & alterum ex scriptis beatissimorum Christi Apostolorum.

Ioan. 8. Hebr. 9.

Sanctus Petrus loquens de animabus patrum iam olim defunctorum, dicit mortuis prædicatum esse Euangelium, ut iudicentur quidem sicuti alij homines carne, uiuant autem iuxta Deum spiritu. Spiritus sunt animæ beatorum patrum, quorum corpora iamdudum sepulta expectant uniuersalem generalis illius finalisq; iudicij sententiam, id est, ut caro eorum resuscitetur, & simul cum alijs hominibus iudicetur in ultima illa die: interea uerò animæ uiuunt apud Deum. Superstites ergo sunt animæ hominum, etiam iamdudum putrefactis corporibus ipsorum.

1. Pet. 4.

S. Paulus in Epistola ad Timotheum, dicit manifestè uitam & immortalitatem per Christum esse reparatam. Idem ubique animarum immortalitatem tam clarè asseuerat, ut cæcus sit qui non uideat.

2. Tim. 1.

S. Ioannes Apostolus & Euangelista uidet in cœlis sub ara, id est, sub patrocinio Christi, qui est hostia & propitiatio pro peccatis mundi, latitantes animas uiuentes atque clamantes: Vsquequo Domine non uindicas sanguinem nostrum? Videt easdem indui uestibus candidis, donariq; requie sempiterna. At erant istæ animæ martyrum Christi animæ, quorum corpora cæsa interierant in terra sub tyrannis & persequutoribus fidei Christianæ: immortales sunt itaque animæ hominum. Ideoq; uerissima adeoq; indubitata sunt quæ leguntur in libro Sapientiæ his

Apoc. 9.

prodita

prodita uerbis: Iustorum animæ in manu Dei sunt,& non tanget illos tormentum mortis. Insipientium iudicio mori uidentur: calamitosus existimatur exitus eorum & discessus à nobis exitialis, cùm illi fruantur felicitate. Etenim dum crucian tur in conspectu hominum, spem alunt plenam immortalitatis, & leuiter uexati ampla beneficia consequentur. Quoniam Deus tentauit eos & se dignos comperit. Tanquam aurum in fornace probauit eos,& ut solidum sacrificium excepit. Itaque tempore uisitationis suæ effulgebunt, & ut in stipulis scintillæ discurrent. Iudicabunt gentes, dominabunturq; populis, & regnabit in eis Dominus in perpetuum. Verissimè ergo & secundum scripturam canonicam pronunciant Definitiones ecclesiasticæ 16. cap. Solum hominem credimus habere animam substantiuam, quæ exuta corpore uiuit,& sensus suos atque ingenium uiuaciter tenet. Non cum corpore moritur, sicut Aratus asserit: neque post modicum interuallum, sicut Zenon dicit: quia substantialiter uiuit. Animalium uerò animæ non sunt substantiuæ, sed cum carne ipsa carnis uiuacitate nascuntur, & cum carnis morte finiuntur moriunturq;. *Sap. 3.*

Veritas porrò illa de animarum immortalitate, ueluti lege naturæ inscripta est mentibus omnium hominum. Vnde nihil mirum, quòd sapientissimi quique inter gentes nunquam sustinuerunt animam appellari mortalem. Consensus enim omnium, qui naturæ uox putatur, præcipuè maiorum, declarat animas immortales. Idq; etiam asserit M. Tullius: Vt, inquit, deos esse natura opinamur, qualesq; sint ratione cognoscimus, sic permanere animos arbitramur, consensu nationum omnium. Omnes itaque prisci, & omnes qui eos insequuti sunt, animos æternos dixerunt, Trismegistus, Musæus, Orpheus, Homerus, Pindarus, Pherecydesq; Syrus Pythagoræ præceptor, & huius discipulus Socrates. Ipse Plato, qui ut Pythagorea disceret, in Italiam nauigauit, de animarum immortalitate non sensit idem modò quod Pythagoras, sed rationes etiam attulit. Hæ rationes, teste Tullio, plures sunt, ut qui legat librum eius, non uideatur aliquid desiderare amplius. Seneca tam clarè animorum immortalitatem asserit, ut nihil clarius. Nam idem fecit Epictetus insignis philosophus, Senecæ synchronos. Si qui ergo supersunt homines leues, quibus dubia esse uidetur animarum immortalitas, aut qui hanc prorsus negant, hi certè hominum nomine indigni sunt. Nam pestes sunt reipublicæ & bestiæ, digni qui hominum explodantur abdicanturq; consortio. Freno enim caret, pudoremq; omnem abstersit, & ad omne nephas patrandum instructissimus est, quisquis credit animam hominis esse mortalem. *Omnes sapientes docuerunt animas esse immortales.*

Demonstraui separatas per mortem à corporibus animas hominum non interire sed uiuere superstites, restat ut porrò doceam ubinam destitutæ corporis domicilio agant aut uersentur. Dum coniunctæ essent corporibus, his ceu domicilijs suis utebantur, ita ut quamuis dicantur loco non circunscribi, non errarint tamen extra corpora sua, uerùm in ipsis ceu ergastulis ad dissolutionem usque fuerint uelut conclusæ. Illæ ipsæ ergo à corporibus iam dissociatæ, cùm sensus suos, ingenium suum, totamq; substantiam suam uiuaciter retineant, etsi ne nunc quidem loco circunscribi dicantur, non diffluunt tamen aut dissoluuntur, nuspiam existentes, sed compactæ in sua essentia alicubi sunt iterum, habentes non noua quidem corpora (liberæ enim sunt ad iudicium usque, quo denuo corporibus con iungentur) sed tamen certa sibi à Deo parata in quibus degant domicilia. Per me sanè licet alij perquàm acutè & subtiliter disputent, quomodo spiritus loco contineantur, uel non contineantur: ego simpliciter cum scriptura assero, animas à corporibus separatas colligi uel in ipsum cœlum, uel demergi in tartara, atq; eas ibi sic *Vbinam agant animæ separatæ à corporibus.*

Lucæ 16. uersari, ut cum hîc sint alibi non sint. Nam Dominus in Euangelio dicit significantissimè Lazari mendici animam delatam esse in sinum Abrahæ, diuitis autem epulonis deiectam in tartara. Quinimò sequitur protinus in historia, Inter nos & uos (colloquuntur autem animæ beatæ & infelices) hiatus ingens firmatus est, ut hi qui uolunt hinc transire ad uos, non possint, neque inde huc transcendere. Iam &
Phil. 1. S. Paulus dissolui cupit & esse cum Christo. Dissoluimur morte: migrante enim anima dissoluitur & concidit corpus, anima ad Christum euolat. Christum uerò indicat nobis scriptura in cœlis ad dexteram patris. Cœlum autem ubi sit, nemo
Ioan. 14. nescit. Et nos aliàs ea de re copiosius disputauimus. In Euangelio secundum Ioannem ipse Dominus animarum contubernium animabus à corporibus separatis paratum, & locum appellat & mansionem seu habitationem: his insuper adiectis uerbis: Assumam uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Ideoque uidet beatus Io-
Apoc. 6. annes in cœlo animas sub ara uel patrocinio Christi degentes atque conquiescentes. Illuc enim excedentes ex corporibus ad semetipsum collegerat. Hu[illegible]tinet elegans & mirè huic negotio accommodus beati Pauli Apostoli locus, his uerbis
2. Cor. 5. in 2. ad Corinth. conscriptus: Scimus quòd si terrenum nostrum domicilium tabernaculi destruatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. Et reliqua. En dum corporibus nostris fuerunt coniunctæ animæ nostræ, hæc ceu domos suas inhabitarunt, deiecta autem domo corruptibili, aliam animę meliorem & diuturniorem extruxit Deus, ipsum, inquam, cœlum, in quod excedentes ex corporibus benignè recipit. Nã corpus ipsum quale nunc habemus, appellat domicilium tabernaculi. Sicut enim tabernacula leui materia nec solido fundamento ad breue tempus extruuntur, deinde paulò post diruuntur aut sponte cadunt: ita corpus mortale datum est hominibus ueluti caducum tugurium, quod paucis diebus incolant, mox autem migrent. Simili allegoria usus est & S. Petrus 2. Petri 1. Huic opponit ædificium durationis perpetuæ, ipsum, inquam, cœlum. Cùm enim dixisset nos habere ædificationem ex Deo, per interpretationem subiungit: Domum non manufactam. Et adhuc clarius: Æternam in cœlis. Nec impedit aut alium sensum suppetit quod mox sequitur: Desideramus domicilium nostrum quod è cœlis est superinduere. Nam è cœlis perinde sonat ac si tu dicas cœleste: domicilium ergo animæ cœleste uel ipsum cœlum est, locus, inquam deputatus beatis spiritibus. Enimuero habitabit in cœlis anima fidelis ad
Redit anima ad corpus, sed non ante iudicium. eum usque diem, quo iudicabit Dominus totum orbem iudicio illo suo uniuersali: tunc demum redibit ad corpus resuscitatum, ut post iudicium totus homo corpore & anima apud Deum æternùm uiuat. Sic enim testatur Paulus, Ipse Dominus cum hortatu ac uoce archangeli ac tuba Dei descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primùm: deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, simul cum il-
1 Thess 4 lis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aera, & sic semper cum Domino erimus, in cœlis nimirum quæ supra nos sunt, ubi nubes conspiciuntur. Proinde omissis uanis speculationibus disputationibusque curiosis, credamus domicilium paratum à Domino separatis à corporibus animis in cœlo, in quod recipiantur fideles, rursus paratum esse ignem æternum, in quem coniiciantur omnium infidelium animæ.

Quomodo animæ transferantur ad locum sibi destinatum. Docuimus cœlum esse sedem uel habitationem separatis à corporibus animabus recipiendis à Deo paratam, reliquum est ut ostendamus quomodo & quando illuc à morte transferantur. De modo non possum aliud dicere quàm ipsum esse Deo plenè cognitum, nobis uerò quantum satis uidebatur in scripturis adumbratum, nempè quòd per angelos animas subducentes motu fiat celerrimo. In euangelio

gelio enim dixit Dominus animam Lazari ab angelis deportatam in sinum Abrahæ. De qua re & superius diximus, cùm concionaremur de Angelis bonis. Qualis uerò motus ille sit, naturalis an supernaturalis, scrutari nolo. Credo Deum perficere ac præstare quod promisit. Promittens autem, dixit: De morte transiuit ad uitam. *Ioan. 5.* Rursus Latroni dixit: Hodie eris mecum in paradiso: ueluti momento totam illam delationem comprehendens. *Lucæ 23.* Hîc illud quoq; necessariò adijcimus, beneficio Christi deferendum esse quòd in cœlos rapimur. Ipse enim est ostium & uia.

Quando autem transferantur animæ in cœlos uel deijciantur in inferos, quæstio uidetur hodie non tantùm utilis, sed etiam modis omnibus necessaria quæ excutiatur. *Quando transferantur animæ in cœlum.* Etenim sunt nostro seculo malè feriati homines, qui puram huius caussæ simplicitatem corruperunt. Inuenias enim dicentes animas è corpore migrantes non rectà tendere in cœlum, sed ueluti lethargo correptas, in ultimum usque diem iudicij dormire. Inuenias alios contendentes animas non nisi exactissimè purgatas igne lustratorio, quem ipsi appellant purgatorium, euolare in sedes beatas. Quasi intercipiantur à piratis & prædonibus medio in itinere, conijcianturq; in tormenta, donec uel ipsæ satisfaciant, uel alij pro eis uelut æs alienum contractum exoluant. Ego utrunque nego & pernego: assero autem animas non dormire, nec à morte corporea tormentis lustrari ullis, sed uigilantes, uiuentes, & à supplicijs quibusuis liberatas, à morte corporea protinus & in puncto quidem, uel in cœlos deportari, uel demergi in tartara.

Dormitantij uerò nihil quod pro lethargo suo afferant, habent, nisi quòd scriptura non rarò fata describens sanctorum meminit somni & obdormitionis. *Animæ separatæ à corporibus non dormiunt.* Obdormiuit & additus est ad patres suos. Et Paulus dixit: Nolo uos ignorare de dormientibus, cùm loqueretur de morientibus. *1 Thess. 4.* Cæterum sicut animæ coniunctæ adhuc caduco huic corpori nunquam dormierunt neq; dormire potuerunt: ita liberatæ ab onere corporis multò minus dormire credendæ sunt. Ad corpus itaq; refertur obdormitio. Nam obdormit in Domino quicunq; in uera fide moritur. Sicut autem dormientes recreatis somno artubus mox euigilant, surgunt & operantur: Ita morte non extinguitur corpus prorsus ne aliquando reuiuiscat, sed recipitur nunc quidem in quietem, ad iudicij uerò diem rursus resurgit, & uiuit: ac propterea obdormire non mori dicuntur in scripturis sancti, ut mysterium resurrectionis carnis nostræ significetur. Id quod non uident crassi isti homines, unde animæ tribuunt quod corporis proprium est. Alia argumenta quæ ad stabiliendam uæsaniam suam proferunt, indigna sunt quæ recenseantur. Vel enim scripturas uiolenter à natiuo sensu detorquent, uel corrupta ratiocinatione falsa ex falsis colligunt.

Qui uerò opinantur animas à corpore migrantes non rectà & e uestigio tendere in cœlum, sed abripi itinere medio in ignem illum purgatorium, in quo lustrentur à sordibus peccatorum in carne contractis, deinde purificatas in conspectum sanctissimi Dei ab angelis deferri, dormitantijs nihil tolerabilius hallucinantur. *Animæ separatæ à corporibus non deferuntur in purgatorium.* Vel enim purgantur animæ igne illo purgatorio à peccatorum sordibus, uel abluuntur aut lustrantur dolore aut cruciatu tormentorum quæ ibi perferunt. Si uirtute illius ignis purgantur peccata, consequens est, non solo filij Dei sanguine peccatores sanctificari. Quibus uerò scripturis approbarunt nobis uim illam purgandi datam esse igni? An uerò mutauit Deus consilium suum & ignem hunc pro Christo sanctificatorem instituit? Proh pudor. Si uerò propter nostra tormenta remittuntur peccata, ergo non propter crucem & passionem Christi duntaxat purificamur. Doceant illi nos ex scriptura id meriti concessum esse à Deo nostrę passioni. Cæterum solo Christi sanguine & passione sanctificantur omnes quotquot

Purgatorium quid

sanctificantur, ergo purgatorium est commentum diaboli impium, quod Christi crucem ac meritum obscurat, imò & euacuat. Quid enim illis est purgatorium, nisi satisfactio pro peccatis, facta ab animabus separatis à corporibus? Mouetur in Euangelio Ioannis quæstio à discipulis beati Baptistæ de purificatione animarum. Ac Baptista demonstrat fideles fide per Christum purificari: id quod & sancto baptismo attestatus creditur. Præstantissimi denique Apostoli disertè testificantur solo Christi sanguine & passione unica, & merito eius absolutissimo omnes fideles mundari. Nam Petrus qui in Actis dixit: Non est in alio quoquam salus: Nec enim aliud nomen est datum inter homines in quo oporteat nos saluos fieri: idem, inquam, scripsit in canonica sua priore: Scitis uos redemptos esse non caducis rebus, uelut argento & auro, sed pretioso sanguine agni immaculati. Ioannes quoque Apostolus, Et sanguis, inquit, Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato. Et idem iterum: Christus dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris per sanguinem eius. Paulus uerò ad Ephesios & ad Titum demonstrat nos solo filij Dei sanguine purificari. Ad Hebræos: Per semetipsum, ait, purgauit peccata nostra, & consedit in dextra Dei in excelsis. Per semetipsum significanter dixit, ut alia omnia excluderet. Nam alibi sic pronunciauit: Si ex lege est iustitia, ergo Christus frustra mortuus est. Ad eundem enim modum argumentamur & nos: Si igne purgatorio mundamur, ergo Christus frustra fudit sanguinem purificandis nobis. Quid enim opus erat ipsum supplicio affici grauissimo, si igne potuimus lustrari purgatorio? Præterea uniuersa scriptura docet nos, Christum esse satisfactionem & propitiationem nostram unicam. Id quod alijs in locis copiose ostendimus. Idcirco animæ non satisfaciunt in purgatorio, nisi Christum superuacaneum hominibus esse fateri uelimus.

Solo Christi sanguine purgantur animæ. Ioan. 3. Actor. 4. 1. Pet. 1. 1. Ioan. 1. Apoc. 1. Ephes. 5. Tit. 3. Hebr. 1. Galat. 2.

Suppingunt isti uim purgãdi purgatorio igni datam esse ex gratia uel sanguine & merito Christi, purgareq́ hunc non sua uirtute, sed filij Dei potentia. Cæterum confinxerunt hoc quoq́ nequissimè. Nam scriptura ubique remittit (quod & modò diximus) ad filium Dei & pretium sanguinis & emundationis eius, cuius participes nos fieri docet in hoc seculo uiuentes per fidem & spiritum sanctum: purgatorij autem ne uerbo quidem uspiam meminit: nuspiam dicit in alio seculo nos purgari gratia Dei. Suffurantur ergo isti gloriam filio Dei propriam, & communicant igni prorsus fictitio & blasphemo, deniq́ aliud tempus gratiæ constituũt extra hoc seculum, quod à scripturis alienum est prorsus. Clamauit enim in Euangelio Dominus noster: Me oportet operari opera eius qui me misit, donec dies est. Venit nox quando nemo potest operari. Et Paulus: Operemur bonum, inquit, id est, benefici & liberales simus in pauperes, dum tempus habemus. Id quod sumpsisse uidetur ex Ecclesiasta Solomonis, dicentis: Cùm nubes impletæ fuerint, pluuiam effundunt in terram: & cùm arbor ceciderit uel ad Austrum, uel ad Aquilonem, in quemcunq́ locum ceciderit, in eo permanebit. Allegorijs enim utitur duabus, quibus diuites liberalitatem docet. Prima sumitur à nubibus. Nubes ex terra colligunt uapores, qui condensati mox ceu è spongia exprimũtur effunduntur in terram, ipsam rigantes. Idipsum faciant diuites, conquisitas ex hominibus opes in homines iterum spargentes. Secunda sumitur ab arboribus, quæ excisæ in ijs locis manent in quos cadunt. Monet ergo sapiens, opportune faciamus quod facturi sumus, ubi enim hinc excesserimus nullum esse locum pœnitentiæ. Et in Euangelio arbor non rarò ponitur pro homine, ubi & dextrum ponitur pro loco beato, sinistrum pro loco damnationis. Dicit ergo: Vbi mortuus fueris, in damnatione uel beatitudine semper manebis. Diuinis consonant humana. S. Cyprianus

Ioan. 9. Galat. 6. Eccles. 11.

Cyprian

nus enim contra Demetrianum dixit: Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hic uita aut amittitur aut tenetur. Hic saluti æternæ, cultu dei, & fructu fidei prouidetur.

Obijciunt rursus purgari quidem animas à corpore decedentes sanguine filij Dei, sed non plenè, remanere enim aliquid sordium in purgatorio eluendarum. Discedere enim illas non plena fide ex hoc seculo, & idcirco non prorsus bonas: rursus cum aliquid eis sit fidei, non esse prorsus malas: & quoniam non sint bonæ prorsus, in cœlum ingredi non posse: rursus cum non omnino pessimæ sint, non posse ipsas damnari, itaq; relinqui locum medium in quo ad plenum excoquantur, & demum purificatæ sistantur conspectui dei. Cæterum fingunt isti pro more suo quod uolunt. Nos uerò scripturis sanctis demonstrauimus, solo sanguine filij dei per fidem non per purgatoriū purgari animas fidelium: ostendam porrò consequentibus etiam, ad plenum, id est, absolutissimè unica Christi hostia purificata esse omnium hominum peccata, præterea gratia dei in sanguine Christi condonari in articulo mortis, quicquid infirmitatis & reliquiarū peccati remanet in decedentibus à corpore fidelium animabus. Dominus enim in euangelio dicit: Qui lotus est non opus habet nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. En totus, inquit, mundus est, qui lotus est gratia Christi, sic ut coinquinatio pedum, infirmitas, inquam, & imperfectio remanens post regenerationem, non possit eum redigere in numerum impurorum. Nam dominus iterum in euangelio dicit: Ego sanctifico meipsum pro eis, ut sint & ipsi sanctificati per ueritatē. Tradidit semetipsum dominus in hostiam pro peccatis nostris, ut nos sanctificaremur, id est, purgaremur à peccatis uerè, id est, plenè & perfectissimè. Paulus enim dixit: Vnica oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui sanctificantur. Obseruate quæso apostolica uerba: Christus unica, en unica dicit oblatione, perfectè sanctificauit omnes quotquot sanctificantur, hæredesq; fiunt uitæ æternæ. Hinc nos colligimus: Si unica Christi hostia semel pro nobis oblata, purificantur omnes animæ, & perfectè quidē purificantur, ita ut nihil desit purificationi, quid obsecro inuenit purgatorium quod purificet? Figmentum est ergo impudens diraq; blasphemia contra meritum purificationis Christi Iesu filij dei. Resarcit hic in hoc adhuc seculo sua gratia, si quid iam decedenti animæ diminutum aut deesse uidetur. Impia uox est & indigna quæ audiatur inter Christianos populos, nostra passione in purgatorio expleri quod nondum plenè expiatum est sanguine & passione Christi. Quasi uerò passio nostra, filij dei passione præstantior sit efficaciorq;. Obijciunt isti nobis fidei imbecillitatē in morientibus: nos uicissim illis opponimus dei misericordiam suos fideles plenissimè absoluentem. Pater lunatici euangelicus auxilium postulans à domino, audit: Si potes credere (me uidelicet filium tuum sanare posse) omnia possibilia sunt credenti. Et quamuis sentiret hic fidem suam non esse omnino absolutissimam, sed plurimum superesse imbecillitatis, diuinum tamen auxilium infirmitate eius non impediebatur. Quia enim supplex se totum conijciebat in misericordiam domini, obsecrans & dicens, Credo domine, succurre incredulitati meæ, succurrit dominus illico, & citra dilationem sanauit puerum eius. Ita dubium non est, dominum clementissimum fidelibus suis quibus ueniam promisit plenissimam, in hora mortis agnoscentibus infirmitatem, ideoq; & implorantibus misericordiam & ueniam, non deesse, sed egredientem iam animam mox perfectè spiritu suo propter Christum sanctificare, & omni genere charismatum ornare, ut uerè purgata ab omnibus peccatorum sordibus euolet, mereaturq; in conspectu dei apparere. Hoc uerò morientibus inculcandū fuerat.

Plene purgari animas sanguine Christi.

Ioan. 13.

Ioan. 17.

Hebr. 10.

Marci 9.

Extant enim amplissimæ dei promissiones. Extant multorum sanctorum morientium & inuocantium exempla. Constat præterea ex his quæ iam attulimus, per Christi mortem plenè expiata esse peccata: ut iam nihil amplius relinquatur purgatorio igni expurgandum. Euolant animæ rectà à morte corporea in cœlum, nihil secum auferentes expurgatione dignũ. Ergo ignis ille purgatorius nihil aliud est reuera, quàm auarissimorum hominum negotiatio, qua loculos, non animas, pauperum & diuitum artificiosè expurgant.

De orationibus pro defunctis.

Hi ipsi ruenti structuræ purgatorianæ protinus subijciunt fulcra duo. Prius, Veteres, inquiunt, orarunt pro salute animarum à corpore separatarum, est ergo purgatorium. Nam cum in cœlis non opus habeant precibus, in inferno preces nihil prosint, cum ex inferis nulla sit redemptio: relinquitur certè locus medius, in quo retineantur animæ, quibus prosunt orationes uiuentium, is est purgatorium. Sic illi quidem argumentantur, sed ex seipsis sine authoritate scripturarum confingentes omnia. Verũ sanè illud est quod aiunt ueteres orasse pro defunctis. Scio quid doctor ecclesiæ insignis Augustinus, quid eloquentissimus Chrysostomus alijq; uiri uetusti ac clari hac de re scriptũ reliquerint. Sed quæro num hi rectè fecerint quod fecerunt? Non enim omnia quæ dixerunt & fecerunt sancti patres, qui non rarò nonnihil humani passi sunt, absolutè sunt probanda uel imitanda. Probanda & imitanda non sunt quæ proferuntur ab eis (id quod ipsi etiam fatentur ingenuè) contra scripturarum decreta, sed illa duntaxat quæ sunt scripturarum sanctarum authoritate confirmata atq; prodita. Illæ copiosè & apertè quicquid in doctrina pietatis cognitu est necessarium, complectuntur. Verùm nihil inuenias in eis de oratione pro defunctis. Quod enim quidam adferunt ex secundo Machabæorum libro, nihil probat. Liber enim ille non est canonicus. Id quod uel ex Hieronymo dudum didicisse oportuerat. Adijciunt orationem pro defunctis traditionem esse Apostolorum non scriptam. Audio. Verùm sat scio traditiones non scriptas non pugnare cum scriptis Apostolorũ. Sat scio scripta Apostolorum nullibi præcipere orationes pro mortuis, nullibi his suffragari. Cum Apostolus Paulus Thessalonicẽ. hortaretur ut mortem suorum æquanimiter tolerarẽt, ac tum maximè opportunum fuisset præcipere de orationibus pro mortuorũ spiritibus offerendis, si modò illas utiles & necessarias putauisset, nullam tamen earum facit mentionem, imò simpliciter docet quid credant de separatis à corporibus fidelium animabus, nempe quòd agant in beatitudine æterna apud Christũ, expectantes corporum suorum resurrectionem. Quis autem non uideat hanc firmitatem simplicitatemq; doctrinæ apostolicæ, traditione illa apostolica ficta concuti & implicari periculosissimè? Si enim in Christum credimus, fidem uerbis ac promissis eius habeamus. Dixit hic se esse fidelium resurrectionem & uitam, animasq; credentium iam inde à morte corporea transiuisse in uitam. His, inquam, ueracissimis domini uerbis si credimus, quid adhuc soliciti pro mortuorum spirituum salute, quasi nondum salutem consequuti sint, deprecamur? Apertum sanè precibus his nostris argumentũ edimus, de nostra nos fide addubitare, & de animarum salute non id sperare quod & uerbis profitemur & sperare iubent uerba Christi & Apostolorum. Fides certè & spes firma credentium & innitentiũ Christi promissionibus, prohibent hic atras in oblationibus pro defunctis uestes sumere, quorum animas indumenta alba iam sumpsisse credimus: prohibent occasionem dare uel incredulis uel imbecillibus in fide, meritò nos reprehendendi, quòd eos quos apud deum uiuere dicimus, ut in ignem coniectos lugeamus, deoq; supplicantes miseros ex tormentis liberare satagamus, id est, fidem quam sermone & uoce

August. epist. ad Fortu. 111. et epist 112.

2 Macha. 12.

1. Thess. 4.

uoce depromimus, cordis & pectoris imò & externorum operum testimonio reprobemus. Si ita pergamus, spei profectò fideiꝗ nostræ præuaricatores sumus. Simulata, ficta, fucata uidetur esse quæ dicimus. Nihil autem prodest uerbis proferre uirtutem, & factis destruere ueritatem. Recipiat ergo traditionẽ illam apostolicam, ut uocant, de orationibus offerendis pro fidelibus defunctis, qui uelit, ego nihil pugnans cum uera fide & doctrina apostolorum recipio, nec id cuiquã recipiendum suadeo. Illud quoꝗ dissimulare non possum, id quod isti Traditionem Apostolorum appellant, S. Augustinum nuncupare traditionem patrum ab *Augustinus* ecclesia receptam. Nam sermone de Verbis Apostoli 32. Hoc à patribus inquit, traditum uniuersa obseruat ecclesia, ut pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemoratur, oretur, ac pro illis quoꝗ id offerri commemoretur. Et iterum de Cura pro mortuis gerenda, cap. 4. Non sunt prætermittendæ, ait, supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumꝗ sub generali commemoratione, suscepit ecclesia. Hæc ille. Qui tametsi alicubi Traditiones Apostolorum latius extendat, his tamẽ significantius innuere uidetur hunc ritum orandi pro defunctis ecclesiæ à patribus traditum, & haud dubiè post longa interualla à temporibus Apostolorum ab ecclesia esse receptum. Idem ille Augustinus contendit non uno loco eucharistiæ perceptionem, perinde ut baptismum, infantibus iam iam ex utero materno effusis ad salutem consequendam esse necessariam. Loci insigniores quibus id agit sunt lib. 1. contra Iulianum Pelagianum, & c. 1. lib. de Peccatorum meritis & remissione contra Pelagianos. Nec segniore studio id dogmatis quàm traditionem urget, quòd id eo seculo in ecclesia esset receptissimum. Quis uerò eum ritum hodie recipit ut apostolicũ? Quis non uidet optimos illos patres & fidelissimos alioqui pastores ea in re humani aliquid passos esse? Pluris meritò fit hodie scriptum Apostoli Pauli, quàm antiqua illa ecclesiæ traditio. Scribit Paulus: Probet seipsum *1. Cor. 11.* homo, & sic de pane edat & de calice bibat. Inde intelligunt omnes, adultorum, non infantium esse eucharistiam. Ea de causa licuit maioribus nostris traditionem illam deserere, & propius accedere ad scripturam. Permittant itaꝗ nobis quoque hac in caussa discedere à patrum traditione incerta, & inhærere fidei certissimæ, scripturæꝗ apostolicæ.

Verùm damnatus est, inquiunt, hoc nomine Aerius, quòd inutiles crederet *Damnati Aeriani.* orationes pro defunctis. Scio equidem damnatum esse Aerium, nec illũ mihi defendendum sumpsi, quem Arianũ fuisse Phylastrius, Epiphanius & Augustinus commemorant, alijsꝗ fœdis pollutum erroribus. Quod autem preces pro defunctis attinet, utiles ne an inutiles sint, dubium non est catholicos non hereticos esse qui credunt quod traditum est symbolo apostolorum. Credimus autem iuxta huius traditionem, Remissionem peccatorum, Huius carnis resurrectionem, Et uitam æternam. Hæc qui credunt, assequuntur ea proculdubio quæ credunt. Dixit enim Centurioni dominus: Abi, & quemadmodum credis, ita fiat tibi. Ergo quis- *Matth. 8.* quis crediderit remissionem peccatorum & uitam æternam, remissionem peccatorum consequutus est, ac uiuet certò uita æterna. Id si uerum est, ut falsum esse non potest, quod symbolo apostolorum nobis traditum est, quis oro locus erit orationibus pro defunctis? Nam defunctis remissa sunt peccata, ergo remoræ ad uitã sublatæ sunt omnes, itaꝗ uiuunt apud deum. Qui uerò non crediderunt, sua retinuerunt peccata, & demersi ad tartara hærent in luto inferni. Quæ cum indubitanter ita habeant, certè non habent ullum usum neꝗ apud deum neꝗ apud fideles,

orationes pro defunctis. His accedũt tot sanctorum utriusq; testamenti exempla, præferenda & traditionibus & condemnationibus hominum. Quis oro sanctorum patrum unquam orauit pro suis defunctis? nunquid Adam pro Abele suo? nunquid filij pro patre suo Adamo? Quas preces obtulit deo pro anima defuncti patris Thare, ꝑ anima uxoris suæ chariss. Saræ Abrahã? Quas preces fuderũt pro patre mortuo Isaaco Esau & Iacob? pro Iacobo duodecim filij Israelis? pro Dauide Solomon? In nouo Testamento decollatur ab Herode Ioannes Baptista, lapidatur à Iudæis Stephanus, truncatur ab Agrippa capite Iacobus, sepeliunt eorum corpora discipuli ipsorum, iustaq; peragunt religiose, sed in tot funeribus nulla fit mentio orationis pro animabus defunctis. Crediderunt enim eas à morte protinus delatas esse in uitam æternam. Quis ergo imponat nobis post tot celebria sanctorum exempla, & post tam claram catholicæ & orthodoxæ fidei professionem, necessitatem orandi pro animabus defunctorum? Quis uerò hæreticos esse posthac dixerit, qui opere complemus quod professione fidei uel oris cõfessione profitemur, imò qui nihil aliud facimus, quàm quod ante nos fecerunt celeberrimi utriusq; Testamenti cultores Dei?

Apparitio spirituum.

Posterius fulcrum, quod substituunt ruinæ purgatorij sui, est apparitio spirituum. Rabanus enim episcopus ex Gregorij Papæ & uenerabilis Bedæ testimonijs ostendit, perfrequenter apparuisse mortuorum animas, ac edocuisse, oblationes & preces permultum ipsis prodesse. Cæterum miror uiros nonnullæ eruditionis, negotium suum tam ruinosis imposuisse fundamentis. Prohibet enim dominus in lege sua ueritatem sciscitari, ex mortuorum spiritibus. In prophetis ab huiusmodi oraculis relegamur ad legem & testimoniũ. Apud Lucam clamat in tormentis diues epulo, & ait: Rogo te pater Abraham, ut mittas Lazarum in domũ patris mei. Habeo enim quinq; fratres, ut testetur illis, ne & ipsi ueniant in locum hunc cruciatus. Sed audit: Habent Mosen & prophetas, audiant illos. Cumq; diues respondisset: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, resipiscent. Iterum audit: Si Mosen & prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit credent. Certissimum est ergo & euangelica authoritate confirmatum, ne beatas quidem animas nobis mitti à deo quæ nos aliquid doceant. Impias & condemnatas quis oro audiat? Relegat nos omnes ad scripturam canonicam Christi euangelium. Vnde iam consequens est, nullius momenti imò fallacissima & mendacissima esse testimonia, quæ petuntur ex oraculis aut apparitionibus spirituum mortuorum.

Deut. 18. Isaiæ 8. Lucæ 16.

Animas à corporibus separatas non oberrare in his regionibus.

Diuinis testimonijs accedunt etiam humana, quæ interim nos erudiunt, non posse animas à corpore separatas in hisce oberrare regionibus. Nimis longa sunt quæ hac de re doctè disputat Tertullianus in fine propemodum libri sui de Anima, huc tamen tendunt omnia, ut ostendat animas à corporibus suis separatas, & suis locis destinatas, non redire iterum in hoc seculum. Obiectioni quorundam iactantium artem magicam, sed & uirtute diuina multos ex mortuis in hanc uitam redijsse, respondet: Sed etsi quasdam reuocauit in corpora dei uirtus, in documenta iuris sui, non idcirco communicabitur fidei & audaciæ magorum, & fallaciæ somniorum, & licentiæ poetarum: atquin in resurrectionis exemplis, cum dei uirtus siue per prophetas, siue per Christum, siue per apostolos in corpora animas repræsentat, solida & contrectabili & satiata ueritate præindicatum est hanc esse formam ueritatis, ut omnem mortuorum exhibitionem incorporalem præstigias iudices. Chrysostomus ergo Homelia in Matth. 29. interrogans: Quid ergo respondebimus ad illas uoces. Anima talis ego sum? excipit, Nõ anima defuncti est quæ

ista di-

ista dicit, sed dæmon qui hæc ut audientes decipiat effingit. Et mox: Quare uetularum hæc uerba imò desipientium ducenda sunt & puerorum ludibria. Et iterũ: Non potest anima à corpore separata in his regionibus errare. Iustorum animæ enim in manu dei sunt, infantium quoq; similiter: non enim peccarunt. Peccatorũ uerò post hunc exitum CONTINVO abducuntur: quod à Lazaro & diuite planum efficitur. Sed alibi quoq; dominus ait: Hodie animam tuam abs te repetent. Non igitur potest anima cum à corpore abscesserit apud nos hic errare: nec id iniuria. Nam si qui iter faciunt cum in ignotas regiones inciderint, nesciunt quo ituri sint nisi ducem habeant: quanto magis anima relicto corpore cum nouã sibi omnino uitam & uiam ingrediatur, quo itura sit ignorabit nisi ducem consequatur? Multis è locis scripturæ comprobari potest, non errare hic post mortem iustorum hominum animas. Nam Stephanus ait: Suscipe spiritum meum. Et Paulus resolui ac cum Christo esse desiderabat. De Patriarcha quoq; scriptura dicit: Et appositus est ad patres suos, mortuus in senectute bona. Quòd uerò nec peccatorũ animæ hic commorari possunt, diuitem audias quid dicat, perpendasq; quid petat & non impetret. Quòd si possent animæ hominum hic cõuersari, uenisset ipse ut cupiebat, & suos de tormentis inferni fecisset certiores. Quo ex loco scripturæ illud etiam patet apertè, quòd post exitum à corpore in locum quendam certum animæ deducuntur, unde redire sponte sua non possunt, sed terribilem illum iudicij diem ibi expectant. Hæc hactenus ex Chrysostomo.

Sapient. 3. *Lucæ 12.* *Actor. 7.* *Philip. 1.* *Gene. 25.* *Lucæ 16.*

His opponunt Samuelis apparitionem petitam ex scripturis sanctis, qua probare contendunt animas post fata redire, & homines erudire de interrogatis. Respondemus paucis: Samuelem per tropum appellari personatum illum qui uidebatur quidem esse, reuera autem non erat Samuel. Reuera enim erat spectrum præstigiúmue ac illusio satanica. Nam magia districtè prohibetur in lege domini: non ergo obtemperant prohibitis nephandisq; artibus beati spiritus: qui carni adhuc coniuncti illas modis omnibus oppugnantes exhorruerunt: damnati autẽ spiritus in illis sese exercent. At quis credat horum oraculis? Sed prædixit Samuel ille, inquiunt, quod postridie euenit? Quid tum postea? Non difficile hoc erat dæmoni, quippe cum dudum pleraq; prædixisset uiuens & uerus Samuel, sed & ex re præsenti castrorumq; trepidatione solers ille iudicium dei futurum prænosceret. Tertullianus in libro de Anima: Absit, inquit, ut animam cuiuslibet sancti, nedum prophetæ, à dæmonio credamus extractã, edocti quòd ipse satanas transfiguretur in angelum lucis, nedum in hominem lucis, etiam deum se asseueraturus signaq; portentosiora editurus ad euertendos si fieri posset electos, &c. Idem de eadem apparitione iudicat & beatus Augustinus libro ad Simplicianum 2. quæst. 3. & ad Dulcitij quæst. &c.

Samuel à morte sua Sauli non apparet. *2. Sam. 28.*

Istis uerò abundè demonstratum spero, animas hominum separatas à corporibus non errare aut apparere post mortem in hisce regionibus. Nam ad iudicium usq; manent in destinatis sibi dei sentẽtia locis. Proinde à domino nec mittuntur, nec ipsæ possunt ingredi ad homines erudiendi aut monendi gratia, uel de præsentibus uel de futuris rebus. Vnde iam consequens est, animarum apparitiones, reuelationes oraculaq;, meras esse illusiones satanæ, institutas contra synceritatem & puritatem religionis ueræ. Et quoniam horum præsidio utuntur qui purgatorium nobis approbare contendunt, indubitatum est illos falsum probare per fallaciam, & incertum per longè incertius: indubitatum præterea relinquitur, scripturis non posse ostendi esse purgatorium, in quo animæ corpore suo exutæ purgentur ad uitam sempiternam.

Animas certò & mox à morte corporea beari.

Et quoniã remoras expeditissimo iniectas itineri amouimus, redimus ad institutum nostrum, quo proposuimus demonstrare animas fidelium per mortem separatas à corpore, rectà & e uestigio à morte corporea transire in cœlum, atque ita certissimè & derepente saluari. Similiter intelligimus animas infidelium rectà demergi ad inferos, & protinus à morte corporea, certissima & repentina damnatione perire. Dominus enim in euangelio disertè dicit: Qui credit in filium dei, non iudicatur: qui uerò non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. Item, Qui credit in filium Dei, habet uitam æternam: qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira dei manet super eum. Et iterum, Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam: & ego suscitabo eum in nouissima die. Hominis autem nouissima dies, est articulus mortis: in eo seruat nos uirtute sua Christus, ne anima nostra uel pereat uel tormenta ulla sentiat, sed uiuat & beatitudine fruatur. Est præterea dies nouissima, ultima illa iudicij dies, qua Christus resuscitabit & iudicabit omnem carnem, corpora fidelium suorum glorificans ad uitam sempiternam.

Ioan. 3.

Nouissima dies hominis.

Ioan. 5.

Rursus dicit in euangelio dominus: Amen amen dico uobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui me misit, habet uitam æternam, & in iudiciũ non ueniet, sed transiuit à morte in uitam. Sola hæc domini uerba irrefragabiliter sententiam nostram de certissima & repentina animarum salute, abunde satis & proponere, & declarare, & probare confirmareq́ possunt. Principiò enim, ne quis addubitaret de rei proponẽdæ certissima ueritate, ab initio protinus sanctissimè iurat, id est, ueritatem interposito iurisiurandi sacramento attestãdo confirmat. Deinde subiungit totam salutis nostræ rationem: quæ uersatur in auscultatione uerbi diuini, & in uera fide recipiente diuini uerbi ueritatem. Neq; enim satis est audiuisse uerbum euangelij, nisi eidẽ uera fide inhæserimus. Iam uerò obserua mihi quanta certitudine Christo credentibus uitam & salutem promittat: Habet, inquit, uitam æternam. Habet dixit, non Habebit. Non ergo relinquit uel dubitationi uel interuallo locum ullum. Imo adhuc clarius per interpretationem, quando & quomodo fideles habeant aut consequantur uitã explicans, dicit: In iudicium nõ ueniet, sed transiuit à morte in uitam. In iudicium ueniunt, qui caussam apud iudicem discutiendam habent. In iudicium item ueniunt, qui ex sententia iudicis propter caussam suam malam puniuntur. Sed fideles nullam habent caussam discutiendam apud iudicem. Nam remissa sunt eis peccata plenissimè. Deus est qui iustificat & absoluit, quis ille qui condemnet: Ergo non subijciuntur ullis supplicijs. Christus enim subijt crucis supplicium, ut fideles ipsius ab omnibus tormentis liberati essent indemnes. Quin potius ne quis remoram aut interuallum inter mortẽ corpoream & uitam uenturi seculi interponeret, dixit: Sed transiuit à morte in uitam. Rursus Transiuit dixit, non Transibit, ut per uerbum præteriti temporis certitudinem significaret, ostenderetq́ protinus à corporea morte animas credentiũ rapi in uitam æternam. Ac sat scio aduersarios nihil hic habere solidi, quod opponant tam claræ & inuictæ ueritati. Verbis quidem & sophismatibus pugnare possunt, ueritatem subuertere non possunt. Anima enim fidelis ab ipso ore (quod dici solet: von mund vff zů himmel faren) derepente ingreditur sedes beatas, fruiturq́ per fidem felicitate æterna.

Rom 8

Apoc. 14.

Rursus legimus in Reuelatione domini nostri Iesu Christi facta Ioanni apostolo, dictum esse: Et audiui uocem de cœlo dicentem mihi: Scribe, Beati mortui qui in domino moriuntur, amodo. Etiam dicit spiritus ut requiescant à laboribus suis. Sed opera illorum sequuntur illos. Contexitur his oraculum cœleste, & indubi-

indubitatum de beatitudine hominum in fide morientium: ac iubetur beatus Ioannes cœlitus oraculum scribere, quod extet omnibus temporibus, & legatur ab omnibus hominibus. Eius oraculi summa hæc est: Beati mortui qui in domino moriuntur, amodo. Moriuntur autem in domino, quicunque in fide Iesu Christi excedunt ex hac uita. Ita enim hoc loquutionis genus usurpat Apostolus 1. Corinth. 15. & 1. Thess. 4. Cæterum qui in fide Iesu Christi excedunt ex hac uita, simpliciter & uerè pronunciantur beati, nimirum felices & alieni ab omni miseria. Imò adijcitur temporis notatio, quando beatitudinem illam consequantur. Amodo (ἀπάρτι) id est, ab instanti, confestim, nimirum, ut in euangelio dixit dominus, protinus à morte corporea. Subiungitur & aliud quo rursus exprimitur felicitatis certitudo, adde & non procrastinata perfectio. Etiam dicit spiritus: Vt requiescant à laboribus suis. Spiritus, inquam, ueritatis, qui mentiri nescit, dicit ναί, id est, amen, etiam, certè uerè beati, & ab instanti quidem beati sunt fideles, & ita beati, ut à laboribus suis requiescant. Labores fidelium sunt ærumnæ, calamitates, afflictiones, dolores, terrores, & alia huius generis mala, quibus in hoc seculo sunt diuexati, imò exercitati potius in fide. Ab his liberantur animæ fideliũ decedentes à corpore, ergo non purgantur per tormenta & molestias, non torrentur in medio itinere, sed felices & beatæ protinus omni liberantur molestia. Quòd si quid passi sunt uiuẽtes adhuc in corpore, si quæ ex fide bona fecerũt opera, ea sequuntur ipsos. Nemo existimet ea, quia nunc cessant, fuisse & esse uana. Rependitur enim eis in beata illa uita. Id enim est, opera ipsorum sequi eos. Obseruemus autẽ quod non dicit: Opera aliorum sequuntur illos, ut liberent uidelicet eos ex purgatorio: sed, Opera illorum sequuntur illos. Etenim in euangelio quoque ingrediuntur cum sponso ad nuptias uirgines prudentes, quibus oleum in lampadibus erat paratum: excluduntur à gaudio uirgines fatuæ, quæ nullum sibi in uita parauerant oleum, sed aliunde id sibi sufficiendum sperabant. Math. 25.

DEO autem omnipotenti, patri nostro clementissimo, omniumque bonorum fonti perenni & inexhausto, qui corpus nostrum in utero materno formauit, eidemque animam rationalem inspirauit uel infudit, quæ nos, dum corpori coniuncta est, animaret dirigeretque, separata autem à corpore, protinus à morte corporea transferretur in cœlum, ibique feliciter uiueret, donec in iudicio extremo ad corpus excitatum à mortuis rursus rediret, cum quo æternûm & sine fine lætetur & exultet: ei, inquam, per Iesum Christum, propter quem tantum nobis obtigit beneficium, sit gloria, laus & gratiarum actio in secula seculorum. Amen.

TOMI SECVNDI FINIS.

[illegible] de beata [illegible] hominum in fide mortuorum [illegible] scribere, quod extet omnibus temporibus [illegible] hominibus [illegible] oraculi summa haec [illegible] modo. [illegible] autem in domino [illegible] in fide Iesu Christi [illegible] in hoc loco [illegible] Apostolus [illegible] Thessal. 4. Caeterum q[illegible] in fide. [illegible] Christi [illegible] pronunciantur beati, mirum felices [illegible] Imo [illegible] temporis notatio, quando [illegible] consequantur. Amodo [illegible] ab instanti [illegible] dixit [illegible] a morte corporea. [illegible] exprimitur [illegible] perfectio [illegible] laboribus suis. Spiritus, inquam, veritatis, qui [illegible] quidem beati sunt fideles [illegible] laboribus suis requiescant. Labores fidelium sunt [illegible] dolores, terrores, & alia huius generis mala, quibus [illegible] seculo [illegible] imo exercentur potius in fide. Ab his liberantur [illegible] ergo non purgantur per tormenta & [illegible] liberantur [illegible] Quod si quid [illegible] in corpore, si quae ex fide bona fecerit opera, [illegible] nunc cessant, [illegible] Respondetur [illegible] Id enim est opera ipsorum sequi eos. Observemus autem [illegible] Opera illorum sequuntur illos, [illegible] ex purga[illegible] Opera illorum sequuntur illos. [illegible] in evangelio quoque [illegible] sponso ad nuptias virgines prudentes, [illegible] in lampadibus [illegible] gaudio [illegible] in coelum [illegible]

[illegible] Deo autem omnipotenti patri nostro clementissimo, [illegible] inexhausto, [illegible] corpus nostrum [illegible] rationalem [illegible] animam [illegible] in corpore [illegible] transferret in coelum, [illegible] donec in iudicio extremo ad cor[illegible] a mortuis [illegible] aeternum [illegible] & exultet et inquam, per Iesum Christum, [illegible] nobis [illegible] beneficium, [illegible] gloria, laus & gratiarum actio in secula seculorum. Amen.

TOMI SECUNDI FINIS.

SERMONVM DECAS quinta, ad Illustrissimum principem Heinrychum Grayum marchionem Dorcestriæ, &c. authore Heinrycho Bullingero.

TOMVS TERTIVS.

IESVS.

HIC est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea. Ipsum audite. Matth. 17.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. HEINRYCHO GRAYO, MARCHIONI DORCESTRIAE, DOMINO FERRERS, DE Grouby, Herington, Bonuuyll & Aschle, Serenissimæ R. M. & inclyti regni Angliæ à consilijs, Heinrychus Bullingerus Gratiam & pacem optat à Deo patre, per Dominum nostrum Iesum Christum.



NON EXISTIMO *me posse vllo de negotio conuenientiore, apud te, illustrissime Princeps, disserere, quàm de salute ecclesiæ Anglicanæ, adeoq; de incolumitate regni inclyti totius conseruanda: cum Deo opt. max. sic disponente factum sit, vt in serenissimæ maiestatis regiæ & inclyti regni Angliæ sanctissimum consilium sis allectus: atq; ea de causa maximè ad te pertineat & nosse & procurare salutem regni publicam. Optimam verò incolumitatis partē haud dubiè tenet, qui vnde sit regnorum pernicies intelligit. Non existit autē perniciosior regnorum pestis, quàm ex corruptione religionis uera: Nam splendidius bonum non consequūtur regna, quàm ex religione syncera, aut si corrupta fuerat, rursus repurgata. Hoc bono fruitur iam ex parte inclytum Angliæ regnū, dum ecclesiam reformans, & veterem religionis puritatē reuocat reparatq;, & nouos illos abusus, errores ac superstitiones, quas iam seculis aliquot inoleuisse vidimus, excutit tollitq; è medio. Vnde dubiū non est tantæ felicitatis perturbatorem futurū, & inæstimabile dam nū vniuerso regno daturū, quisquis remoram sanctissimo felicissimoq; illi instituto vestro inijceret. At prodijt nuper Bulla indictionis Cōcilij œcumenici, vt vocant, Tridenti ad Calendas Maij celebrandi: ex quo cùm à multis seriò expectetur ecclesiæ reformatio, erunt fortaßis apud vos, sicuti reperiūtur vbiq;, quibus videbitur ea esse expectanda, & hactenus à cœpta reformatione cessandum. Hæc indictio Concilij & expectatio reformationis, vestram poterat turbare felicitatem, ac rem bene cœptam remorari aut impedire. Tuum ergo, illustrißime princeps, & omnium aliorū regni sanctißimorū procerum, erit diligenter inspicere & inuigilare, nequid hinc damni accipiat cum sancta Christi ecclesia regnum amplißimum. Ego solidis argumentis etiam ad oculum, quod dici solet, demonstrabo vanißimam esse illam reformationis expectationem. Concilium enim non in alium finem à pontifice esse institutum, quàm ad confirmationem veteris erroris superstitionisq;, & ad euersionem cœptarum per Germaniam, Angliam, Daniam, aliasq; nationes Christiani orbis, reformationum, imò ad puræ vel syncerae veritatis Euangelicæ oppreßionem. Ea re deprehensa, intelligent omnes pij in ecclesia Christi sibi progrediundum esse, & in cœptis reformationibus, & in omnibus alijs pietatis officijs, non expectata reformatione illa, quā omnes pij breui experientur nullam, aut si aliquam, certè non legitimam futuram. Equidem indicitur Concilium ab istis hominibus non generale & liberū, sed olim quidem cœptū Tridenti, nunc autē ibidem continuandum, & in eo statu quo viuente adhuc Paulo III. eius nominis pontifice erat, reassumendum: cuius etiam placita decretáue omnia in huius Concilij negotio edita confirmantur. Cæterum in publicis sub Paulo illo editis scriptis non semel disertis exprimitur verbis, Conciliū ad extirpandas hæreses esse institutū. Idem Paulus omnes nos profitētes Euangeliū & postulantes ex verbo dei reformationem, docentesq; Christum Iesum, non Papā, & quidē Christum Iesum solum esse caput, pastorem & pontificē summū ecclesiæ catholicæ, accusauit dānauitq; hæreseos. Ergo cùm Conciliū institutū sit ad excindendas hæreses, ac hæretici habeantur qui reformationē ex verbo dei postulant vel auspicātur, quis non videat Concilium indictum esse non pro reformandis ecclesijs, sed pro excindendis cœptis reformationibus? Quibus accedit quòd ad Conciliū illud non vocantur docti & pij, prudentes & sancti ex omni natione quæ sub cœlo est, sed duntaxat iuramento obstricti pontifici. Ita enim habent indictionis verba, Conuocamus omnes omnibus ex locis, tam venerabiles fratres nostros patriar-*

Concilium institutum ad extirpandas hæreses.

chas

chas, archiepiscopos, episcopos & dilectos filios abbates, quàm alios quoscunq; quibus iure aut priuilegio in Concilijs generalibus resideñdi & sentẽtias in eis dicẽdi permissa potestas est, mandãtes in vi iurisiurandi, quod nobis & huic sanctæ sedi præstiterũt, ac in virtute sanctæ obedientiæ, vt ipsimet adsint. Claret ergo quinã vocati in conciliũ, atq; huius veluti patres assessores & iudices sint. Quid verò expectes ab illis qui iureiurãdo & Papæ & Romanæ ecclesiæ sic obstricti sunt, vt nõ possint aliud, nisi quod ille vult, & quod ad huius incolumitatẽ pertinet? In hæc enim verba iurãt Episcopi & Romanæ ecclesiæ proceres, Papæ sese obstringẽtes, Papatũ Romanũ & regalia S. Petri adiutor eis ero ad retinendũ & defendendũ contra omnẽ hominẽ. Iura, honores, priuilegia & authoritatẽ Romanæ ecclesiæ, domini nostri Papæ & successorum eius conseruare, defendere, augere & promouere curabo: nec ero in cõsilio, aut facto, aut tractatu, in quibus contra dominũ nostrũ vel Rom. ecclesiã aliqua sinistra vel præiudicialia personarũ, iuris, honoris, status & potestatis eorũ machinentur. Et si talia à quibusdã tractari cognouero, impediã pro posse. Regulas sanctorũ patrũ, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reseruationes, prouisiones & mandata Apostolica totis uiribus obseruabo, & faciam ab alijs obseruari. Hæreticos, schismaticos & rebelles domino nostro, pro posse persequar & impugnabo. Sic inquã iurarunt illi. At qui huiusmodi iuramento obstricti ueniunt ad Conciliũ, quid obsecro de negotio religionis cõtrouerso pronunciaturos speramus? Stulti nedum impij fuerimus, pro fectò, si horũ determinationi ecclesias sanguine Christi redẽptas subdiderimus. Iã enim quid pronunciaturi sint scimus, & veluti in manibus retinemus, id videlicet quod faciat pro propagatione, assertione conseruationeq; papatus, & pro subuersione religionis nostræ innitentis verbo Christi filij dei. Procerum ecclesiæ iuramentum Papæ præstitum.

Porrò si rata esse debent omnia Pauli papæ decreta & quæ hactenus ille definiuit in negotijs Concilij, ratæ vtiq; erunt & sessiones illæ septem sessionũmue decreta iamdudum vulgata: quæ quidẽ plurima nobis suggerunt argumẽta, testantia Conciliũ illud nõ esse institutũ ad inquirendã illustrandamq; ex scripturis veritatẽ, aut ad legitimã ecclesiæ reformationẽ faciendã, sed ad confirmationẽ errorum, abusuum superstitionisq; Romanæ ecclesiæ, imò ad impediẽdas reformationes iustas & sanctas. Nam vt ex multis paucula modò commemorẽ, Sessione 4. Decreto primo sic pronũciant, Sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus in spiritu sancto legitimè congregata, orthodoxorũ patrũ exempla sequuta, omnes libros tam veteris quàm noui Testamenti, nec non traditiones (non scriptas) cùm ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquã vel oretenus à Christo, vel à spiritu sancto dictatas, & cõtinua successione in ecclesia catholica cõseruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia suscipit & veneratur. His mox attexerunt catalogum librorũ Canonicorum, quibus tamen cõmiscent ecclesiasticos nõ canonicos. Deinde anathemate percutiũt omnes traditiones aspernãtes, & nõ omnes illos libros pro canonicis recipientes: ac testantur Conciliũ illis potißimum testimonijs ac præsidijs in confirmãdis dogmatibus, & instaurandis in ecclesia moribus vsurum. In eadẽ sessione obtrudunt ecclesiæ, reiectis omnibus alijs versionibus, pro libro authentico versionem receptam Bibliorum Latinam. Et quantum attinet ad sensum sanctæ scripturæ, palàm condemnant omnem expositionem non congruentem sensui, quem tenuit & tenet sancta mater ecclesia, vnanimiq; consensui patrum. Ad ecclesiam enim pertinere asseuerant, iudicare de vero sensu & interpretatione scripturarum. Qualia decreta Concilij Tridentini.

In his quatuor præcipuè obseruanda moneo, & diligenter excutienda. Primum, quòd non solas 1
scripturas canonicas recipiunt, ex quibus statuant de religionis veritate vel falsitate, sed his præterea adiungunt ἄγραφα, siue traditiones continua in ecclesia succeßione seruatas & non scriptas.
Secundum, quòd canonicis libris miscent non canonicos libros, imò hos non recipientes pro canoni- 2
cis anathemate percutiunt. Tertium, quòd editionem Bibliorum vulgarem Latinam pro libro il- 3
lo authentico ecclesiæ obtrudunt. Quartum, quòd nullum alium scripturæ sensum, quàm sanctæ ma- 4
tris ecclesiæ admittunt. Ex his enim liquidò quid indicto Concilio quærant, apparet.

Si solis scripturis negotium religionis controuersum legitimè decidi vellent patres isti, quid opus erat adiungere traditiones non scriptas? Quasi verò scripturæ diuinæ sine nõ scriptis traditionibus ad plenam reformationẽ parandã non sufficiant. Verùm nõ ignorãt pleraq; papismi nullis scripturis disertis, vel rationibus è scriptura deductis, demonstrari posse: confingunt ergo ἄγραφα, vel tradi- De Traditionibus non scriptis.

tiones non scriptas, quibus sarciant commodè quod scripturis deesse, vel scripturis demonstrare non posse vident. His enim traditionibus saluis incolumia erunt vel absurdissima illorum. Quoties enim scripturarum authoritate destituentur, recurrent ad figmentum traditionis. Traditio erit Oratio pro defunctis. Traditio erit Cœlibatus ministrorum ecclesiæ. Traditio erit Missa. Traditio erit Vsus imaginum in templis. Breuiter traditio erit quicquid hactenus tota obseruauit concorditer ecclesia Romana, tametsi nullibi nec pictum nec scriptum inueniatur in libris canonicis, imò cum his pugnet ex diametro. Hoc est, traditio erit quicquid voluerint.

Traditiones Iudæorum.

Iactarunt quondam & Iudæi suas Traditiones quas appellarunt patrum: verùm audierunt à saluatore nostro, Quare transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram? Deinde exemplo è traditionibus prolato & per antithesim composito cum verbo Dei, ostendit illas cum hoc pugnare, deinde subiungit, Irritum fecistis præceptum Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ, rectè de vobis prædixit Isaias, dicens, Appropinquat mihi populus hic, ore & labijs suis me honorat: cæterum cor eorum procul abest à me: sed frustra me colunt, docentes doctrinas hominum. Cùm ergo etiam nos ostendere possumus traditiones illorum, quas viuas vocant, pugnare cum scripto verbo Dei, quis obsecro negabit etiam ipsas cum Iudæorum traditionibus à Christo esse reiectas atque condemnatas? Edant ergo suas illas traditiones, quas æquali cum scripturis reuerentia suscipiunt. Facilè enim ex similitudine vel contrarietate apparebit quid sit Apostolicum, quid suppostitium. Certissimum est enim Apostolos Dei non diuersa voce viua & scriptis suis ad posteros transmissis tradidisse. Vnde Apostolicum omnino esse non potest, quod pugnat cum scriptis Apostolicis.

Traditiones Apostolicæ.

Obijciunt defensores traditionum nō scriptarum, ipsos etiam Apostolos meminisse in scriptis suis traditionum non scriptarum. Cæterum nos negamus Apostolos de illis loquutos esse traditionibus, de quibus illi sentiūt. Testatur S. Lucas ea se scripta historia Euangelica comprehendisse, quæ tradiderunt (en quæ tradiderunt) hi qui suis viderāt oculis. Proinde quæ olim fuerat viua Apostolorū traditio, iam in literas & scripturā relata est per S. Lucam. Sed & Paulus summā doctrinæ Christianæ cōprehendens, Tradidi vobis imprimis, ait, quod & acceperam, quòd Christus dominus mortuus fuerit pro peccatis nostris, secundū scripturā, &c. En coniungit Apostolus traditionē viuā cum scriptura: præterea nūc quoq; scriptura cōprehendit qualis fuerat eius traditio. Idē rursus traditionis de Cœna domini mentionē faciens in Epistola ad Corinthios, protinus qualis ea traditio fuerit, scripto colligit & explicat. Et quamuis idē mox subiungat, Cætera cùm venero disponā, id tamen dixit de disciplina & decoro in cœtibus ecclesiasticis formando atq; cōseruando. Neq; enim alia potuisset de Cœna domini tradere, quàm ea quæ iam tradiderat: nisi sibijpsi cōtradicere voluisset. Ad Thessal. idem Apostolus, Itaq; fratres state, inquit, & tenete traditiones quas didicistis. Sed idē mox addit per interpretationē, Siue per sermonē, siue per epistolā nostrā. Ergo traditio Apostolica comprehenditur in sermone & in Epistolis Pauli. Sermo Pauli est viua Euāgelij prædicatio: quā epistolis repetijt & reparauit. Præterea ab alijs quoque apostolis copiosissimè descriptus legitur sermo Pauli euangelicus.

Actor. 26.

Nō enim aliud prædicauit euangeliū Paulus, quàm cæteri apostoli Christi. Quibus accedit quòd ipse Paulus testatur se Euangeliū Christi prædicasse, prædicandoq; nihil extra illud quod lex & prophetæ docēt tradidisse. Quis aūt negat Mosis & prophetarū scripta absoluta esse? Sufficiunt ergo nobis scripturæ canonicæ, quæ vt viuas traditiones comprehendunt pietati necessarias, ita satis instructæ sunt ad docendū, ad redarguendū, ad corrigendū vel ad reformandū, deniq; ad instituendū quo cultor Dei integer sit, ad omne opus bonum apparatus. Id quod ipse in hæc verba quæ modò recitaui, pronunciat Paulus. Ergo cùm patres Tridentinæ synodi non patiantur ad solas se canonicas scripturas reijci, vt inde omnia probent vel improbent, sed insuper comminiscuntur traditiones quas summa iniquitate imò impietate scripturis, diuinis inquam humana æquiparant, manifestè quid indicto Concilio quærant, produnt, nō vt ex canonicis scripturis syncera eruatur & asseratur veritas, sed vt inoliti errores defendātur confirmenturq;: ad quā rem conficiendā mirè adiuuāt fictæ illæ Traditiones.

De traditionibus patrum.

Sufficiunt hæc quidē de Traditionibus veritatē agnoscentibus: verùm vt & illis consulatur qui traditionibus plus nimiū tribuunt, & iniquissimū esse clamitāt omnes in vniuersum despicere patrū

traditiones

traditiones, distinguimus inter traditiones patrũ antiquas. Principiò enim video Irenæum et Tertullianũ contra hæreticos disputantes, cõpendiũ siue regulã doctrinæ apostolicæ adeoq́ ipsum symbolum quod hodie apostolorũ vocamus, licet non iisdem verbis, iisdẽ tamen sententiis redditũ, appellare traditionẽ apostolicã. Quis verò nesciat illã traditionem ex meditullio scripturarũ petitã, & infinitis scripturarũ testimoniis comprobari posse? Talem ergo traditionẽ nemo nostrũ reiicit: quia nemo scripturarũ authoritatẽ cõtemnit, manifestissimè & copiosissimè docentẽ nos credere sicuti traditio illa vniuersalis cõtra omnes hæreses & hæreticos asseruit. Deinde habent veteres alicubi traditiones historicas, qualis alicubi texitur de Ioãne apostolo fugiẽte è balneo quod Cerinthus subintrarat. At cùm hæ & aliæ eius generis nec pugnẽt cũ pietate, nec superstitionis quicquã serãt, pii ab eis nõ abhorrent, interim parẽ his cũ euangelica historia authoritatẽ minimè tribuũt. Præterea sunt traditiones non de regula illa fidei vniuersali, aliisue ad ipsam pertinẽtibus capitib. editæ, nec merè historicæ, sed prolatæ de dogmatib. quibusdã & ritibus: cuius generis sunt quas inter alias cõmemorãt, Orãdũ esse pro defunctis: & virgines esse velandas, vel consecrãdas virginitati perpetuæ, includẽdasq́ monasteriis, &c. Cæterum q̃ illæ non congruant cum scriptura apostolica, alibi abunde est demonstratum.

Proferam & alias quasdã traditiones, vt ex ipsarũ discussione omnibus appareat, quã non sit tutum traditiones etiã illas quas vetustissimi scriptores magni faciũt & ecclesiæ seriò cõmendãt recipere. Irenæus cõtra Valentinianos lib. 2. cap. 40. de dño nostro loquẽs, Nõ ergo multũ aberat, inquit, à quinquaginta annis. Et ideò dicebãt ei, Quinquaginta annorũ nondũ es, & Abraham vidisti? Et hanc suã opinionẽ astruit per traditionẽ apostolicã præcedente cap. dicens, A quadragesimo aut quinquagesimo anno declinat iam in ætatẽ seniorẽ, quã habens dñs noster docebat. Sicut Euangelium & omnes seniores testãtur, qui in Asia apud Ioannẽ discipulũ domini conuenerũt, idipsum tradidisse eis Ioannẽ. Permansit aũt cum eis vsq́ ad Traiani tẽpora. Quidã aũt eorum nõ solũ Ioannẽ, sed & alios apostolos viderunt, & hæc eadẽ ab ipsis audierunt, & testantur de huiusmodi relatione. Hæc ad verbum reliquit scriptor ille, qui inter vetustissimos numeratur. Verùm si eam traditionẽ recipiamus, consequetur mira confusio, vt nihil aliud dicam, temporũ. Si enim dominus ferè attigit annum ætatis 50. (ponamus nos 48.) consequetur Christum prædicasse annos 18. quando satis cõstat prædicationem cœpisse circa 15. Tyberii Cæs. annum, qui ipsi domino erat annus vitæ 30. Neq́ aliam supputationem sequuntur quotquot tempora Christi reuocarunt ad calculum. Proinde iuxta traditionẽ viuam apostolorum, quam mordicus retinet & sequitur Iræneus, mortuus esset Christus, resurrexisset ex mortuis, ascendissetq́ in cœlos, misso in discipulos spiritu sancto, imperii Claudii Cæsaris anno 7. vel 8. Verùm huic supputationi reclamat series historiæ euangelicæ & Acta Apostolorum, quæ meminerunt Claudii in rebus Apostoli Pauli, conficiente totũ orbem fama admodum dira. Vnde indubitatum est traditionẽ illam beati Irænei quã tamen pleno ore refert ad apostolos Christi domini, turpiter fallere. Quis aũt post tam fœdum errorẽ deprehensum, credat posthac traditionibus illis viuis etiam apud antiquissimos scriptores testimoniũ habentibus? Ex Papia Hieropolitano apostolorum discipulo fortè huiusmodi traditionẽ hausit. Nam vt Papias permultũ tribuit viuis traditionibus, quibus & mirũ in modum delectatũ aiunt: Ita Iræneum, Appollinariũ, Lactantiũ, propter vetustatis reuerentiam, etiam in errore Chiliastico, cui prima fundamenta iecit, habuit sequaces. Interim non multum eius iudicio tribuit doctissimus vir & ecclesiæ Cæsarieñ. Episcopus Euseb. Ecclesiasticæ hist. lib. 3. cap. 39. qui & disertis verbis scribit illum fabulosa nonnulla tradidisse. Cur ergo vitio nobis verteretur, si difficulter aut prorsus non recipiamus viuas illas traditiones?

His accedit quòd ex viuis illis traditionibus memorabilis illa de paschate celebrãdo inter Orientis & Occidentis ecclesias concertatio efferbuit: vt nõ frustra nobis suspectæ esse possint. Etenim cum sacerdotes Occidentales haud negligendã putarent Petri & Pauli Apostolorum traditionẽ in celebrando Paschate, Asiani verò se traditionem S. Ioannis sequi affirmarent, exarsit acris admodum inter Orientem & Occidentẽ cõtentio: ita vt Victor, Romanæ ecclesiæ minister, non metueret Asianos anathemate percutere. Qua in re vicissim à beato martyre Irenæo grauiter correptus est. Quid quod Socrates nobilis historicus inuentus est, qui vtriq́ traditioni tam Orientali quàm Occidentali, Sozomenus lib. 7. cap. 19.

palàm ausus fuit contradicere. Nam post adductos aliquot scripturæ sanctæ locos, subiungit tandem nihil tradidisse Apostolos de paschate celebrando. Verba eius si quis requirat hæc sunt, Nusquam Apostolus, nec ipsa Euangelia iugum seruitutis illis imponunt, qui ad prædicationem accedunt: sed paschatis festum & alios dies festos ipsi homines suis quiq; locis propter remissionem laborum & memoriam salutiferæ passionis, sicuti voluerunt, ex consuetudine quadam celebrarunt. Neq; seruator hoc aut apostoli nobis lege aliqua obseruandum esse mandarunt, neq; pœnam nobis aut supplicium euangelium vel apostoli, sicut Iudæis lex Mosi, comminantur. Et mox, Mihi videtur quòd quemadmodum alia multa singulis locis in consuetudinẽ abierunt, ad eum modum & paschatis festum: propterea quòd nemo apostolorum, sicut dixi, quicquã de illo sanciuit. Et reliqua quæ extant Historiarum lib. 5. cap. 22. Palàm ergo hic traditionibus contradixit, & citra crimen quidem sacrilegij aut hæreseos. Quid ergo vetaret hodie quoq; contradicere traditionibus cum scriptura discrepantibus? Hæc cum ita habeant, & ita manifesta sint, vt non possint negari à nostris aduersarijs, non patiemur vllo modo nos abstrahi à certissimis scripturis ad incertas illas nescio quas traditiones. Certè si patres illi synodi Tridentinæ synceri essent arderentq; veritatis illustrandæ & ecclesiam iuuandi studio, sustinerent haud dubiè se & omnia sua iudicari ab ipso optimo maximo Deo & veracissimo eius verbo. Hoc quoniam subterfugiunt, & fabulosas quasdam traditiones obtendunt, quid causæ suæ ex scripturis sperent roboris accessurum, liquidò toti orbi declarant.

De libris canonicis & ecclesiasticis.

Iam quòd miscent canonicis libris nõ canonicos, vti libros Machabæorum, Thobiæ, & alios, ab alijs ecclesiasticos vel etiam non canonicos appellatos, eodem faciunt consilio, quo traditiones diuinis æquant scripturis. Sperãt enim ex illis se posse sarcire, quod verè canonicis videt diminutũ. Vt enim de alijs nihil dicam, ex secundo Machabæorũ libro sperant se ostensuros salubre esse orare & offerre pro mortuis, vt à peccatis soluantur. Sperant se diuorũ in cœlis agentium preces deo pro viuentibus in terris oblatas, cõmonstraturos. Cùm interim in veteri ecclesia apud fidelissimos & sanctissimos ecclesiarũ ministros nunquã fuerint 2. Machab. & alij eius similes libri recensiti inter canonicos. Non ignoro hic ipsos ad beati Augustini patrociniũ confugere, qui lib. de Doct. Christ. 2. cap. 8. inter canonicos numerat non solũ ecclesiasticos illos, sed & Machabæorũ secundũ librũ. Cæterum si historias aliaq; veterũ monumenta cõsulamus, apparebit Augustini demũ seculo in Carthaginen. Cõcilio III. quod celebratum aiunt Coss. Cæsario & Attico, imperantibus Honorio & Arcadio, circa annũ dñi 400. aut 399. in numerum canonicorũ, imò ecclesiasticorũ magis esse receptum. Nec dissimulat hoc beatus Augustinus. Nã lib. de Ciuit. dei 18. cap. 36. & lib. 2. contra Gaudentij epistolã cap. 23. admonet libros Machabæorũ non fuisse apud veteres numeratos in canone: addit tamẽ ipsos non inutiliter esse receptos, si modò sobriè legantur. En si sobriè legantur, ait. Qui & alibi dicit, Pro canonicis habet propter quorundã martyrum passiones vehementes & mirabiles. Quæ omnia superiorẽ meam sententiã confirmant: illud imprimis quod idem addit, non quiduis esse recipiendum quod in eo libro proponitur, nisi probè examinatum & cum alijs collatum sit scripturis. Nam alibi quoq; admonet, eos libros qui ab omnibus accipiuntur ecclesijs, præponendos esse eis qui ab aliquibus non recipiuntur. At commonstrare possumus à vetustissimis clarissimisq; Orientis ecclesijs nunquã receptos esse Machabæorum libros pro canonicis. Meliton Sarden. episcopus, qui floruit non multis annis ab apostolorum morte, circa annum domini 173. sub Imperatore Antonino Vero, cui & Apologeticũ obtulit pro fide nostra, non nisi eos quos in Galeato recenset Hieronymus libros veteris testamenti recitat canonicos, omissis omnibus ecclesiasticis appellatis. Dicit autem se vsq; in Orientem profectum, vbi prædicationis nostræ initium cœperit, & vbi omnia sunt gesta quæ scripta leguntur, vt ibi diligenter exploraret omnia quæ ad veritatem & certitudinem librorum canonicorum pertinent, ac ibi certum illum inuenisse numerum. Post Melitonem Origenes & ipse non plures recitat veteris testamẽti libros, quàm XXII. Sic & beatus Hieronymus non tã in Galeato prologo, quàm in epistola sua de omnibus scripturæ libris ad Paulinũ, pro canonicis agnoscit XXII. illos libros, reliquos extra canonem ait esse ponendos. Idem in prologo ad Prouerbia Solomonis, postquã dixisset de Sapientia quæ Solomonis dicitur, & de Ecclesiastico, subdit, Sicut ergo Iudith & Thobiæ & Machabæorũ libros

De authoritate 2. libri Machab.

legit

legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit: sic & hæc duo volumina legit ad ædificationẽ plebis, non ad authoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandã. Eadem ratione existimamus beatum August. 2. lib. Machab. inter canonicos numerasse quidem, sed intellexisse ecclesiasticum esse librum, non tanta pollentẽ authoritate, quanta valent qui reuera & ab antiquo canonici sunt. Nec potuit ignorare beatus Hieron. Carthaginen. synodi decretum, quippe qui à multis scribatur excessisse è viuis circa annũ dñi 422. Huc pertinet quod Ruffinus Aquilegien. in enarratione symboli apostolici, nõ plures nec alios recitat veteris testamenti libros, quàm nos supra cõmemorauimus. Ac inter alia, Hæc sunt, inquit, veteris instrumenti volumina, quæ secundum maiorum traditionẽ per ipsum spiritum sanctum inspirata creduntur, & Ecclesijs Christi tradita sunt. Et mox idem ille, Sciendum tamen est, quòd & alij libri sunt, qui non canonici, sed ecclesiastici à maiorib. sunt appellati, vt est Sapientia Solomonis, Ecclesiasticus, Thobiæ, & Iudith, & Machabæorum libri. Quæ oĩa quidem in ecclesijs legi voluerunt, non tamen proferri ad authoritatẽ ex his fidei confirmandam. Hæc ille. Proinde habemus à partib. nostris primitiuam ecclesiam omnemq; vetustatem, quam anathemate feriunt Tridentinæ synodi patres, siquidẽ nos anathemate percutiunt. Nã vt ecclesiasticos libros non reijcimus, ita ex solis canonicis religionis nostræ vel veritatẽ vel falsitatẽ cũ veteri ecclesia probari vel improbari cõtendimus, atq; ad solas canonicas scripturas prouocamus. Quib. cũ aduersarij oĩa sua subijcere detrectãt, & subinde ad alia vmbratilia præsidia respectant, clarũ est qualis sit ipsorum causa, & quid indicto huiusmodi cõditionib. cõcilio quærant.

Porrò vulgarem illã Bibliorum Latinam editionem nemo sanus damnat & reijcit in vniuersum: sed clamamus omnes, in dubijs locis, aut controuersis, aut obscurè redditis, corruptisue, recurrendũ esse ad fontes Hebraicos & Græcos. Authenticum enim librũ esse, qui Hebraicè & Græcè scriptus est. Neq; enim prophetæ aut Apostoli scripserunt Latinè, sed hi Græcè, illi verò Hebraicè. Nihil hic iniqui postulamus, & quod non prius ipsi nobis pontificij dederint. Legitur enim huiusmodi Canon in Decretis Distinct. 9. Veterum librorũ fides de Hebræis voluminib. examinanda est: ita nouorum veritas Græci sermonis normã desiderat. Cæterum mutuata sunt hæc verba ex epistola beati Augustini, scripta ad S. Hieronymum. Idem ille Augustinus lib. 11. contra Faustum Manichæum cap. 2. Si de fide exemplariũ, inquit, quæstio verteretur, sicut in nonnullis quæ & paucæ sunt & sacrarũ literarum studiosis notißimæ sententiarum varietates, vel ex aliarũ regionũ codicibus, vnde ipsa doctrina cõmeauit, nostra dubitatio dijudicaretur. Vel si ipsi quoq; codices variarent, plures paucioribus, aut vetustiores recentiorib. præferrentur. Et si adhuc incerta esset varietas, præcedens lingua, vnde illud interpretatũ est, cõsuleretur, &c. Idẽ rursus lib. de Doct. Christ. 2. ca. 11. Latini homines, inquit, & duab. alijs linguis ad scripturarũ diuinarum cognitionẽ opus habent, Hebræa scilicet & Græca: vt ad exemplaria præcedentia recurratnr, si quã dubitationẽ attulerit Latinorum infinita varietas. Item, qui scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt linguam numerari possunt, Latini autẽ interpretes nullo modo. Vt enim cuiq; primis fidei temporib. in manus venit Græcus codex, & aliquantulum facultatis sibimet vtriusq; linguæ habere videbatur, ausus est interpretari. Et in cap. 12. eiusdẽ libri, loquẽs de interpretationũ varietate, addit, Quæ quidẽ res plus adiuuit intelligentiã quàm impediuit, si modò legentes nõ sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias pluriũ codicũ sæpe manifestauit inspectio. Hæc omnia cum vno decreto patres Tridentinæ synodi abrogent, & contra omnẽ vetustatẽ & rationem sanã, Latinã versionem pro libro authentico nobis objiciant, rursus quid ab eis expectemus, nisi cæcitate percußi simus, cernimus palàm. Quartus autem canõ de Expositione scripturarum ab istis editus, vt ex superiorib. nihil collegerimus, vnus tamen abundè testari poterit, istos summa iniquitate ante congressum sibi certißimã voluisse præoccupare victoriam, adde & securitatem summã, ne quid vnquã rerum suarũ mutare vel tantillum à scopo aberrasse videri poßint. Damnant enim omnes expositiones, quæ non congruunt cum sententia quã tenuit & tenet sancta mater ecclesia, item quæ pugnãt cũ cõcordi patrum explicatione. Nam hoc decreto saluo, nihil ex scripturis contra papistica dogmata & ritus superstitiosos tam euidens proferetur, quod ipsi non eluserint vno verbo, dicentes, Ecclesiam non sic

De Libro Bibliorum Authentico.

De interpretatione scripturis.

intelligere. Rursus nullum scripturæ locum ipsi tam fœdè detorquebunt & corrumpent, cui non queant protinus hoc mederi malagmate, dicentes, & ecclesiam sic intelligere, & patres aliquot ad hunc modũ enarrauisse. Proferent ergo pro monarchia pontificis, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, Tu vocaberis Cephas, Pasce agnos meos. Quæ loca si quis cupiat legitimè per scripturarum sobriam collationem excutere & genuinum eorum sensum inuestigare, audiet protinus Ecclesiam & patres exponere de Papa: ergo de Papa & eius principalitate (vt vocant) intelligere oportere. Plurima huius rei exempla proferrem si necessarium putarem.

Ex his verò quæ hactenus adduximus ex Decretis Conc. Trident. luce clarius apparere confido, in quem maximè finẽ inductum sit à pontifice Concilium, non vt ex scripturis eruatur & illustretur veritas, sed vt ipsa scriptura redigatur in ordinem, seruiatq; istorum hominũ dignitati, honoribus, opibus, & superstitioni conseruandæ & confirmandæ: nõ vt reformentur ecclesiæ, sed vt retrahantur in deformationem veterem, quæ ex hac emergere cœperunt.

Proinde cum per eximiam dei gratiam lux Christi inclyto Angliæ regno illuxerit, ne dimoueatis oculos ab illa luce, quam qui sequitur non ambulat in tenebris, sed habet lumen vitæ. Pergite pergite duce Christo reformare quæ reformanda sunt. Nihil peccabitis, etsi nunquam redeatis cum nupera illa Romana ecclesia in gratiam. Nihil hic indulgeo prauo affectui. Nam in quintæ huius meæ Decadis initio solidis argumentis commonstraui necessarium esse prorsus recedere ab ista, & vni se Christo ecclesiæq; Christi veræ consecrare.

Hanc autẽ Decadem tuæ pietati inscribo & dedico, Princeps illustriß. vtpote strenuo veræ pietatis assertori: nil dubius, quin fidele sis suscepturus huius meæ lucubrationis patrocinium, præsertim vbi diligenter legeris intellexerisq; nihil sine scripturis contra verã pietatẽ, sed omnia ex scripturis diuinis pro tuenda vera religione esse prolata. Neq; enim cupio mihi & meis scriptis vel tantillum tribui, nisi omnia mea disertis scripturis & solidis rationibus ex scriptura deductis approbauero. Et quamuis tua pietas mea instructione nõ indigeat, vt quæ satis est instituta in religione vera, habeatq; vndequaq; doctißimos & pijßimos viros, inter quos non postremi sunt D. Robertus Scinnerus, & D. Andreas Vullokus, viri præstantiß. speraui tamen hos meos labores tibi acceptos futuros, meamq; dedicationẽ bono profectam animo, te boni consulturũ, vtpote qua nihil ambio, nisi salutem publicam: videlicet vt regnum filij dei, quod nostro tempore (imminente, & ante fores nostras iam pulsante illo tremendo filij dei iudicio) reflorere cœpit, cùm apud vos in inclyto Angliæ regno, tum alibi terrarum, longè lateq; propagetur. Et alij quidem in dedicatorijs suis epistolis eius laudes celebrant, cui libros inscribunt: ego verò cum sciam te huiusmodi applausus nihil morari, neq; indigere huiusmodi præconijs, quòd virtus tua alioqui satis sit celebris, quã tu quoq; in diem modestia & humilitate augere cõtendis, magis huc mea deflecto epistola, vt tuam pietatem quàm possum diligenter inhorter, quò pergas temetipsum pulcherrimo virtutũ studio & incremento superare. Domini Dei nostri dona sunt, quæcunq; sunt in hominib. laude digna. Dominus mentẽ tibi dedit, vt intelligas magnum quidem meritò videri beneficium regia satum esse prosapia, sed longè maius præstantiusq; esse, appellari ac reuera esse dei filium, & Christi Iesu filij dei cohæredem. Hanc nobilitatẽ summam cum per gratiam dei sis consecutus, vide vt eam sedulo pietatis studio retineas in finem vsq;: vide vt constanter Christo redemptori adhæreas, & eius gloriam promoueas: vide vt ex fide, quã regi æternæ gloriæ seruas, etiam serenißimæ regiæ maiestati, totiq; inclyto regno Angliæ dulcißimæ patriæ tuæ fidelis esse pergas. Hactenus peregrinorum (quos nobis imprimis cõmendauit dominus) præsidium & refugium fuisti, deniq; studiosorum, & doctorum hominum arx atq; mecœnas, talis esse perge. Sic autem non perituram, sed perennem gloram in præsenti & futuro seculo consequêris. Commẽdare me digneris obsecro magnanimo heroi D. Ioanni Dudlæo Vuaruicẽ. Comiti, magnati modis omnibus præstantiß. cui omnia felicia imprecor, omniaq; mea offero officia. Dñs Iesus monarcha orbis summus & vnicus, rex regum, & dominus dominorum, seruet incolumem Sereniß. regem, totumq; Angliæ regnum inclytum, fidelißimos item prudentißimosq; regni consiliarios, & te quoq; princeps clementißime. Tiguri in Heluetijs Mense Martio, Anno M. D. LI.

SERMONVM DECAS QVINTA, AVTHORE HEINRYCHO BVLLINGERO.

De sancta catholica Ecclesia, quid sit, quàm latè pateat, quibus agnoscatur notis, unde oriatur, quomodo conseruetur, An errare possit? Item de potestate & studijs Ecclesiæ. SERMO I.



ORDINE rerumq; cohærentium filo ducente, consequenter ab artifice & authore omnium Deo, progredimur ad ipsius opus excellentissimũ, Ecclesiam. Tanta est enim Dei optimi patrisq; benignissimi bonitas, ut non sibi soli feliciter & beatè uiuere, sed & omnem felicitatem, & bona sua omnia in nos homines adamatas creaturas suas effundere, bonisq; suis nos frui modis omnibus cupiat. Ideoq; homines in hoc mundo uiuentes sibi deligit, quos aliquando ad se transferat, in quibus interim, dũ hic uiuunt, habitet, quos omnibus bonis suis locupletet, in quibus regnet, ipsiq; eius appellentur nomine, populus inquam, domus, regnum, hæreditas, peculium, cœtus uel Ecclesia Dei uiuentis. De qua dicam, uestris adiutus precibus, quod ipse dominus Ecclesiæ loqui dederit.

Ecclesia est uox Græca, sed usurpata & recepta à Latinis, significans cœtum, communionem uel concionem (Germanicè ein Gemeind) populum inquam conuocatum ad audiendum de reipub. negotijs. Sic enim & Lucas hoc uocabulo usus legitur in Actis cap. 19. Translatum est autem ad usum sacrum, dicique ecclesia cœpit cœtus uel communio fidelium inuocantium nomen domini. Paulus enim dicit se persecutum ecclesiam Dei: qui alibi, Potestatẽ, inquit, accepi à principibus sacerdotũ uinciendi omnes qui inuocant nomen Christi. Iam enim Christi nomen inuocantes uel Christianos appellat, quos ante nuncuparat ecclesiam. Vel ecclesia dicitur ab euocando. Græcè enim ἐκκαλέω euoco est. Nam deus ex toto terrarum orbe uniuersaliq; hominum congregatione omnes credentes unà cũ ipsorum semine euocat ex hoc mundo, ut sint eius peculiaris populus, cuius ipse sit uicissim deus: id est, ut sint ecclesia dei uiuentis. Olim cœtus uel ecclesia populi Iudaici peculium dei, dicebatur Synagoga. Idem enim significat Synagoga quod Ecclesia: sed propter Iudæorum pertinaciam implacabileq; in Christianam religionem odium, uiluit uox Synagogæ ac fermè in usu esse desijt. Non disseremus autem iusta methodo de Iudæorum, uel Turcarum, uel aliarum exterarum Gentium Ecclesijs, quarum plures esse nouimus. De Ecclesia Christiana fidelium ue dicemus: quam Germani appellant die kirch: alludentes fortassis ad Græcorum κυρίκη. Vocant enim hi κυρίκην dominicam, nimirum domum uel plebem: sicut & Germani die kirchen nuncupant & ipsum dei populum & locum, in quo hic congregatur ad cultum Dei. Ante omnia autem describemus Ecclesiam paulò rudius.

Ecclesia. *1. Cor. 15.* *Acto 22.* *Synagoga.*

ECCLESIA est uniuersalis fidelium cœtus uel multitudo, partim in ipso cœlo iam agens, partim adhuc in terris uersans: ubi palàm in unitate fidei uel doctrinæ ueræ sacramentorumq; legitima communione consentit, non discinditur, sed in una ueluti domo societateq; continetur.

Ecclesia quid.

Hæc solet appellari Catholica, id est, uniuersalis. Profert enim palmites suos

Catholica Ecclesia.

in omnia uniuersi mundi loca, & in omnia omnium ætatum tempora, comprehenditq́; in uniuersum omnes totius mundi fideles. Etenim ecclesia Dei nõ est affixa regioni, genti, aut familiæ, conditioni, ætati, aut sexui: omnes fideles & singuli ubi ubi sint, huius ecclesiæ ciues & membra sunt. S. Paulus Apostolus, Nõ est Iudæus neq; Græcus, inquit, non est seruus neq; liber, non est masculus aut fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu.

Galat. 3.

Ecclesiæ distinctio.

Distinguitur Ecclesia in triumphantẽ & militantem. Triumphans est magna illa concio sanctorum in cœlo spirituum, triumphantium modò de uicto mundo, peccato & diabolo, fruentium Dei conspectu, in quo est iucunditas gaudiorumq́; satietas omnium. Vnde & in æternum gloriam Dei celebrant, & bonitatem eius laudãt. Hanc describit graphicè beatus Ioannes Apostolus in Apocalypsi dicens, Post hæc uidi, & ecce turba multa, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, populis & linguis, stantes ante thronum & in cõspectu agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum: & clamabant uoce magna, dicentes, Salus ei qui sedet super thronum Dei nostri & agno. Et paulò post, E respondit unus de senioribus, & dixit mihi, Hi qui sunt amicti stolis albis, qui sunt & unde uenerunt? Et dixi illi, Domine tu scis. Et dixit mihi, Hi sunt qui uenerunt ex afflictione magna, & dilatauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni: ideo sunt ante thronũ Dei, & seruiunt ei die & nocte in tẽplo eius. Et qui sedet in throno habitabit super eos. Nõ esurient, neq; sitient amplius: neq; cadet super eos sol, neque ullus æstus: quoniam agnus qui in medio throni est reget eos, & deducet eos ad uiuos fontes aquarum. Et abstersurus est deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Habetis fratres descriptionem elegantissimam triumphantis in cœlo ecclesiæ, & triumphantis quidem per sanguinem Iesu Christi, per quem uicerunt, & iam regnant. Christus enim est agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi: per quem omnes qui sanctificati sunt sanctificãtur & sanctificabuntur, uiuunt, à principio mundi ad finem usque seculi. S. Paulus alicubi egregiam nobis huius quoque ecclesiæ descriptionẽ exhibens, docet interim nos qui uersamur adhuc in militanti ecclesia, aliquãdo ad illam transferendos, associandosq́; sanctis dei angelis, cooptãdos item in ordinem patriarcharũ, collocãdosq́; inter ipsos beatos spiritus, apud ipsum deum summum mediatoremq́; dominum nostrum Iesum Christum. Prædicans enim magnitudinem diuinę gratiæ per euangelium delatæ ad nos, adhortansq́; ut eam uera fide recipiamus, Non accessistis, inquit, ad montem Sina, ad ignem, ad turbinem, procellam & caliginem, sed ad montem Zion, ad ciuitatem dei uiuentis, ad Hierusalem cœlestem, & ad cœtum innumerabilium angelorum, & ad Ecclesiam primogenitorum, qui scripti sunt in cœlis, & ad iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & mediatorem noui testamenti Iesum Christum, meliora loquentem quàm loquebatur sanguis Abel. Proinde omnes sancti in cœlis pertinent ad nostrum consortium, imò nos pertinemus ad ipsorum societatem. Sumus enim socij & cohæredes sanctorum ab Adamo ad finem usq; seculi omnium, ac domestici Dei. Id quod maximam habet in omni uita hominum consolationem aculeosq́; ad studium uirtutis acutiss. Quid enim est præstantius quàm domesticum esse Dei? Quid obsecro iucundius uel cogitari potest, quàm nos esse socios patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, omnium angelorum, beatorumq́; spirituum? Hoc beneficium Christus contulit. Huic sit laus, gloria, & gratiarumactio in secula seculorum, Amen.

Ecclesia triumphans.

Apocal. 7.

Vide unde sit perfectiss. sanctitas.

Hebr. 12.

Ecclesia militans.

Militans ecclesia cœtus est hominum in terris, nomen & religionem Christi profiten-

profitentium, & adhuc militantium in mundo, contra diabolum, peccatum, carnem, & mundum, in castris & sub signis Christi domini. Ea rursus consideratur dupliciter. Vel enim strictius considerata eos duntaxat comprehendit, qui non tantùm dicuntur, sed etiam reuera sunt Ecclesia, fideles & electi Dei, uiua membra, Christo connexa, non modò uinculis aut notis externis, sed spiritu & fide, & aliquando his duntaxat, sine illis. De qua re dicemus postea. Ista interna & inuisibilis Dei Ecclesia, electa Christi sponsa dici poterat, soli Deo cognita, ut qui solus nouit qui sint eius. Hanc inprimis confitentes symbolo edocti apostolico dicimus, Credo sanctã Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem. Ac paucis quidem his uerbis comprehendimus quòd sit Ecclesia, quid item & qualis sit. Principiò enim confitemur fuisse, esse, & manere semper Ecclesiam Dei. Deinde quid sit profitentes subijcimus, Sanctorum communionem: id est, credimus Ecclesiam aliud non esse quàm cœtum omnium qui sunt, fuerunt, eruntq́ tam in præsenti quàm futuro seculo, sanctorum, qui communia inter se habeant omnia à deo sibi concessa bona. Simul etiam exprimimus qualis sit ecclesia, nimirũ sancta, sponsa inquã Christi purgata & beata. Nam Apostolus Paulus sanctos appellauit mundatos spiritu & sanguine dei nostri: quorum bona pars coronas accepit: reliqua easdem in terris certans sibi in cœlis imponendas expectat. Et præcipuũ quidem in consideratione ecclesiæ caput illud est, quòd per gratiam Dei membra corporis Christi effecti, omniumq́ cum sanctis omnibus bonorum cœlestium participes facti sumus. Etenim non alios magis quàm nosipsos confitemur esse sanctos.

Sancta Ecclesia. *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.* *1. Cor. 6.*

Vel certè latius considerata ecclesia, non modò uerè fideles & sanctos, sed illos quoque complectitur, qui tametsi nec uerè credant, nec mundi uel sancti sint conuersatione uitæ, ueram tamen religionem cum uerè credentibus & sanctis Dei agnoscunt & profitentur, uirtutes denique palàm approbant, scelera reprobant, neque adhuc se separant ab unitate huius sanctæ militantis Ecclesiæ. Qua quidem consideratione ne mali quidem uel hypocritæ (quales Christi & Apostolorum temporibus in Ecclesia fuisse dicuntur Iudas, Ananias & Saphira, Simon Magus, Demas item, Hymenæus, Alexander, & alij multi) excluduntur ex Ecclesia, quæ uisibilis & externa dici potest. Æstimatur autem hæc rursus uel ex aliqua sui parte, uel ex seipsa tota. Consideratur enim Particulariter, & Vniuersaliter. Et particularis quidem Ecclesia certo est definita numero, certoq́ ex loco cognosci potest. Ex loco enim indipiscitur nomen, dicta ciuitatum nominibus, ut Ecclesiæ Tigurinorum uel Bernatium, &c. Græci particulares illas appellauerunt παροικίας. Vulgus dicit parochias, alij & rectius dixere parœcias. Parœciam uocant incolatum aut habitaculum adeoq́ uiciniam, domibus contiguis comprehensam. At solet in ciuitatibus & in agro designatæ ædium portioni & templum & parochus dari, totaq́ illa area appellari parochia, Germanicè ein Barchi / oder pfarkirch / oder ein kirchhöry. Ac ueteribus parochus erat præbitor. Hospitibus enim suppeditabat necessaria, sal in primis & ligna. Alij nuncuparunt exhibitorem conuiuij: alij paranymphum. Quia ergo Ecclesiarum pastores sunt ueluti paranymphi redemptoris capitisq́ Ecclesiæ Christi, adducentes ei uirginem castam: quia denique illi ipsi maximè necessaria populo Dei procurant cœlestesq́ dapes uel epulas instruunt, rectissimè pastores gregis dominici parochi uel curatores animarum appellantur. De particulari Ecclesia loquutus dominus in euangelio dixit, Si scandalizans Ecclesiam monitores non audierit, dic Ecclesiæ. Non potest autem uniuersalis Ecclesia conue-

Ecclesia & malos complexa. *Ecclesia particularis.* *Parochia & parochi.* *Matth. 18.*

nire unquam ex toto terrarum orbe, ut ei deferantur rebelles: particularibus ergo defertur iudicium de contumacibus. Porrò Vniuersalis ecclesia ex omnibus colligitur particularibus in uniuerso mundo ecclesijs, omnibusq; membris suis uisibilibus. Hæc illa ipsa est quam modò adumbrauimus, cum latius consideratam attingeremus.

Ecclesia Dei semper fuit eritq;.

Cæterum Ecclesia Dei Catholica continuo seculorum ordine (quod & paulò ante dicere cœperam (ad nos usq; decurrit, & hodie diffusa est per totum terrarum orbem, uisibiliter quidem & inuisibiliter, eritq; populus domini & domus Dei in terris in finem usq; seculi. Etenim nullum unquam seculum fuit, neque ulla unquam ætas erit, in qua sibi non aliquos saltem sanctificarit sanctificetq; deus, in quibus habitet, qui sint eius peculium & domus sancta. Nam perpetuam esse ecclesiam testantur etiam ueterum uatum testimonia. Etenim sic legimus scriptum Psalmo 132. Dominus elegit Zion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Et iterum, Iuraui Dauidi in sancto meo, semen eius in æternum manebit, & solium eius coram me perstabit ut sol. Quis autem ignorat ista omnia intelligenda esse de Christo Dauidis filio & throno eius spiritualiq; Zione, quæ est ecclesia? Ipse

Matth. 28. *Ioan. 14.*

quoq; perpetuitatem ecclesiæ significans in euangelio dicit, Ero uobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Et iterum, Ego rogabo patrem, & alium consolatorem dabit uobis, spiritum ueritatis, ut maneat uobiscum in

Matth. 16.

æternum. Huc nimirum & illud ex euangelio pertinet, Et portæ inferorum non præualebunt contra Ecclesiam. Quæ sanè maxima est consolatio fidelium in tot & tam grauibus persequutionibus ad oppresionem excidiumq; ecclesiæ institutis.

Ecclesia diaboli & antichristi.

Sicut autem Christus suam in terris semper habuit, habet, habebitq; ecclesiam, ita diabolo quoque, donec hic mundus finiatur, nunquam deerit suus populus, in quo regnet. Hæc diaboli Ecclesia initium accepit à Caino, progredieturq; ad ultimum usque impium, medios comprehendens omnes totius mundi impios. Communionem autem in terris uiuentes, cum his qui apud inferos torquentur habent. Sicut enim omnes pij unum sub capite Christo corpus constituunt: sic omnes impij sub uno capite satana unum corpus sunt. Hæc meritò appellatur Ecclesia malignantium, Sodoma & Gomorra, Babylon, Congregatio Chore, Dathan & Abyrom, synagoga & schola & prostibulum diaboli, Antichristi regnum, & si quid aliud his est simile. In hac Ecclesia recensentur omnes impij & infideles, segregantes se à consortio sanctæ matris Ecclesiæ, aut respuentes eius communionē, quales imprimis sunt illusores Dei & uerbi eius, blasphemi & persequutores Christi & Ecclesiæ. Tales sunt hodie gentiles, Turcæ, Iudæi, hæretici, scismatici & omnes in uniuersum professi hostes religio-

Matth. 5. 6. 23. *Matth. 24.*

nis Christianæ. Adde his & hypocritas. Neq; enim leue crimen est, quod ipse dominus noster ubique in sancto euangelio tam ardenter accusat & persequitur. Inter alia dicit, Veniet dominus serui illius, in die quo non expectat, & hora qua ignorat, & dissecabit eum, partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit ploratus & stridor dentium. Enormitatem sceleris atrocitate supplicij significauit haud dubiè. Hæc Ecclesia sequitur diaboli instinctum & proprij cordis figmenta, exerceturq; in omnipharia blasphemia & impietate, in quibus semetipsam superat, tandem & ad tartara demergitur, ne uspiam separetur ab eo capite, cui se semper tam studiosè, imò pertinaciter conglutinauit.

Quomodo hypocritæ sint aut recenseantur in Ecclesia Dei.

Obijcis, sat scio, hypocritas me numerasse in externa militantis Ecclesiæ communione, iam eosdem recensere in consortio diabolicæ Ecclesiæ. Addis, Impossibile

sibile esse eundem communicare posse diuersissimis inter se ecclesijs: Domino dicente, Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum: aut facite arborem uitiosam & fructum eius uitiosum: Paulo item docente nullum esse consortium inter Christum & Belial, inter lucem & tenebras, inter ueritatem & mendacium: hypocrisim uerò esse mendacium & tenebras. Video ergo hic mihi commodum offerri locum declarandi, qua ratione uel quatenus numerauerim in ecclesiæ consortio hypocritas. Principiò distinguimus inter hypocritas. Sunt enim hypocritæ confidentes humanæ suæ iustitiæ, omniáque sua opera facientes ut uideantur ab hominibus, innitentes pertinaciter humanis traditionibus. His proprium est non modò ecclesiam, iustitiam Christi docentem fugere, sed execrari item & persequi sæuissimè. Huiusmodi fuerunt Iudæi & Iudaici pharisæi, quibus cum certamen fuit Domino nostro Iesu Christo, & quibus cum hodie belligeratur ecclesia. Hi palàm sunt membra diabolicæ ecclesiæ, nec ueniunt in censum uel exterioris ecclesiæ, imò non sustinerent in ecclesia Christi nominari. Sunt rursus hypocritæ quidam simulatores, nec suæ fidentes iustitiæ, nec admodum curantes traditiones humanas. Hi nec ecclesiam Dei odiunt uel fugiunt, nec persequuntur, sed foris quidem consentiunt cum ipsa, eandem profitentes fidem, ijsdémque sacramentis participantes: intus uerò & in animo nec syncerè credunt, nec sanctè uiuunt. Ex his alij quidem ad tempus in ecclesiæ consortio hærent, oblata autem occasione ab ipsa recedunt: ut solent hæretici & schismatici, & qui ex amicis fiunt inimici. Alij uerò ex ipsa nunquam recedunt, sed quoad uiuunt continent se in ecclesiæ contubernio, foris quidem simulantes religionem, intus autem suis erroribus & uitijs atque sceleribus indulgentes: quibus proculdubiò externum illud consortium nihil prodest. Oportet enim æternùm uiuere omnibúsque bonis cœlestibus participare desiderantibus, communicare cum ecclesia Dei, non externa tantùm uisibilíque societate, sed communione interna, ex qua existit uita salúsque. De qua suo dicetur loco. Huiusmodi uerò hypocritæ uel simulatores inhærentes adhuc ecclesiastico corpori, membra appellantur corporis, dicunturque esse in ecclesia. Quod ut plenius intelligatur ab omnibus uobis, parabolis aliquot adumbrabimus rem.

Matth. 12.
2. Cor. 6.
Hypocritæ.
alind genus hypocritarum
alind

Dicimus malos uel hypocritas perinde in ecclesia esse, sicut sunt in frumento paleæ, quæ reuera alterius naturæ sunt, & frumentum non sunt. Sicut ergo humano corpori nonnunquam adhærent membra aut arida, aut putrida, aut languentia, quæ tametsi uiuis membris spiritu uitali non communicent, connexione tamen & uinculis quibusdam, uiuis membris adhærent, unde & corporis membra partésque appellantur ab hominibus, qui illa ipsa aliquando, ne cætera contagione inficiant, resecant, nonnunquam tolerant, ne dum hæc resecant, totum corpus adducatur in discrimen uitæ: Ita ratione certa & suo quodam modo dicimus hypocritas esse in ecclesia Christi, licet uinculo spiritus, fidei & charitatis non sint copulati ecclesiæ, neque uiua censeantur membra: tolerantur tamen ne quid corpori ecclesiastico deterius obtingat: ac resecantur nonnunquam quò melius habeat ecclesiastici corporis sanitas. Sed audiamus Euangelica & Apostolica testimonia. Dominus in Euangelio disertè dicit, in agro Dominico seminata ab homine malo succrescere zizania: quæ & eradicari prohibet, ne simul eradicetur & frumentum. En zizania ab homine malo, ab ipso inquam dæmone seminata, quæ non sunt frumentum, proueniunt tamen & sunt in agro dominico. Rursus dicit in Euangelio Dominus, Simile est regnum cœlorum uerriculo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti: quod cùm impletum fuisset, sub-

Matth. 13.

duxerunt in littus, & sedentes, quæ bona erant in uasa, quæ uerò mala, foras eiecerunt. En rursus cernis in eadem sagena trahi bonos & malos, ideóque in eodem regno numerari bonos & malos. In alia quoque parabola comparet inter conuiuas quidam non tectus ueste nuptiali, qui ad tempus fertur, tandem à Domino conuiuij eijcitur. Idem alibi dicitur habere uanum aut uentilabrum in manu sua, areámque purgare & paleam comburere igni inextinguibili. Proinde S. Paulus in epistola ad Corinthios discrimen aliquod constituit inter professos ecclesiæ Christi hostes, & inter impuros quidem homines, sed nondum tamen ecclesiæ ac Christi nomen auersantes. Si quis, inquit, cùm frater appellatur fur sit, aut scortator, aut auarus, &c. cum eo ne cibum quidem capiatis. Quid enim ad me attinet de his qui foris sunt iudicare? Eos qui foris sunt Deus iudicat. Foris, id est, extra ecclesiæ septa collocat non appellatos fratres, id est, non agnoscentes nomen Christi uel ecclesiæ. Intus, id est, in societate ecclesiæ (nimirum exterioris) recenset agnoscentes adhuc nomen Christianum, neque opponentes se ecclesiasticæ disciplinæ, quamuis interim contaminati sint sceleribus. Omnium autem significantissimè beatus Ioannes Apostolus dixit, Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Nouum uidetur hoc loquutionis genus. Si enim exeuntes de ecclesia, in societate ecclesiæ non fuerunt, quomodo exire ex ecclesia potuerunt? Potest ne aliquis prodire ex loco, in quem nunquam peruenit, aut in quo nunquam fuit? Proinde si hypocritæ & mali exierunt ex ecclesia, fuerunt certè aliquando in ecclesia, tunc uidelicet, quando ex ipsa nondum exiuerunt & quales reuera fuerant declarauerunt. Rursus quandoquidem exierunt ex ecclesia, apertissimè ostenderunt nunquam se reuera fuisse uiua & uera Christi & ecclesiæ membra, tametsi ad tempus ecclesiæ membris connumerati sint. Rationem subiungit Apostolus, Verorum Christi membrorum ingenium est, nuspiam Christum & ecclesiam deserere, sed perseuerare, adeóque de die in diem magis magísque proficere. Labuntur quidem sancti, sed non deserunt Christum prorsus. Clamat Dauid prolapsus in adulterium & parricidium, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum renoua in uisceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. S. Petrus negauit Dominum, uicitque spiritum bonum caro infirma, sed continuò (Domino commouente cor eius) resipuit, & exiens de consortio prauo coniunxit se sodalitio bono Domini, qui & hunc lapsum grauem ei prædixerat, & hæc insuper uerba adiunxerat, Oraui pro te, ne deficiat fides tua: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Idem Petrus alicubi, pluribus à Christo deficientibus, rogatus num & ipse discessionem paret? Respondit, Domine ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognouimus quòd tu es Christus filius Dei uiui. Rectè ergo dixit beatus Ioannes, Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis. Rationem suppingit, Si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Quoniam ergo non permanserunt nobiscum in societate Christi & ecclesiæ, defectione sua à nobis declarauerunt quales hactenus fuerint: nos pro membris ecclesiæ numerauimus, ipsi uerò defectione illa sua ostendunt se fuisse paleas in frumento dominico. Sicut enim palea nondum commota & uentilata uidetur grano tritici grauis, uentilata autem uacua & leuis apparet separaturque à frumento: ita hypocritæ leui sua defectione approbant se nunquam fuisse semine uerbi Dei graues & uerum Christi frumentum.

Matth. 22. Matth. 3. 1. Cor. 5. 1. Ioan. 2. Psalm. 52. Luce 22. Ioan. 6.

Ex

Ex his colligitur doctrina generalis & orthodoxa, non omnes qui dicuntur ecclesia & ornant se titulo ecclesiæ, protinus esse ecclesiam. Disertè enim subiungit Ioannes, Sed ut manifesti fiant, quòd non omnes sint ex nobis. Vnde & Paulus ad Romanos dixisse legitur, Non omnes qui sunt ex Israel, neque quia sunt semen Abrahæ, mox omnes filij sunt: sed in Isaac uocabitur tibi semen. Proinde fideles uera & uiua sunt Christi & sanctorum membra. Interim uerò quandiu hypocritæ uel mali, necdum deterso fuco, quales sint dictis uel factis produnt, ut iure excindi queant ex ecclesia, necdum ipsi sua sponte erumpentes Christi castra deserunt, & in Antichristi uel diaboli tabernacula refugiunt, agnoscuntur utique pro inquilinis Ecclesiæ, appellantúrque Ecclesia & Ecclesiæ membra, aliud interim de ipsis iudicante omnium corda inspiciente Deo. Exemplo rursus hæc illustrabo. Quandiu Iudas Christi proditor & parricida subdolum, imò consceleratissimum suum ingenium nullo facto aut dicto publico prodebat, nec congregationem Christi & Apostolorum dese[r]ebat, sed concionabatur & rem Christi familiarem curabat, habebatur utique pro Apostolo & œconomo Christi, pro membro Ecclesiæ Apostolicæ. Eundem tamen Dominus & diabolum appellabat, & excludebat manifestissimè cùm loqueretur de electis & de ueris ac uiuis suis membris: ut iam nihil addubitare possimus Iudam non fuisse membrum internæ & sanctæ Dei ecclesiæ, licet esset membrum exterioris Ecclesiæ in numero recensitus sanctorum. Ideóque non sine causa graui dixerunt alij, Ecclesiam Dei aliam quidem esse uisibilem & externam, aliam uerò inuisibilem & internam. Visibilis & externa Ecclesia illa est, quæ foris ab hominibus ex auscultatione uerbi Domini, & sacramentorum eiusdem participatione, publicáque fidei confessione, pro Ecclesia agnoscitur. Inuisibilis & interna dicitur, non quòd homines sint inuisibiles, sed quòd hominum oculis non appareat, soliúsque Dei oculis pateat qui uerè & fictè credant. Verè enim credentes, membra uera & uiua sunt huius interioris Ecclesiæ: quam superius appellaui Ecclesiam militantem strictius consideratam, aliam uerò uisibilem illam bonos & malos comprehendentem latius consideratam.

Non omnes qui sunt in ecclesia sunt ecclesia.
Rom. 9.
Ioan. 13.
Ioan. 6.
Ioan. 13.
Visibilis & inuisibilis. Externa & interna ecclesia.

Nunc quoniam dixi Ecclesiam in terris militantem, à Deo notis insigniri, ex quibus agnosci possit in hoc seculo, consequenter de his Ecclesiæ Dei externis notis dicam. Sunt autem primariæ ac potissimæ duæ. Prædicatio syncera uerbi Dei, & legitima sacramentorum Christi participatio. Quòd alij adijciunt studium pietatis & unitatis, patientiam in cruce, & inuocationem nominis Dei per Christum, ea in his duobus nostris comprehendimus. Paulus ad Ephesios, Christus semetipsum exposuit, inquit, pro Ecclesia, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ, per uerbum. Habetis in hoc Apostoli testimonio notas Ecclesiæ Verbum & Sacramentum, per quæ sibi Christus parat Ecclesiam. Nam gratia sua uocat, sanguine Christi purificat: id quod uerbo annunciat ut fide recipiatur, sacramentísque obsignat, ne quid ambigant fideles de salute per Christum parta. Et fidelibus quidem sanctísque membris hæc propriè conueniunt. Quòd hypocritæ non purgantur, culpa in ipsis, non in Deo aut in ministerio sacro hæret: uisibiliter certè sanctificantur, unde & pro sanctis habentur ab hominibus, istáque eis impropriè competunt. Non dissidet à Paulo Petrus, qui cùm prædicasset Hierosolymitanis uerbum Dei, atque hi quid facerent rogarent, respondit Petrus, Resipiscite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum. Baptismum ergo coniunxit doctrinæ Petrus, Sacramentum uerbo. Id quod didicerat ab ipso saluatore in Euangelio, secun-

De externis ecclesiæ Dei notis.
Ephes. 5.
Actor. 2.

Matth.28. dum Matthæum, dicente, Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris & filij & spiritus sancti. Vnde non alia quàm hæc ipsa uerbi & sacramentorum symbola Ecclesiæ, recensita legis in Actis hisce uerbis, Erant perseuerantes in doctrinta Apostolorum, & beneficentia, & fractione panis, ac precationibus. Vbi cœnam Domini alterum sacramentum, baptismi sacramento adiectum uidetis, unitatis quoque & charitatis studium, item inuocationem nominis diuini. His apertis alioqui & firmis satis, adijciam nihilominus & alia ex scripturis sanctis testimonia. De symbolo uerbi Dei uel prædicationis Euangelij, ipse apud Isaiam Dominus dicit, Fœdus meum pangam cum eis. Spiritus meus qui super te est (Ecclesia) & uerba mea quæ inserui ori tuo, nunquam excident de ore tuo, neque de ore seminis tui, neque de ore nepotum & pronepotum tuorum, dicit Dominus à modo & usque in sempiternum. Nam in Euangelio quoque dicit Dominus Iesus, Qui ex Deo est, uerba Dei audit. Item, Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis: nec peribunt in æternum. Et iterum, Qui diligit me, sermonem meum seruabit. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Rursus, Omnis qui est ex ueritate audit uocem meam. Iam quod attinet sacramentorum notas, S. Paulus loquens de baptismo sancto, dicit, Per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus. Ac idem ille de Cœna Domini, Vnus panis, inquit, unũ corpus multi sumus. Nam omnes de eodem pane participamus. Sed & poculum quo benedicimus, annon est communio sanguinis Christi? Certissimum est itaque, quia diuinis traditum testimonijs, externas ecclesiæ notas esse Verbum & Sacramentum. Hæc enim colligunt nos in societatem unius corporis Ecclesiastici, & in eadem nos retinent.

[Margin: Actor.2. — Isaie 59. — Ioan. 8. — Ioan. 10. — Ioan. 14. — Ioan. 18. — 1. Cor. 12. — 1. Cor. 10.]

Quomodo notæ hæ ecclesiã insigniant.

Hæc testimonia omnia propriè quidem (quod & paulò ante monui) electis Dei membris fide & iusta obedientia donatis, hypocritis fide & iusta obedientia destitutis, impropriè congruunt: quia tamen & hi uocem pastoris externè audiunt, uirtuti operam dant, & palàm uel foris conglutinantur sacramentorum participatione electis & uerè credentibus, corpori inquam Christi uero, propter externa illa signa numerantur in Ecclesia, quandiu ex ipsa non recedunt. Vbi & hoc declarandi gratia disputatis de Ecclesiæ notis adijcere oportet, lege communi has membra Ecclesiæ insignire. Sunt enim singularia quædam membra, quæ licet his careant notis, communione tamen ueræ Christi ecclesiæ non excluduntur. Certissimum est enim plurimos in orbe terrarum non audire prædicationem uerbi Dei ordinariam, nec ingredi cœtum inuocantium Deum, aut participare sacramentis: non quòd ea contemnant, aut à concione abesse uolupe sit, sed quòd necessitate aliqua, ueluti uinculorum, morborum, aut aliorum malorum ui impliciti, quod alioqui desiderant, consequi non possunt, & tamen illos ipsos nihilominus uera & uiua esse Christi & catholicæ Ecclesiæ membra. Olim instituerat Dominus in populo Israelis uisibilem Ecclesiam, quam lege certa colligarat, signisq; uisibilibus insigniuerat. Eam si quis spreuisset, aut cùm potuisset audire doctrinam Ecclesiasticam, & ingredi sacrum cœtum sacrificareque, subterfugisset, aut etiam conuitijs proscidisset, aut pro diuinitus tradito cultu, alienum suisset amplexus, profectò minimè fuisset recensitus in ordine & numero populi Dei. At erant interim apud gentes per orbem terræ dispersi homines innumeri, qui non communicabant, neque communicare poterant cum hoc uisibili cœtu populi Dei, ac nihilo minus tamen erant & huius cœtus sancti membra & amici Dei omnipotentis. Erant cum rege Ioachim, Iechonia plures filij Dei in Babylonem

nem captiui per Nabuchodonosorem abducti, quibus tamen nihil nocuit separatio à populo Dei, Hierosolymis sub Sedechia templum & cultum uisibilem retinente: sicut multis non profuit uisibilis congregatio cum populo Dei in templo Domini, quando ipsorum mentes non essent integræ. Reperias hodie quoque innumeros per maria dispersos fideles, ad triremes propter confessionem ueræ fidei damnatos: reperias multos Antichristiana captiuitate impeditos, de quibus dicemus Sermone sequente: reperias item innumeros in Græcia, Natolia, Persia, Arabia, uel in Africa Iesu Christi seruos, præstantissima catholicæ Ecclesiæ Christi membra, exclusos quidem Machometana impietate & crudelitate à Christianorum sacris, nihilominus tamen coniunctissimos eodem spiritu & eadem fide cum omnibus ecclesiæ membris, uisibilibus etiam signis insignitis. Proinde Verbum & Sacramentum notæ sunt Ecclesiæ ex lege communi, non submouentes à communione fidelium fideles, necessitate aliqua exclusos uisibili cœtu fidelium.

4.Reg. 24.
Daniel. 1.

Porrò ad plenam signorum Ecclesiæ cognitionem pertinet & illud, & quidem inprimis, non satis esse Verbum Dei uel scripturam iactare, nisi sensum quoque natiuum & fidei articulis congruum simul amplectamur, retineamus & tueamur. Etenim si corrumpas sensum scripturæ, & hunc urgeas in Ecclesia, iam non ipsam profers scripturam synceram, sed tuam opinionem, & tua figmenta, quæ tuo ipsius arbitrio excogitasti. Non repudiabat uerbum Domini Arianorum Ecclesia, imò blasphemos errores suos scripturarum testimonijs & ornare & tueri contendebat. Negabat Dominum nostrum Iesum Christum consubstantialem esse Deo patri, quod cùm scripturæ & orthodoxæ fidei sensus inter prima fidei capita & asserat & urgeat, profectò non uerbum Dei syncerum, utcunque id iactaret, sed adulteratum, adeóque hæreticam suam opinionem pro orthodoxa scripturæ diuinæ sententia subijciebat & tuebatur: ideóque non habebat uerum Ecclesiæ signum, nec erat uera Dei Ecclesia. Ex unico hoc exemplo infelici æstimare licet omnium aliorum hæreticorum ecclesias: quæ tametsi uerbi Dei testimonio non uideantur destitui, reuera tamen uerbi Dei puri nihil habent reliquum.

Quale oporteat esse uerbũ Dei quod nota sit ecclesiæ.

Quod de uerbo Dei diximus, etiam de Sacramentorum usu intelligere necesse est: nisi enim usurpentur legitimè, eo inquam modo, quo instituit ipse Dominus, non sunt Ecclesiæ Dei signa. Sacrificabat quidem Ieroboam & Deo quidem sacrificabat, sed quia non legitimè sacrificabat, alienus & defector à uera Dei Ecclesia appellatur. Quid quod ipse Dauid arcam Domini exercituum summa cum deuotione & maximo cum iubilo deducebat? quoniam uerò non legitimè portabatur in humeris sacerdotum, protinus pro lætitia magna ingens luctus obortus, coarguit non satis esse usurpare sacramenta & instituta Domini, nisi usurpes legitimè. Hoc enim si fiat, agnoscit te Deus pro suo. Porrò baptizatos quondam ab hæreticis, ea de caussa non rebaptizarunt ueteres catholici, quòd hæretici non in nomen hominis alicuius, aut in consortium suæ ignorantiæ uel hæreseos, sed in nomen patris & filij & spiritus sancti tinxerunt, nec suum uel hæresiarcharum, sed nomen Christi Iesu inuocarunt. Ergo baptismum non hæreticorum quidem, sed Ecclesiæ baptismum, collatum autem ab hæreticis, non reprobantes, Ecclesias hæreticorum non approbauerunt, ueluti ex uero signo ueras declaratas: sed agnouerunt hæreticos rebus peculiariter ad ecclesiam ueram pertinentibus uti: neque rei bonæ derogari tantillum, si ipsam malus aliquis administret. Non agnoscimus hodie Ecclesiam Papæ Romanensem

Qualis esse debeat sacramentorũ usus, &c.
3.Reg. 12.
2.Reg. 6.

Baptizati ab hæreticis, non rebaptizati.

nebtericam (de ueteri illa Apostolica nihil iam dicimus) ueram esse Christi Ecclesiam, attamen non retingimus baptizatos à sacerdotibus Romana imbutis corruptione. Scimus enim illos baptismo Ecclesiæ Christi, non Papæ, in nomen sanctæ Trinitatis, ad articulos fidei catholicæ, non ad errores, non ad superstitiones & impietates Papisticas esse tinctos. Denique fatemur ne hodie quidem rei diuinæ derogare quicquam indignitatem ministri. Ita non repudiamus Orationem Dominicam, aut Symbolum Apostolorum, aut ipsam denique scripturam Canonicam, quòd his quoque utatur Romana Ecclesia. Habet enim illa non ex semetipsa, sed accepit à uera Dei Ecclesia. Vnde cùm illis in commune utimur cum ipsa, non propter ipsam Romanam Ecclesiam, sed quia profecta sunt ab ipsa uera Christi Ecclesia, utimur.

De notis ecclesiæ Dei internis.

Præter illas exteriores Ecclesiæ notas, quas uerè credentes communes habent cum hypocritis, sunt interiores quædam singularésque pijs duntaxat: siue illas uincula & dona peculiaria appellare malis. Hæc exteriores notas frugiferas reddunt, & sine externis notis, necessitate aliqua absentibus, acceptos uel gratos Deo efficiunt. Nam sine his nemo placet Deo: in his ergo est uerus typus filiorum Dei. Sunt autem communio spiritus Domini, fides syncera, & charitas gemina. His enim fideles uera & uiua Christi membra, primùm quidem capiti Christo, deinde omnibus membris corporis Ecclesiastici coniunguntur. Ac pertinet hæc consideratio inprimis ad cognitionem ueræ Dei Ecclesiæ, quæ licet putrida toleret membra, ab his tamen per coniunctionem externam non polluitur. Perpetuo enim studio se incontaminatam Deo seruare contendit. Ac principiò Christum nobis coniungi spiritu suo, nos illi connecti animo uel spiritu per fidem, ut ipse uiuat in nobis, nos in ipso, docet nos Euangelica &
Ioan. 7. Apostolica doctrina. In Euangelio enim clamat Dominus, Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius
1 Spiritus fluent aquæ uiuæ. Quibus mox subiungit Euangelista, Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum. Rursus in Euangelio spiritum suum promittens discipulis, imò omnibus fidelibus suis, qui semper cum ipsis ma-
Ioan. 14. neat, In illo die cognoscetis, inquit, quòd ego sum in patre, & uos in me, & ego in uobis, nimirum per spiritum sanctum: Ioanne Apostolo interpretante &
1. Ioan. 2. dicente, Per hoc scimus quòd manet in nobis, per spiritum quem dedit nobis.
1. Ioan. 4. Et iterum, Ex hoc cognoscimus quòd in eo manemus & ipse in nobis: quoniam
Rom. 8. de spiritu suo dedit nobis. Non discrepat à beato Ioanne uas electionis Paulus, Romanis scribens & dicens, Si quis spiritum Christi non habet, hic non est
Galat. 2. eius. Et quicunque spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Iam quod attinet ad
2 Fides fidem ueram connectentem nos Domino, Paulus, Viuo iam non ego, inquit, sed uiuit in me Christus. Vitam autem quam nunc uiuo in carne, per fidem ui-
Ephes. 3. uo filij Dei: qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Et iterum idem, Christus, inquit, inhabitat per fidem in cordibus nostris. Cum quibus sententijs con-
1. Ioan. 4. sentiens rursus Apostolus Ioannes, Quisquis, inquit, confessus fuerit quòd Iesus est filius Dei, Deus in eo manet & ipse in Deo. Nam ipse Dominus prior in Euan-
Ioan. 6. gelio dixit, Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Edit autem & bibit sanguinem Christi qui credit. Proinde spiritu coniungitur nobis Christus Dominus, nos animo & fide ei connectimur, ueluti corpus capiti: quo nexu & uinculo carentes, id est, non habentes spiritum Christi neque ueram in Christum fidem, uera & uiua Christi membra non sunt: ipso rursus domino

domino in euangelio testante & dicente, Si quis in me non manserit, electus est foras sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem conijciunt, & ardent. Quæ uerba saluatoris imitatus Apostolus (quod & modò adduximus) dixit, Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius. Cæterum non destituti Christi spiritu, dilectione Dei ardent. Neque enim à fide separamus dilectionem, ipso nos iterum Ioãne docente & dicente, Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Etenim in euangelio dixit dominus, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ioan.15. 1.Ioan.4.

Tametsi uerò fides propriè Christo capiti nos coniungat, eadem tamen connectit nos omnibus etiam membris Christi in terris. Cum enim omnium eadem sit fides, & idcirco spiritus idem, non potest non idem os, eadem mens atqꝫ sententia esse omnibus: quamuis fides nunc non usurpetur pro fiducia tantùm in misericordiam Dei per Iesum Christum, sed & pro confessione fidei externa. Eandem enim fidem, & unum atque idem caput, uno spiritu & ore confitentes uniuersi, simul etiam profitemur nos omnes unius atqꝫ eiusdem corporis esse membra. Nec est in mundo ulla res alia quæ animos hominum dissociet implacabilius, quàm fidei uel religionis diuersitas: idcirco nihil est quod nos compingat arctius, quàm fidei unitas. Descendimus modò ad charitatem, quam dixi membra corporis ecclesiastici mutuò inter se connectere. Dicit in euangelio dominus, Præceptum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos, ut & uos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter uos mutuam. Indubitatum ergo est, unicam post fidem Ecclesiæ tesseram esse charitatem, uinculum omnia membra quam arctissimè connectens. Nascitur ipsa ex communione Christi unitateqꝫ spiritus. Quia enim Christus rex caput & pontifex Ecclesiæ catholicæ, omnes nos uno & eodem spiritu donans, omnes sibi adaptauit in membra, filios Dei, fratres & cohæredes, quos haud dubiè diligit impensissimè, non potest non fidelis quilibet summo amore complecti regis, capitis & pontificis summi membra & cohæredes. Ioannes enim Apostolus, Omnis, inquit, qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo. Si quis dixerit, diligo eum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem uidet, Deum quem non uidet quomodo potest diligere? Paulus ut hanc unitatem & consensionem membrorum quàm proprijssimè exprimeret & oculis nostris ceu contemplandam proponeret, parabola utitur, sumpta à membris humani corporis, & dicit, Quemadmodum in uno corpore membra multa habemus, membra uerò omnia non eundem actum habent: sic multi unum corpus in Christo sumus, sigillatim autem alij aliorum membra. Idem in 12. prioris ad Corinthios capite, copiosius significantiusqꝫ eandem capitis ac membrorum & horum præcipuè parabolam exponens elegantissimeqꝫ expoliens, testificatur inter ima & summa Ecclesiæ membra summum & congruentissimum esse consensum, præterea sedulam solicitudinem & auxilium tum perpetuum tum fidelissimum. Ex quibus quidem omnibus consit, notas ueræ & uiuæ Christi ecclesiæ esse communionem spiritus Christi, synceram fidem & charitatem Christianam: sine quibus nemo communicat hoc spirituali corpore. Ex his quoqꝫ facillimum erit iudicare, sis ne in consortio Ecclesiæ an non sis. Charitas 3 Ioan.13. 1.Ioan.4. Rom.12.

Præterea colligimus ex illis quæ disseruimus hucusqꝫ de signis ecclesiæ Christi, unde sit origo eius, quomodo item plantetur, propagetur & conseruetur De origine Ecclesiæ.

Galat.4. Ecclesia. Origo eius cœlestis est. Paulus enim, Quæ sursum est Hierusalem (inquit loquens de Ecclesia) libera est, quæ est mater omnium nostrum. Ergo cœlestem uocat ecclesiam, non quòd uniuersa habitet in cœlis, sed quòd agens adhuc in terris originem habeat cœlestem. Etenim filij Dei non nascuntur ex carne & sanguine, sed ex cœlo, per renouationem sancti spiritus, qui per prædicationem uerbi diuini plantat fidem in cordibus nostris, per quam fidem efficimur uera Christi & ecclesiæ membra. *1.Pet.1.* Petrus enim dicit, Renati estis non ex semine mortali, sed immortali, per sermonem uiuentis Dei & manentis in æternum. *1 Cor.4.* Et Paulus, In Christo Iesu per euangelium, inquit, ego uos genui. Idem enim Apostolus alibi dicit, *Rom.10.* Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei.

Doctrinis hominum ecclesia non ædificatur. Cum autem fides ex auditu sit, auditus autem per uerbum Dei, & significanter quidem per uerbum Dei, nequit profectò ecclesia oriri aut ædificari decretis & doctrinis hominum. Ergo solum Dei uerbum ad ædificationem ecclesiæ congruere asseueramus. Doctrinæ humanæ humanam excitant ecclesiam: uerbum Christi Christianam extruit. Nam ex carne & sanguine sunt doctrinæ humanæ. Petrus autem uera fide Christum confitens, ideoq; impositus fundamento Ecclesiæ Christo, ab ipso audit Christo, *Matth.16.* Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. *Galat.1.* Ergo & Paulus, Vbi Deo uisum est, inquit, ut prædicarem filium eius inter gentes, non contuli cum carne & sanguine. Et reliqua. Idem ab ædificatione fidei ac Ecclesiæ quàm manifestissime remouens humanas doctrinas, & solum Dei uerbum commendans, dicit ad Corinthios, *1.Cor.2.* Prædicatio mea non erat in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei. Huc iam pertinent hæc Christi testimonia, *Ioan.8.* Qui ex Deo est, uerbum Dei audit. *Ioan.18.* Item, Omnis qui ex ueritate est, audit uocem meam. *Ioan.10.* Et adhuc clarius, Oues pastorem sequuntur, quia nouerunt uocem eius. Alienum autem non sequentur, sed effugient ab eo: quia non nouerunt uocem alienorum. Atqui sub uocem alienorum referimus omnia decreta hominum aliena à doctrina Christi: *Coloss.2.* *Titum.1.* quibus Apostolus Paulus tribuit quidem sapientiæ speciem, sed adimit ueritatem, superstitiosaq; appellat. *Matth.15.* Nam ipse dominus noster in euangelio ex propheta Isaia irrefragabile illud profert in medium, Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Teneamus ergo ueram Dei ecclesiam non extrui humanis decretis, sed eam solo Christi uerbo fundari, plantari, colligi & extrui.

Verbo dei conseruari ecclesiam. Addimus indubitatum esse, eodem Dei uerbo ecclesiam Dei, ne uel seducatur uel dilabatur & pereat, conseruari, nec aliter unquam ullo pacto conseruari posse, Paulo iterum testante, & dicente, *Ephes.4.* Christus dedit alios quidem Apostolos alios uerò prophetas, alios autem euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad administrationem sanctorum in opus dispensationis (id est ad docendum & dispensandum uerbum) in ædificationem corporis Christi, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenè adultæ Christi, ut non amplius simus pueri, qui fluctuemus & circunferamur quouis uento doctrinæ, per uersutiam hominum (en damnantur iterum graui & irrefragabili authoritate hominum doctrinæ) per astutiam qua adoriuntur nos ut seducant nos: sed ueritatem sectantes in charitate, adolescamus in illum per omnia, qui est caput, nempe Christus: ex quo totum corpus si coagmentetur & compingatur per omnem commissuram administrationis, iuxta actum in mensura uniuscuisque partis, incrementum corporis facit, in ædificationem suiipsius per charitatem. Hæc Apostoli uerba clariora sunt

quàm

quàm ulla indigeant interpretatione copiosiore. Locum autem hic haberet Ordo gubernandi Ecclesiam per prædicationem uerbi Dei, quam pleriqꝫ appellant ministerium uerbi uel Ecclesiæ. De quo dicemus, Deo uolente, Sermone III. Satis fuerit hic tenere, Dominum Deum nostrum, datis ecclesiæ doctoribus, ecclesiam suam per Verbum, & quidem per solum uerbum suum, fundare, extruere & conseruare propagareqꝫ.

Veniunt autem in præsenti consideranda duo. Prius, Ecclesiam Dei propter perpetuum ac constans uerbi Dei studium appellari Propheticam & Apostolicam, deniqꝫ & orthodoxam. Prophetica enim & Apostolica dicitur, quòd opera prophetarum & Apostolorum primùm sit extructa, ac per eorundem doctrinam conseruetur uel hodie, propageturqꝫ in finem usqꝫ seculi. Orthodoxa dicitur, quòd rectæ sententiæ opinionis ac fidei sit. Extra Ecclesiam enim non est uera fides, neque ulla de uera uirtute & felicitate doctrina absoluta. Ecclesiæ fides & doctrina cœlitus ab ipso Deo reuelata est per Adamum & patriarchas, per Mosen & prophetas, per Christum & Apostolos. Vnde & mater alibi dicitur. De quo dicemus Sermone proximo. *Ecclesia prophetica & apostolica. Orthodoxa.*

Posterius, successionem doctorum uel pastorum Ecclesiæ sine uerbo Dei per se nihil probare. Iactant Papisticæ Ecclesiæ propugnatores, se certissimum habere signum Apostolicæ Ecclesiæ, nimirum in perpetua illa Episcoporum successione, à sancto Petro per Clementem primum ad Clementem usque VII. ad Paulum item III. nuper mortuum, & ad Iulium usque III. non ita pridem creatum, decurrente. Adijciunt resecta esse membra quotquot ab illa se separent Ecclesia, in qua sola reperiatur successio illa apostolica. Nos uerò non negamus successionem pastorum certam in primitiua Ecclesia magni fuisse momenti. Qui enim tunc appellabantur, erant pastores, & munia pastorum obibant. Quales autem fuerint pastores à seculis multis, quos Romanæ ecclesiæ pastores appellauit Cardinalium, episcoporum mitratorum & sophistarum uulgus, nemo nescit nisi sensu communi carens. Audit Zacharias propheta sibi suggeri à domino, Adhuc sume tibi uasa pastoris stulti. Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non uisitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissoluet. Væ pastori idolo, qui deserit gregem. Et cætera. Proinde nihilo plus probant isti continua serie episcoporum, uerbum Dei non docentium syncerè, neque fungentium pastorum munere, quàm si mundo ab oculos statuant magnam idolorum copiam. Quis enim negare audeat bonam, imò maximam partem Romanorum pontificum, post Gregorium magnum, huiusmodi fuisse idola, huiusmodi lupos & depastores, quales descripsit propheta Zacharias? Quid ergo talium pseudopastorum probaret continua successio? Quid quod postremi uniuersam propè ecclesiam traditionibus hominum oppleuerunt, & uerbum Dei partim oppresserunt, partim persecuti sunt? In ueteri Israelis ecclesia erat continuus ordo pontificum, non interrupta serie, ab ipso Aarone ad Vriam usqꝫ sub Achas uiuentem, & ad alios usqꝫ impios pontifices, à uerbo Dei ad traditiones hominum, imò & ad idololatriam deficientes. At successio illa non probabat idololatras pontifices, cum ecclesia ipsis adhærente, ueros dei pontifices, ueramqꝫ dei esse ecclesiam. Certè prophetæ dei ueri, orthodoxi & catholici uiri, solumqꝫ dei uerbum sine traditionibus, imò contra traditiones prædicantes, non potuerunt ullam recensere antecessorum sacerdotum non interruptam seriem, in qua succederent ipsi, & tamen erant illustrissima ecclesiæ

De successione episcoporum continua.

Zach. 11.

luminaria, & præclarissima Ecclesiæ Dei membra, credentesque prædicationi ipsorum, nec schismatici, nec hæretici, sed uera Christi ecclesia uel hodie agnoscitur. Cum Christus dominus noster, benedictus Dei filius, doceret in terris, colligeretque Ecclesiam, successio pontificum erat apud aduersarios. At illi ea de causa non præsidebant ueræ Dei Ecclesiæ, Christus hæreticæ. Sed & Apostoli Domini nostri non potuerunt pro se & sua doctrina pontificum non interruptam seriem proferre. Nam ordinati erant à Domino, qui & ipse extra successionem ordinis Leuitici, iuxta nouum ordinem Melchizedechicum, à Deo creatus erat pontifex in æternum, & tamen Ecclesia ab ipsis collecta, agnoscitur ab omnibus uera & sancta esse Ecclesia. Illi ipsi Apostoli pro ueris suis imitatoribus & successoribus non alios, quàm rectà ambulantes in doctrina ac uia Christi, agnosci uoluerunt.
1.Cor.11. Notissima est enim illa uulgaris Paulina sententia, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Et quamuis hæc ad omnes fideles dicat, non ad ministros uerbi Dei duntaxat, hos tamen in primis tales uult esse imitatores suos, quales reliquum Christianorum uulgus, quemlibet utique in sua uocatione.
Actor.20. Idem Apostolus loquens Mileti cum episcopis Asianis, inter alia, Ego noui hoc, inquit, quòd ingressuri sint post discessum meum lupi graues in uos, non parcentes gregi. Et ex uobis ipsis exorientur uiri, loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Paulus Apostolus non aliunde quàm ex ipsa Apostolica Ecclesia, imò ex cœtu uel choro episcoporum & pastorum Apostolicorum, deriuat lupos & depastores Ecclesiæ. An uerò hi non potuissent pro se & pro caussa sua corruptissima adducere seriem Apostolicam, se uidelicet ex Apostolis descendere pastoribus? Cæterum quoniam perfidi defecerunt à fide & à doctrina Apostolica, nihil pro ipsis faciebat origo & successio apostolica. Concludimus ergo, successionem continuam episcoporum per se nihil probare, imò non esse successionem iustam, puritate doctrinæ euangelicæ & apostolicæ carentem.

Tertull. de successione pastorum continua. Ideoque Tertullianus magni faciens, & meritò quidem, successionem pastorum in Ecclesia continuam, flagitat tamen ipsam doctrinæ Apostolicæ synceritate approbari: imò Ecclesias doctrina pura instructas, nec interim episcoporum successionem recensere ualentes, pro apostolicis agnoscit. Verba authoris si quis requirat, hæc sunt. Cæterum si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ, ut ideo uideantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere, Edant igitur origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis uel Apostolicis uiris, qui tamen cum Apostolis perseuerarit, habuerit authorem & antecessorem. Hoc enim modo Apostolicæ Ecclesiæ census suos deferunt. Sicut Smyrneorum Ecclesia habens Polycarpum, ab Ioanne collocatum refert. Sicut Romanorũ Clementem à Petro ordinatum edit: proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici (quid enim illis post blasphemiam illicitum est?) sed etsi confinxerint, nihil promouebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronunciabit, neque Apostoli alicuius authoris esse, neque apostolici. Quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent: ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent: nisi illi qui ab Apostolis desciuerunt, & aliter prædicauerunt. Ad hanc itaque formam prouocabitur ab illis Ecclesijs, quæ licet nullum ex Apostolis aut apostolicis authorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ denique quotidie instituuntur, tamen in eadem

fide conspirantes, non minus apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ.

Idem author loquens de antiqua Romana Ecclesia, summamq; contexens quid docuerit aut didicerit, dicit, Felix ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni dominicæ adæquatur: ubi Paulus Ioannis exitu coronatur: ubi Apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoq; ecclesijs contesserarit, Vnum deum nouit creatorem uniuersitatis: & Christum Iesum ex uirgine Maria filium Dei creatoris: & carnis resurrectionem: legem & prophetas cum euangelicis & apostolicis literis miscet: & inde potat fidem eam: aqua signat: sancto spiritu uestit: eucharistia pascit: martyrio exhortatur: & ita aduersus hanc institutionem neminem recipit. Hæc est institutio. Tantum Tertull. in libro quem inscripsit De præscriptionibus hæreticorum. *Veteris Rom. ecclesiæ doctrina.*

Postremum quod obseruemus illud est, Dominum non tantùm olim & usque huc dedisse, sed hodie quoque dare doctores & pastores Ecclesiæ: & doctores quidem non ductores uel imperatores exercituum, non principes, non milites, non homines uafros, dolosis utentes artibus, quas hodie dicunt practicas. Nulla enim ratione alia, nullo modo, nullóue instrumento alio, quàm doctrina ueritatis & pietatis syncera & simplici extruitur, munitur, & conseruatur catholica & sancta Dei ecclesia, quam ab initio homines simplices & Apostoli Christi prædicatione euangelij fundauerunt. Remouet ergo omnem secularem sapientiam Paulus, & ait, Ego per infirmitatem & cum timore ac in tremore multo apud uos (Corinthi) uersatus sum, & sermo meus & prædicatio mea non erat in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostentatione spiritus & potentiæ, ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in potentia Dei. Remouet idem Apostolus omnia consilia dolosa cum omnis generis imposturis, cum ad Thessalonicen. scribens dicit, Exhortatio nostra non fuit ex impostura, neque ex immunditia, neque cum dolo: sed quemadmodum probati fueramus à Deo, ut nobis committeretur euangelium, ita loquimur: non hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim unquam per sermonem adulationis uersati sumus: quemadmodum nostis: nec per occasionem auaritiæ: Deus est testis: neque quærentes ex hominibus gloriam. Et reliqua. Quapropter desipit insanitq; existimans practicis, id est, uafris hominum consilijs insidijsq;, uel colligi uel collectam conseruari posse Ecclesiam. Verè dicitur à uulgo, humana prudentia subuerti iterum, quod extructum sit humana prudentia. Præterea remouet uim & arma ab ædificatione ecclesiæ ipse dominus, cum usum gladij discipulis suis prohibet, ac Petro pugnanti iam, dicit, Conuerte gladium in locum suum. Neque uerò ullos unquam missos legimus milites à domino, qui armata ui mundum subigant. Quinimò scriptura testatur ipsum hostem Dei magnum, antichristum, spiritu oris dominici conficiendum. Vnde dubium non est, figuratè exponi oportere omnia ea quæ passim in prophetis & apud Zachariam potissimum 12. capite leguntur de bello omnibus gentibus ab Apostolis apostolicisq; uiris inferendo. Etenim Apostoli suo more pugnant ut Apostoli, non hasta, gladio & arcu militiæ carnalis, sed spiritualis. Gladius Apostolicus est uerbum Dei. Interim uerò nemo negat, profuisse aliquando arma corporalis militiæ Apostolicis uiris & Ecclesiæ, & prodesse uel hodie: nemo negat Deum usurpare opera militum & magistratus frequentissimè ad defendendam Ecclesiam

Ecclesia bellis & malis artibus non ædificatur.

1 Corin. 2.

1. Thess. 2.

Matth. 26. Lucæ 22. 2. Thess. 2.

contra impios & tyrannos. Imò fatentur omnes, bonũ & pium magistratum operam suam debere Dei Ecclesiæ. Neque enim sine causa clarissimus Dei propheta Isaias, reges appellat Ecclesiæ nutritios & reginas nutrices. Paulus certè oppressus à Iudæis in templo Hierosolymitano, propter prædicationẽ euangelij in gentes, armata Cl. Lysiæ tribuni Rom. manu eripitur & asseritur: mox additis eidem Apostolo per eundem tribunum militibus non paucis, nempe equitum turma & cohortibus aliquot peditum, incolumis Antipatrida & Cæsaream usque ad Iudææ Procos. Felicem deducitur. Id quod nõ temere tanta diligentia & copia in Actis Apostolorum à Luca commemoratur. Ecclesiastica historia nõ pauca nobis exempla sanctissimorum principum asserentium & iuuantium Ecclesiam Dei recitat. Sed hæc alibi à nobis utcunque sunt tractata, Decadis, ni fallor, secundæ, Serm. 7. & 8. Hæc autem hactenus de Origine Ecclesiæ Dei, deque propagatione & conseruatione eiusdem diximus.

Isaiæ 49.
Actor. 21.
Actor. 23.

An ecclesia dei errare posit.

Hoc loco uideor mihi non admodum incommodè quæstionem illam celebrem tractare uel paucis explicare posse, Num ecclesia Dei errare posit? Quod ut intelligatur perspicacius, excutiam breuibus ipsius quæstionis terminos. Ecclesiam Dei Catholicam docui comprehendere primùm quidem beatos in cœlo spiritus, deinde in terris omnes fideles Christi, quibus adhærere dixi malos uel hypocritas ad tempus fidem simulantes. Iam ergo si intelligamus Ecclesiam beatorum spirituum, non errat ea unquam. Si uerò intelligamus admixtos bonis malos uel hypocritas, & hos quidem solos, per se quidem nihil aliud quàm errant: quatenus uerò bonis aut fidelibus coniuncti sunt ac eos sequuntur, uel errant uel non errant. Bonorum enim fidelium Ecclesia in terris errat & non errat. Id quod errorum diuersitate expensa, integroque in censum numero collecto explicabimus. Errorum alij sunt doctrinæ & fidei: alij uerò uitæ & morum. Quales utrique sint, nemo ignorat opinor. Videamus ergo, erret ne fidelis Ecclesia in terris, & si errat qua in re uel quatenus erret. Quod ad mores & uitam Ecclesiæ attinet, non potest se in uniuersum liberare ab erroribus, id est à peccatis. Semper enim dum in terris uiuit seriò orat, Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et deus pro sua misericordia semper expurgat in sanctis reliquias & infirmitates, quandiu in hoc seculo uiuunt, subinde recurrentes & polluentes electos. Non ignoro quid te hic impediat auditor fidelis. Si non est sancta & pura Ecclesia, ais, quomodo appellatur ab Apostolo sancta sine macula & ruga? Respondeo, si nolis in terris agnoscere Ecclesiam, nisi quæ in uniuersum omni næuo careat, nullam omnino cogeris agnoscere. Nulla enim talis superstes erit in terris ecclesia, ubi iustissimus deus, scriptura testificante, omnia conclusit sub peccatum, ut omnium misereatur. Paulus ergo appellat ecclesiam puram, macula & ruga carentem, propter Christi beneficium & sanctificationem: non quòd per se, dum in carne agit, nullas habeat maculas, sed quòd illæ maculæ reuera alioqui adhærentes, propter Christi innocentiam, fide Christum amplexantibus, non imputentur: denique quòd illa eadem in futuro seculo nullas sit habitura maculas uel rugas. Nam exuta carne, omnibus abiectis miserijs, tandem perficietur, ut ei desit nihil. Præterea dicitur Ecclesiam esse sine macula, propter assiduum studium ecclesiæ, quo contendit & annititur modis omnibus, ut quantum possibile est, quàm minimum habeat macularum. Et ea quidem ratione, & maximè imputationis beneficio, non errat & uelut impeccabilis & purgatissima est ecclesia. Porrò quod ad doctrinam & fidem attinet, non errat Ecclesia Christi. Nam solius pastoris uocem audit, alienorum autem

Ioan. 13. 15.
Rom. 7.

Quomodo ecclesia sancta sine macula & ruga.

autem non agnoscit: Christum enim unicum pastorem suum sequitur dicentem, Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Paulus quoque ad Timotheum, Hæc ad te hactenus dedi, inquit, ut noris quomodo oporteat te in domo Dei uersari, quæ est Ecclesia Dei uiuentis, columna & basis ueritatis. Est autem Ecclesia columna & basis ueritatis, quòd imposita fundamento prophetarum & Apostolorum, ipsi Christo, qui est æterna Dei ueritas & robur Ecclesiæ unicum, ab ipsius communione accipiat, ut & ipsa sit columna & basis ueritatis. Est enim ueritas Dei in Ecclesia, eadémque per ministerium Ecclesiæ propagatur, impetitáque ab hostibus & oppugnata, firma manens, non expugnatur: quatenus scilicet cum Christo concorporata in communione Christi perseuerat, sine quo nihil potest. Rursus autem errat eadem illa Ecclesia in doctrina & fide, quoties uidelicet à Christo & à uerbo eius auersa, hominesque carnisque consilia & decreta sectatur. Illud enim deserit, quod obstitit hactenus ne aberraret, uerbum Dei & Christum. Nemo negat, opinor, eximiam Dei fuisse Ecclesiam, cœtum illum magnum populi Israelitici in deserto, cum quo fœdus pepigerat sacramentisque & institutis ipsum sibi deuinxerat Dominus. At quàm turpiter illa errauerit, dum uerbo Dei præterito, nec constanter & seriò religionis antistite resistente Aarone, uitulum & fudit & diuinis prosequutus est honoribus, nemo ignorat. Vbi certè opportunum erit totum quoque Ecclesiæ numerum diligentius inspicere atque recensere. Pluribus enim in Ecclesia errantibus, non consequens est neminem ab errore excipi prorsus. Nam ut in Israelis Ecclesia reliquias sibi reseruauit Dominus, ipsum inquã Mosen, Iosue, & haud dubiè nonnullos alios, & in hoc ipso cœtu, & extra hunc cœtum alicubi, uitulum non adorantes: ita dubium non est, errantibus pluribus in Ecclesia, Deum sibi misericordia sua certum præseruare numerum, qui & rectè sapiat, & quorum fide & diligentia errores destruantur, & errans Domini grex reducatur in ouile sanctum. Errare ergo dicitur Ecclesia, quando pars eius, relicto uerbo Dei, errat: eadem non errat in uniuersum tota, quatenus gratia Dei reseruantur reliquiæ, ex quibus ueritas refloreat & iterum quàm latissimè propagetur. S. Paulus appellauit Ecclesias Corinthiorum & Galatarum sanctas Dei Ecclesias. Cæterum aberrauerunt hæ grauiter in doctrina, in fide, & in moribus. Quis autem dubitet plurimos in ijs fuisse syncerissimos puræ doctrinæ à Paulo traditæ cultores? Errauit ergo sancta illa Ecclesia, quatenus non perstitit in uera doctrina: non errauit, quatenus non recessit à ueritate per Apostolum tradita. Hinc toti mundo inclarescit, uanissimos mendacissimosque esse homines, laudantes nobis ecclesias non prophetarum & Apostolorum fundamento impositas, sed super hominum decreta collocatas, quas non uerentur commendare nobis pro uerissimis, quæ errare non possint. Clamat Dauid, Solus Deus uerax: omnis homo mendax. Clamat Ieremias, Verbum Domini reprobarunt, quæ ergo sapientia illis reliqua esse poterit? Proinde errant illæ Ecclesiæ, nec sunt ueræ Dei ecclesiæ. Vera ecclesia innititur Christo Iesu, & huius solius uerbo regitur.

Ioan. 8. *1. Tim. 3.* *Ecclesia columna & basis ueritatis.* *Exod. 32.* *Ierem. 8.*

Huic tractationi de uerbo Dei, unica omnium in ecclesia gerendarum rerum regula, affinis est disputatio de potestate Ecclesiæ Dei in terris, & de studijs eius quæ & ipsa diriguntur ad præscriptum uerbi Dei. Priusquam tamen nostram, id est, scripturis traditam sententiam proferam, recitabo paucis summam eorum quæ pontificij de hac ipsa re scripta reliquerunt, ac tuentur haud dubiè pro orthodoxa doctrina. Ioan. Gerson (non admodum ineptè, nisi accedat malignus interpres) finiuit potestatem ecclesiasticam, facultatem esse supernaturaliter &

De potestate ecclesiæ.

ſpiritualiter collatam à Domino diſcipulis, eorumq́ſ ſucceſſoribus legitimis, uſque in finem ſeculi, ad ædificationem eccleſiæ militantis, ſecundum leges Euangelicas, pro conſecutione felicitatis æternæ. Petrus autem De Aliaco Card. hanc poteſtatem dixit eſſe ſextuplicem, nempe poteſtatem conſecrationis: ſacramentorum adminiſtrationis: diſpoſitionis miniſtrorum eccleſiæ: prædicationis: iudiciariæ correctionis, accipiendiq́ uitæ neceſſaria.

Poteſtas conſecrationis.

Poteſtatem conſecrationis illam dicunt, qua ſacerdos ritè ordinatus conficere poteſt corpus & ſanguinem Chriſti in ara. Eam collatam aiunt diſcipulis à Domino hiſce uerbis, Hoc facite in mei memoriam. Cæterum ſacerdotibus hodie conferri arbitrantur ab Epiſcopo offerente cum pane calicem, & dicente, Accipite poteſtatem offerendi & conficiendi corpus Chriſti pro uiuis & mortuis. Hanc præterea appellant poteſtatem ordinis & characterem indelebilem. Poteſtatem adminiſtrationis ſacramentorum, & maximè ſacramentũ pœnitentiæ, nuncupant Poteſtatem clauium. Claues faciunt duplices, claues ſcientiæ, authoritatem ſcilicet cognoſcendi, in cauſſa peccatoris confitentis, & claues ſententionandi, ſiue aperiendi & claudendi cœlum, remittendi uel retinendi peccata. Hanc promiſſam dicunt Petro poteſtatem, in Matthæo, dicente Domino, Tibi dabo claues regni cœlorum: collatam autem diſcipulis omnibus, apud Ioannem Chriſto dicente: Quorumcunq́ remiſeritis peccata, remittuntur eis. Sacerdotibus porrò hodie conferri ab Epiſcopo in conſecratione impoſitis manibus in ſacerdotum ordinandorum capita, dicente, Accipite ſpiritum ſanctum: quorumcunq́ remiſeritis peccata, remittuntur eis. Poteſtatem diſpoſitionis miniſtrorum eccleſię uocant Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & conſiſtere in quadam prælatione, adeoq́ in ſua plenitudine reſidere in ſummo pontifice, quo ad totam eccleſiam uniuerſalem. Solius enim pontificis eſſe inſtituere rectores & prælatos in Eccleſiaſtica hierarchia: eò quòd ipſi dictum ſit, Paſce oues meas. Addunt à pontifice omnem iuriſdictionem Eccleſiaſticam deſcendere, uel mediatè uel immediatè, in inferiores præſidentes: in quibus limitata ſit poteſtas, pro arbitrio eius qui plenitudinem habeat poteſtatis. Nam Epiſcopum duntaxat poteſtatem habere in ſua diocœſi, curatum autem in ſua parochia, &c. Poteſtatem apoſtolatus uel prædicationis uerbi Dei dicunt eſſe authoritatem prædicandi, quam tradiderit Dominus diſcipulis ſuis, dicendo, Exeuntes in orbem uniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Aſſeuerant autem doctores hodie mitti oportere ad prædicandum, non aliunde quàm ab ipſo Petro, id eſt, eius ſucceſſore, uel mediatè uel immediatè, &c. Poteſtatem iudiciariæ correctionis collatam aiunt à Domino ipſi Petro, cui ille dixerit, Si peccarit in te frater tuus. Et cætera. Nam notiſſima ſunt uerba Domini apud Matth. in cap. 18. Aiunt ergo Dominum ſacerdotibus contuliſſe poteſtatem, non tantùm excommunicandi, ſed etiam definiendi, diſcernendi, & ſtatuendi præcepta, leges & canones: eò quòd ibidem dictum ſit. Quæcunq́ ligaueritis ſuper terram, ligata erunt & in cœlo. Porrò poteſtatem accipiendi uitæ neceſſaria pro laboribus ſpiritualibus, exhibitã aiunt hiſce Domini uerbis, Edentes & bibentes quæ apud illos ſunt.

Poteſtas clauium.

Poteſtas iuriſdictionis.

Poteſtas prædicationis.

Poteſtas iudiciaria.

Poteſtas accipiendi. Luc. 10.

Hæc iſti docent de poteſtate Eccleſiaſtica, non modò ineptè, ſed & falſè. De poteſtate conſecrationis & ſacrificandi quàm uana & inanis ſit, diximus aliàs ſæpe, & dicemus fortè amplius, ſi uitam prorogarit Dominus, ſuo loco & tempore. De poteſtate clauium diſputabimus, Deo uolente, ſub finem conſequentis Sermonis. Attulimus quædam denique cum diſſereremus de Pœnitentia & Confeſſione auriculari. Nugæ autem ſunt putidæ & impudentes, quæ garriunt de Iuriſdictione Eccleſiaſtica, de plenitudine poteſtatis ſummi, id eſt, Romani pontificis.

Id quod

Id quod dudum toti mũdo innotuisse arbitror: ac sequentur nonnulla in hisce nostris Sermonibus confutationis argumenta. Quòd sibi usurpant docendi munus, nec ullos legitimè prædicare posse, nisi ab ipsis ordinatos clamitant, oppressionem uerbi Dei suorumq́ errorum patrocinium & assertionem quærunt. Id quod etiam suo loco tractabitur. Potestate excommunicandi tam fœdè & impudenter abusi sunt, ut non modò ueram disciplinam per eorum negligentiam & impiam audaciam amiserit ecclesia uerum etiam ipsa excõmunicatio seculis aliquot nihil aliud fuerit in manibus pontificum, quàm ignis & gladius, quibus contra ueros Christi confessores ferè sæuierunt, ac innoxios Christi cultores persecuti sunt. Porrò nullam potestatem ministris ecclesiæ datam esse à Domino nouas condendi leges, demonstrabimus suo loco. Potestatem accipiendi necessaria uitæ exercuerunt quidem strenuè, sed spiritualia interim (in recompensationem temporalis messis) non seminarunt, imò dormitantes permiserunt inimico homini zizania serere in agrum dominicum, idq́ non aliena, sed sua ipsorum opera. Quid quod uitæ necessarijs non contenti, regna quoq́ sobdolè inuaserunt, & impudenter ac truculenter obtinuerunt? Qui ergo non uidet ecclesiasticam potestatem, ita ut apud istos homines de ea disseritur, & ab ipsis usurpatur, meram esse in miseras animas tyrannidem, nihil planè uidet.

Subiungemus iam ueram, puram, simplicem & perspicuam de Potestate ecclesiastica doctrinam. Potestas definitur esse ius aliquid faciendi. Græcè appellatur & ἐξουσία, & δύναμις, quorum prius ius & potestatem, posterius iuris uel potestatis exequendi facultatem significat. Sæpe enim fit, ut aliquis habeat potestatem faciendi rem aliquam, destituatur autem perficiendi facultate. Deus utrunque potest, & utrunque concessit Apostolis contra dæmonia, Luca testante & dicente, ἔδωκεν αὐτοῖς δύναμιν καὶ ἐξουσίαν, dedit eis facultatem & potestatem super omnia dæmonia, &c. Est autem potestas alia quidem libera & absoluta, alia uerò limitata, quam & ministerialem uocant. Absoluta est, quæ libera prorsus nullius alterius arbitrio uel lege regitur aut constringitur. Qualis est potestas Christi dicentis in Euangelio, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. De hac potestate loquens iterũ in Reuelatione sua beato Ioanni Apostolo facta, Noli timere, inquit, ego sum primus & nouissimus, ego uiuus, & fui mortuus, & ecce sum uiuens in secula seculorum: & habeo claues inferorũ & mortis. Et iterum, Hæc dicit sanctus & uerax, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Limitata potestas non est libera, sed absolutæ uel alterius maiori potestati subiecta, quæ non quiduis, sed illud dũtaxat potest, quod potestas absoluta uel maiore præditus potestate permisit, & certa quidem cum conditione permisit. Qualis certè est ecclesiastica potestas, rectè appellata ministerialis. Exercet enim ecclesia Dei potestatem suam sibi ab hoc traditam, per ministros suos. Augustinus distinctionem hanc agnoscens, & de baptismo loquens, Tractatu in Ioan. 5. Baptizauit Paulus, tanquam minister, inquit, non tanquam ipsa potestas: baptizauit autem dominus tanquam potestas. Intendite, potuisset hanc potestatem seruis dare, sed noluit. Si enim daret hanc potestatem seruis, id est, ut & ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismata quot serui, &c. In ecclesia absolutam potestatem ipse sibi Christus retinet. Nam manet capnt, rex & pontifex ecclesiæ in æternum, nec separatur à corpore suo unquã caput illud uiuificum. Potestatem autem limitatam ecclesiæ dedit. Id quod agnoscere oportet: potestatem, inquam, ecclesiasticã certis legibus circũscriptam proficisci à Deo, ac ea de caussa efficacẽ esse, ideoq́ Deũ in omnibus in primis respici

Potestas quid?
Lucæ 9.
Duplex potestas.
Libera
Apocal. 1.
Apocal. 3.
Limitata 2

oportet: item in hoc esse datam ecclesiæ potestatem, ut exerceatur in ecclesiæ
2. Cor. 11. salutem. Etenim S. Paulus, Dedit nobis Dominus potestatem, inquit, in ædificationem, & non in destructionem ecclesiæ. Ergo quæ in detrimentum & perditionem uergit, tyrannis est satanica, non potestas à Deo proficiscens ecclesiastica. Ac præstat hunc finem potestatis ecclesiasticæ diligenter tenere.

In quibus consistat potestas ecclesiastica. Cæterum potestas illa limitata ecclesiæ ferè in hisce uersatur capitibus, in ordinandis ecclesiarum ministris, in doctrina, & in dijudicatione doctrinarum, denique in dispositione rerum ecclesiasticarum. De singulis ordine paucula dicemus, explicantes qualis sit ecclesiæ potestas, & quomodo limitetur in singulis capitibus. *Ordinare ministros ecclesiæ. Actor. 1.* Dominus ipse quidem primos ecclesiæ doctores Apostolos ordinauit, ut omnes homines intelligerent ministerium ecclesiasticum ipsius Dei diuinam esse institutionem, & non ab hominibus inuentam traditionem. Ergo postquàm assumptus esset in cœlos Dominus, S. Petrus conuocata ecclesia loquitur ex scripturis de alio surrogando Apostolo in locum proditoris Iudæ, eo ipso facto declarans ecclesiæ à Deo datam esse eligendi ministros uel doctores potestatem. Eadem ecclesia mox & diaconos septem, ita suadente Petro & Apostolis, nimirũ spiritu sancto inspiratis, elegit. *Actor. 6.* Antiochena ecclesia manifestè instructa à spiritu sancto, Paulum & Barnabam, licet iam olim ad ministerium designatos, ordinat & mittit. Leguntur præterea in Actis Apostolorum ecclesiæ, *Actor. 13.* Apostolis ita iubentibus, doctores ad ministerium sacrum quoties res postulabat ordinasse. At non ordinabant interim quoslibet, sed idoneos, id est, tales, quales legibus expressis postea descripserunt, Si quis esset inculpabilis, unius uxoris maritus, uigilans, sobrius, &c. Notus est enim Canon apostolicus editus 1. Tim. 3. cap. *1. Tim. 3.* Sed dicemus, Deo uolente, de Ordinatione ministrorum Sermone huius Decad. 3. Si uerò accepit ecclesia potestatem ponendi ministros ecclesiarum idoneos, certè nemo negabit ecclesiam facultate destitutam esse deponendi indignos & impios seductores: corrigendi denique ea quæ huic uidentur deesse ordini necessaria.

Docere. Quoniam uerò ministri præcipuè ad docendum deliguntur, ecclesia potestatem habet docendi, adhortandi, consolandi, &c. per ministros suos legitimos: docendi autem non quidlibet, sed quod traditum accepit à Domino, per doctrinam prophetarum & Apostolorum. Docete eos, ait Dominus, quæ ego præcepi uobis. *Matth. 28. Marci 16.* Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ. Et Paulus, Segregatus sum ad prædicandum Euangelium, quod ante promisit per prophetas suos in scripturis sanctis. *Rom. 1.* Est autem hoc docendi ministerium aliud nihil quàm potestas clauium, quas accepit ecclesia: *Potestas clauium.* officium, inquam, ligandi & soluendi, aperiendi atque claudendi cœlum. *Math. 10. Lucæ 9.* Acceperunt alibi quoque à Domino Apostoli potestatem super omnia: super omnia, inquam, non absolutè, sed super omnia dæmonia, & non super omnes angelos & homines: & quam in dæmones potestatem acceperunt, ne ipsam quidem absolutam acceperunt. Additur enim, Vt expellerent eos. Proinde nõ potuerunt pro suo arbitrio cum dæmonibus agere quod uoluerunt, sed quod & quantum ille uoluit cui absoluta est in dæmonas potestas. Et ut dæmonas expellere ex hominibus non immittere, etsi uoluissent maximè, potuerunt: ita de morbis non potuerunt agere quod uoluerunt. *2. Tim. 4.* Alioqui enim non reliquisset S. Paulus Trophimum Mileti languentem, tantopere ipsi in ministerio sacro utilem. *Lucæ 9.* Euocassent, si quiduis potuissent, duo in Samaria discipuli, ignem cœlitus, atque ita supplicium sumpsissent de Samaritanis inhumanis & barbaris hominibus, Christo Domino negantibus hospitium. Pari modo illi ipsi Apostoli claues, id est, potestatem acceperunt ligandi & soluendi, aperiendi & claudendi cœlum, remittendi & retinendi pec-

di peccata, sed limitatam planè. Non enim potuerunt soluere quæ erant ligata apud inferos, neque ligare eos qui uiuebant in cœlis. Neque enim dixit, Quæ ligaueritis in cœlo, sed quæcunque ligaueritis super terram. Nec dixit, Quæcunque solueritis in inferno, sed quæcunque solueritis super terram. Rursus super ipsam quoque terram non potuerunt quos ipsi uoluerunt uel ligare uel soluere. Nam fide destitutum hominem non potuerunt soluere, id est, à peccatis liberatum denunciare. Rursus illuminatum fide & seriò pœnitentem, nequaquam ligare, id est, damnationi adiudicare potuerunt. Decipiunt totum terræ orbem qui aliter docent homines de potestate clauium. Id quod copiosius suo loco tractabimus. Similiter accepit ecclesia à Christo potestatem administrandi sacramenta per ministros, sed non pro suo arbitrio, sed secundum uoluntatem Dei & ritum ac rationem ab ipso Domino traditam. Non potest ecclesia sacramenta instituere, neque immutare fines & usum sacramentorum. *Sacramenta administrare.*

Porrò ecclesiam dijudicare posse doctrinas, uel ex una hac Pauli Apostoli sententia claret, Prophetæ duo aut tres loquantur in ecclesia, & cæteri dijudicent. Alibi idem, Omnia probate, inquit, quod bonum est tenete. Nam & beatus Ioannes dixit, Charissimi, ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus an ex Deo sint. Cæterum est certa huius quoque dijudicationis ratio. Non enim pro suo arbitrio iudicat ecclesia, sed ex spiritus sancti sententia ad normam regulamque sacri canonis. Seruatur hic quoque ordo, moderatio, & charitas. Ergo si quando ecclesia Dei pro potestate accepta à Domino Synodum conuocat, sicuti Apostolos Domini conuocasse legimus in Actis Apostolorum, grauissimam ob caussam, non indulget hic rursum carnali ingenio, spiritui sese regendam exhibet, omniaque sua ad regulam uerbi Dei & charitatis geminę probat. Ergo nouas leges non condit: sicuti & Hierosolymitana imò Apostolica ecclesia dicit, & spiritui sancto & ecclesiæ placere ne quid oneris imponatur Christi fidelibus, nisi paucula quædam eaque necessaria, nec citra nec contra scripturas sanctas. Iam sunt res ecclesiasticæ multiplices, quas bene ordinandi disponendique pro hominum utilitate facultatem habet ecclesia: cuius generis ea sunt quæ uersantur circa externum cultum in loco & in tempore: qualis est prophetia uel linguarum interpretatio, & scholæ. Habet item ecclesia quod iudicet in caussis matrimonij: inprimis uerò censuram habet morũ, admonitiones, supplicia, denique & excommunicationem uel excidium ex corpore ecclesiastico. Nam & hanc sibi datam, ait Apostolus, in extructionem tamen, non in destructionem. Omnia enim hæc quæ commemorauimus & similia, limitata sunt regula uerbi & charitatis, exemplis item sacris & rationibus deductis ex scriptura sacra. De quibus omnibus fortè dicam suo loco copiosius.

Dijudicare doctrinas. *1. Cor. 14.* *1. Thess. 3.* *1. Ioan. 4.* *Synodum conuocare.* *Actor. 15.* *Res ecclesiæ disponere.* *2. Cor. 13.*

Hæc dixi hactenus de Ecclesiastica potestate, de qua ostendi aduersarios contraria his largo quidẽ ore prædicare, sed tam crassè proponere, ut uel pueris appareat quid quærant qui due tueantur, non ecclesiasticã potestatem, sed suam auaritiam, libidinem, & tyrannidẽ. Veritas canonica docet Christum in ecclesia absolutã uel plenariã obtinere & exercere potestatẽ, ministerialem dedisse ecclesiæ, quæ ipsam ferè per ministros exercet, & religiose quidem hanc ad normã uerbi Dei exercet.

His ad hunc modum expensis, minimè laboriosum erit studia sanctę Dei ecclesiæ agnoscere. Exercet enim sicut iamiam cõmemoraui potestatẽ à Domino acceptam religiosissimè & fidelissimè, in hoc ut Deo seruiat, sancta sit, & ipsi placeat. Et ut per enumerationem saltem aliquid studiorum eius singulariter commemorem, Ante omnia Deum unum & trinum adorat, inuocat, amat & colit: inconsulto huius Dei ueri uerbo nihil agit. Etenim ad normam uerbi Dei omnia sua com- *De studijs ecclesiæ.*

ponit, ex uerbo Dei iudicat, eodem omnia sua ædificia extruit, extructa conseruat, collapsáque reparat siue restaurat. Cœtus & congregationes sanctorum in terris ardenter prouehit & diligit. In his diligenter auscultat prædicationi uerbi Dei, sacramentis religiose & cum gaudio quidem magnóque rerum cœlestium desiderio participat. Orat Deum per intercessorem unicum Christum, firma cum fide, ardenter, assiduè & intentissimè. Laudat Dei bonitatem & maiestatem perpetuò, summóque cum iubilo diuinis beneficijs gratias agit. Instituta Christi omnia & singula plurimi facit, neque negligit ulla. Agnoscit autem inprimis omnia uitæ, salutis, iustitiæ & felicitatis suæ ab unico se habere Dei filio, Domino nostro Iesu Christo: utpote qui unus ipsam elegerit, deinde per spiritum & sanguinem suum sanctificauerit, feceritque ecclesiam, id est populum dilectum, cuius ipse sit unicus rex, redemptor, pontifex & conseruator, extra quem nulla sit salus. Ergo in solo Deo per Dominum nostrum Iesum Christum tota acquiescit, hunc uniceè desiderat & diligit, propter hunc omnia huius mundi amittere adeoque & uitam cum sanguine profundere gaudet. Indiuulse ergo per fidem Christo inhæret, neque aliud odit acerbius, quàm defectionem à Christo ac desperationem. Nam sine Christo nihil in uniuersa uita iucundum uidetur. Cum satana ueluti cum hoste capitali inimicitias exercet implacabiles. Hæresibus & erroribus constanter & prudenter repugnat. Simplicitatem fidei Christianæ, & doctrinæ apostolicæ syncaritatem diligentissimè custodit. Illibatam se, quantum fieri potest, à mundo & carne omnique carnali & spirituali contagione seruat. Ergo cœtus illegitimos & prophana sacra cum nepharijs hominibus fugit & modis omnibus execratur, Christum sponte & disertè etiam in uitæ periculo dictis & factis confitetur. Afflictionibus quidem exercetur, sed non frangitur. Vnitatem & concordiam sedulò custodit. Omnia & singula corporis sui membra, charitate summa prosequitur. Benefacit omnibus, quantum permittunt uires & facultates. Nemini nocet. Condonat libenter. Tolerat infirmos fraternè, donec prouehantur ad perfectiora. Per superbiam non effertur, sed humilitate retinetur in obedientia, in moderatione & in omnibus officijs pietatis. Sed quis obsecro uel copiosissima alioqui ne dum breui hac enumeratione, omnia & singula sanctæ ecclesiæ studia recitet? Quis uerò non cupiat membrum esse congregationis tam diuinæ & planè cœlestis?

Subiungere his protinus quæ residua sunt de Vnitate ecclesiæ catholicæ, de diuisione eiusdem, alijsque ad hanc considerationem pertinentibus, nisi cernerem uos audiendo fessos, finem sermonis cupidè expectare. Differemus ergo reliqua in crastinum. Iam uerò sublatis in cœlum mentibus nostris, Domino Deo nostro gratias agamus, qui per dilectum filium suum purificauit & aggregauit nos in populum sibi selectissimum, & omnium cœlestium bonorum hæredem. Ipsi sit laus & gloria in secula seculorum, Amen.

Vnam esse ecclesiam catholicam. Extra ecclesiam non esse lucem vel salutem. Contra schismaticos. Quare discessum sit à nupera Romana ecclesia. Dei ecclesiam esse domum, vineam, & regnum Dei: item corpus, ouile, & sponsam Christi, matrem & virginem.

SERMO II.

Vna est sancta Dei ecclesia.

VIDEO adesse uos fratres animis intentis ad expositionem eorum quæ restant dicenda de Ecclesia Dei catholica, quam unam & indiuisam esse asserimus, iuxta sancta sanctæ scripturæ oracula. Solomon enim in Canticis suis dicit, Vna est columba mea & perfecta mea. Quò haud dubiè respexit doctor gentium, cùm dixit, Vnum corpus & unus spiritus: quemadmodum & uocati

Cant. 4.
Ephes. 4.

cati estis in una spe uocationis uestræ. Vnus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium: qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus uobis. Diuinis testimonijs consentiunt humana. Cyprianus enim Episcopus & martyr de Simplicitate clericorum, Ecclesia una est, inquit, quæ in latitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo Solis multi radij, sed unum lumen: & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa uideatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen seruatur in origine. Auelle radium Solis à corpore, diuisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præscinde riuum, præscisus arescet. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in uniuersam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter riuos latius expandit: unum tamen caput est & origo una, & una mater fœcunditatis successibus copiosa. Et reliqua.

Proinde cum uaria Ecclesiæ nomina leguntur indita, minimè imaginandum est plures in orbe esse Ecclesias, neque discerpendum corpus, quod non recipit aut patitur ullam diuisionem. Scriptores Ecclesiam Catholicam dicunt, uniuersalem haud dubiè, quòd una sit, nec plures esse possint. Tametsi enim hæc distinguatur in triumphantem & militantem, in ueterum patrum Ecclesiam, & noui populi cœtum, manent tamen perpetuo omnia hæc membra in uno corpore unita sub uno capite Christo. Et quemadmodum seruorum & liberorum discretæ conditiones, regnum uel rempuplicam non dissecant in partes: ita neque sabatismus uel felicitas beatorum spirituum in cœlis triumphantium, & labores ac ærumnæ quibus militantes adhuc in hoc seculo sub signis Christi exercemur, duas efficiunt Ecclesias. Dicit beatus angelus ad sanctum Ioannem in Apocalypsi, Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum. Agnoscit ergo & prophetas & Apostolos unius Dei filios & domesticos esse. Vnde legimus in Euangelio unam tantùm uineam, non duas aut diuersas collocari colonis, licet alijs atque alijs. Sic enim una duntaxat est ecclesia ueterum Christi aduentum præcedentium, & nostra siue noui post Christi aduentum populi assumpti ex gentibus. Dictum est autem quid illi à nobis, uel nos ab illis discrepemus Decad. 3. Serm. 8. Rursus admixti sunt ecclesiæ sanctæ mali & hypocritæ, uerùm non discinditur propter malos Ecclesia. Sicuti enim proditores ciuibus permixti, necdum reuelati, non constituunt duas respub. ita tametsi bonis mali cohæreant, in una tamen Ecclesia aggregantur. Cumque hypocritæ ab Ecclesiæ unitate deficiunt, non scinditur in partes Ecclesia, sed redditur purgatior. Eleganter enim dicit beatus Augustinus, malos uel hypocritas id esse in Ecclesia, quod sunt paleæ in tritico, zizania in segete, proditores in ciuitate, & profugi inter milites. Manifestum est autem frumentum reddi purius, segetem letiorem, ciues tutiores, fortioresque milites cum ab eis recedunt profugi, proditores, zizania & paleæ. Imò nisi resecentur nonunquam putrida Ecclesiæ membra à corpore Ecclesiastico, non potest incolumis esse Ecclesia. Porrò particulares uel singulares Ecclesiæ sunt uelut oppida uel urbes in regno aliquo. Copia urbium non scindit regnum. Ex particularibus per totum orbem dispersis Ecclesijs, ceu ex pluribus membris corpus, catholica uel uniuersalis colligitur ac compingitur ecclesia, quæ est omnium sanctorum communio. Proinde certissimum est, unam esse duntaxat Ecclesiã Dei, nõ plures, cui unicus monarcha præsidet Iesus Christus. Cui gloria.

Apoc. 22.

Matth. 21.

Extra ecclesiã non est ulla lux uel salus.

Huius Ecclesiæ Dei unitas, unitaq́ societas tanta est, ut extra eius consortium non inueniatur ullus Deo gratus populus, ulla uera salus & incolumitas, ulla lux & ueritas. Nam extra Ecclesiæ Dei septa, nulla inueniuntur salubria pascua, omnia ueneno sunt infecta. Nullus extra Dei ecclesiam cultus Deo placet. Si quis olim sacrificasset ipsi etiam Deo, extra tabernaculum uel templum, in excelsis, is omnino diabolis sacrificasse, & innoxium sanguinem effudisse uidebatur. Recte ergo scriptum reliquit beatus martyr & episcopus Carthaginensis Cyprianus, Quisquis ab ecclesia segregatus, iungitur adulteræ, à promissis ecclesiæ separatur: nec pertinet ad Christi præmia qui reliquerit ecclesiam Christi. Alienus est, prophanus est, hostis est. Habere iam non potest deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem. Si potuit euadere qui extra arcam Noe fuit, & qui extra Ecclesiam foris fuerit, euadit. Sceleratissimus sit oportet, quisquis patriam suam optimorumq́ uirorum consortium deserit, ac ad hostes deficit. Lactantius ergo uerissimè dixit, Sola catholica ecclesia est, quæ uerum cultum retinet. Hic est fons ueritatis: hoc domicilium fidei: hoc templum Dei: quo si quis non intrauerit, uel à quo si quis exiuerit, à spe uitæ ac salutis æternæ alienus est. Saluator enim noster prior dixit extra ouile non inueniri uitam.

De simplicitate prelatorum.

Instit. lib. 5. cap. 30.

In schismaticos quosdam.

Quo circa satis mirari non possum corruptos & schismaticos quorundam mores, separantiũ se qualibet leui de caussa à saluberrima iucundissimaq́ illa sanctæ Ecclesiæ congregatione uel societate. Inuenias enim hodie capitosos & phanaticos homines non paucos, qui annis multis cum nulla communicarunt ecclesia, necdum cum ulla communicant. In omnibus enim desiderant aliquid, in semetipsis solis nihil prorsus quod accusent inueniunt. Ergo mirificam ecclesiæ formam apud se concipiunt, quam nisi alicubi ad eum modum, quẽ ipsi conceperunt, constitutã cernunt, nullam adhuc in orbe ueram Christi ecclesiam (proh pudor) esse contendunt. Digni profectò qui architectonicam illam suam exerceant in Vtopia aut Cyribiria, ubi se dignum collocent ædificium. Sed uidentur sibi iustas habere caussas schismatis. Nolunt enim cum nostra communicare ecclesia, quòd doctrina ministrorum in ecclesia nondum uideatur satis esse extersa, polita, sublimis (ut ipsi aiunt, **hoch gnůg gericht**) subtilis & spiritualis. Alicubi queruntur in ecclesijs nostris diuersissimos usurpari ritus. Præterea desiderant disciplinæ rigorem & seueritatem, denicq́ uitæ puritatẽ exactissimã. Etenim impuro se quorundam consortio polluendos metuunt. Multi propter ministrorum quorundam delicta & uitia, congregationem ecclesiæ uel deserunt uel fugiunt: quales hodie sunt Anabaptistæ. Cæterum nulla adhuc caussa idonea ab istis est recensita, propter quam iure uel nobis coniungi non debeant, uel à nobis disiungi possint. Agnoscimus iustas esse caussas, ob quas pij se possint & debeant seiungere ab impijs cœtibus: in quibus non tantùm corruptus est sacramentorum usus legitimus & conuersus in idololatriam, sed & syncera doctrina prorsus est adulterata, doctoresq́ uel pastores iam non sunt prophetæ, sed pseudoprophetæ, qui uidelicet ueritatem Dei persequuntur, deniq́ pro cibo uitæ administrant sedentibus uenenum. Nihil autem huius isti (Deo gratia) nobis obijcere possunt.

Propter doctrinæ diuersitatẽ non faciendum schisma.

Quod enim attinet ad doctrinam, uersatur hæc partim in dogmatis certis, & quasi numeratis, fixis, immutabilibusq́: cuius quidem generis sunt articuli fidei, & hi quidem citra additionem & corruptionem legitimè & syncerè intellecti: eiusdem generis sunt & illa, Homines omnes esse peccatores, in peccato conceptos & natos. Homines nõ nisi regenitos ingredi regnũ Dei. Homines non suis meritis, sed gratia Dei per Christi solius meritum in fide iustificari. Christum semel

semel immolatum pro peccatis, amplius non immolari, & esse sacerdotē unicum & perpetuum. Opera bona fieri à iustificatis: & ea quidem uerè bona esse, quæ præparauit dominus ut in eis ambulemus. Sacramenta domini & ecclesiæ recipienda, non aspernanda esse. Orandum esse iugiter, & ad eum modum quem tradidit nobis Dominus. Et si quæ alia sunt huius generis. Cæterum satis est, si hæc & alia similia capita concorditer, purè & simpliciter doceantur in ecclesia, secundum scripturas, licet nulla accedant emblemata, nulláue audiatur leptologia. Eleganter enim beatus martyr Irenæus, post expositam fidei regulam, libro Contra hæreses 1. Cum una & eadem fides sit, inquit, neque is qui multum de ipsa dicere potest, plus quàm oportet dicit: neque qui parum, ipsam imminuit. Proinde cum ministrorū doctrina in ecclesia ea exponit, quæ ueræ & synceræ sunt fidei, quam & minimè corrumpit, quid habent isti capitosuli rhetorculi & erudituli quod requirant, etsi eloquentia & uaria desideretur in docentibus eruditio? An non fuit simplicissima, & ab omni subtilitate alienissima apostolorum & prophetarum doctrina? ut rectè hoc tutior quo simplicior esse uideatur? Interim uerò iustam eloquentiam (utpote eximiū Dei donū) non aspernor: id quod aliàs sæpè testatus sum. Partim uerò uersatur doctrina in expositione scripturarum quotidiana, & in accommodatione eius ad nostra tempora, loca & negotia. In ea semper fuit mira uarietas diuersitasque, ob quam tamen nemo cordatus se abdicauit consortio ecclesiæ. Fit enim frequentissimè, ut eundem locum duo uel tres, aut etiam plures non eadem ratione, sed longè diuersissimis modis exponant. Est qui reddit obscurius, alius apertius uertit. Attingit hic quidem scopum: ille non attingit. Et hic quidem accōmodat locū quem tractat appositissimè: alius aliquis nō eadem utitur applicandi simplicitate: interim tamen nihil dicit ueritati fidei & dilectioni Dei & proximi contrariū, omnia autem profert ad ædificationē. Ex hac, inquam, diuersitate nemo sumit occasionem diuertēdi ab ecclesia. Omnes enim pij omnia probant, quod bonum est retinent: & in omnibus concionibus aut auscultationibus sacris, omne studium suum unicè ad ædificationem referunt. Quinimò doctores ipsi pulchrè inter se consentiunt, & huc quoque omnia dirigunt, ut meliores reddantur, cùm ipsi tum auditores: non ut ipsi uideantur doctiores, aut protulisse, quod nemo uidit hactenus. Doctiores non fastidiunt indoctiorum conciones. Quanquam enim hi scopum non omnino attigisse uideantur, quia tamen salutaria dixerunt, laudantur, non condemnantur: etsi alicubi in loco & tempore amicè admoneantur. Imperitiores rursus non inuident eruditioribus sua dona, nec perfectiora discere recusant, nec fastidiunt & damnant eruditas peritiorum conciones: sed Deum laudant, & admoniti, imitari contendunt perfectiora. Prudenter enim S. Aurel. August. lib. de Doct. Christ. 1. cap. 26. Quisquis, inquit, scripturas diuinas uel quamlibet earum partem intellexisse sibi uidetur, ita ut eo intellectu nō ædificet geminam charitatem, Dei & proximi, nondū intellexit. Quisquis uerò talem inde sententiam duxerit, ut huic ædificandæ charitati sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit eo loco sensisse probabitur, non perniciose fallitur, nec omnino mentitur. Idem mox, Corrigendus est tamen, & quàm sit utilius uiam non deserere, demonstrandum est, ne consuetudine deuiandi, etiam in transuersum aut peruersum ire cogatur. Hæc ille. Ergo sicubi crassius fuerit ab ecclesiastico interprete aberratum, errantē peritiori fraternè admonere licet, schisma autem facere minimè licet. Schismatū authores ferè superbi & arrogantes sunt, tabescūtque inuidia, ideoque omni charitate & moderatione destituti, nihil nisi ex seipsis natum approbāt, nec quicquā cū alijs cōmune sustinent

habere, perpetuò sublime aliquid & nihil uulgare aut simplex meditantes. In hos ipsos quadrat illud Apostoli Pauli dictum, Scientia inflat, charitas ædificat. Religiosi ergo in ecclesia doctores & discipuli propter doctrinam non ineptam, licet crassiorem, piam tamen & ædificantẽ, neq; ecclesiæ consortium deserunt aut fugiunt, neq; altercantur aut contendunt, charitatem potius colunt in omnibus.

2.Cor.8.

Propter uitia ministrorũ non faciendũ schisma.

Matth.22.

Porrò si ministri uitijs aut morbis laborant fœdis, interim uerò in docendo, admonendo, adhortando, accusando & consolando fideles sunt, si legitima sacramenta dispensant legitimè, nemo habet iustam deserendæ Ecclesiæ occasionem. Dominus in euangelio disertè dicit, In cathedra Mosis sedent scribæ & pharisæi. Omnia ergo quæcunq; iusserint uos seruare, seruate & facite: secundum opera uerò eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. En dicunt & non faciunt, dicit dominus: ergo doctrinæ non respondebat docentium uita: quia tamen stabant in cathedra Mosis, id est, quoniam legitimè & syncerè uerbum Dei prædicabant, doctrinam synceram recipere, uitam uerò doctrinæ non respondentem respuere iubet: ideoq; schisma facere propter doctoris uitia prohibet dominus. Certè pseudoprophetas fugere præcepit. At pseudoprophetam non facit mala uita, sed praua doctrina. Magnum hac in re certamen fuit beato patri Augustino cum Donatistis, contendentibus ministerium propter ministrorum imperfectionem minus esse efficax. Id quod alterius est considerationis.

Propter rituũ diuersitatẽ non faciendum schisma.

Iam uerò quid attinet nostras ecclesias propter rituum dissimilitudinẽ uel uarietatem auersari & relinquere? In Baptismo, inquiunt, paruulorũ non eadem utimini forma: ita & in celebratione eucharistiæ. Quidã sedentes panem dominicum sumunt in manus: quidã accedentes de manibus sumunt præsidentium, qui & in ora inserũt percipientiũ. Quidã celebrant Cœnã domini frequentius: quidam uerò rarius, nec nisi diebus statis. Sed & precibus ijsdem non utimini. Cœtus quoq; uestri nec eandem omnes formam habent, nec eodem tempore coeunt. Quomodo uerò credemus in uobis esse spiritum unionis & pacis, in quibus tanta inuenitur diuersitas? Iustis ergo de caussis uobiscum nõ communicamus. Cæterum de ritibus istis suo loco dicetur opportunius. Mirum est autem uiros non prorsus rudes & imperitos rerum ecclesiasticarum, nulla alia pro nephando suo schismate tuendo argumenta proferre. An ignorant miseri, quanta semper fuerit in ritibus diuersitas, nihilo minus tamen semper permanente indiuisa unitate in Ecclesia Christi catholica? Socrates historiæ Ecclesiasticæ scriptor illustris lib. historiarum 5. cap. 22. multis exponit rituum in ecclesia Dei diuersitatem. Inter alia, Nulla religio, inquit, eosdem ritus custodit: etiamsi eandem de illis doctrinam amplectatur. Etenim qui eiusdem sunt fidei, de ritibus inter se dissentiunt. Et iterum, Operosum & molestum fuerit, imò impossibile, omnium ecclesiarũ quæ per ciuitates & regiones sunt, ritus omnes conscribere. Beatus martyr Irenæus ad Victorem Romanæ urbis episcopum scribens, cõmemorat magnam ecclesiarum in Ieiunio, denìq; in celebrando paschate diuersitatem: deinde subiungit, Et tamen nihilo minus omnes isti, etiam cum in obseruantia uariarent, inter semetipsos & pacifici fuerunt semper nobiscũ, & sunt, nec dissonantia Ieiunij, fidei consonantiã rupit. Et iterum, Beatus, inquit, Polycarpus cum ad urbem Romam uenisset sub Aniceto, cumq; de alijs nonnullis parum quid habuissent inter se controuersiæ, mox reconciliati sunt: de hoc uerò capite nihil inter se contenderunt. Neq; enim Anicetus Polycarpo persuadere poterat ne seruaret quæ cum Ioãne discipulo domini nostri ac reliquis Apostolis, quibus cum fuerat conuersatus, semper seruarat: nec Polycarpus Aniceto suasit ut seruaret, qui sibi presbyterorum, quibus succes-

serat,

ferat, consuetudinem seruandã esse dicebat. Et cum ista sic haberẽt, cõmunionem inter se habuerunt. Hæc ille. Proinde uetus illa ecclesia usa est libertate magna in ritibus usurpandis, ut tamen non dissolueret uinculũ unitatis. Sed & S. Augustinus, Ianuario quid in hac rituum diuersitate sequeretur aut faceret præscribẽs, nõ iubet schisma facere, sed moderatè & prudenter iudicans, Nulla disciplina est in his melior, inquit, graui prudentiq́ Christiano, qui eo modo agat quo agere uiderit ecclesiam ad quamcunq́ fortè deuenerit. Quod enim neq́ contra fidem, neq́ contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos uiuitur societate seruandum. Rursus ne huius canonis & consilij prætextu aliquis quosuis ritus quibuslibet obtruderet, subiungit, Ecclesia Dei inter multam paleam multaq́ zizania constituta, multa tolerat: & tamen quæ sunt contra fidem & bonam uitam, non approbat, nec tacet, nec facit. Hæc hactenus.

Postremò cum isti arbitrantur nullam ibi esse ecclesiam ueram, ubi adhuc morum uitia in hominibus in ecclesia conuersantibus apparent, quorum se consortio pollui, nisi uel non accedant ad eam, uel protinus ab ea recedant, in Catharorum incidũt insaniam, qui & ipsi falsa exactissimæ sanctimoniæ imaginatione decepti, seueramq́ exercentes rigiditatem fugiebant ecclesias, in quibus fructus euangelicæ doctrinæ liquidè non apparebat. His opponimus & propheticas & apostolicas, nimirum sanctissimas Ecclesias. Etenim Isaias & Ieremias sui seculi mores accusantes, grauiter inuehuntur in corruptionem doctrinæ & morum. Nec leuia aut uulgaria illis impingunt scelera, sed capitalia. Clamat Isaias, à uerticè capitis ad calcaneum usq́ pedis, non esse sani quidpiam: & tamen non deficiebat ab Ecclesia & nouam sibi constituebat, licet ab omni impietate & corruptione sibi caueret quàm diligentissimè. Quot obsecro erant in ipsorum Christi apostolorum choro uitia, quot errores? Nunquid uerò ab eis deficiebat dominus? Ecclesiam Corinthiacam occuparat corruptio non morum tantùm, sed & doctrinæ. Erant in ea contentiones, factiones & iurgia. Scortatio, & coniugij prophanatio nimirum erat uulgaris. Quid quod multi sacris communicabant prophanis? Baptismum certè non uulgari errore referebant ad homines. Cœnam Domini priuatis adeoq́ luxuriosis suis conuiuijs polluerant: sed & de mortuorum resurrectione nòn bene sentiebant. An uerò ea de caussa uel ipse ab illa recessit Apostolus, uel alios ab ea recedere iubet? Imò talem Ecclesiam sanctam esse prædicat, dissidiaq́ grauiter obiurgans, omnes hortatur ad unitatem Ecclesiæ in syncerà ueritate colendam. Indubitatum est ergo, grauiter peccare abstinentes à consortio nostræ imò catholicæ ecclesiæ, in qua etsi sint non uulgares corruptæ uitæ errores, doctrina tamen syncera & sacramentorum celebratio pura est.

Propter impuriorem uitam hominũ in Ecclesia conuersantiũ, non faciendũ schisma.

At obijciunt isti, Omnes promiscuè ad dominicæ cœnæ communionẽ admittitis, impuros, ebrios, auaros, milites, & alios huius notæ homines, cum quibus diuinus Apostolus uel communem uetat edere panem, tantum abest ut concedat cum talibus dominicũ frangere panẽ. Nisi ergo pollui libeat prauorum cõmercio, necesse est uel non accedere ad hanc societatem, uel protinus ab ipsa refugere. Atqui de Cœna domini & participatione eius, si uixerimus, alio ac suo quidem loco dicemus. In præsenti hoc tantùm contra illos proferimus, Paulum seruum Iesu Christi fidelissimum domino suo nõ fuisse rigidiorem. Hunc autẽ constat ad mensam sacram admisisse Iudam, quem cognoscebat intus, quod dici solet, & in cute, nec tamen repellebat. Repulisset autem si sciuisset discipulos reliquos eius consortio polluendos. Ipse quidem Iudas pollutus erat. Corrupta enim fuit mens eius ac conscientia: at non potuerant per alienam perfidiam contaminari

Propter indignos cœnæ domini participantes, non faciendũ schisma.

Apostoli cæteri, quorum animi erant per fidem ueram synceri. Proinde Paulus Apostolus, Probet seipsum homo, ait, & sic de pane edat & de poculo bibat. Semetipsum iubet probare quemlibet, non alienum iudicare famulum, qui suo stat uel cadit Domino. Si fide instructus sis, & legitimè participes mensæ domini, non commacularis aliena malitia. Proinde non est quòd pollutionis uitandæ gratia, seiungaris ab ecclesia, in qua cernis malos bonis commixtos de Cœna domini participare. Si autem seiungeris, liquidò declaras te arrogantia fractum participare cum illis, quos S. Augustinus libro contra Parmenianum 3. cap. 1. hisce pingit certè uiuis proprijsque coloribus. Illi filij mali, qui non odio iniquitatum alienarum, sed studio contentionum suarum, infirmas plebes iactantia sui nominis irretitas, uel totas trahere uel certè diuidere affectant, superbia tumidi, peruicacia uæsani, calumnijs insidiosi, seditionibus turbulenti: ne luce ueritatis carere ostendantur, umbram rigidæ seueritatis obtendunt: & quæ in scripturis sanctis salua dilectionis syncerítate, & custodita pacis unitate, ad corrigenda fraterna uitia moderatiori curatione fieri præcepta sunt, ad sacrilegium schismatis & occasionem præcisionis usurpant. Idem author inter alia piè & prudenter disputata, consequentibus 2. cap. hoc consilij placidis dat ingenijs, ut moderatè quod possunt corrigant, quod non possunt patienter ferant, & cum dilectione ingemiscant, donec ipse Deus uel corrigat uel in die iudicij paleas uentilet.

2. Cor. 11.

Proinde concludentes hunc locum, uerba beati martyris Cypriani uobis recitabimus. Is lib. 3. epist. 3. sic reliquit scriptum, Si uidentur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, ut quoniam zizania in ecclesia esse cernimus, ipsi de ecclesia recedamus: nobis potius laborandum est, ut frumentum esse posimus, ut cum cœperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in epistola sua dicit, In domo autem magna non solum sunt uasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem honorata, quædam autem inhonorata, nos operam demus, & quantum possumus laboremus, ut uas aureum uel argenteum simus. Cæterum fictilia uasa confringere domino soli concessum est, cui & uirga ferrea data est. Esse non potest maior Domino suo seruus. Nec quisquam sibi quod soli filio pater tribuit uendicare se putet, ut aream uentilandam & purgandam paleam iam ferre se posse, aut à frumento uniuersa zizania humano iudicio segregare. Superba est ista obstinatio & sacrilega præsumptio, quam sibi furor prauus assumit. Et dum dominium sibi semper quidam plus quàm mitis iustitia deposcit assumunt, de ecclesia pereunt: & dum se extollunt insolenter, ipso suo tumore excæcati ueritatis lumen amittunt. Dominus Iesus errantes oues in unitatem catholicæ reducat ecclesiæ, & uiuētes in unitate seruet & prouehat. Amen.

Vnitas seruanda, fugiendum esse schisma.

2 Timo. 2

Psal. 2.

His autem aduersarijs nostris repressis, exurgunt hostes noui & acres, Romanæ uidelicet monarchiæ sedisque ut uocant Apostolicæ, Ecclesiæ uetustissimæ propugnatores. Ad rauim enim usque clamitant eodem nos crimine conuictos teneri, quo Anabaptistas & phanaticos quosdam condemnauimus. Nos enim sacrilego quodam schismate, & nulla adactos necessitate, ueterem deseruisse Romanam Ecclesiam, & nouas atque hæreticas nobis extruxisse synagogas. Etenim in Romana ecclesia habere adhuc suam authoritatem diuinam scripturam, recitari illam adhuc in omnibus templis, disputari denique ex ea in omnibus scholis, sed & suum locum habere atque ualere sacramentorum usum: ideoque schismaticos esse nepharios, qui defectione non necessaria desciuerimus ab ecclesia catholica, maximè propter uitia quædam cleri & episcoporum. Video ergo mihi digrediendum

De secessione à Romana ecclesia.

paululum,

paululum, & certandum esse cum papisticæ ecclesiæ defensoribus, demonstrandúmque nunquam nos recessisse ab ecclesia Christi catholica. Ac quoniam inprimis in hac caussa scire refert, quis hæreticus, quísue schismaticus uerè dicatur, de his paucula hæc prælibo. S. Augustinus hoc interesse putat inter hæreticum & schismaticum, quòd ille prauis doctrinis synceritatem fidei & Apostolicæ doctrinæ adulterat: hic uerò tametsi in doctrinam puram & fidem synceram nihil peccet, ab ecclesia tamen temerè se separat, uinculum unitatis dissocians. Et certè hæreticus est propriè, quisquis contra scripturam, quæ uerbum Dei est, contra fidei articulos, uel contra ecclesiæ uerbo Dei natæ dogmata sana, spe temporalis alicuius commodi, ex suo arbitrio humanáque electione, aliena deligit, recipit, tradit, sectatur, pertinacitèrque retinens, tuetur & propagat. Edicto imperatorio August. Cæs. Gratiani, Valentiniani, & Theodosij definiuntur Catholici uel Christiani esse, in ea uersantes religione, quam beatus Petrus Romanæ ecclesiæ tradidit, quámque doceant beatus Damasus, & S. Petrus Alexandrinus Episcopus, confitentes uidelicet secundum Apostolicam disciplinam, & Euangelicam doctrinam, patris, & filij, & spiritus sancti, unam deitatem sub pari maiestate, & sub pia trinitate. Rursus, Hæretici declarantur ab ijsdem, contraria sequentes, quos & dementes, & infames, supplicijsq; dignos iudicant. Porrò Schismaticus est, quisquis ab unitate ecclesiæ Dei ueræ se separat, nouósque cœtus uel ipse instituit, uel ab alijs institutis adhæret, licet in doctrina parum aberret. Non arbitror autem quenquam quicquam in his desiderare aut oppugnare descriptionibus. Proinde grauiter in nos peccant monarchiæ Romanæ propugnatores, nunquam non in ore contra nos habentes hæreseos & schismatis crimina atrocissima. Etenim nihil docemus contra sanctarum scripturarum synceritatem & ueritatem, uel contra fidei articulos, aut contra sana & scripturis canonicis stabilita dogmata ecclesiæ catholicæ. Si commoda terrena quærere libuisset, mansissemus utique in Papistica doctrina, in qua omnia sunt lucrosa. At propter Christi doctrinam receptam direptioni patemus omnium. Id quod non ignorauimus, cùm à Papæ doctrina recederemus. Nulla ergo spe temporalis commodi doctrinam Christi sectamur. Præterea nihil asserimus pertinaciter. Si quis enim ex uerbo Dei meliora docuerit, non refragabimur meliora amplecti. Quinimò libera uoce & syncero corde damnamus omnes hæreses & hæreticos, quoscunq; tandem uetus illa ecclesia, uel synodis, uel extra synodos, gladio uerbi Dei iugulauit. Oppugnamus autem falsam Papæ doctrinam, noua eius decreta cum uerbo Dei pugnantia, abusus & corruptionem in ecclesia longè fœdissimam. Sumpserunt sibi Romani Episcopi, cum coniuratis suis, tyrannidem in ecclesiam, exercentes uerum in templo Dei Antichristianismum: tyrannidem ergo & Antichristianismum fugimus & recusamus, Christum & iugum eius nō recusamus, societatem sanctorum non fugimus: imò ut in hac manere, ueraq; Christi & sanctorum membra esse possimus, ex Papistica ecclesia refugientes, in unam sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam recolligimur. Hanc enim agnoscimus ueram esse dei domum, & ipsissimum seruatoris Christi Domini ouile, cuius ipse pastor est.

Quis hæreticus, quis schismaticus.

Liberè enim fatemur, & magno cum gaudio gratias Deo liberatori agentes, prædicamus nos recessisse à Romana ecclesia, eandemq; etiam hodie abominari. Cæterum distinguimus ante omnia inter Romanam ecclesiam ueterem & nuperam. Fuit enim quondam Romæ sancta & fidelis ecclesia, quam uiri Apostolici, & ipsi Apostoli Christi uerbo Dei fundarunt atq; conseruarunt. Ea non modò caruit ritibus hodie receptis & usitatis, sed si uidisset eos, anathemate percussisset.

Libera defectionis confeßio.

Caruit decretis, quibus innititur hodie Romana ecclesia. Ignorauit monarchiam & totam illam curiam. Igitur ab antiqua illa Romana & Apostolica ecclesia nec recessimus, nec recedemus unquam. Agnoscimus præterea omnes Romæ hodie Christum adorantes, & seruantes se ab omni Papistica pollutione, quales non paucos Romam habere non dubitamus, pro dilectis fratribus. Porrò ecclesiam nuperam Romanam illam, Papam Christi uicarium in terris agnoscentem, & adorantem, obedientemque legibus eius, ecclesiam Christi ueram esse non agnoscimus. Vnde schismatici esse non possumus, qui Romanam ecclesiam relinquentes, à uera Dei ecclesia non recessimus.

Nuperã Rom. Ecclesiam non esse ecclesiam.

Ecclesia enim sancta catholica Christo unico pastori adhæret, illius uerbo credit, & sanctè uiuit. Contraria omnia inuenias in Romana ecclesia, ut uenire non possit, neque in externæ & uisibilis, neque in internæ & inuisibilis ecclesiæ Dei censum. Tolerant multa pij in ecclesia, in membris, inquam, & ministris eius (quod modò cùm contra schismaticos agerem, ostendi) uerùm in nupera illa Romana ecclesia, non inuenias leuia & tolerabilia uel doctrinæ uel uitæ uel errorum uitia: enormia, desperata & abominabilia in ipsa sunt oĩa. Quæ ergo dilectio de pertinacissimis deploratissimisque rebus meliora speret? Adnumerantur ecclesiæ Dei externæ & tolerantur hypocritæ & mali. Romanenses autem illi nec mali sunt, nec hypocritæ, sed pessimi prorsus & atrocissimi ueritatis Christi hostes, palàm blasphemantes Euangelium, & persequentes credentes in Christum. Ideoque ecclesiæ Dei notas non habent, neque internas, neque externas. Spiritus Domini requiescit super eos qui contremiscunt ad sermonem Dei: isti incandescunt, si quis seriò reuereatur uerbum Dei. Vera fides omnia uitæ uni tribuit Christo: isti fideles persequuntur, quòd uni Christo omnia tribuunt uitæ, nec figmentis Papisticis salutem partiuntur. Pro charitate exercent truculentiã contra fratres & proximos. Quid quòd publicis ecclesiæ bonis ipsi abutũtur ad priuatas suas libidines? Quod enim fideles olim ex charitate contulerunt ad usum ecclesiasticum, & ad subuentionem pauperum, isti prodigunt uiuendo luxuriosissimè ac sceleratissimè. Id quod de eis ante annũciauerunt ecclesiæ Dei electi Apostoli Domini, Petrus atque Thaddæus.

Internas ecclesiæ Dei notas Romana ecclesia non habet.

2. Pet. 2. & in Iudæ Epistola.

Ac de externis ecclesiæ notis quid dicam? Aiunt isti scripturam canonicam suam habere authoritatem in Romana ecclesia, illam & in templis & in scholis recitari, ac sacramenta suum locũ habere, & efficacia esse. Ego uerò diuersum ostendere possum. Principiò subijciunt scripturarum interpretationem sedi suæ, & ius iudicandi de omnibus attribuunt suo idolo Pontifici Romano. Notissimus est enim canon ille, Ab omnibus quicquid statuit, quicquid ordinat, perpetuò quidem & irrefragabiliter obseruandum est. Item, Cuncta per mundũ nouit ecclesia, quòd sacrosancta Romana ecclesia phas de omnibus habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Ergo & scripturas iudicat, exponit, ac pro suo arbitrio flectit & reflectit. Iam non cõmemorabo, quod disertis uerbis sedis illius promachi scribunt, scripturam canonicam authoritatem suam accipere ab ecclesia, hac Augustini abutentes sententia, Euangelio non crederem, nisi me commoueret sanctæ ecclesiæ authoritas. Hoc dicam quod nemini non perspicuum esse potest, Romanam ecclesiam aut huius præsides ecclesiæ, natiuum scripturæ sensum tollere è medio, substituere autem alienum, quem, ut sit plausibilior, sensum appellant sanctæ matris ecclesiæ, quem & tanta urgent improbitate, ut si opponas sensum natiuum, auditurus sis hæretici probrum. Breuiter, nisi totam scripturam ad ipsorum sententiam & commodum detortam, hoc est, ipsorum decretis seu ueneno temperatam proferas, non ipsas scripturas protulisse, sed hæresim docuisse diceris

Externas ecclesiæ Dei notas Romana ecclesia non habet.

ceris. Exemplis res fiet illustrior. Scriptura docet Iesum Christum esse unicum caput ecclesiæ: uerùm nisi adiungas etiam Papam in terris esse caput militantis ecclesiæ, hæreticus appellaberis. Scriptura docet Iesum Christum unicum esse intercessorem uel mediatorem, sacerdotem, & unicam hostiam expiatoriam fidelium: uerùm nisi adiungas Christum mediatorem quidem esse redemptionis, diuos autem cum Christo mediatores esse intercessionis, sacrificos item quotidie incruentam offerre hostiam, ita ut cum Christo simul etiam sancti agnoscantur esse in cœlis intercessores, & sacerdotes in terris quotidie offerre in Missa pro uiuis & mortuis, hæreticus appellaberis. Scriptura docet, Iesum Christum esse iustitiam fideliũ, quæ fide recipiatur à nobis: uerùm nisi iustitiam operibus & meritis hominũ partiaris, appellaberis hæreticus. Scriptura docet, Christum ascendisse in cœlos, misisse uicariam uirtutem spiritum sanctum, neq; uenturum porrò in mundum corporaliter, nisi ad diem iudicij: uerùm nisi agnoscas eundem Christum corporaliter quoq; præsentem esse in pane Eucharistiæ, ac eundem ibidem adores, hæreticus appellaberis. Christus Dominus dixit in ultima cœna, poculum exhibens discipulis, Bibite ex hoc omnes: cæterùm si tu contendas utramq; sacramenti speciem dari oportere fidelibus omnibus, appellaberis hæreticus. Dixit in lege sua Dominus, Non facies idolum, non adorabis, non coles: uerùm nisi tu intelligas per idolum gentilitium idolum, Saturni aut Mercurij, non Dei ueri, aut diui alicuius, hæreticus appellaberis. Plura huius generis alia proferre possem, si loquerer ignorantibus. Quam itaque authoritatem, quem locum dicemus uerbum Dei obtinuisse in sede illa? Quis non uideat fœdissimos istos homines captiuum conculcare sanctissimum Dei uerbum, figere atq; refigere leges Dei pro sua gigantea audacia? Destitui ergo Romanam ecclesiam uerbo Dei sancto, tam clarum est, quàm quod clarissimum. Demonstraui huius Decadis Sermone 1. satis non esse uerba iactare scripturæ sanctæ, nisi eadem sensum natiuum retineant incorruptũ. Ecclesia Romana corrupit sensum, & dogmata scripturis contraria simplicioribus obtrudit. Proinde non est uera Christi ecclesia.

Baptismi sacramentum à Papisticis ministris collatum, tametsi non iteremus: baptizarunt enim in nomen patris, & filij, & spiritus sancti: sicuti Sermone 1. huius Decadis exposui: fractionem tamen panis seu Cœnam Dominicam, ita contaminarunt, fideiq; orthodoxæ contrarijs doctrinis corruperunt, & in tam fœdam conuerterunt nundinationem, ut nemo sanæ mentis religione salua & sana conscientia cum eis communicare possit. De longè corruptissima ministrorum Romanæ ecclesiæ uita moribusq; scelestissimis, nihil nunc dico. Iam enim uel cæcis apparere puto Romanam illam sedem non habere externas ueræ Dei ecclesiæ notas, cum uerbo Dei syncero, sanaq; Euãgelij prædicatione, ministerio inquam diuino, & ministris ecclesiæ legitimis, nec non salubri usu Cœnæ Domini careat: ideoq; non esse ueram Dei ecclesiam, à qua nemo citra schismatis crimen deficere possit.

Deus reseruat sibi ecclesiam, etiam aberrantibus gubernatoribus.

Hac ratione, inquis, nulla relinquetur in terris Christo ecclesia. Ecclesiæ enim gubernatoribus aberrantibus & uerbum Dei corrumpentibus deserentibusq;, quæ obsecro spes reliqua est de ecclesia? Aut signis non comparentibus ecclesiæ, ubi quæso est ecclesia? Respondemus Deum optimum maximum in calamitatibus ecclesiæ, in quibus gubernatores à uerbo & uero cultu Dei deficiunt, ac nouas leges & nouos ritus amplectuntur & in ecclesiã inducunt,, ueris ecclesiæ notis externis ad tempus obscuratis aut obsoletis, nihilominus sibi in terris reseruare ecclesiam, quam & ueris doctoribus submissis fulcit & reparat, licet hi ab illis qui ueri & ordinarij Ecclesiæ gubernatores uideri uolunt, non agnoscantur

pro ueris Dei ecclesiæ ministris aut doctoribus, sed condemnentur pro seditiosis ecclesiæ turbatoribus & hæreticis execrabilibus. Exemplis è scriptura petitis res fiet illustrior. Temporibus Achaz regis Iuda, Vria Pontifice summo conniuente, nec resistentibus regni principibus & sacerdotibus, rex templum Domini clausit, & cathedram sacram sustulit: id quod scriptura disertè testatur, ideoq; cessauerat & ministerium uerbi & sacrificiorum legitimum seu ordinarium; sed nihilominus erat sancta in regno Iudæ ecclesia: in qua Isaiam docuisse cum alijs quibusdā ueluti extraordinariè (ut sic dicam) nulli est dubium. Sub Manasse Achaz regis nepote exulabat syncera doctrina & sacramentorum celebratio (circuncisione dempta:) ac durauit ea defectio donec reformaretur à Iosia pijssimo rege ecclesia: interea uerò missi sunt prophetæ & fuit in Iuda Dei ecclesia, licet maior pars populi cum gubernatoribus sequeretur & tueretur impietatem & defectionem Manasseam. In regno Israelis Ieroboā rex Leuitas doctores legis Domini & prædicatores ueritatis syncera officio suo deturbauit, & prophanos & indoctos populo sacerdotes uel gubernatores dedit, noua insuper templa, eaq; cathedralia, fundauit, idola uel uitulos, nouum cultum, nouas aras & festa noua instituit, atque hoc modo uerum Dei cultum abrogauit, ita ut in Israele porrò nulla apparerent ecclesiæ Dei externa symbola, & tamen dubium non est insignem in Israele Dei ecclesiam fuisse, ad quam conseruandam & reparandam subinde à Domino mittebantur prophetæ, licet à pseudoecclesia & pseudoprophetis pro ueris Dei prophetis minimè agnoscerentur. Docuit sub Ieroboamo, eius nominis II. Amos propheta, pastor uel armentarius de Tecoa, ueramq; Dei doctrinam tradidit: sed audit ab Amasia summo pontifice regni, Vade protinus, & recipe te in terram Iuda, illicq; propheta uel prædica. In Bethel autem ne posthac prædicaueris: quoniam fundatio & templum regium est. Quinimò cum Achab impietate omnes ante se reges uicisset, insuper & abominandum Baalis cultum impietati defectioniq; Ieroboamicæ superaddidisset, omniaq; in regno Israelis oppleuisset superstitionibus, idololatria, augurijs & sacrilegijs, præterea & Dei synceram doctrinam persequeretur in prophetis atrocissimè, inuenta est tamen in Israele præclarissima Dei ecclesia. Helias quidem ille magnus & excellentissimus Dei propheta, ob fœdam illam defectionem à Deo, fastidioq; populi longè miserrimi, in quo nulla apparebant ueræ Dei ecclesiæ signa, fugiens in desertum abstrusit se in latebras, ac rogatus à Domino quid ibi ageret, respondit, Zelo quodam zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quòd filij Israel fœdus tuum dereliquerūt, aras tuas diruerunt, & prophetas tuos gladio occiderunt, & ego solus relictus sum, quærūtq; animam meam, ut tollant eam. Verùm protinus remittitur in terrā Israelis unde profugerat, his insuper uerbis additis: Dereliqui mihi in Israele septem millia uirorū, quorum omnium neq; genua curuata sunt ante Baal, neq; os osculatum est eum. En propheta tantus putauit se solum in Israele è fidelium numero esse relictum: sed audit septem millia à Deo reseruata hominum sanctorum, qui genua sua non flexerint, id est, ne externo quidem cultu unquam inseruierint Baal. Quis autem nesciat prophetam per septenarium numerum intellexisse uerorū Dei cultorum turbam numerosissimam: qui haud dubiè circuncisi fuerunt, non in Baalis, sed in æterni Dei fœdus. Illi ipsi non caruerunt fide, ergo neq; doctrina, licet hæc non ita uulgaris esset, neq; ordinaria & catholica uideretur apud Baalitas. Caruerunt autem sacrificijs procul dubiò: quia cum legitima nō exhiberentur, illegitimis participare nolebant: rebus interim per symbola uel sacramenta significatis, minimè destituebantur, fide communicantes omnibus Dei donis.

4. Reg. 16. 2. Paral. 28.
4. Reg. 21. & 22. 2. Paral. 33. & 24.
3. Reg. 12. 2. Paral. 11.
Amos 2. & 7. cap.
3. Reg. 19.
Rom. 11.

Ad

Ad eundem omnino modum postquàm pontifex Romanus instar Ieroboami regis, deserta Euangelij pura prædicatione, corrupta item prima & simplici institutione Cœnæ Dominicæ alijsq; Dei institutis deprauatis & ad suum commodum detortis, sese collocauit in solium, imò in ipsum Dei templum uel ecclesiam, ostentans seipsum Deum terrestrē, graui sanè tyrannide oppressa Dei ecclesia, notis externis haud facilè hucusq; interstingui potuit. Pro syncera enim prædicatione Euangelij, mixtum & corruptum humanis decretis doctrinæ genus propositum, ac pro Cœna Domini, Missa Papalis celebrata est: in locum aliorum institutorum Dei, subijt immensa ineptissimarum & superstitiosarum ceremoniarum turba, quibus bona pars hominum obnoxia, sedi sese subdidit Romanæ. Interea uerò non fuit in toto terrarum orbe extincta Dei ecclesia, neque cecidit apud omnes sanctum uerbi Dei ministerium, & cultus Dei uerus. Vbiq; enim terrarū dispersi, reperti sunt non pauci homines, qui nec Papam & coniuratos eius, nec corruptionem eius in rebus ecclesiæ approbauerunt. Adorauerunt autem Christum Dominum, quem agnouerunt unicum esse salutis authorem, atq; iccirco mundos se seruauerūt à Papisticis contaminationibus. Ac misit Deus singulis propè seculis iam inde à Papismi exordio uiros graues, pios & doctos, qui Papæ regnum tyrannidemq; (sicut olim prophetæ Ieroboami corruptelam idololatricam) grauiter accusarunt, postulantes constanter ecclesiæ repurgationem à corruptelis Papisticis, docentes etiam ueram salutis doctrinam, uerumq; usum sacramentorum. Vbi uerò repurgatio pura puta impetrari non potuit per Antichristi tyrannidem, ibi tamen repertum est indefessum puritatis studium, piumq; legitimi sacramentorum usus desiderium: quale diximus fuisse in electis ueræ Dei ecclesiæ membris, temporibus Ieroboami, Achabi, Achas, Manassis & Captiuitetis Babylonicæ. Sicut autē his quoq; temporibus ueri prophetæ Dei pro ueris à Baalitis sacerdotibus minimè agnoscebantur, sed damnabantur pro schismaticis & hæreticis: ita seculis aliquot Romani Pont. cum suis coniuratis, uiros pios & doctos, uerbum Dei prædicantes & reformationem ecclesiæ postulantes, excommunicarunt, persequuti sunt, plurimosq; eorum ferro & igne exciderunt. Id quod ipse Dominus noster cum prophetis & Apostolis futurum prædixit.

Romana ecclesia nō existente ecclesia, Deus nihilominus ecclesiam in terris habet.
Daniel. 9.
2. Thess. 2.

Præterea potuit sibi haud dubiè copiosam retinere ecclesiam Dominus sub Papismo: sicuti non dubitamus sub Machometismo seru[illegible]am esse maximam. Quis enim existimet nulla superesse Ecclesiæ Dei membra per totam Asiam & Aphricam? An non potuit sibi Deus misericors potenti manu sua, in illa postrema ecclesiæ Dei calamitate & ruina, rursus retinere septem (ut quondam) uirorum millia, quorum nullus adorauerit bestiam aut bestiæ characterem acceperit? Quid factū sit in Turcia, aut quid hodie fiat, dicant qui rectius & melius possunt. Quid apud nos factū sit in seculis iam ultimis, negare nemo potest. Insigni bonitate Dei uidemus accidisse, ut quemadmodum Circuncisio signum fœderis Dei quondam in media defectione dabatur populo Dei, ita hodie quoque in profundissimis Antichristi tenebris, sacrosanctum baptisma datum sit Christianis in obsignationem remissionis peccatorum hæreditatisq; filiorum Dei. Sanè doctrinæ puritas infinitis & crassissimis traditionibus à cōiuratis Papæ est prophanata, interim támen nō fuit nulla prorsus. Vt enim nihil eorum repetam quæ modò dixi de missis à Deo uiris pijs & doctis reformationē Ecclesiæ postulantibus, & plurimum proficientibus apud omnes Dei filios, an non consensu quodam uniuersali pro certissimo indubitatoq; receptum fuit, Decalogo omniū præceptorum Dei absolutissimum compendium suppeditari? Oratione Dominica plenissimā tradi precandi Deum

formulam? Symbolo autem Apostolico contineri perfectissimã credendorum uel fidei regulam? Certè excedentibus ex hoc seculo fermè omnibus, ac in ipso agone iam laborantibus, recitari consueuit symbolum uelut perfectissima saluantis fidei regula. Nec dubitamus misericordem Deum & patrem misericordiarum (qui & Latronem illum in cruce sub extremo uitæ exitu seruauit) oppressorum tyrannide Antichristi misertum, immensa sua gratia tetigisse & uiuentium & morientiũ corda, ac per spiritum sanctum docuisse, confitentesq; unum Deum patrem conditorem omnium, & unum Iesum Christum Dei filium mundi redemptorem passum & resuscitatum, & unum spiritum sanctum, deniq; sanctam ecclesiam catholicam, sanctificasse cõdonatis peccatis omnibus, animasq; fidelium in uitam æternam (sicuti crediderunt) transtulisse, quo & in fine seculi resuscitandam carnem nostram credimus transferendam. Habent hic quoq; responsionem interrogãtes, An ne omnes maiores nostri ante hæc ultima reuelati Euangelij tempora mortui, sint damnati? Dispiciant uiuentes potius, ne propter uerbi Dei contemptum, atq; propter contentiones contra uerbum Dei susceptas, disparem à maioribus suis finem sortiantur. Quanquam ergo Papisticam ecclesiam non agnoscamus ueram esse ecclesiam, inde tamen non sequitur nullã omnino esse aut fuisse in terris Dei ecclesiam. Illam enim ueram Dei ecclesiam esse dicimus, quæ in Christum credidit & uerbum eius non deseruit, quam & fusè satis descripsimus. Scimus præterea, nos ipsos qui hodie Christo credimus, ueram esse Christi Domini ecclesiam. Nam in fide unico capiti Christo omnibusq; catholicæ ecclesiæ membris cohæremus, ita ueris ueræ Dei ecclesiæ signis non destituimur.

Cæterùm non legimus, inquiunt, sub Iudaicæ ecclesiæ pontificibus, sacerdotibus & principibus, uel prophetas, id est, fideliũ ductores, uel ipsos fideles desciuisse à Pontifice, à rege, uel ab uniuersali ecclesia, ac noua sibi separataq; sacrificia instituisse, sicuti uos hodie facitis. Deficientes enim à Romano pontifice, à regibus, principibus, & ab uniuersali ecclesia, ecclesiam uobis ipsis congregatis, & prædicatione & sacramentorum celebratione ab illa diuersissimam. Respondeo, ueteres ante Christi Domini aduentũ præscripta de caussa, templo idololatria occupato & prophanato, non noua sacrificijs quæsiuisse loca. Nephas enim erat extra tẽpli septa immolare. Id quod uidere est Leuit. 17. & Deut. 12. cap. Nec alia de caussa populus Babylonica captiuitate per annos 70. detentus, nulla obtulit sacrificia. Certissimũ est tamen & prophetas Dei, & sanctos & ueros Dei cultores separasse se à cultu & sacrificijs contra uerbum Dei usurpatis. Certè sermonibus prophetarum omnibus, & sacrificia illa & ecclesiam legimus esse damnatam. Quo nomine & ipsi uicissim damnabantur à Pontificibus & sacerdotibus Baal, tanquam hæretici & schismatici execrabiles: quemadmodum hodie quoq; anathematis telo confodimur, quòd cum Papistica ecclesia & sacris eius communicare nolumus, sacraq; ipsa reijcimus. His accedit quòd impletis per Dominum & iam abrogatis legalibus, Apostoli manifesta defectione desciuerunt non modò à Pontificibus et Hierosolymitana ecclesia, sed insuper nouam Christo per prædicationem Euangelij, & sacramentorum contesserationem collegerunt ecclesiam: quam in Actis Apostolorum habemus descriptam: & ad cuius formam meritò reformari debent omnes ecclesiæ, quotquot Apostolicæ uolunt appellari. Quid ergo hodie peccauimus reformantes ecclesias ad Apostolicæ imaginem ecclesiæ, prophanatas iam olim à sede illa Romana ac membris eius? Sæpe legimus ecclesiã Dei ante aduentum Christi in carnem, deturpatam fœdis pollutionibus à corruptis hominibus, eandemq; repurgatam renouatamq; esse ad ueteris ecclesiæ imaginem, secundum

Apostolicæ ecclesiæ.

uerbum

uerbum Dei. Cur autem illud ipsum eadē in caussa nostro seculo nō imitaremur?

Extant præterea uaticinia Christi seruatoris, sanctorum apostolorum & prophetarum, graphicè depingentia grauem hanc ecclesiæ Christi sub antichristi tyrannide, extremo hoc nostro seculo, sæuientis oppresionē: extant præcepta grauißima, iubentia fugere antichristum, idololatriam, & pseudoprophetas. Dominus enim dixit in euangelio secundum Matthæum, Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posit, etiam electi. Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire, Ecce in penetralibus, nolite credere. Et iterum, Cauete uobis à pseudoprophetis, qui ueniunt ad uos in uestitu ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. Item, Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadūt? S. Petrus magna cum grauitate, Seruemini, ait, à generatione ista praua. Copiosißima idem hac de re tradit in secunda sua epistola, capite 2. & 3. Sed & S. Paulus per omnia cum sancto euangelio, & beato Petro congruens, & antichristum & postrema illa antichristi tempora, hominesq; corruptißimos, non lumina, sed faces ecclesiæ depingens, iubet sanctos ab his recedere, & ad Christū ac ueritatem eius synceram aggregari. Loca si quis requirat, inueniet 2. Thes. 2. 1. Timoth. 4. 2. Timoth. 3. & 4. cap. Idem alibi, quemadmodum & beatus apostolus Ioannes dixit, Fugite idololatriam. Et in 2. ad Corinth. 6. cap. disertis uerbis, & luculentißima oppositione demonstrat, non posse constare ullum consensum inter Christum & Belial, inter tenebras & lucem, inter idola & templum Dei. Ac subiungit mox, Quapropter exite de medio illorum, & separemini ab illis, dicit dominus, & immundum ne tetigeritis: & ego suscipiam uos. Huc pertinet quod beatus Ioannes apostolus reuelatione sibi à domino Christo facta, uidens fata Babylonis, simul etiam uocem cœlo delatam audit in hanc sententiam præcipientem, Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis. Idem non semel minatur æternum exitium bestiam adorantibus: uitam autem & gloriam, aspernantibus fugientibusq; bestiam, adhærentibus autem unicè unico mundi seruatori Iesu Christo. Proinde discessus ille noster à sede uel ab ecclesia Romana non modò licitus, sed & necessarius est, quippe mādatus nobis ab ipso domino per sanctos Apostolos, quibus nisi obediamus, saluari nequaquam poterimus.

Defectio à Romana Ecclesia præcipitur. *Matth. 24.* *Matth. 7.* *Lucæ 7.* *Actor. 2.* *1. Cor. 10.* *1. Ioan. 5.* *2. Cor. 6.* *Apoc. 18.*

Alioqui non ignoramus abominandas ac culpabiles prorsus esse defectiones, inter quas tamen nisi distinguamus, non apparebit luculenter quid uel probemus uel improbemus, quidùe sequamur aut fugiamus. Est defectio apostasiæ, qua fidei uel religionis odio, ex mera impietate & contemptu numinis athei cum Luciano suo impio, ac Iuliano apostata, à fide orthodoxa & catholica, denique à communione fidelium deficiunt, & ueritatem præterea Christianam conuitijs blasphemijsq; impetūt, ac ipsam Dei ecclesiam uel irrident uel persequuntur. Est rursus defectio hæretica, qua uidelicet cum Valentino, Marcione, Ario, Manichæo, Artemone, similibusq; monstris superbi & confidētes pertinacesq; nequā, uel ipsam scripturam repudiantes uel interpolantes contemnunt & calcant, uel certos fidei articulos, sanaq; ecclesiæ Dei dogmata negant, subuertunt ac oppugnant, contraria astruunt, atq; ita ecclesias sibi hæreticas construunt, à uera autem orthodoxa & catholica recedunt. Est præterea discessus schismaticus, qualis erat Donatistarum separantium se ab ecclesia Dei uera, prætextu absolutioris consequendæ sanctificationis. De quo abūde satis diximus paulò ante hæc. Et superiores quidem defectiones duæ prorsus sunt abominabiles & nephariæ: quem-

Defectionum genera. 1 2 3

admodum & tertia nullo modo defendi potest. At nulla quidem istarum nobis hodie à Romana ecclesia deficientibus imputari potest. Vacat enim omni crimine illa secesio, quæ fit non à uera, sed falsa ecclesia: non à populo Dei, sed à persecutoribus populi Dei: non ab articulis fidei & sanis dogmatibus ecclesiæ, sed ab erroribus fidei articulos obscurantibus, & à prauis hominũ traditionibus & corruptelis: quæ denicꝫ fit non leuitate aliqua, sed necesitate: non nouandi, sed ueræ religionis studio, propter ueram fidem recuperandam, secundũ testimonia æternæ ueritatis, ut relicto tenebrarum consortio, recolligamur cum Christo uera luce, & omnibus membris eius. Ita uerò hodie deseruimus Romanam illam sedem, falsa doctrina, idololatria, & innoxio martyrum sanguine redundantem: amplexi sumus autem doctrinam euangelicam & apostolicam, ideocꝫ Christum ipsum caput Ecclesiæ, quæ est communio omnium sanctorum Christo credentium. Et hæc quidem per digresionem hactenus dixi, redeo ad tractationem Ecclesiæ catholicæ, ut absoluam quæ dicenda supersunt.

Etenim quò plus lucis roboriscꝫ his accedat, quæ diximus hucusque de Ecclesia, proferam nunc parabolas aliquot ex scripturis sanctis, quibus illa ueluti depicta ob oculos statuitur. Ac facile erit cuilibet interstinguere inter internam & externam ecclesiam, agnoscerecꝫ quæ cuicꝫ sint uel propria, uel minus propria.

Ecclesia est domus Dei. Primũ depingitur nobis ecclesia sub specie & imagine domus. Domus construitur in hunc finem, ut inhabitetur ab hominibus: & construitur quidem ab architectis, ex omnigena materia, ex lignis, lapidibus, cœmento, fundamento primùm collocato: cui deinde imponuntur muri uel parietes, qui angulari compinguntur lapide: postremò additur uel superinducitur tectũ, sine quo totum ædificium paulatim corruptum collaberetur atcꝫ periret. Domum Dei diximus esse Ecclesiam, cuius architectus summus ipse Deus est, qui in typo nempe in Tabernaculo Mosis, & templo Solomonis, & Mosi & Dauidi formam templi exhibuit, ad quam ipsum extruant. Deus enim ab initio angelos ne laberentur, retinuit, hominẽ uerò in peccatum & mortem prolapsum, reparauit, ab ipso rerum exordio protinus Ecclesiam sibi sanctificans, quam & uerbo suo circumscribens, designauit. Hanc autem formam Ecclesiæ omnino oportet tenere, non recipere aliam, uel ab Imperatore, uel à Papa, aut ab alio quouis homine traditam. Verus hic ueri domus Dei
Matth.16. architectus in euangelio dicit, Super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam. Ipse enim dei filius facit nos regno suo dignos, ipse fidẽ inspirat, per quam fiammus ecclesiæ dei uera membra. Quamuis autem ipse dominus sit unicus & summus Ecclesiæ suæ architectus, operam tamen hominũ in extruendo non aspernatur, imò adiungit sibi in extruenda ecclesia homines, quos & architectos appellare dignatur.
1.Cor.3. Paulus enim, Vt sapiens architectus, inquit, fundamentum posui. Et iterum, Quis est Paulus, quis Apollos, nisi ministri, per quos credidistis: & ut cuicꝫ dominus dedit? Ego plantaui, Apollos rigauit, sed Deus dedit incrementum. Itacꝫ non qui plantat est aliquid, necꝫ qui rigat, sed qui dat incrementum Deus. Rursus, Dei sumus cooperarij, dei agricolatio, dei ædificatio estis. Exemplo rem proponemus,
Acto.10. Cùm Deus inter gentes sibi domum excitare uellet, primùm gratia sua perfudit Cornelium legionis Italicæ apud Cæsaream præsidem, uel ducem ac centurionem, mox misso apostolo Petro, domum illam sibi præparat & adoptat. Petrus enim docet & baptizat, Cornelius cum suis auscultat, credit, baptizatur, & fit domus Dei, ecclesia uera, quam & dominus per spiritum suum inhabitat. Sicut enim domus inhabitatur ab hominibus, ita ecclesiam inhabitat Deus, Paulo testante & dicente, Templum Dei sanctum est, quod estis uos. Item, An nescitis quòd corpora uestra

sint

sint templum eius qui est in uobis spiritus sancti:&c. Huius domus fundamentũ est Christus. Dñs enim apud Isaiam dicit, Ecce ego fundo, seu mitto in Zion (nimirum in Ecclesia) lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, solidissimum fundamentum. Qui crediderit nõ festinabit. Id uaticinij exponens in euangelio secundum Matthæum dominus, & sibijpsi ceu ecclesiæ fundamento applicans, ad Petrum confitentem Iesum esse uerum ueri Dei filium, Mesiam expectatum, dicit, Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Accedit his & beati Petri Apostoli expositio, qui citans hæc ipsa Isaiæ prophetæ uerba, & alludens ad illa Dauidis, Lapidẽ quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, diserte dicit, Christum Iesum esse lapidem illum, uiuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo uero electum, fundamentum firmum, cui qui innitantur, minimè confundantur. Consentit Petro etiam Paulus Apostolus. Dicit enim, Petra autem erat Christus. Et iterum, Fundamentum aliud poni non potest, quàm quod positum est, quod est Iesus Christus. Ergo cum idem ille alibi hoc ipsum fundamentum nominat fundamentum apostolorum & prophetarum, non ita accipiendum est, quasi apostoli & prophetæ sint fundamentum ecclesiæ, sed quod hi Iesum Christũ pro fundamento ecclesiæ collocarunt, & totam structurã huic fundamento imposuerunt, etiam semetipsos. Nequeunt enim homines mortales obiectum esse fidei, & fundamentum ecclesiæ, cui innitantur fideles. Clamat Dauid, Dei uia immaculata est, & eloquium domini est examinatum, protector est ipse omnium in se sperantium. Quis enim est Deus præter dominum, aut quis PETRA præter Deum nostrum? Nam & Ieremias, Sic dicit dominus, inquit, Maledictus uir, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & cuius cor recedit à domino. Benedictus uir qui confidit in domino, & cuius fiducia est Dominus. Ita scriptura prophetica & Apostolica concorditer ostendit nobis petram, id est, fundamentum Ecclesiæ Christum & hunc quidem solum.

Matth. 16. *Psalm. 117.* *1. Pet. 2.* *Acto. 4.* *1. Cor. 10.* *1. Cor. 3.* *Ephes. 2.* *Psalm. 18.* *Ierem. 17.*

Turpiter ergo errant, quicunq; diuinæ hoc laudis, uirtutis, ac prærogatiuæ, quod soli dei filio competit, tribuũt Romano pontifici. Quòd si obiecerint, complures ex Græcis & Latinis interpretibus per Petram ipsum Petrum intellexisse, repudiamus humanam authoritatem, præferimus & asserimus diuinam. Christus non dixit, Aedificabo ecclesiam meam super te, sed super Petram, & hanc quidem petram, quam confessus es. Sed & Petrus nomẽ habet à petra: sicut Christianus à Christo. Quid quod ipse Petrus per petram intellexit Christũ? Accedit his Pauli authoritas dicentis, Petra erat Christus. Et, Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter hoc quod positum est, quod est Iesus Christus. Nam Dauid prior dixit, Quis est Deus præter dominum, aut quis est petra præter Deum nostrum? Hæc testimonia non temere repeto: his enim longè clarissimis solum Christum petram & fundamentum ecclesiæ attestantibus & collocantibus, magis credendum fatebuntur omnes non omnino insani, quàm docentibus cum Christo & Petrum & Romanum pontificem petras & fundamina esse ecclesiæ. Nihil nunc contra hos dicam atrocius, quòd omnibus notissimum sit, quales sint, indignissimi qui Petro accenseantur, dignissimi autẽ qui Simoniacis annumerentur. Præuidit Petrus quales isti erant futuri, ergo ne cui imponerent depinxit eos suis coloribus 2. Pet. 2. Nos illis relictis, redimus ad expositionem assumptæ parabolæ.

Petrus uel Roman. Pont. non est fundamentum ecclesiæ. *Matth. 16.* *1. Cor. 10.*

Materia domus, parietes & reliquæ partes sunt ipsi fideles homines, extructi super fundamẽto Christo. Id quod admirandi & præcipui huius structuræ artifices Petrus & Paulus hisce testantur & illustrant uerbis. Petrus, Ad Christum ac-

Domus dei qui sint. *1. Pet. 2.*

cedentes, inquit, qui lapis est uiuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deū uerò electus ac preciosus, ipsi quoq; ueluti uiui lapides ædificemini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum ad offerendum spirituales hostias, acceptabiles Deo, per Iesum Christum. Paulus uerò, Iam non estis hospites & incolæ, ait, sed conciues sanctorum & domestici Dei, superstructi super fundamentū apostolorum & prophetarum, summo angulari lapide ipso Iesu Christo, in quo totum ædificium coagmentatum crescit in templum sanctum domino, in quo & uos superædificamini in habitaculum Dei in spiritu. Authoritate ergo apostolica discim... Christum esse angularem in domo dei lapidem, qui ne dilabantur parietes, eos cópingit & retinet totam structuram. Idem est tectum ecclesiæ, defensor utiq; & princeps, sub cuius præsidio tuta, felix & beata uiuit ecclesia. Huc pertinet consideratio Tabernaculi Mosis & Templi Solomonis. Nam utrunq; appellatur Domus Dei. Distinguebatur hæc in Sanctum sanctorum, in Sanctum, & in Atrium: & quamuis distinctæ hæ partes commemorentur, una tamen domus domini nuncupatur, quia est una duntaxat ecclesia uniuersalis, quæ interim suas ueluti partes habet. Sanctum sanctorum figurat Ecclesiam triumphantē in cœlis, ubi sunt conserui Dei & fratres nostri patriarchæ, prophetæ, apostoli, martyres & omnes spiritus beati. Ibi apparet semper in conspectu Dei Christus dominus noster, arca nostra, in quo thesauri ecclesiæ, qui est perfectio legis, fœderis firmitudo, & propitiatio nostra. Inde reddūtur nobis oracula. In hac parte templi omnia sunt magnifica, aurea & gemmea. Absolutum enim in cœlis gaudiū percipitur. Sunt in templo formæ angelicæ, palmæ & flores. Quia in futura uita electi erunt sicuti angeli Dei. Hic uictores perpetuò uirent. Vincenti, inquit dominus, dabo edere de ligno uitæ, quod est in medio paradisi Dei. Hic omnia splēdida sunt: quia in Christo & in futura uita clarificabimur. Sanctum representat nobis militantem ecclesiam, & interiorem quidem, sanctificatam sanguine Christi, quæ non habet speciem pietatis, sed ipsam pietatem. Fide enim adhærent Deo, charitate connectuntur inter se mutuò, seruiunt Deo spiritu, auscultantes uerbo Dei & participantes sacramentis. In sancto ergo collocauit Solomon decem candelabra, decem mensas, & luteres decem. In ecclesia enim sanctorum est illuminatio, alimentū & purgatio quotidiana per pœnitentiam. Porrò Atrium recipiebat totum cœtum populi. Ecclesia enim cœtus est omnium fidem profitentium, admixtos habens hypocritas. Inter sanctum & atrium siue uestibulum occurrunt duæ columnæ in templo Solomonis, inscriptæ Dauidico generi. Christus enim est qui sustinet ecclesiam, per quem patet ingressus in ecclesiam. Ex Christi beneficio & uirtute habet ecclesia, si in Christo maneat, ut & ipsa sit columna & basis ueritatis. Non est autem ullus extra tabernaculum & templum domini locus, in quo Deus cultum sibi exhibitum, quàm in ecclesia, recipiat. In sola ecclesia sanctorum propitius est dominus. Faciant ergo Iudæi, Turcæ & Sarraceni præstantissima in speciem licet opera, extra Christum eiusq; consortium nemo Deo placet.

Ephes. 2. — *Angularis lapis Christus.* — *Tabernaculum & templū typus Ecclesiæ.* — *Apoc. 3.*

Rursus confertur ecclesia Dei Vineæ præstantissimæ apud Isaiam, qui disertis uerbis dicit, Vinea domini exercituum est domus Israel, & palmes eius delectabilis uir Iuda. Nam & in euāgelio dominus noster in parabola uineæ clare exponit homines esse huius uineæ palmites. Imò apud Ioannē idem, Ego sum uitis illa uera, inquit, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit: & omnem qui fert fructum, purgat, ut fructum copiosiorem proferat. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite: sic nec uos nisi in me manseritis. Ego sum uitis, uos palmites. Qui manserit in me, &

Ecclesia est uinea domini. — *Ioan. 15.*

ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, eiectus est foras, sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem conijciunt & ardent. Vna itaq; est ecclesia, quia uitis una est. Ex illa existunt propagines frugiferæ partim, partim infrugiferæ. Etenim boni siue pij ueri Dei cultores, & mali siue hypocritæ recensentur in ecclesia. Hypocritæ tamẽ suo tempore resecantur & in æternum conijciuntur incendium. Quòd boni manent in uite, nec resecantur, sed fructum proferunt, id quidẽ Christo ecclesiæ fundamento, capiti & conseruatori debent, qui succo suo spirituali & uitali eos reddit bonorum operum feraces. Apparet hic illustrissimè capitis & membrorum, Christi & fidelium connexio: de qua prius diximus, de qua item in euangelio Dominus subijcit, Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis petetis & fiet uobis.

Præterea appellatur ecclesia fidelium Regnum Dei. Rex enim ecclesiæ, id est, omnium fidelium, est ipse Dei filius Christus Iesus, qui spiritu & uerbo suo gubernat ecclesiam, & hæc se ipsi gubernandam sponte subijcit. Nec plura inueniuntur regna in orbe: quia unus duntaxat est rex gloriæ Christus. De hoc rege & regno disserui Decad. 4. Ser. 7. *Ecclesia regnũ Dei.*

Iam & Corpori humano assimilari ecclesiam sæpe diximus. In corpore primas tenet caput, quod nusquam abest à corpore. Decussum, relinquit exanime & sine sensu corpus. Huic licet sint membra plurima, omniũ tamen est inter ipsa consensio pulcherrima. Congruunt & conspirant inter se omnia, condolent sibi inuicem, iuuant se mutuò. Hoc uidelicet sibi inuicẽ præstant omnes fideles, quod membris membra. Vniuntur capiti Christo per fidem, ipsum caput coniungitur membris per gratiam & spiritum. Nunquam separatur ab Ecclesia Christus: neq; hæc aliunde uiuit quàm ex Christo. Qui tametsi corpore absens sit ecclesiæ militanti, præsentissimus adest tamẽ ei spiritu & operatione, atq; gubernatione: ita ut nullo indigeat in terris uicario, cum solus præsideat, & unicum caput, unicus rex, unicus pontifex & saluator ecclesiæ suæ maneat in æternũ. Dominus enim apud Ezechielẽ dicit, Suscitabo super oues meas pastorem unũ, qui pascat eas, scilicet seruum meum Dauid: ipse pascet eas, atq; ipse erit eis in pastorem. Ego autem dominus ero eis in deũ, & seruus meus Dauid princeps in medio eorum. Ego dominus loquutus sum. Hoc postremum adiecit ne quis dubitaret de fide & certitudine eorũ, quæ dicta sunt. Deus est æterna ueritas: & is loquutus est: quod ergo loquutus est, non potest non esse uerissimũ. Quid autem loquutus est? Vnũ fore & esse ecclesiæ pastorem & principem. En Vnum dixit significanter. Quis uerò ille unus? Id exponit & ait, Seruus meus Dauid, nimirum Christus Iesus (germẽ illud Dauidicum (quem euangelica authoritas ubiq; appellit[illegible] filium Dauidis. Hic non erit pastor nomine duntaxat seu titulo, sed reipsa. Pascet enim oues, adeoq; erit in medio eorum. Nam in euangelio disertè dixit, Vbicunq; duo uel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ. Et iterum, Ecce ego uobiscũ sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Iam si præsens adest suæ ecclesiæ, nullo hæc indiget Vicario. Vicarius enim absentis uicem gerit. Vbicunq; ergo uicarius Christi agnoscitur, ibi nullus est Christus, ibidẽ ergo regnat antichristus. Id fiet multo adhuc clarius & firmius, si expenderimus quid illud sit quod Christus dicitur esse caput ecclesiæ. Caput est, uita, salus, & lux, siue illuminatio ecclesiæ, princeps supremus fidelium, qui toti sanctorum cœtui, omnium temporum, & per totum orbẽ disperso, possit, & uelit semper adesse, preces & uota eius audire, auxilium deniq; ferre in rebus quibuslibet: breuiter, qui uniuersam eccle-

Ecclesia adumbratur per corpus humanum.

Ezech. 34.

Matth. 18.

Matth. 28.

Ecclesia dei nullum habet uicarium.

Caput ecclesiæ.

siam perfectissimè gubernare, & omnia eius sarcire, & in omnibus perficere possit. Hanc autem prærogatiuam non tribues ulli, opinor, creaturæ citra blasphemiam & sacrilegium: solus ergo Christus Deus & homo uerus, est & manet caput Ecclesiæ unicum. Qui Papam Romanum agnoscunt caput esse militantis Ecclesiæ, uel quid agant & dicant nesciunt, uel scientes & uolentes filium Dei blasphemant, quem nolunt solum regnare super Ecclesiam suam. Sed audiamus modò diui Apostoli Pauli de hac re testimonia. Deus, inquit, excitauit Christum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum & potestatem, & uirtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur, tam in præsenti quàm in futuro seculo: & omnia subiecit sub pedes eius, & eum dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. En caput est Christus, quia omnibus in cœlo & in terra præsidet, omnia gubernat, omnia sibi subiecta habet, ipsamq; perficit ecclesiam corpus suum, complens ea quæ ipsi desunt, omniaq; adimplens desideria eius. Rursus idem Apostolus, Christus caput est ecclesiæ, inquit & idem dat corpori salutem. Capitis est incolumitatem dare corpori, & præsidere. Id nemo præstat nisi solus Christus, solus ergo Ecclesiæ suæ caput manet: præsertim cũ Ecclesia corpus sit Christi spirituale, & ea de caussa non possit habere caput carnale, nisi libeat ex Ecclesia monstrum facere poëticum. Etenim Christus ecclesiæ caput est, non quia homo est, sed quia Deus & homo est. Cæterum si Romani idoli defensores, propugnatoresq; Romanæ monarchiæ, per caput intelligunt principem in terris, sicut Saul nuncupatur in scriptura caput Israelis, adeoq; intelligunt primum episcopum in prima sede præsidentem, audiant rursus ipsam scripturam, fœdissimum ipsorum errorem confutantem atq; dicentem, Facta est autem contentio inter Apostolos, quis eorum uideretur esse maior. Dixit autem eis Iesus, Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habent super eas, benefici uocantur: uos autem non sic: Sed qui maior est in uobis, fiat sicut iunior: & qui princeps est, sicut qui ministrat. Nam uter maior est, qui accumbit an qui ministrat? Nonne qui accumbit? At ego in medio uestrum sum, ut qui ministrat.

Papa non est caput Ecclesiæ. — *Ephes. 1.* — *Ephes. 5.* — *Lucæ 22.*

Primatus ergo ille Romanæ Ecclesiæ ex hominibus est, non ex doctrina aut ex traditione Christi, imò pugnat ex diametro cum institutione, cum doctrina, & cum exemplo Christi: qui non uult apostolos & apostolicos uiros regnare instar principum huius seculi. Ministros instituit ecclesiæ, qui seruiant ecclesiæ. Hæc accumbit ad mensam, ministri cibum à domino acceptum apponunt, & rectè secant uerbum domini. Quid quod ipse Christus coronam in terris fugit, ipseq;, qui dominus omnium est, ministrauit? Quid quod non uult ministros uel propter seniũ prærogatiuam sibi sumere? Qui maior est in uobis, inquit, fiat sicut iunior. Iubet ergo omnes esse æquales. Proinde rectè iudicat beatus Hieronymus, dicens, humana consuetudine, non authoritate diuina, unum aliquem presbyteris esse prælatum, qui dicatur episcopus, cum ab antiquo presbyter & episcopus eiusdẽ fuerint honoris, dignitatis & potestatis. Obseruandum est autẽ beatum Hieronymũ non loqui de Romana monarchia, sed de episcopis singulis, in urbibus singulis super presbyteros constitutis. Id quod non ideo proferimus, ut humanæ authoritati innitamur, sed ut ostendamus uel humano testimonio euinci posse maioritatem illam, ut uocant, non ab ipso Dei filio & ex uerbo Dei oriri, sed ex arbitrio hominum: ideoq; & Christum manere unicum Ecclesiæ suæ caput, & Romanum episcopum nihil minus esse quàm caput militantis Ecclesiæ. Simul autem firmissimè inhæremus sacrosancto Euangelio & indubitatæ Apostolorum doctrinæ,

Hierony. in Cõment. ad Titũ, & in epist. ad Euagrium.

quæ tollit omnem primatus superbiam, fideleq́ue nobis ministerium & ministerij æqualitatem humilitatemq́ue commendat: Apostolo rursus attestante, ac dicente, Sic nos æstimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. 1.Cor.4.

Huc pertinet totum ferè caput Ioan.10. in quo Dominus se statuit uerum universalis ecclesiæ pastorem, & unicum quidem. Ouile huius pastoris unicum est, ipsa ecclesia catholica, collecta per uerbum ex Iudæis & Gentibus. Proinde oues huius caulæ sunt omnes in toto orbe fideles, audientes & sese totos regendos præbentes summo pastori Christo: qui tametsi ministris ad ministerium ecclesiæ deputatis, nomen quoq́ue pastoris communicet, ipse tamen soli sibi curam pastoralem summam, potestatemq́ue & dignitatem primam retinet. Pastores Ecclesiarum homines, omnes sunt æquales & ministri: Christus Dominus uniuersalis pastor, pastorumq́ue princeps ac Dominus est. Pastores diligentia & fides præstantior excellentiores facit. Ergo cum Petro dixit Dominus, Pasce oues meas: nō commisit Petro imperium, uel in orbem, uel in ecclesiam, sed ministerium in eius redemptos. Doce, inquit, & guberna uerbo meo meas oues, meas inquā, quas sanguine meo redemi. Paulus enim, Attendite uobis, inquit, & cuncto gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit Episcopos, ad regendum ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Fallitur itaq́ue Rom. pontifex, qui uerbis Domini ad Petrum dictis, arbitratur sibi plenam omnium in ecclesia potestatem esse traditam. Audiatur ipse Apostolus Petrus cum presbyteris colloquens, & ueluti enarrans illa Domini ad se dicta uerba, Presbyteros qui inter uos sunt obsecro, ait, qui sum & ipse presbyter ac testis afflictionum Christi, atq́ue idem consors gloriæ quæ reuelabitur, pascite quantum in uobis est gregem Christi, curam illius agentes, non coactè, sed uolentes, non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo, neque ceu dominium exercentes aduersus cleros, sed sic ut sitis exemplaria gregis. Non meminit Petrus ullius imperij & dominij, imò disertis uerbis prohibet dominium. Sicut enim ipse à Domino constitutus est minister ac presbyter, non princeps & summus pontifex: ita ipse nullos principes constituit in ecclesia, sed ministros & presbyteros, qui uerbo Christi pascant gregem Christi, idq́ue sponte & legitimè, artibus prauis semel sepositis omnibus. Huc pertinet integrum caput Ezeh. 34. quod paulò ante citauimus. Nisi autem incrassatum esset cor, oculiq́ue obriguissent Rom. Pont. & suis, uidissent iam dudum se nulla in parte, aut modo ullo inter pastores ecclesiæ Petriq́ue discipulos numerari posse: obseruassent saltē illam sui illius Gregorij sententiam, quam hisce propemodum uerbis recitat apud Imp. Mauricium, Ego fidenter dico, quia quisquis se uniuersalem sacerdotem uocat, Antichristū præcurrit. Et mox, Sed quoniam ueritas dicit, Omnis qui se exaltat, humiliabitur, scio quia quælibet elatio tantò citius rumpitur quò inflatur amplius. Hæc ille.

Ecclesia ouile est Christi. — *Ioan.21.* — *Acto.20.* — *1.Pet.5.* — *Pastorale munus non est dominium.*

Postremò adumbratur negotium Christi & ecclesiæ per parabolam Coniugij mariti & uxoris. Christus enim ecclesiæ sponsus: ecclesia Christi sponsa appellatur. Beatus Ioannes ad discipulos suos dicit, Ipsi uos testes estis quòd dixerim, non sum ego Christus, sed missus sum ante illum. Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est: illum oportet crescere, me uerò minui. Et in prophetis frequentissima est hæc allegoria. Alicubi fingitur puella neglecta & fœda iacere in sordibus: approperare autem principem uirum, qui è cœno extractam purgatamq́ue à sordibus, nec non splendidè ornatam, sibi in uxorem delegerit. Quanquam uerò hæc allegoria explicet diuinum illud beneficium, quod Deus populo suo in Ægypto capto, per mirabilem liberationem & adoptionem

Ecclesia est sponsa Christi. *Ioan.3.* — *Ezech.16.*

in populum peculiarem, exhibuit: quis interim non uideat totum genus humanum ex prima sua origine peccatis sceleribusq́ esse defœdatum, cœnoq́ infixum inferni? Quis ignoret filium Dei cœlo descendisse, totumq́ genus humanum lauisse sanguine suo, purgatamq́ sibi adiunxisse ecclesiã gloriosam, nec maculam, nec rugam, nec tale quippiam habentem? Certè per connubium fit mutua inter contrahentes omnium bonorum communicatio, & quædam ueluti concorporatio indissolubilis. Ergo cùm Christus nostram assumpsit carnem, & noster factus est per omnia, & nos quoque sumus membra corporis eiusdem, ex carne eius, & ex ossibus eius. In nobis est infirmitas, peccatum & mors: ea in se quoque recepit sponsus noster, ut ipsa nobis redderet innoxia. In Christo sponso nostro est iustificatio, sanctificatio & uita, eadem nobis sponsæ suæ communicat, ut in ipso simus iusti & sancti, uiuamusq́ per ipsum.

Ephes. 5.

Ecclesia mater generat filios. *Galat. 4.*

Ex coniunctione illa Domini & ecclesiæ legitima, nascuntur legitimi filij Deo. Vnde ecclesia mater & libera, id est, matrona & domina appellatur. Nam beatus Paulus, Quæ sursum est Hierusalem, inquit, libera est, quæ est mater omnium nostrum. Etenim sicuti ex coniunctione uiri & mulieris, per seminis propagationem, nascuntur liberi: ita adiunxit sibi Christus ecclesiam, in quam deposuit semen uerbi sui. Per uerbum generat mater ecclesia liberos (quod & supra monui, cùm de origine dicerem ecclesiæ) dum uidelicet ipsa semen uerbi retinens, per uerbi prædicationem nos format & fouet in utero, deinde & in lucem edit quos postea lacte nutrit, & cibo solidiore alit, donec crescamus in uirum perfectum. Quemadmodum uerò sine sponso, sine fide & semine, nulla mater est: ita ecclesia sine Christo, sine syncera fide & semine uerbi Dei, non est mater libera & domina illa nostra. Didicimus autem ex his obiter, cur ecclesia Dei, mater dicatur. Eadem nihilominus & Virgo appellatur. Ab hac enim sancta matre ecclesia requirit Dominus ante omnia fidem & integritatem. Nam Apostolus Paulus, Adiunxi uos uni uiro, inquit, ad exhibendum uirginem castam Christo. Ergo sponsæ est uirginitatem in dotem afferre sponso eandemq́ seruare illibatam. Qualis uerò illa uirginitas? syncera in Christum fides, quæ uni integra uel tota mente æternùm adhæreat: quod fit cùm solum sponsum audimus, neq́ alium quàm ipsum solum amamus, breuiter cùm in simplicitate Euangelij perseueramus. Sequitur enim in uerbis Apostoli, Sed metuo ne qua fiat, ut quemadmodum serpens Euam decepit uersutia sua, ita corrumpantur sensus uestri à simplicitate quæ est in Christo. Simplicitas illa Christum agnoscit compendium salutis, recapitulationem uitæ, omniumq́ bonorum cœlestium: extra quem nulla fit salus, nullũ bonum. Quis uerò castam dicat matronam, quæ lenonibus aures præbeat, & cor suum alijs quoq́ adamandis dispertiatur, nec in unico marito suo acquiescat? An non omnes scortum & adulteram esse clamabunt, concumbentem cum alieno, parientemq́ ex alieno semine liberos? Et multus quidem usus est in scripturis sanctis adulterij & fornicationis spiritualis. Omnes prophetarum sermones huiusmodi scatent allegorijs. Adulteros, scorta, & fornicarios appellant isti ecclesias, uel homines alienum semen, id est, alienam à Dei uerbo doctrinam suscipientes. Tales enim fornicantes à Deo, non soli Deo adhærent, non solum ex toto corde amant, non solum adorant, colunt & inuocant, imò alios sibi deligunt, quos uel pro Deo, uel cum Deo uenerentur & inuocent. Huc pertinet bona pars cap. 5. Ieremiæ, & integrum cap. 2, Osee. Inter alia dicit Dominus, Filiorum eius non miserebor, quoniam filij sunt ex scortatione suscepti. Siquidẽ mater eorum scortata est: quia dixit, Ibo, sequar amatores meos. Et reliqua.

2. Corinth. 3. *Ephes. 4.*

Ecclesia uirgo. *2. Corinth. 11.*

Adulterium & fornicatio.

Hæc

Hæc cùm ita habeant, fratres, non est quòd hodie quisquam Romanam ecclesiam, sanctæ matris ecclesiæ titulo & decore ornantis se, reuereatur. Etenim hæc sancta mater ecclesia non est, hæc matrona & incorrupta uirgo non est. Vbi enim est sponsus, qui sit huic matronæ castæ omnia solus? Vbi est fides seruata sponso & integritas? An non alieno se commaculauit semine? An non nouam & alienam à uerbo Dei doctrinam recepit & tradit? atque eo modo nõ Christo, sed Antichristo generat liberos plurimos? Beatus Ioannes iusto titulo hanc ornans ecclesiam, appellauit Babylonem magnam, matrem scortationum & abominationum terræ: item mulierem ebriam de sanguine sanctorũ, & de sanguine martyrum Iesu Christi. Sancta mater ecclesia incorrupta uirgo est, solius unicè adamati sponsi sui uocem uel doctrinam audiens, in ipso solo omnia uitæ & salutis collocans, & ab hoc uno duntaxat dependens in omnibus. Multis quidem allegorijs alijs depingit scriptura mysterium Christi & ecclesiæ: sed de ea hæc hactenus dixisse sufficiat. Dominus Iesus uerus & unicus ecclesiæ suæ pastor, errantes ouiculas placidè in caulam suam reducat, & in ecclesia congregatas æternùm conseruet. Amen.

Rom. ecclesia non est sancta mater ecclesia.

Apocal. 17.

De Ministerio & ministris uerbi Dei: quare & in quem finẽ à Deo sint instituti. Ordines à Christo ecclesiæ traditos, olim fuisse æquales. Vnde & quomodo exorta sit ministrorum prærogatiua, ac de Rom. Pont. primatu. SERMO III.

EXPOSITIO de Ecclesia Dei rectius intelligetur, fratres, ex his quæ de Ministerio & ministris Ecclesiæ, ex uerbo Domini, dicenda restant. Dixi enim Ecclesiam Dei uerbo Dei extrui atque conseruari, idque per ministros ad hoc per Dominum deputatos: unde consequens est ut nunc dicamus de Ministris ecclesiæ eorumque ministerio, id est, de Ordine quo suam ecclesiam Deus gubernat.

Et ministerium quidem ecclesiasticum extenditur ad preces publicas & excitandas & fouendas, & ad sacramentorũ administrationem, præcipuè autem uersatur in prædicatione uerbi Dei. De prioribus dicetur suo loco & tempore: de ministerio uerbi differemus in præsenti. In eius consideratione in primis inspicere conuenit, quare Deus in erudiendis hominibus opera uel ministerio hominũ utatur, & quid in ipso ministerio homines præstent & efficiant, quid Deus. Hic certè pro immensa sua in nos bonitate & misericordia cupit se totũ effundere in nos (id quod sæpe repetendum censeo, quò altius nostris infigatur animis, & nos quoque quid Deo debeamus cogitemus) ut & ipso firmemur beatique simus, & uoluntatem eius erga nos, denique officium nostrũ, quo ipsi sumus obstricti, plenissimè intelligamus. Sicut ergo in omnibus diligentissimè salutem nostram promouet, ita ne quid doctrinæ ueræ desit, ipse ad erudiendum homines prodit. Cæterum quæ nostra est imbecillitas & corruptio ex peccato, non sustinemus congressum æternæ & immensæ illius maiestatis. Id quod ex multis quidem colloquijs Dei cum patribus nostris habitis, tum maximè ex congressu eius cum uniuersa Israelis ecclesia in Sina monte apparet. Cùm enim non sine gloria & maiestate diuina descendisset in montem, & ore proprio recitasset totius religionis omniumque legum compendium (quod Decalogum appellamus) territus diuina maiestate populus, dixit ad Mosen, Loquere tu nobiscum, & audiemus: & ne loquatur nobiscũ Deus, ne fortè moriamur. Deus autem conditionem hanc recipiens, dixit, Audiui uocem uerborum populi huius, quæ sunt ad te loquuti, rectè & probè loquuti sunt, quæ dixerunt. Vtinam sit tale cor in eis, quod me timeat, &c. Porrò hunc modum

Quare Deus ministerio hominum utatur in extruenda ecclesia.

Exod. 19. 20. Deut. 5.

docendi per homines, quem sibi ipsimet homines elegerunt, Deus quoque perpetuum & inuiolabilem esse uoluit: adeò, ut cùm filium in orbem mitteret, carne indueret, & sic loqueretur nobis per ipsum.

Per ministeriū uerbi agit Dominus in ecclesia salutem.

Posset sanè Deus per spiritus sui arcanam illuminationem absq; hominum opera (sicuti eius potestas nulli creaturæ alligata est) totum mundum regenerare, & ipsam gubernare ecclesiam: sed sicut creaturas suas non reijcit, nec opus suum destruit, atq; ordine omnia agit, ita à rerum initio protinus loquutus est mundo per patriarchas, deinde per prophetas, hinc per Apostolos, nec hodie cessat dare mundo doctores & pastores. Ita uerò decet nos non tentare Deū, id est, non expectare occultam inspirationem cum Enthusiastis, sed agnoscere iustum ordinē, ipsumq; nobis Dominum loqui per homines, à quibus nos uult discere religionem. Scripturas sacras legebat Candaces reginæ Æthiopum eunuchus, ac potuisset ipsum occulta inspiratione docere Dominus fidei negotium, sed datur ei doctor & interpres Philippus. Similiter Paulus doctor gentium, raptus in cœlum tertium, & ab ipso Christo, non ab hominibus institutus de omnibus religionis nostræ capitibus, nihilominus reijcitur ad Ananiam hominem. Mittitur ad Cornelium legionis Italicæ centurionem & Cæsareæ agentem angelus Domini, qui potuisset de omnibus religionis ueræ negotijs ipsum erudire, sed iubet accersere Petrū Apostolum. Is, inquit, dicet tibi quid te oporteat facere. Ea de caussa appellantur ministri saluatores: dicuntur conuertere homines: uerbum ipsorum non hominum, sed Dei uerbum nuncupatur: qui hos contempsit, Deum ipsum contempsisse uidetur: illi ipsi ligare & soluere, peccata item tenere & remittere prædicantur. Abdias enim propheta commemorat seruatores ascensuros in montem Zion: id quod de Apostolis nemo non interpretatur. Paulus apud regē Agrippam uerba faciens, uerbaq; Dei ad ipsum delata recitans, dicit, Mitto te ad gentes, ut aperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucē, &c. Etenim archangelus Gabriel prior dixit, loquens de Ioanne. Præcedet Dominum in spiritu Heliæ, ut conuertat corda patrum in filios, & inobedientes ad prudentiam iustorum. Præterea Apostolus ad Thessal. Gratias agimus Deo, inquit, quod cùm acciperetis sermonem à nobis, quo Deum discebatis, accepistis non sermonem hominum, sed sicut erat uerè, sermonem Dei, qui & agit in uobis credentibus. Item, Qui reijcit nos, non hominem reijcit, sed Deum qui dedit spiritum suum sanctum in nos. Nam & in Euangelio dixit Dominus, Qui uos audit, me audit. Qui uos spernit, me spernit. Et iterum, Quicquid solueritis in terra, erit solutum in cœlis: & quicquid alligaueritis in terra, erit alligatum & in cœlis. Item, Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis: quorumcunq; retinueritis, retenta sunt.

Acto.8. Galat.1. Acto.10. Acto.9. Acto.26. Luce 1. 1.Thess.2. 1.Thess.4. Luce 10. Matth.16. Ioan.20.

Suum cuique Deo inquam & ministro, tribuatur.

Detorquentes autem hæc scripturæ sanctæ loca contra natiuum sensum, ministris propemodum æquam cum Christo potestatem partiuntur, ac quod huius solius est, etiam illis cōmunicant. Addunt autem, Ita ornari oportere ministerium, ne inter prophanos uilescat homines. Alij rursus sic loquuntur de occulto spiritus tractu, ut externum illud ministerium ueluti euacuare aut abolere ac ei prorsus nihil tribuere uideantur. Circūscribi itaq; suis oportet terminis ministerium, ne hominum affectibus cupiditatibûsue huc aut illuc rapiatur, eiq; nimium uel minimum tribuatur. Ornetur sanè ministerium & retineatur in authoritate, sed citra Dei ignominiam. Neq; enim decet ministerij prætextu operi humano tribuere quod solius Dei est, à quo solo dependere, & in quem solum respicere ceu unicum omnis boni fontem & datorem, omnes debent homines. Fideles ergo ministri Domini Iesu id unicè curāt, ut Christo suam gloriam & authoritatē illibatam,

suum

suum sacerdotium omni parte integrum cōseruent. Ipse enim Dominus Iesus sedens ad dexteram patris, in tabernaculo uero, quod Deus fixit & non homo, manet sacerdos, imò summus Pontifex ecclesiæ suæ unicus in æternum, obiens adhuc in ecclesia omnia sacerdotis munia. Docet enim unicus in ecclesia doctor & magister discipulos suos, hoc est, fidelium ecclesiam: donans ipsam spiritu sancto, regenerans & trahens, sanctificans & absoluens. Id quod scriptura disertè ubique docet. Hanc gloriam, hanc potestatem nemini contulit, nec quisquam ministrorum, nisi diabolica cæcatus superbia, illam sibi arrogat, quasi ipse pro Christo, aut Christi loco, aut simul cum Christo, Christi propria operetur opera. Apostoli Christi fidelissimi ministri & organa Dei selectissima, non contulerunt spiritum sanctum, non attraxerunt corda, non inunxerunt mentes, non regenerarunt animas, non ipsi à peccato, morte, diabolo & inferis liberauerunt. Hæc enim omnia Dei sunt opera incommunicabilia. Vnde sanctissimus Baptista disertis uerbis negauit se Christum esse, negauit se spiritu baptizare, Ego, inquit, baptizo aqua, ille baptizat spiritu sancto, Ego sum uox clamans in deserto, parate uiam Domino. Et Paulus coram Agrippa caussam suam agens, optat à Deo, ut talis sit Agrippa rex, qualis erat ipse Paulus uinculis exceptis. At huiusmodi uoto nihil fuisset opus, si ipse potuisset trahere, sanctificare & absoluere. Infinita sunt alia huius generis in scripturis obuia.

Ad ministeriū pertinet locus. 2. Corinth. 5.

Ioan. 1.

Acto. 26.

Interim tamen non est inane ministerium ecclesiæ. Senatores & ministri regis non habent æquam cum rege potestatem, neque cum rege aut pro rege reges sunt, sed ea de caussa non est inane ipsorum ministerium. Ergo quod Christus Dei filius summus, optimus & maximus ecclesiæ suæ Pontifex, in ecclesia catholica intus ac in animis, utpote unicus cordium scrutator, operatur, id foris annunciat ac testificatur per suos ministros, quos scriptura ideò testes, præcones, siue nuncios appellat. Vos, inquit Dominus ad Apostolos, eritis testes, quia ab initio mecum estis. Et Paulus, Positus sum ego præco Euangelij, ait, & Apostolus & doctor gentium. Ergo idem alibi ipsum Euangelium, & testimonium & præconium appellat Domini nostri Iesu Christi. Et Ioānes Apostolus asseuerat se relegatum esse in Pathmos insulam propter uerbum Dei & testimoniū Iesu Christi. Ideoq; cùm ministri testimonium reddunt Dei filio, & ex ipsius uerbo promittunt uitam æternam, sermo eorum non hominū, sed Dei sermo appellatur, ipsiq; seruare, & à peccatis soluere dicuntur. Sunt enim nuncij & præcones regis liberatoris ueri, qui ipsos misit nunciatum remissionem: unde etiam omnia uitæ salutis & liberationis unico attribuunt liberatori Christo. Paulus alibi ministros dicit esse cooperarios Dei: & mox, dispensatores mysteriorū Dei. Nam salutem quam operatus est Dei filius, quam & largitur solus, ministri prædicant siue dispensant, atq; ita cooperarij sunt. Idem Apostolus ex doctrina Euangelica, quæ doctorem Ecclesiasticum assimilat seminanti, ministros confert hortulanis & arborum plantatoribus, quibus cultum tribuit externum, Christo Domino reseruans operationem interiorem. Quis, inquit, est Paulus? Quis autē Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & ut cuiq; Dominus dedit? Ego plantaui, Apollos rigauit, sed Deus dedit incrementum. Itaq; non qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementū, Deus. Quo scripturæ testimonio instructus Augustinus de ministerio ecclesiæ sic loqui & scribere didicit, ut nihil decederet gloriæ intus cōmonentis & docentis Dei, interim & ministerium non tolleretur aut contemni posset tanquam inutile. Ad Circenses enim Epistola, quæ ordine numeratur 130. loquens de tractu numinis occulto ac externo hominum ministerio, Nō sunt hæc opera nostra, sed Dei (inquit)

Non inane ministerium.

Ioan. 15. & Acto. 1.

1. Tim. 2.

Apocal. 1.

1. Cor. 4.

ministri quā cooperarij dicantur dei

Matth. 13.

non hæc humanis operibus omnino tribuerem, nec si cùm apud uos essemus, tanta conuersio multitudinis nobis loquentibus & hortantibus proueniret. Hoc agit ille & efficit, qui per ministros suos rerum signis extrinsecus admonet, rebus autem ipsis per seipsum intrinsecus docet. Hæc ille. Porrò ne cui uideretur nimis accise & parcè, nec satis dignè loquutus esse de ministerio Ecclesiæ, subijcit mox idem ille, & ait, Nec ideò pigrius nos moueri oportet ad uisendos uos, quoniam quicquid in uobis laudabile est factum, non à nobis, sed ab illo factum est, qui facit mirabilia solus. Multò enim alacrius debemus accurrere ad spectanda opera diuina quàm nostra. Quia & nos, si quid boni sumus, opus illius non hominum sumus, Vnde Apostolus dixit, Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Idem scriptor de eadem re loquens Tractatu in Ioan. 26. Omnes regni illius homines, inquit, docibiles Dei erunt, non ab hominibus audient: etsi ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt intus datur, intus coruscat, intus reuelatur. Quid faciunt homines forinsecus annunciantes? Quid facio ego modò cùm loquor? Strepitum uerborum ingero auribus uestris: nisi ergo reuelet ille qui intus est, quid dico, aut quid loquor? Exterior cultor arboris, interior est creator. Qui plantat & qui rigat, exterius operatur: hoc facimus nos. Sed neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incremētum dat Deus. Hoc est, Erunt omnes docti à Deo. Hæc Augustinus.

2. Corinth. 3. Proinde cùm alibi S. Paulus dicit, Estis epistola Christi, subministrata à nobis, inscripta non atramento, sed spiritu Dei uiuentis, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis, &c. diligenter discriminare oportet inter opus spiritus & opus hominis uel ministri. Hic non arrogat sibi honorem Dei & opus spiritus, sed opus suum, id est, ministerium. Prædicat Paulus, scribit atramēto, sed spiritus Dei cōmouet cor, & scribit in ipsum cor gratia uel unctione sua: ita cooperatur Deo, Paulo suum, spiritu quoq; suum opus agente. Ministri sunt Apostoli, & prædicatores Euangelij, non literæ, sed spiritus: non quòd ipsi dent spiritum sanctum, sed quòd prædicatores sint Euangelij, id est, Christi spiritum conferentis, imò effundentis in credentes: non autem prædicatores literæ legis, non conferentis gratiam & peccatorum remissionem, sed operantis iram & proferentis peccata. De clauibus & potestate clauium alibi erit opportunior dicendi locus. Præterea uidentur hic quoque locum habere congruum ea, quæ disputata sunt primo huius Decadis Sermone De potestate & ministerio ecclesiæ.

Rursus cùm hominum utitur opera Dominus in docenda ecclesia, nobisq; cooperarijs in perficienda salute, luculentissimè ostēdit quàm amet & quanti nos faciat, qui tantum thesaurum in argillacea deponit uascula, ac in nobisipsis præstantissima quæq; operatur, ac uincit omnem mundi potentem excellentiam. Vnde iterum discimus omnem Christo tribuere gloriam, Paulo rursus docente nos,

2. Corinth. 4. & dicente, Non nosipsos prædicamus, sed Christum Iesum Dominum, nos autem seruos uestros propter Iesum. Quoniam Deus est qui iussit è tenebris lucem illucescere, qui luxit in cordibus nostris ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi. Habemus autem thesarum hunc in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia sit Dei, & non ex nobis, dum in omnibus premimur, at non anxij redimur, &c.

Præterea conglutinantur mirificè omnia corporis ecclesiastici membra ministerio ecclesiastico. Nam ad concordiam faciendam unitatemq; retinendam, hoc inprimis conducit, quòd mutua egemus institutione, & ecclesiæ cuiq; peculiaris & unus præsidet pastor, ueluti fidus aliquis paterfamiliâs, uniuersam regens &

conser-

conseruans familiam. Certè negari non potest, quondam totum illum tabernaculi & templi instructissimum cultum, & tribum Leui consecratam sacerdotio, in hunc finem esse à Deo instituta: quæ simul atque deseruisset per nephariam audaciã Ieroboam rex impius, regnum in partes discerpsit, ac domum suam atque uniuersum regnum funditus demum euertit. Sed & S. Paulus de finibus sacri ministerij à Deo instituti loquens, non tacet unitatẽ corporis ecclesiastici, cui & alia præclara coniungit bona. Verba eius si quis requirat, hæc sunt. Instituit ministros ad instaurationem sanctorum, in opus dispensationis, in ædificationẽ corporis Christi, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenè adultæ Christi, ut non amplius simus pueri, qui fluctuemus & circunferamur quouis uento doctrinæ, per uersutiam hominum, per astutiam, qua nos adoriuntur ut imponant nobis, sed ueritatem sectantes in charitate adolescamus in illum per omnia, qui est caput, nempe Christus, Et reliqua. Perspicui sunt hi fines ministerij ecclesiastici in uerbi Dei prædicatione. Instituit deus ministerium in ecclesia, ut omnia membra reducantur ad unitatem corporis, & subijciantur adhæreantque capiti Christo, ut in hoc adolescamus, euadamusque in uiros perfectos, ne semper simus pueri, ne pateamus omnium imposturis & hæreticorum fascinationibus, sed in uera fide & charitate conglutinati ueritatem retineamus Christianam, puram & simplicem, Christoque seruientes syncerè in hoc seculo, mortui regnemus cum ipso in cœlis.

Finis ministerij. Ephes. 4.

Ex his illud quoque deriuamus, ministerium ecclesiasticum, licet administretur ad hominibus, humanum tamen, id est, ab hominibus inuentum non esse. Origo enim eius è cœlo est, ac authorem seu institutorem habet ipsum deum: ideoque dignitas eius maximè excellit. Primus concionator in paradiso fuit ipse Deus, imò ipse Dei filius, qui intercedente spiritu sancto semper locutus est patribus, sicuti & incarnatus postea toti mundo à patre magister & doctor datus est. Hic Adæ & Euæ parentibus nostris prædicauit peccatorum remissionem & pœnitentiam, instituit & reuelauit sacrificium sacramenti uice, in quo repræsentaretur ac obsignaretur ipsis pretium redemptionis per semen promissum, aliquando exoluendum, &c. Successit in ministerio Adã cum filijs & nepotibus Seth, Enos, Enoch, Noe, Sem, Abraham cum suis filijs & nepotibus, usque ad Mosen: quo gubernante Ecclesiam & post ipsum dati sunt prophetæ & sacerdotes ad tempora usque Ioan. Baptistæ & Iesu seminis promsi, Christi inquam, regis & pontificis nostri. Hic rursus misit in mundum discipulos suos, apostolos uidelicet, qui successores ordinarunt episcopos & doctores. De qua re aliàs dictũ est prolixius. Deus ergo ipse auditur in uoce uel doctrina ministrorum suorum. Vnde & iubemur ministros euangelium prædicantes tanquam ipsos dei angelos, adeoque ueluti ipsum dominum audire. Laudantur enim Galatæ hoc nomine, Paulo dicẽte, Non respuistis infirmitatem meam in carne, sed me ueluti angelũ suscepistis, uelut Christum Iesum. Vnde & S. August. Tract. in Ioan. 3. Nos audiamus, inquit, euangeliũ tanquam præsentem dominum, nec dicamus, O felices qui illum audire potuerunt. Quia multi in eis qui uiderunt & etiam occiderunt, multi etiam in nobis qui non uiderunt, & tamen crediderunt. Quod etiam pretiosum sonabat de ore domini, & propter nos scriptum est, & nobis seruatum est, & propter nos recitatur, & propter posteros recitabitur, donec seculum finiatur. Sursum est dominus, sed etiam hic est ueritas dominus. Corpus enim domini in quo resurrexit, uno loco esse potest, ueritas eius ubique diffusa est. Dominum ergo audiamus & quod ipse donauerit de uerbis eius. Hæc August. Loquitur ergo nobis etiam hodie dominus no-

Origo ministerij, & dignitas.

Galat. 4.

Quomodo audiendi ministri.

ster pontifex summus per ministros uerbum ipsius prædicantes. Imò habemus omnia quæcunq; locutus est Deus per patriarchas, prophetas & Apostolos in sacris literis exposita, quæ nobis prælegunt & enarrant ecclesiarum ministri. Quis ergo spernat posthac ministerium ac ministros Christi fideles, in primis cum ipse dominus & seruator noster ministerium subierit, ac factus sit apostolus & minister ecclesiæ Iudaicæ? Quid quod primi illi ministri tales fuerunt, ut nulla secula, nulla religionis doctrina, sanctimonia & excellentia, habuerint pares, necdum superiores? Hodie quia sunt extrema tempora, in quibus illusores & Epicurei latè imperitant, uile est uerbi Dei ministerium. Verùm si omnia secula ad exordium usq; mundi percurras & excutias, inuenies sapientissimos, iustissimos & optimos in toto orbe homines nihil antiquius habuisse uerbo Dei & prophetis ac apostolis Dei sanctis.

Rom.15. Hebr.3.

Ministeriũ uerbi Dei manere in ecclesia. Ierem.31.

Priusquam uerò ad alia huius negotij progrediamur, respondebimus nonnullis etiam sanctarum scripturarum prætextu ministerium uerbi subuertere annitentibus. Nam citant illud Ieremiæ, Non docebit quisq; proximum suum: omnes enim cognoscent me. Nos autem non negamus Ieremiam sic scriptum reliquisse: sed addimus eo loquutionis genere & dicendi figura aliud nihil insinuasse, quàm maximè uulgarem fore in uniuerso mundo Dei & rerum diuinarum cognitionem. Id quod & Ioel futurum prædixit, quod & Petrus adduxit in Actis cap.2. Interim duo illi prophetæ, sicuti & alij omnes perfrequenter mentionẽ faciunt doctorum ecclesiæ, quos dominus missurus sit populo suo: quod non fecissent, si intellexissent omnes è medio prædicatores fore tollendos. Quod alij obijciunt omnibus ex æquo docendi officium esse impositum, uidelicet ut parẽtes liberos suos erudiant & quisq; proximum suũ admoneat: ergo nihil opus esse uerbi dei ministerio in ecclesia, sophisticum est. Priuatim enim omnes docere & admonere possumus ac debemus liberos & proximos nostros: sed ideo superuacaneum nõ est publicum uerbi Dei ministerium. Idem enim Deus qui præcepit parentibus & nobis omnibus, ut illi liberos in pietate instituant, nos autem omnes proximos nostros doceamus & admoneamus, ministros publicos ecclesiæ dedit. Horum est palàm seu publicè docere in ecclesia, nec hoc permissum est quibuslibet, sed tantùm legitimè ordinatis: nisi fortè docentes, non rectà ingrediantur. Tunc enim cuilibet spiritu Dei instructo, licet suo loco, tempore, & sobriè contradicere, ueritatemq; asserere. Manet ergo nihilominus & quidem perpetuò in Ecclesia publicum uerbi ministerium.

Quomodo omnes poßint docere.

Deut.6.

Hæc in genere diximus de ministerio & ministris uerbi Dei, porrò per species atq; partes, quod reliquum huius est negotij, excutiemus, ac principiò indicabimus quos ordines, aut quæ munia ipse dominus ab initio instituerit, uel quosnam ministerio ecclesiæ sacro præfecerit: deinde quales & quomodo nobis ministros conueniat ordinare: postrrmò quale nam sit ordinatorum ecclesiæ officium. Et ne longè repetito exordio iam inde à patriarchis deducto, uobis molesti simus, ab ipso domino nostro Christo exordiemur: de quo loquens Paulus Apostolus. Qui descendit, inquit, idem ille est qui ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Et idem dedit, alios quidem Apostolos, alios uerò prophetas, alios autem euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad instaurationem sanctorum, in opus dispensationis, in ædificationem corporis Christi. Et reliqua, quæ leguntur ad Ephes.cap.4. Ergo dominus noster ordinauit Apostolos, prophetas, euangelistas, pastores & doctores, quorum opera ecclesiam & ædificare & conseruare atq; gubernare instituit.

Quos ordines in ecclesia instituerit dominus

Videamus

Videamus iam quid scriptura de illis nos doceat. Apostolus nouum est uocabulum, ab ipso domino duodecim illis inditum, quos ipse peculiariter elegerat, destinaratq; nationibus doctores ac magistros. Nam Lucæ 6. sic legimus, Dominus uocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & apostolos nominauit. Significat autem Apostolus missum, nuncium, legatum uel oratorem. Nam in euangelio secundum Ioannem legimus, Non est apostolus maior eo qui misit ipsum. Et missionis quidem perfrequens est mentio in prophetis, & in antiqua historia: unde uidetur dominus id uocabuli mutuasse. Apostolis nulli certi fines dati leguntur. Dicit enim dominus in euangelio, Ite in orbem uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ. Hi sunt primæ dei ecclesiæ architecti, à quibus apud ueteres nomen acceperunt Apostolicæ ecclesiæ, illæ inquam, quas primùm fundarunt Apostoli: qualis Antiochia fuit, Ephesus, Corinthus, & aliæ multæ, quarum mentio fit in Actis Apostolorum. *Apostoli.* *Ioan.13.* *Marci 16.*

Prophetæ uocabulum patet latissimè. De qua re dictum est aliàs. Prophetæ in præsenti sunt qui singulari excellunt reuelatione, ac per quos futura ecclesiæ prædicit dominus: qualis fuisse legitur Agabus ille, qui & futuram famē, & uincula S. Paulo prædixit. Dicebantur quondam prophetæ uiri sapientes & diuini, singulari dono scripturæ interpretandæ præditi: sicut claret ex uerbis Apostoli 1. Corinth. 14. cap. *Prophetæ.* *Acto.11. & 21.*

Euangelista, est euangelij Iesu Christi prædicator cum apostolica missus authoritate. Talem fuisse legimus Philippum & Timotheum, &c. Pastores gregi dominico inuigilant, curam gerentes populi Dei, pascentes ecclesiam uerbo ueritatis, luposq; ab ouilibus depellentes. Horum princeps est bonus ille pastor Christus ad Petrum dicens, Pasce oues meas. Vnde is se quoq; aggregat pastoribus. Doctores nomen habent à docendo. Nec uideo quid differant à pastoribus, nisi illi docuerint duntaxat, & cura interim pastorali non fuerint onerati: quales ferè sunt interpretes scripturarum, & moderatores scholarum Christianarum. *Euangelistæ.* *Pastores.* *Ioan.10. & 21.* *Doctores.*

Occurrunt & alia in scripturis gubernatorum ecclesiæ uocabula. Ad Pastores in concilio Miletano collectos dicit apostolus Paulus, Attendite uobis & cuncto gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos ad pascendū ecclesiam dei. Appellantur autem episcopi superintendentes, speculatores, custodes, uigiles & præfecti. Athenienses quos ad stipendiarias subditasq; urbes mitterent, ut quid in quaq; ageretur diligenter inspicerēt obseruarentq;, episcopos dixere ac φύλακας. Apostoli episcopos appellarunt uigiles & custodes gregis dominici, ac œconomos Christi, uel dispensatores mysteriorum dei in Ecclesia. Porrò Presbyter ab ætate uel senio nomē habet. Olim senioribus, utpote multijuga experientia diutinoq; rerum usu exercitatis, committebatur cura reipub. Gubernatores enim urbium, & seniores & senatores nuncupati sunt. Sicut autē respublicæ habent suos senatores, ita ecclesia habet suos presbyteros: quemadmodum claret in Actis cap. 14. 15. 20. & 21. Videtur autem constitutio presbyterorum ex synagoga defluxisse in ecclesiam. Etenim ita legimus in libro Numerorum, Congrega mihi septuaginta uiros de senioribus Israel, quos tu nosti quòd senes populi & præfecti eius sint: & segregabo de spiritu tuo, & ponam super eos, & portabunt tecum onus populi, ne tu solus ferre cogaris. Proinde Presbyteri in Ecclesia Christi uel episcopi sunt, uel alioqui prudentes & docti homines, episcopis additi, quò onus impositum episcopi portent facilius, & melius commodiusq; regatur ecclesia Dei. Nam Paulus, Qui bene præsunt presbyteri, inquit, duplici honore digni habeantur: maximè illi qui laborant sermone & doctrina. Erant ergo alij quidā in munere eccle- *Episcopi.* *Actor.20.* *Presbyteri.* *Num.11.*

siastico, qui tametsi non docerent continuè sicut episcopi, docentibus tamen aderant in omnibus negotijs. Fortaßis appellantur alicubi ab eodem Apostolo Gubernatores, præfecti uidelicet disciplinæ & alijs ecclesiæ negotijs. *1.Cor.12.*

Et quoniam huc præsenti dissertatione sumus delati, explicabimus & alia functionis ecclesiasticæ uocabula. Multus fit in sacris Diaconorum sermo, & apud scriptores ecclesiasticos Sacerdotum. Diaconis commendata erat in primitiua ecclesia pauperum cura. Sicuti clarè colligitur ex 6.cap. Actuum Apostolorum. Extant præterea leges his præscriptæ ab Apostolo in priore ad Timoth. epistola capite 3. Diaconorum functio segregata erat à munere pastorum, idcirco non recensemus eos in ordine pastorum. Veteres ad ministerium non sacerdotium retulerunt. Iã & mulieres, non maritatæ, sed uiduæ leguntur primitiuæ ministrasse Ecclesiæ. Inter alias famigerata extitit Phœbe illa Cenchreen. Apostoli celebrata encomio. At hic uetat mulieres docere in ecclesia & publica obire munia. Quomodo ergo aut qua in re ministrarunt mulieres ecclesiæ? Haud dubiè pauperibus officijs inseruierunt muliebribus. Ministrarunt ægrotantibus, & cũ Martha Christi hospita, Christi membra summa fide & diligentia fouerunt. Quæ enim alioqui officia obire potuerunt? *Diaconi.* *Diaconissæ.* *Rom.16.* *1.Cor.14.* *1.Tim.2.*

Porrò Sacerdotis uocabulum uidetur ex synagoga deriuatum esse in ecclesiam. Alioqui enim non reperies in nouo testamento uerbi dei ecclesiarumq; ministros appellari sacerdotes, nisi ea ratione qua omnes Christiani sacerdotes esse dicuntur ab Apostolo Petro. Apparet autem noui testamenti ministros ob similitudinem quandam, quam cum ueteris testamenti ministris habent, dictos esse sacerdotes ab ecclesiasticis scriptoribus. Sicuti enim isti suo cultu tabernaculo inseruierunt: ita hi quoque suo modo & sua ratione Dei ecclesiæ ministrant. Alioqui ipsa uox Latina est deriuata à sacris: & significat ministrum sacrorum, hominem inquam deo dicatum & consecratum ad facienda sacra. Sacra autem sunt nõ tantùm sacrificia, sed quæcunq; ueniunt sub religionis censum, unde non excludimus ipsas leges & doctrinam sanctam. In historia ueteri legimus filios Dauidis dictos esse sacerdotes, non quòd ministri essent sacrorum; (non enim licebat de tribu Iuda descẽdentibus inseruire tabernaculo, sed Leuitis duntaxat:) uerùm quòd sub magisterio & disciplina sacerdotum uiuentes, bonas artes & sanctam theologiam discerent. *Sacerdotes.* *2.Pet.2.* *2.Sam.8.*

Hic minimè dissimulandum uidetur, quòd inter uocabula illa enumerata frequens fit in scripturis cõmunicatio. Petrus enim Christi domini apostolus semetipsum appellat presbyterum. Idem in Actis Apostolorum, apostolatum uocat episcopatum. Nam & S. Paulus Miletum conuocans presbyteros, & cum his ipsis colloquens, episcopos esse dicit. Et in epistola ad Titum mandat oppidatim constituere presbyteros, quos protinus nuncupat episcopos. Eosdem & doctores & pastores appellari, nemo tam crassus est ut neget. *Communicatio fit inter illas uoces.*

Ex his autem omnibus cõstare puto, quos ab initio ordines ipse dominus instituerit, & quos ecclesiæ ministerio sacro ad gubernandam ecclesiam suam consecrauerit. Fundauit ecclesiã ab initio per Apostolos, euãgelistas & prophetas, eandẽ prouexit & cõseruauit per pastores doctoresq;. His adminiculo fuere presbyteri atq; diaconi. Hi quidem in curandis pauperibus: illi uerò in doctrina, in disciplina & in alijs grauioribus ecclesiæ negotijs sustinendis administrãdisq;. Apparet tamen ordinem apostolicum, adde & euangelisticum & propheticum ab initio Ecclesiæ à domino ad tempus, pro ratione rei, personarum & locorum, fuisse institutum. Nam seculis iam multis, & mox à fundato Christi regno in terris desierunt *Qualis ordo manserit in ecclesia.*

runt apostoli, euangelistæ & prophetæ, subierunt autem in locum eorum episcopi, pastores, doctores atque presbyteri: quorum ordo in ecclesia constantissimè perdurauit: ut iam nihil dubitare possimus plenum ecclesiæ ordinem, & absolutam fore gubernationem, si hodie quoque maneant in ecclesia Dei episcopi siue pastores, doctores item siue presbyteri. Interim uerò non diffitemur ab apostolorum morte sæpius excitatos esse à deo apostolos, qui gentibus barbaris & impijs euangelium prædicarent: fatemur Deum etiam hodie excitare posse apostolos, euangelistas, & prophetas, quorum opera utatur ad salutem hominum. Agnoscimus enim apostolos & euangelistas appellari posse uiros sanctos & fideles, qui primũ ueritatem euangelicam prædicant infideli alicui populo. Agnoscimus uiros singulari afflatos gratia spiritus, futura præuidentes atque prædicentes, excellentesque scripturarum interpretes uel theologos illuminatos, appellari posse prophetas. Sicuti & aliàs copiosius ostendi.

Cæterum in ordine episcoporum atque presbyterorum ab initio summa fuit humilitas, charitas atque concordia, nulla lis aut concertatio de prærogatiua aut titulis dignitatibúsue. Omnes enim agnoscebant se esse unius domini ministros, coæquales per omnia in munere. Inæquales faciebat, non in munere, sed in donis donorum excellentia. Interim tamen excellentiora consecuti non aspernabantur mediocres, neque hi illis sua inuidebant dona. S. Paulus, Sic nos homo æstimet, inquit, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum dei. Idem prædicationem euangelicam non uno loco appellat ministerium. Altissimis nimirum fixum radicibus inhærebat antiquis illis episcopis, quod dominus contendentibus discipulis de excellentia, &, ut aiunt de maioritate, producto in medium ipsorũ puello dixit, Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non ingrediemini in regnum cœlorum. Certè S. Dei martyr Cyprianus in Synodo episcoporũ Carthagini stans, disertis uerbis dixit, Neque quisquã nostrum episcopũ se esse episcoporũ constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatẽ collegas suos adegit: quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ, arbitrium proprium, tanquã iudicari ab alio non possit, cum nec ipse possit alterum iudicare: sed expectemus uniuersi iudiciũ domini nostri Iesu Christi, qui unus & solus habet potestatem, & præponendi nos in ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi. Tantum ille. Illo ergo tempore contenderunt episcopi non de primatu aut patrimonio Petri, nescio quo, sed ut doctrinæ puritate & sanctimonia uitæ alter alteri præluceret, adde & mutuam sibi inuicem operam conferrent. Ac tunc quidem feliciter procedebant res ecclesiæ, ita ut quamuis potentissimi orbis principes, Christi ecclesiam ferro & igni persequerentur, hæc tamen nihilo minus aduersus omnes satanæ & mundi assultus immota subsisteret uictrix, sed & in diem redderetur & auctior & illustrior. O felices nos, si ordo pastoralis non fuisset immutatus, sed auita illa ministrorum simplicitas, fides, humilitas & diligentia permansisset incorrupta.

Aequalitas inter episcopos, et presbyteros.

1. Cor. 4.

Matth. 18.

At processu temporis omnia synceritatis, humilitatis, & simplicitatis antiquæ euanuerunt, dum alia quidem inuertuntur, alia uel sponte obsolescunt uel arte abrogantur, alia adijciuntur. Certè non ita multis post mortem apostolorum seculis uisa est in ecclesia longe alia hierarchia, quàm fuerat ab initio. Quamuis principia illa uideantur tolerabiliora fuisse, quàm sint hodie istius ordinis omnia. Sanctus Hieronymus, Quondam, inquit, communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur, postea decretum est, ut unus de presbyteris electus, super poneretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina

Prærogatiua episcoporũ quando cœperit & quomodo.

tollerentur. Hæc ille. In qualibet itaq; urbe & regione præstantissimus quisq; cæteris præponebatur. Eius functio erat superintendere presbyteris & uniuerso gregi. Non habebat (quod modò ex S.Cypriani uerbis intelleximus) in collegas uel presbyteros dominium: sed sicut consul in senatu partes habet interrogandi colligendiq; suffragia, leges item & iura tuendi, ac curandi ne subnascantur inter senatores factiones: ita non aliud in ecclesia episcopo officiũ fuit: per cætera, communia omnia habuit cum sacerdotibus. Nisi uerò longius processisset cõsequentibus temporibus sacerdotum audacia, & episcoporum ambitio, ue uerbo quidem reclamaremus. Commemorat autem beatus Hieronymus illam prælaturam episcoporum, non diuina, sed humana esse exortam ordinatione. Hæc commemorauimus, inquit, ut ostenderemus apud ueteres eosdem esse episcopos, quos & presbyteros: paulatim uerò, ut dissensionum plantaria euellerentur, ad unum omnem solicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos: ita episcopi se nouerint magis consuetudine quàm dispositionis dominicæ ueritate presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesias regere, imitantes Mosen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret. Hæc ille in comment. ad epistolam Pauli ad Titum. 3.

Episcoporũ dignitas & prærogatiua creuit.

At ne in his quidem substiterunt ueteres. Designati sunt etiã Patriarchæ Antiochiæ, Alexandriæ, Constantinopoli & Romæ. Designati sunt archiepiscopi, uel metropolitani, præsides uidelicet episcoporum per prouincias. Ac episcopis urbanis uel inferioribus additi sunt Chorepiscopi, quando uidelicet latior erat ager aut regio, quàm sufficeret urbani episcopi cura ac inspectio. Addebãtur enim ceu uicarij ac suffraganei, qui munia episcopi per regionem obirent. At longè aliam functionem seculis aliquot hisce postremis, suffraganeorum uel uicariorum in episcoporum curijs & diœcesibus fuisse nouimus. Sed & Diaconis subditi sunt Hypodiaconi: & cum opes augerentur, creati sunt etiam Archidiaconi, omnium uidelicet bonorum ecclesiasticorum curatores. Hi nondum miscebantur sacerdotum aut episcoporum docentiumq; ordini, sed œconomi uel procuratores manebant opum ecclesiasticarum.

Monachi.

Sicut ne monachi quidem ab initio sacerdotio ecclesiæúe ministerio fungebantur. Pro laicis enim non clericis habiti, pastorum curæ erant subiecti. At non quieuerunt inauspicatæ illæ aues, donec postremis illis seculis in summum euolarunt templi fastigium, capitibusq; episcoporum ac pastorum insederunt. Monachi enim fuerunt ac sunt & pontifices, & archiepiscopi, & episcopi, & quid non? Citatur ex Registro Gregorij, quòd is qui tamen monachis admodum propitius fuit, eum se uoluerit clericatu abdicare, qui suscepisset officium abbatis, quòd alterum impediat alterum.

Clerici.

Iam uerò Clerici (qui sunt de sorte & hæreditas domini, uel quorum sors est dominus) appellabantur quondam studiosi & candidati theologiæ, seminarium uidelicet pastorum ecclesiæ, & successioni in ministerio ecclesiastico ueluti consecrati: qui uidelicet in disciplina uiuebant, & sub doctorum atq; presbyterorũ magisterio bonas artes & sanctas literas discebãt. Vetus est illa non noua nec hominum institutio. Quondã enim in populo ueteri Nazarei uocabantur. Sed & scholas illustres semper habuisse præstantiores ecclesias, iam inde ab apostolorum tempore locuples testis est Eusebius. Studiosis autem illis, rebus ecclesiæ iam aliquo usq; progressis, uidetur mandata cura aperiendi & claudẽdi templũ, parandi omnia in templo, prælegendi deniq; loca sanctæ scripturæ in populo, quæ indicasset episcopus. Vnde fortassis exorta sunt uocabula. Ostiariorum & Lectorum, quæ comme-

Horum mentio fit in Carthaginen. Concilio IIII.

commemorantur hodie inter ordines ecclesiasticos. Qui uerò Episcopis aderant familiarius, eosq; comitabantur, ac habebantur pro ijs qui Episcopis decedentibus succedere possent, appellabantur Acoluthi, quasi tu dicas Consequentes. Est enim uocabulum Græcum. Vt autem tempore omnia ferè deteriora fiunt, itâ & hæc longius à prima institutione turpiter deflexa sunt. In quibusdam nihil uideas relictum præter inane nomen: quædam penitus amissa, quædam conuersa sunt in usum prorsus alium. Testes hîc cito Isidorum, Rabanum, Innocentium, Durandum, & huius generis scriptores alios. Faciunt ecclesiasticarum personarum duo genera: aliud quidem dignitatis, aliud ordinis. Dignitatis, ut Papa, Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, Archipresbyter, Archidiaconus, Præpositus. Ordinis, ut presbyter uel sacerdos, diaconus, &c. Ordines uerò numerant alij sex, alij octo. Omnes concorditer recensent Ostiarios uel Ianitores, Lectores uel Psalmistas, Exorcistas, Acolytos, Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros uel Sacerdotes. Hos deinde distinguunt in maiores & minores ordines. Inter maiores sunt Sacerdos siue presbyter, diaconus & subdiaconus. Reliqui appellantur minores. Ex quibus ferè nihil superest præter inane nomen. Ianitorum officium deuolutum est ad æditunos, quos uocant Sacristas. Lectores nulli sunt. Lectio enim antiqua illa obsoleuit. Psalmistæ nihil minus quàm quod recitant aut canunt intelligunt. De exorcistis hæc commemorant. Refert Iosephus regem Solomonem modos exorcismi, id est, coniurationis, inuenisse, quibus immundi spiritus ab homine obsesso, per Eleazarum exorcistam pellebantur, ita ut reuerti ulterius non auderent. Huic officio nuncupati Exorcistæ uocati sunt. De quibus in Euangelio legitur, Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filij uestri, exorcistæ uidelicet, in quo ejiciunt: Hæc illi: quæ in hoc commemoro, ut omnibus appareat istos homines, illos ipsos esse de quibus Apostolus prædixit, fore ut sanam doctrinam non sustineant, sed conuertantur ad fabulas. Quis enim nesciat fabulosissimum esse quod de Solomone refertur? Quis nesciat Apostolos Domini non fuisse exorcistas, nec ullis unquàm usos excantationum aut coniurationum modis? Nam spiritus immundos eiecerunt uerbo, id est, inuocatione & uirtute nominis Christi. Ea gratia cessauit iamdudum in ecclesia Dei. Exorcistæ fuisse dicuntur in Actis Apostolorum filij illi Sceuæ sacerdotis, quos dæmon malus etiam Iesu & Pauli nomina uocantes, inuadit, discerpit, & ita, uolente Deo, omnibus patefacit quàm placeant æterno numini exorcistæ. Et hos tamen isti nobis obtrudunt adhuc. De Acolytis uerò (sic illi scribunt) audite obsecro, quàm eleganter disserant. Acolyti ceroferarij sunt, inquiunt, à deportandis cereis. Quando enim legendum est Euangelium aut sacrificandum, accenduntur cerei ad significandam animi lætitiam. Quis hæc audiens dicat istos parum eruditè nulla tractare mysteria? Subdiaconi & Diaconi non iam amplius sunt pauperum curatores, sed facti ministri superstitionis, Missæ seruiunt Papisticæ. Huius partes sunt Euangelium, illius uerò Epistolam accinere. Paucis non possum comprehendere, quæ de his ineptissimè ineptissimi homines cornicantur. His imposuere Archidiaconum, quod dignitatis & eminentiæ uocabulum est.

Corruptio omnis uetustatis.

Ordines minores et maiores.

Exorcistæ.

Matth. 12.

2. Tim. 4.

Acto. 19.

Sacerdotes qui & presbyteri uocantur, distinguuntur uariè. Sunt enim sacerdotes Religiosi & Seculares. Per Religiosos monachos intelligunt: cùm hi nihil minus sint, quàm quod esse dicuntur. Certè ueteres monachos nulla sui parte referunt. Bona pars istorum sibijpsis regula sunt & lex. Ex his alij doctores sunt, destinati quidē prædicationis muneri, sed magis tamen horis dicendis, aut canendis, & Missis celebrandis. Atq; hi superstitionem serunt & tuentur pertinacissimè,

Sacerdotes Papistici religiosi.

& ueram religionem persequuntur acerrimè. Alij & potior quidem monasticorum sacerdotum turba nihil aliud quàm canit in templis & missat, idq́ uilissimo pretio. Libycas enim harenas citius numeraueris, quàm istos. Sed & Deo, & ecclesiæ, deniq́ sibijpsis sunt inutiles, homines planè indocti, ac uentres pigri, implacabiles interim Euangelicæ ueritatis hostes.

Sacerdotes Papistici seculares.

Inter seculares sacerdotes primas tenent Canonici, qui ferè sunt homines ociosi, uoluptuarij, epulones, ac reuera seculares. Hi existimant se suo functos esse officio, si Horas quas Canonicas uocant, absoluant, & spectatores missæ assistant, cultumq́ diuinum (ut uocant) sua honorent ornentq́ præsentia. Seueriores & minimè seculares esse uidentur, qui etiam Missas pro uiuis & defunctis celebrant. Numerantur in secularium sacerdotum turba & Parochi, quos Plebanos nuncupant, nimirum plebi destinatos sacerdotes, qui soli umbrā aliquam ueteris instituti referunt, in hoc, quòd prædicant & sacramenta administrant: quæ tamen ipsa probare non queas, quòd hæc iuxta traditiones Papisticas, non secundum doctrinam Apostolicam administrent. Plurima & alia ex suo faciunt officio, quæ pietas modis omnibus improbat. Adduntur istis Mercenarij, Adiutores uel Vicarij. Accedunt his & Sacellani, quos Capellanos uocant, quorum immensus est numerus. Hi sicut & monastici sacerdotes potissimas officij sui partes collocant in recitandis horis, præcipuè autem in missando, doctrinæ nihil tribuunt. Ex hoc enim grege inuenias, qui omni sua uita nunquam sint concionati. Nam concionandi munus ad solos parochos & uicarios eorum reijciunt, ipsi Dijs, quibus ara uel sacellum eorum consecratum est, seruiunt, &c. Ex quibus omnibus uel cæcis apparet luculentissimè, quàm fœdè corrupta & inuersa sit presbyterorum uel pastorum prima institutio. Presbyteris archipresbyteros præficiunt. Eo uocabulo usus sum in præliminari Epistola Decadis primæ: ac audio fratres aliquos eo esse offensos, quasi Papistici fermenti aliquid adhuc apud nos hæreat, quasi dignitatis indignæ aliquid in ecclesiam reducere cogitemus. Verùm securos iubeo esse fratres illos. Nulli sunt apud nos archipresbyteri Papistici: nec dignitatem ullam Papæ eo uocabulo intellexi, sed munus inspectionis, quod uisitationis alij nuncupant. Curam enim hi gerunt omnium in agro nostro classium, in admonendo & corrigendo: nullam gerunt prælaturam, nulla inde consequuntur præmia, &c.

Archipresbyteri.

Sed redimus ad nostrum institutum. Presbyteros uel Sacerdotes deriuant à LXX. discipulis, quos Dominus in Euangelio elegisse legitur, Episcopalem ordinem ab ipso Petro & reliquis Apostolis. Et ordinem Episcoporum mox distinguunt in tres partes. Numerant enim Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos. Patriarchas intelligunt patres principum seu summos patres. Eosdem & Primates nuncupant. Ac primates, inquiunt, tribus archiepiscopis præsunt, sicut & rex tribus præsidet ducibus. Hic locum habent opinor Cardinales, in quibus ecclesia Romana ceu in cardinibus ianua uoluitur. Nam in Decretal. Greg. de officio archip. sic legitur, Cardinales dicuntur à cardine: quia sicut in cardine regitur ostium, ita per Cardinales regit uniuersalis ecclesia. Archiepiscopi sunt ueluti principes Episcoporum: Metropolitani quoq́ cognominati, quòd præsideant in urbibus primarijs. Reuera metropolis ueluti matrix quædam urbs dicitur Græcis, ex qua coloniæ deductæ. Vnde metropolitanus Episcopus nominatur, qui prouinciæ alicui præest, aliosq́ sibi subiectos habet Episcopos. Hi uerò & Pontifices & antistites & præsules appellantur. Si uerò hæc omnia conferas cum ijs quæ antea dixi de primitiuæ ecclesiæ Episcopis & gubernatoribus, diuersissima inter se esse dices.

Episcoporum genera.

Illud

Illud uerò quod de Papa seu summo pontifice tradunt, à scriptura Euangelica Apostolicaq́, & à prima ministrorum ordinatione ab ipso saluatore nostro facta, quàm alienissimum est. Illos omnes, inquiunt, dignitate & potestate antecellit sanctissimus Dominus noster Papa: qui Papa, id est, pater patrum, uocatur: & Vniuersalis, quia uniuersæ ecclesiæ princeps est: & Apostolicus, quia principis Apostolorum uice fungitur, & summus Pontifex. Hic est enim Melchizedek, cuius sacerdotium non est cæteris comparatum: quia ipse est caput omnium pontificum, à quo illi tanquam à capite membra descendunt: & de cuius potestate omnes accipiunt, quos ipse uocat in partem solicitudinis, non in plenitudinē potestatis. Definiunt ergo Papam, esse summum in terris ecclesiæ caput, & uniuersalem totius orbis pastorem unicum, qui errare non possit, neque ab ullo homine iudicari debeat. Ipsum enim iudicem esse omnium cum potestate plenaria. Nam Innocentius Papa 9. quæst. 3. Neq; ab Augusto, inquit, neq; ab omni clero, neq; à regibus, neq; à populo iudex iudicabitur. In quem locum Glossarius sic scribit, Concilium non potest Papam iudicare: ut Extrau. de Elect. Significasti. Vnde si totus mundus sententiaret in aliquo negotio contra Papam, uidetur quòd sententiæ Papæ standum sit. Huc pertinent uulgata illa iurisperitorum parasitastrorum Papæ axiomata in Curia, admodum plausibilia & authentica, Omnes leges pontificis perinde ut ipsius Petri ore profectas, esse recipiendas ab omnibus. Maiorem esse authoritatem Papæ quàm sanctorum, Papam esse omnia & super omnia, Dei & Papæ esse unum consistorium. Id quod Hostieñ. affirmat in C. Quanto de Transl. præl. A nemine cogi Papam, etiamsi dicatur hæreticus. Apud ipsum esse supremam potestatem, nec habere parem. Ibi uniuersalem esse Synodum, ubi sit Papa. Habere illum omnia iura in pectore. Habere utrunq; gladium: unde rectè dici Imperatorem, imò imperatore esse maiorem. Solum deponere imperatorem: & sententiam imperatoris declarare nullam. Solius esse parcere cui uelit, ius item unius auferre & alteri conferre, denique priuilegia auferre. Breuiter, Dominus est, inquiunt, dominantium, & habet ius regis regum in subditos, & plenitudinem potestatis etiam in temporalibus in terris. Sed & totus mundus est Papæ diœcesis, in qua ipse est ordinarius cunctorum: estq; de necessitate salutis omnem hominem subesse Romano pontifici. His corrollarij uice adijciam Glossatoris uerba, qui in Ca. Quanto de Transl. episcopi Tit. 7. Papa, ait, dicitur habere cœleste arbitrium: & ideò etiam naturam rerum immutat, substantialia unius rei applicando alteri. Et de nihilo potest aliquid facere: & sententiam quæ nulla est aliquam facere. Quia in his ei quæ uult est pro ratione uoluntas. Nec est qui ei dicat, Cur ita facis? Ipse enim potest supra ius dispensare, & de iniustitia facere iustitiam corrigendo iura & mutando. Nam plenitudinem obtinet potestatis. Hæc ille.

Papa uel summus pontifex.

Lege Anton. de Rosellis in Tractat. de pot. Papæ & imp.

Quis autem ista absq; totius & corporis & animi horrore audiat? Quis non intelligat illud Danielis impletum esse, Putabit se tempora & leges mutare posse? Quis non intelligat illud quoq; Pauli impletum esse, dicentis, Ego noui hoc, quòd ingressuri sint post discessum meum lupi graues in uos, nō parcentes gregi: Et ex uobis ipsis exorientur uiri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se? Ex Episcopis enim & promouentibus Episcopos prodijt hic homo peccati, qui se collocat in sedem agni, eaq; sibi usurpat quæ unicè agni propria sunt, quale est summum in ecclesia magisterium, sacerdotium, dominiū, ac potestas plenaria. De quibus satis dixi in superioribus. Quis iam nō tangat illud Pauli esse impletū, Reuelabitur aduersarius uel Christi æmulus, & efferetur aduersus omnem qui dicit Deus aut numen: adeò ut ipse in tēplo Dei ceu Deus sedeat, ostentans seipsum esse Deū?

Daniel. 7. 8.
Act. 20.

An utile sit & necessarium unum aliquem præeminere Episcopis?

Porrò disputant Papæ satellites, è re & ex salute imò necessarium esse ecclesiæ, ut unus aliquis Episcoporum & dignitate & potestate præemineat. Disputent autem & ornent hoc suum idolum ut libet: qui ueritatem simpliciter fateri uolent, ingenuè confitebuntur Papam esse Antichristum. Quod enim isti garriunt de primatu Papæ, doctrinæ euãgelicæ & Apostolicæ ex diametro repugnat. Quid enim euidentius cõtra illorũ disputationes proferri potest, quàm quod Dominus dixit ad discipulos de primatu contendentes, Reges gentiũ dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici uocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in uobis, fiat sicut minor: & qui dux est, sicut qui ministrat. Nã uter maior est, qui accumbit, an qui ministrat? Nónne qui accumbit? At ego in medio uestrum sum ut qui ministrat. Hunc locum adduxi & excussi obiter etiam proximo Sermone. Hæc ueritas simplex & perspicua perstabit inuicta aduersus omnes istarum harpyiarum disputationes. Sanctissimi Apostoli Domini nostri Iesu Christi nolunt cuiquam dominari prætextu fidei, imò S. Petrus disertis uerbis prohibet dominium in hæreditatem Christi, iubet autem Episcopos exemplaria esse gregis.

Lucæ 22.

2. Corinth. 1.
1. Pet. 5.

Quod obijciunt Christum sancto Petro dixisse, Tu es Petrus: & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cœlorum. Et reliqua. Item pasce oues meas: ideoq; sanctum Petrum designatum fuisse omnium Apostolorum, & in his omnium sacerdotum, presbyterorum, Episcoporumq; apicem seu principem, adeoq; totius orbis monarcham, nihil prorsus facit ad dominationem eorum stabiliendam. Libenter concedimus S. Petrum esse Apostolorũ principem, libenter ipsi quoq; appellamus beatum Petrum Apostolorum principem, sed eo sensu quo appellamus Mosen, Dauidem, Heliam uel Isaiam prophetarum principes, nimirum præstantiora cæteris dona consecutos. At principem fuisse Petrum ea ratione qua isti uolunt, negamus & pernegamus constantissimè. Simul autem tuemur S. Petrum, & repurgamus ab asperginibus, quibus isti uel mortuum contaminare contendunt. Non permansisset Domino suo fidelis, si imperium aut dominium ad se rapuisset. Par autem ubiq; Petrus alijs discipulis, nullibi in sacris eorum Dominus fuisse legitur. Et S. Paulus in principio Epistolæ ad Galatas multis ostendit in Apostolatu se nihilo inferiorem esse Petro. Neq; dum Hierosolymam uenit, ea de caussa uenit, ut pedes oscularetur, aut subiectionem profiteretur, sed ut ex congressu & collatione amica omnes in omnibus ecclesijs intelligerent inter Petrum & Paulum in dogmatibus summum esse consensum & parem Apostolatum. Ibidem Iacobum, Petrum, & Ioannem, columnas appellat Paulus, non uni Petro id prærogatiuæ tribuit: quod tamen fecisset meritò, si primatum, ut isti asseuerant, accepisset à Domino. Quid quòd ipse Petrus nihil suo agit arbitrio, sed negotia ecclesiastica ad reliquos discipulos, ueluti collegas refert? Id quod in Actis Apostolorum uidere licet. Alibi se appellat compresbyterum, non principem sacerdotum. Missus ab Apostolis cum Ioanne in Samariam, non postulat alium mitti, ne primatus eius uideatur diminutus, sed sponte obedit. Vt uerò donemus Petrum ita fuisse Apostolorum principem, sicuti cõtendunt isti: an ideò consequeretur Papam esse principem totius ecclesiæ, imò uniuersi orbis? Nam ut Papa non est Petrus: ita duodecim aut undecim Apostoli non sunt totus orbis. Præterea non potuit dare Petrus quod non habuit. Non habuit imperium in totum orbem, ergo non dedit.

Petrus Apostolorũ princeps.

De Donatione Constantini.

Sed Constantinus Syluestro dedit, inquiunt. Vt maximè donemus ueram esse, non fictam & ementitam (quod tamen doctissimi quique contendunt) Constantini donationem, attamen Syluester ille oblatum imperium non accepisset. Plus ualuisset

ualuisset apud eum Christi principis summi & cœlestis uox, Reges gentium dominantur eis, Vos autem non sic, quàm terreni imperatoris stolida affectio. An credimus Petrum Apostolum accepturum fuisse cum imperio secularem potestatem, si eam obtulisset Nero Cæsar? Minimè gentium. Imis enim uisceribus infixum hæsit Domini uerbum, Vos autem non sic. Priusquàm accepisset spiritum sanctum, cùm reliqua Iudæorum turba cæcutiens, imaginabatur regnum Christi in terris terrestre futurum: postquàm spiritum sanctum accepit, intellexit Christi regis & summi imperatoris sedem non esse in terris, sed in cœlo collocatam, ac regnum eius non esse ex hoc mundo. Sciebat Christum Dominum aufugisse in desertum, cùm populus cogitaret ipsum creare regem. Sciebat Helisæum salubertimo consilio donationem Naamani principis repulisse. Giesi autem ministrum in æternum probrum ac subuersionem incolumitatis propriæ, repetijsse. Noluit beatus Petrus curam in se pauperum recipere, ne minus expeditè & oraret & prædicationi uerbi inuigilaret, id quod Acta Apostolorum testantur: cui ergo uerisimile uideatur eundem abiecto Apostolatu etiam orbis imperium suscepisse? Negat eundem & uerbi ministerio feliciter præesse, & mensis ministrare posse. Quem uerò illi nobis Papam dabunt, qui Petro ampliorem habeat spiritum? qui id possit præstare quod non potuit Petrus? qui nō iam mensis, sed toti orbi præesse possit? Nugæ ergo sunt, quas isti nobis recitant de Donatione Constantini. Integrior fuit Constantinus quàm qui talem donationem instituerit, quam non nesciebat cum Christi doctrina pugnare. Integrior fuit Syluester quàm qui receperit quod citra ministerij uerbi subuersionem recipi non posse intellexit. Quòd si Constantinus donauit omnino quod donasse dicitur, & Syluester donationem non repulit, peccauit uterque. Quia contra uerbum Dei egit uterq;. 4.Reg.5.

Vidi quæ superioribus annis pro donatione Constantini contra Laurentium Vallam scripsit doctus alioqui & multæ lectionis uir, August. Steuchus: uerùm nulla profert argumenta solida, tametsi mirificè ringatur, & omnes uires eloquentiæ exerat, deniq; undiquaq; omnia quæ aliquo modo hanc caussam iuuare uidebantur operosè congerat. Ac dignior quidem uidetur is liber qui proculcetur pedibus, quàm qui bonorum hominum manibus teratur. Vt enim non commemorem, quòd regnum illud ecclesiasticum Romanense æternum subinde uocat: cùm regnum Christi & sanctorum solum sit æternum: an non manifestissimè Papam collocat in sedem Christi Domini? Postquàm enim cuiusdam Nicolai pontificis testimonium recitasset, subiungit protinus, Audis summum pontificē à Constantino Deum appellatum, habitum pro Deo? Hoc uidelicet factum est, cùm illū præclaro illo edicto decorauit, adorauit uti Deum, uti Christi & Petri successorem. Diuinos honores ei, quoad eius potuit, contulit, uelut uiuam Christi imaginem ueneratus est. Hæc ille sectione libri 67. Nec his disparia scripsit Sectione 28. Commemorans enim imaginationem quandam suam de Papa conceptam, fingit nescio quem fructum inde exoriturum, si apud extremos Indos referatur, omnia regna mundi nutibus Papæ regi, illum adorare reges, ut quibus perspectissimum sit hunc esse successorem Christi, ideoq; hos illum suspicere non tam mortalem hominem, quàm in eo Deum ipsum, qui eum sibi suffecerit in terris, ideoq; & à maledictis abstinere, si quid is ut homo peccet, propterea quòd in eo uenerentur filiū Dei. Hos applausus impios, & has uoces adulatrices, imò sacrilegas tulisset Petrus, scilicet, qui Cornelium procumbentem, & adorare uolentem, erexit, & dixit, Surge, & ego ipse homo sum. Nam & ad Ioannem ad pedes angeli adorantem, legimus ipsum dixisse angelum, Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fra-

Augustinus Steuchus pro Donatione Constant.

Acto.10.
Apocal.22.

Act. 12. trum tuorum prophetarum. De Herode autem Agrippa scriptum est, quòd adulatrices populi uoces acclamantis cöcionanti, Vox Dei & non hominis, non compescuerit, ideoq; percussus sit ab angelo Dei, ac computruerit, erosus à uermibus. Nos ergo cùm sciamus ipsum Christum Dei filium adhuc regnare in ecclesia, utpote cui soli data sit omnis gloria & potestas, neq; hic sibi quenquam suffecerit in terris, in quo colatur & adoretur, Christum Iesum Dei filium solū colimus & adoramus, Papam ut Antichristum & deum Stercutium, siue malis Cloacinum, unà cum sacrilegis suis encomiastis & assentatoribus blasphemis execramur.

Tu es Petrus, &c. Dixit sanè Dominus ad beatum Petrum, Tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cœlorū. Et cætera. Sed quid hæc faciunt ad stabiliendam Papæ monarchiam, prærogatiuam, & sublimitatem? Petrus à Domino laudatur à fidei constantia: unde & nomen accipit, Petrus à petra dictus, in quam se uera fide collocauerat. Christus petra est, cui innitebatur Petrus. Audit is hoc perpetuum ecclesiæ fundamentum futurum, omnes inquam in ecclesiæ cōsortium recipiendos, qui uera fide cum Petro confitentur Iesum Christum esse uerum Dei filium, ipsiq; ut unicæ petræ & saluti innituntur. Promittuntur præterea Petro claues regni Dei: sed cùm præstantur, non uni Petro, sed omnibus Apostolis dantur. Sunt autem Claues non dominatio & iurisdictio quædam (sicuti isti nugantur) sed ministerium aperiendi & claudendi regnū cœlorum, intromittendi in ecclesiam & excludendi, quod fit prædicatione Euangelij: uti mox copiosius dicetur. Ad eundem modum cum Petro Dominus dixit, Pasce oues meas, non monarchiam orbis & dominium in omnes creaturas tradidit Petro, sed curam commisit pastoralem. Qua de re dixi Sermone proximo: ut & aliàs sæpe & fusius contra primatum Rom. pont. Ad ueteres ecclesiæ scriptores quos illi nobis obijciunt, nescio quid de primatu Petri testificātes, uno uerbo respondemus, non perinde nos curare quid hic senserint ueteres, quàm quid instituerit Christus Dei filius, quid item Apostoli (quorum authoritas ueterum illorum scriptorum authoritatem multò excellit) usurparint, & scriptis atq; exemplis suis sentiendum, imitandumq; nobis reliquerint. De qua re dixi etiam Sermone huius Decadis 2.

Veteres de primatu Petri & Rom. Pont.

Lōgius ferè sumus progressi quàm institueramus: ut ergo receptui canamus, diximus de ordine siue munere quod in ecclesia sua instituit Dominus, & quos huic præfecerit, quorum opera ecclesiam fundare, gubernare, prouehere & conseruare uoluerit. Quæ supersunt dicenda, differemus in crastinū. Prolixiora enim sunt quàm quæ hac hora absolui queant, digniora autem & præstantiora quàm quæ paucis perstringi debeant, &c.

De Vocatione ad ministerium verbi Dei. Quales & quomodo oporteat in ecclesia verbi ministros ordinare. De Clauibus ecclesiæ: quodnam sit ordinatorum officium. De ratione docendi ecclesiam, & vita pastorum sancta. SERMO IIII.

SERMONE præsenti, Deo iuuante, qua possumus breuitate & perspicuitate exponemus c. v. quales & quomodo hodie ministros nobis conueniat ordinare, non iterum loquentes de munere, sed de personis muneri idoneis. Neque enim arbitror aut necesse aut operæpretium esse multis demonstrare, ordinem seu functionem in ecclesia à Christo institutam, etiam sine ordinibus illis quos posterioribus seculis instituit noua adinuentio, sufficere uel hodie ad excitandam, gubernandam, conseruandamq; Dei ecclesiam in terris. Nam id res ipsa clamat, euincitq; primitiuæ ecclesiæ absoluta perfectio. Vt autem perspicuè

ſpicuè intelligatur ab omnibus, quos eccleſiæ miniſtros hodie ordinare conueniat, dicemus paulò copioſius de Vocatione miniſtrorum eccleſiæ. Vocatio aliud non eſt, quàm idonei miniſtri legitima conſtitutio. Eadem & ordinatio & electio dici poterat: quanquam alia uox alia latius pateat. Electio præit natura. Nam quos eligimus, eos uocamus. Ordinatio comprehendit utrunque. Numerantur autem ab omnibus ferè quatuor uocationis genera. Priora duo ſunt legitima, poſteriora illegitima. Et primum quidem eſt, quo miniſtri neque ab hominibus, neque per hominem, ſed per Deum uocantur. Sicuti uocati leguntur Iſaias propheta, & apoſtolus Paulus. Hæc ferè ſignis aut miraculis confirmatur, & diuina arcanaq; appellatur. Secundum uocationis genus fit à deo quidem, ſed per hominum ordinationem. Quo genere creati leguntur miniſtri eccleſiæ beatus Matthias, Lucas, atq; Timotheus. Hoc ordinarium, publicum, humanũ & hodie uulgare eſt: in quo deus quidem uocat, dona miniſtris neceſſaria conferens, & leges ſuppeditans ijs qui eligunt: hi uerò leges illas ſequentes, ordinariè eum deligunt, quem ex ſignis à Deo prius uocatum eſſe coniiciunt. Per ſigna intelligo dona miniſtris neceſſaria.

De Vocatione ad miniſteriũ, & uocationis generibus.

Tertium uerò uocationis genus quod inter illegitima primum eſt, proficiſcitur quidem ad hominibus, ſed non à Deo: quando uidelicet ex fauore & propter munera indignus aliquis ordinatur. Peccatur hic tam ab ordinandis, quàm ab ipſis ordinationi præfectis. Ab ordinandis, cũ ſe miniſterio præfici cupiunt, cui ſe parum idoneos, quippe donis neceſſarijs deſtitutos, uel non intelligunt uel intelligere nolunt. Vel cum ſatis quidem inſtructi ſunt ſcripturarum rerumq; peritia, ſed non recto pede ad hanc functionem accedunt, quando uidelicet nõ ſpectant Dei gloriam, ſed lucrum. Requiritur enim ab ordinandis conſcientiæ propriæ teſtimonium, & uocatio arcana, nimirum qua nobis probè ſimus conſcij excitatos nos eſſe ad hoc muneris capeſſendum non ambitione, non auaritia, non paſcendi uentris gratia, non alio aliquo affectu prauo, ſed ſyncero dei timore atq; amore, & ædificandæ eccleſiæ Dei ſtudio. De qua re elegantiſsimè & ſanctiſsimè ſcripſit beatus Paulus in 1. ad Theſſal. cap. 2. Requiritur præterea teſtimonium aliorum eruditionis iuſtæ peritiæq; rerum. Omnes enim nobis ipſis placemus & iudicamus nos dignos eſſe, quibus committatur gubernanda eccleſia, cum noſmetipſos decipiamus fœdiſsimè. Peccant autem præfecti ordinationi, cum in ordinandis miniſtris non ſpectant quid deus legibus editis hic fieri uoluerit, & quid ratio incolumitasq; eccleſiæ poſtulet, ſed quid è re ſit ordinãdi. Frequenter ergo ordinantur indigni. Vel qui ſunt indocti & parũ ſynceri. Vel qui ſatis quidem docti ſunt, ſed non admodum integri. Vel qui ſimplices & boni Chriſtiani ſunt, ſed mali & parum prudentes paſtores. Huc autem perpelluntur fauore, uel muneribus. Quare grauiſsimam in ſe omnipotentis Dei iram prouocant, omniumq; peccatorum ſeſe reddunt participes, quorum authores ſunt parum dextrè adminiſtrantes demandatam ſibi prouinciam. Vetuſtas hoc ſcelus appellauit Simoniam, nunquam delendo probro & morte ſempiterna piandum. Anthemius imperator Armaſio ſcribens inter alia, Nemo gradum ſacerdotij uenalitate pretij mercetur. Quantũ quiſq; meretur: non quantum dare ſufficit, æſtimetur. Ceſſet altaribus imminere prophanus ardor auaritiæ, & à ſacris adytis repellatur piaculare flagitium. Ita caſtus & humilis noſtris temporibus eligatur epiſcopus, ut quocunq; locorum peruenerit, omnia uitæ propriæ integritate purificet: non pretio, ſed precibus ordinetur antiſtes. Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſsitas excuſandi. Profectò

Vocatio ex fauore & largitione.

Simonia.

enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus. Hæc ille, qui si hodie Romam ueniret, putaret se haud dubiè in alienum uenisse mundum, imò in emporium Simonis, non Petri, sed Magi & Samaritæ & Giesi Israelitæ.

Quartum uocationis genus illud est, quo quisqꝫ priuato suo arbitrio se implicat ministerio, non à Deo ordinatus, neqꝫ per hominem. De his dixit apud Ieremiam dominus, Ipsi currebant, & ego non mittebam eos. Cyprianus ad Antonianum, tales, episcopatũ uidelicet sibi usurpantes, nemine dante, nominat schismaticos. Et hoc uocationis genus impropriè dicitur uocatio. Proinde uocatione eaqꝫ publica & legitima in ecclesia opus esse constat, cùm propter multas alias caussas, tum propter has potissimum, ut institutum dei non negligatur, utqꝫ retineatur disciplina ecclesiastica & omnes in ecclesia norint, qui sint ministerio præfecti ecclesiastico. Tametsi ergo apostolus & doctor gentiũ Paulus ab initio non ab hominibus, neqꝫ per homines, sed à solo Deo missus esset, idem tamen iubente spiritu sancto ab Antiochena ecclesia in ministerium gentium segregatur unà cũ Barnaba. Ad eundem modum missi uel uocati à Deo fuerunt multi alij, quos tamen etiam per homines ordinari oportuit. Nam Paulus alibi, Nemo hoc sibi ipsi honoris usurpat, inquit, sed qui uocatur à Deo, sicuti Aaron. Et iterum, Quomodo audient absqꝫ prædicante? Quomodò autem prædicabunt, nisi missi fuerint? Et reliqua.

Ierem. 23. *Opus uocatione in ecclesia.* *Actor. 13.* *Hebr. 5.* *Rom. 10.*

Circa secundam illam uulgarem & in ecclesia hodie receptam, à domino autem traditam uocationem, tria consideranda uidentur, Quinam uocent, id est, quinam habeant uocandi uel ordinandi ministros ius & potestatem. Deinde qui uel quales sint ordinandi. Postremò quomodo uocati sint initiandi.

Qui eligant in ecclesia ministros.

Ac principiò dominum dedisse potestatem ecclesiæ suæ ius & potestatem eligendi & ordinandi idoneos ministros, superius in secundo huius Decadis Sermone ostendimus, exemplo uetustissimarum in mundo ecclesiarum Hierosolymitanæ & Antiochenæ: quarum illa non modò diaconos septem, sed apostolum Matthiam ordinauit: hæc autem apostolos Christi insignes, Paulum & Barnabam in ministerium segregauit. Quibus accedit, quòd ecclesiæ gentiũ instructæ à Paulo & Barnaba collatis suffragijs presbyteros, seu gubernatores ecclesiarum delegerunt. Primas in hac partes habuerunt pastores ipsi. Præeunte enim Petro creatur ab ecclesia Matthias apostolus. Hunc ritum annis multis diligenter custodiuit uetus ecclesia. Nam Cyprianus Epist. lib. I. epist. 4. Ipsa plebs maximè potestatem habet, inquit, uel eligendi dignos sacerdotes, uel indignos recusandi. Quod & ipsum uidemus de diuina authoritate descẽdere, ut sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atqꝫ idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur. Sicut in Numeris præcepit dominus Mosi & dixit, Prehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & impones eos in montem coram omni synagoga. Corã omni synagoga iubet deus constitui sacerdotem. Id est, instruit & ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi asistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente uel detegantur malorum crimina, uel bonorum prædicentur merita, & sit ordinatio iusta & legitima, quæ omnium suffragio & iudicio fuerit examinata. Hæc ille. Hic mos durauit adhuc S. Augustini seculo. Extat enim epistola quæ ordine numeratur 110, quæ attestatur acclamante populo, Augustinum sibi Eradium ordinasse successorem. Posterioribus seculis, cum populus tumultuaretur frequentius in electionibus pastorum, ordinatio relata est ad delectos ex pastoribus magistratu & plebe. Hi tres uiros egregios proponebant uel nominabant, ex quibus qui uidebatur optimus deligebatur. Extat huius aliquid

Actor. 14.

quid in Iustiniani Imperat. Nouell. Constitut. 123.

Quibus autem uidetur omnem ordinandi ministros potestatem esse penes episcopos diœcesanos, uel archiepiscopos, his utuntur locis scripturæ, Ideo reliqui te in Creta, ait ad Titum Paulus, ut constituas oppidatim presbyteros. Et iterum, Vide ne cui citò manum imposueris. Nos uerò dicimus apostolos in ecclesijs non exercuisse tyrannidẽ, & electionis uel ordinationis omnia solos peregisse, exclusis alijs in ecclesia hominibus. Crearunt enim apostoli Christi episcopos uel presbyteros in ecclesia, sed communicato cum ecclesijs cõsilio, adeoq; ex populi consensu & approbatione. Id quod claret ex electione seu ordinatione Matthiæ, quam iam semel & iterum citauimus. Dixit sanè in lege Mosi dominus, Iudices cõstitues tibi. Verùm alibi idem, Prouidebis ex omni populo, ait, quos præficias. Et rursus Moses ad ipsum populum, Date ex uobis, inquit, sapientes, qui præficiantur, &c. Quemadmodum ergo Moses proprio arbitrio nihil egit in electione magistratus, licet audisset, Iudices constitues tibi: sed omnia communicato cum plebe consilio: Ita haud dubiè beatus Titus, quamuis audisset, Constitues oppidatim presbyteros, intellexit tamen sibi hic nihil permissum inconsultis ecclesijs, quod ipsi priuatim uisum esset agere. Proinde nihil peccant, qui excusso iugo & tyrannide Romanensium episcoporum, ius illud pristinum à Christo concessum, ecclesijs, rationibus iustis & æquis recuperant. Neq; admodum refert, ordinent idoneos ministros, uel delecti uiri graues ab ecclesia, uel ipsa ecclesia tota, idq; uel per suffragia, uel per sortes, uel alia aliqua ratione commoda & sancta. In his enim non rixatur pietas, modò omnia sanctè & secundum ordinem fiant. Nolo autem hic commemorare artes, insidias, & grauia bella propter hoc ordinandi ius gesta multo cum sanguine, & regionũ direptione, ac incendijs funestissimis. Historiæ de rebus Heinrychi 4. & 5. item de rebus Friderychorũ satis apertè testantur, quàm impudenter & nepharie se cum coniuratis suis episcopis gesserint Romani præsules. Fortassis dabitur occasio hac de re alibi copiosius dicendi.

Episcopos solos non habere potestatem ordinandi.
Titum 1.
1. Tim. 5.
Deut. 16.
Exod. 18.
Deut. 1.

Nunc commemorabimus quales oporteat ordinare, utiq; non quoslibet, sed selectissimos, uiros religiosos, facultatibus omnigenis instructos, exercitatos in scripturis, tenentes mysterium fidei, fortes & constantes, sedulos, laboriosos, diligentes, fideles, uigiles, moderatos, uitæq; sanctæ & probatæ, ne propter corruptelam uitæ & famam parum integram totum uilescat ministerium, & quod sana doctrina extruxerunt, praua uita rursus subruant. Canonem apostolicum recitabimus, omnia huius negotij plenissimè complectentem. Constitues presbyteros siue episcopos, inquit, si quis est inculpatus, unius uxoris uir, liberos habens fideles, non obnoxios crimini luxus, aut qui non sint intractabiles. Quòd si quis propriæ domui præesse non nouit, quomodo ecclesiam dei curabit? Oportet enim episcopum inculpatum esse, tanquam Dei dispensatorem (illud autem requiritur in dispensatoribus, ut fidus aliquis reperiatur) non præfractum, non iracundum, non percussorem, sed æquum, alienum à pugnis non uinosum, alienum ab auaritia, non turpi lucro deditum, sed hospitalem, bonarum rerum studiosum, uigilantem, sobrium, iustum, pium, temperantem, modestum, aptum ad docendum, & tenacem eius qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis, ut potens sit etiam exhortari per doctrinam sanam & contradicentes conuincere, ac ijs obturare os. Non nouitium, ne inflatus in condemnationem incidat calumniatoris. Oportet autem illum & bonum habere testimonium ab extraneis, ne in probrum incidat & laqueum calumniatoris. Hæc omnia sunt Apostoli uerba ex epist. priore ad Timoth. & ea quæ ad Titum scripta est, recitata.

Quales sint ordinãdi ministri.
Titum 1.
1. Tim. 3.
1. Cor. 4.

Cẽsura & examen.

Proinde iudicio hic erit opus exacto, & diligentia magna, quæ omnes doctrinæ & uitæ partes excutiat. Opus, inquam, erit seuera uitæ censura & examine eruditionis accurato. Neq; enim hæc res parui est momenti. Omnis ecclesiæ incolumitas hinc dependet. Si ordinetur indignus & indoctus aliquis, tota ferè negligitur, imò peruertitur, subuerti turq; ecclesia. Examẽ autem intelligimus nõ puerile & scholasticum, sed graue & exactũ, de scriptura & eius interpretatione uera, de cura pastorali, de fidei sanæ mysterijs, deq; alijs id genus capitibus. Ac ueteres quondã in his diligentissimos fuisse, uel inde claret, quòd Aelius Lampridius in uita Alexandri Seueri cõmemorat, Christianis moris fuisse suorum episcoporum nomina toti proponere ecclesiæ priusquam fuerint recepti, si fortè aliquis è plebe indicare uoluisset indignum hunc esse qui tali præesset officio. Vnde & Iustinianus Imp. Constit.123. Si tempore ordinationis, inquit, accusator aliquis exortus fuerit, qui dicat indignum esse ordinatione, differantur omnia, & præcedat examinatio ac censura. Nec grauabor in præsenti recitare Decretum super hac re Carthaginensis Concilij IIII. quod ita habet, Cum episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si uita castus, si sobrius, si semper sui negotij cauens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege domini iustructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus: & ante omnia si fidei documẽta uerbis duplicibus (simplicibus fortè) asserat, id est patrem & filium, & spiritum sanctum unum deum esse confirmans, totamq; trinitatis deitatẽ coessentialem & consubstantialem, & coæternalem, & coomnipotentem prædicans, si singulas quasq; in trinitate personas plenum Deum, & totas tres personas unum Deum, si incarnationem diuinam non in patre, neq; in spiritu sancto factam, sed in filio tantum credat: ut qui erat in diuinitate Dei patris filius, ipse fieret in homine hominis matris filius, Deus uerus ex patre, homo uerus ex matre, carnem ex matris uisceribus habens, & animam humanam rationalem simul in eo utriusq; naturæ, id est deus & homo una persona, unus filius, unus Christus, unus dominus creator omniũ quæ sunt, & author, dominus & rector cum patre & spiritu sancto omnium creaturarum: qui passus sit uera carnis passione, mortuus uera corporis sui morte: resurrexit uera carnis suæ receptione, & uera animæ resumptione, in qua ueniet iudicare uiuos & mortuos. Quærendum etiam ab eo si noui & ueteris testamenti, id est, legis & prophetarum & apostolorum unum eundemq; credat authorem & dominum, si diabolus non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus. Quærendum etiam ab eo si credat huius quam gestamus, & non alterius carnis resurrectionem, si credat iudicium futurum, & recepturos singulos pro his quæ in carne gesserũt, uel pœnas, uel præmia, si nuptias non prohibeat, si secunda matrimonia non damnet, si carnium perceptionem non culpet, si pœnitentibus reconciliatis communicet, si in baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quàm illa quæ uoluntariè admissa sunt dimittantur: si extra ecclesiam catholicam nullus saluetur. Cum in his omnibus examinatus fuerit, & inuentus plenè instructus, tunc cum consensu clericorum & laicorum & conuentu totius prouinciæ episcoporum, maximeq; metropolitani, ordinetur episcopus. Concilium hoc celebratum dicitur anno domini 400. Ista autem non ideo cõmemoro, quasi Conciliorũ hominumq; decretis innitar, aut existimem non omnia quæ ueræ salutis & perfectionis sunt, tradita esse sacris literis; sed ut admoneam aduersarios nostros, mores & facta ipsorum hodie non modò cũ apostolicis doctrinis & exemplis, sed ne cum ueterum quidem decretis congruere, si fortè in semetipsos descẽdant, ac relictis

Quale fuerit examen ueterũ episcoporum.

licitis hominum uarijs doctrinis, recipiant omnium uetustissimam traditionem & doctrinam certissimam sanctorum Apostolorum.

Venio iam ad postremum caput explicandū, quomodo uidelicet uocati sint initiandi. Apostoli in ordinationibus suis adhortabantur ecclesiam ad ieiunia ac preces: uocatos autem ipsos statuerunt in conspectum ecclesiæ, impositisq; manibus in capita ordinatorum committebant ipsis ecclesias. De Impositione manuū dictum est aliàs. Symbolum erat delegati muneris. Nec legitur ulla alia apud ueteres fuisse pastorum consecratio. Sicut & omnia alia simplicia & minimè sumptuosa fuerunt in primitiua apostolicaq; ecclesia. Sequentibus temporibus creuerunt ritus, sed ita tamen ut per initia quibusdam modum non omnino excessisse uiderentur. Mihi autem nimium esse uidetur, quod diuinæ institutioni humano adijcitur arbitrio. Et quid obsecro necesse est institutis apostolicis assuere sentimenta & consuetudines humanas? Cur non sufficit tibi manuum impositio, quæ sufficiebat beatis apostolis te longè sanctioribus & rerum diuinarū peritioribus? Accessit postea oleum, accessit liber euāgelicus. Sic enim decernit Carthaginen. Synodus IIII. Episcopus cum ordinatur, duo episcopi ponant & teneant euangeliorum codicem super caput & ceruicem eius, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi qui adsunt manibus suis caput eius tangant. Posteri his & pallium addiderunt. Cæterum hodie nullus est ceremoniarum, imò ineptiarum finis. Si quis horum ritus conferat diligenter cum Aaronis & Iudaicorum sacerdotum cultu, iurabit totum Aaronismum esse ab illis reductum in ecclesiam, imò hunc illo multò esse instructiorē & onerosiorem, idq; contra doctrinam euangelicam. Vt iam non commemorem consecrationem illorum luxu, superbia & offensione planè esse & infamem & refertissimam, ideoq; intolerabilem. Accedit his aliud, quòd apud ueteres consecratio licet creuisset ritibus adiectis, gratis tamen conferebatur, neq; erat aliquid in ipsa uel in toto Christi templo uenale. Quanti uerò hodie à Rom. Chananæo diuendantur pallia, & quantis sumptibus fiant consecrationes, turpe est uel dicere. Gregorius in Synodo Romana sub Mauritio & Theodosio celebrata, inter alia sic decernit, Antiquam patrū regulam sequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neq; ex datione pallij, neq; ex traditione chartarum. Quia enim ordināo episcopo pontifex manum imponit, euangelicam uerò lectionem minister legit, confirmationis uerò huius epistolam notarius scribit: sicut pontificem manum quā imponit, non decet uendere: ita minister uel notarius non debet in ordinatione uocem suam aut calamum suum uenundare. Quòd si quis aliquid commodi inde petere præsumpserit, in dictricto omnipotētis Dei examine reatui subiaceat. Addit tamen protinus. Cæterum si ordinatus, non exactus, sed sua sponte, gratiæ tantummodo caussa, aliquid offerre uoluerit, concedimus.

Quomodo uocati sint initiandi.
Actor. 13.
Actor. 2.
1. Tim. 4.
2. Tim. 1.
Pallium.
Gratis olim collatum pallium.

Exposui hactenus quales & quomodo oporteat in ecclesia Dei ordinare episcopos siue pastores: & quamuis ex ijs nullo posit colligi negotio, cur hodie non sustineamus ordinari ab illis qui uocantur & soli uidentur sibi esse legitimi ordinarij, utpote in Romana ecclesia, successione perpetua descendentes ab apostolis, dicā tamē aliquando, si possum, significantius. De successione episcoporū siue pastorum continua, & de ecclesia dictum est aliàs, ut superuacuum sit hic repetere & inculcare eadem. Euicimus etiam nostras ecclesias ueras esse Dei ecclesias, tametsi cum Romana nupera non consentiant. Ac ecclesias ueras constat ius habere ordinandi pastores, siue hoc fiat totius ecclesiæ suffragijs, siue delectorum ab ecclesia iudicio legitimo. Vnde consequens est, legitimè esse ordinatos, quos no-

Cur ordines nō recipiantur ab episcopis Papisticis.

stræ imò Christi ordinarunt ecclesiæ. Ac graues sunt caussæ cur ab ordinarijs papisticis suos ministros ordinari detrectent sanctæ Dei ecclesiæ. Etenim S. Paulus, Etiamsi nos, ait, aut angelus è cœlo prædicauerit uobis euangeliũ, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit. Prædicant autem isti euangelium præter id quod à Paulo prædicatum est: id quod de sensu (in quo plus est periculi) non de uerbis intellectum uolumus. Proinde cœlitus percusi sunt isti anathemate. Quis uerò sustineat ordinari ab anathemate percussis? Præterea præcipuum in ordinatione est doctrina euangelica. Cum in hoc maximè ordinentur ministri ecclesiæ, ut purum Christi euangelium syncerè & citra admixtionem traditionum humanarum populo annuncient. Hoc autem ipsum isti ordinandis non modò prohibent seuerissimè, sed & iuramenti formula exhibita abiurare compellunt. Sunt enim ipsi non Christo, sed Papæ contra Christum iuramento impijssimo obstricti. Inter alia enim sic iurant episcopi delecti, Ego N. electus N. episcopus ab hac hora in antea fidelis ero & obediens beato Petro sanctæq; apostolicæ Rom. ecclesiæ & domino nostro N. Papæ suisq; successoribus canonicè intrantibus. Consilium quod mihi credituri sunt, per se, aut nuncios, seu literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatũ Romanum & regalia S. Petri adiutor eis ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem. Iura, honores, priuilegia & authoritatem Romanæ ecclesiæ domini nostri Papæ & successorum prædictorum conseruare, defendere, augere & promouere curabo. Nec ero in consilio, in facto seu in tractatu, in quibus contra ipsum dominum nostrum uel eandem Romanam ecclesiam aliqua sinistra uel præiudicialia personarum, iuris, honoris, status & potestatis eorum machinentur. Et si talia à quibusdam machinari cognouero uel procurari, impediam hoc pro posse, & quantocyus potero commodè significabo eidem domino nostro, uel alteri per quem ad ipsius notitiã possit peruenire. Regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reseruationes, prouisiones & mandata apostolica totis uiribus obseruabo, & faciã ab alijs obseruari. Hæreticos & schismaticos & rebelles domino nostro, pro posse persequar & impugnabo. Hæc illi cum ad hunc modum iurent, quis obsecro Iesu Christi, ecclesiæ eius, ueræq; fidei, adde & reipub. fidelis amans, à talibus ordinari sustineat? Euangelij & ipsius domini nostri Iesu Christi in iuramento nullus fit sermo. Scripturarum sanctarum nulla, sed regularum & ordinationum paternarum diligentissima fit mentio. Nominatur Petrus, sed non apostolus ille Christi dicens, Aurum & argentum non habeo, uerum alius nescio quis regalia habẽs. Nominatur quidem apostolica ecclesia, uerùm mox per interpretationem qualem intelligi uelint subijciunt, & papatum appellant. Papatum hunc, non ecclesiam Dei, papatum inquam & papatus honores, priuilegia & iura contra omnem hominem, en contra omnem hominem promittunt se defensuros. Papam enim agnoscũt esse dominum suum, contra quem nolint unquam machinari quicquam, imò si intelligant alios aliquid contra Papam & papatum moliri, indicium & auxilium fidum stipulantur. Non arbitror autem quenquam se ulli arctius obstringere posse. Nec obscurum est quos isti appellent hæreticos, non hostes fidei Christianæ, non doctores alienorum à scripturis dogmatum, sed rebelles Papæ: eos inquam, qui ut iura & decreta Papæ negligunt, solas scripturas prædicant, ita Christo omnem gloriam tribuunt, tanquam unico capiti & summo Sacerdoti ecclesiæ, atq; idcirco Papam docent nec caput, nec summum esse ecclesiæ sacerdotem. Quis autem ueræ pietatis amans tali se obstringat iuramento? Quis amicitiã renunciet Christo, mancipium autem & suppedaneum sese substernat Pontifici Romano?

Galat. 1.

Iuramentum episcoporum.

Romano? Quis deniq; ab illis qui hoc fecerunt, Christi atque Christianæ ecclesiæ minister ordinari postulet?

Hic accedit, quòd in consistorio Romano, omnia ordinis sacri sint corruptissima, adeò ut uix aliqua institutionis Christi indicia appareant. Non commemorabo in præsenti quòd constitutiones hominum nouæ accesserunt plures, quòd nullum ferè restat ecclesiæ in ordinandis pastoribus suffragium, nullus deputatorum ecclesiæ delectus. Ius enim præsentationis, collationis & confirmationis ad plurimos dispersum, apud quosdam factum est etiam hæreditarium, ut et fatui aut semimoriones fieri possint Episcopi: illud autem præterire nō possum, perijsse apud illos iustum examen & pastoralem seueriorem q; disciplinam. Equidem restat examen, sed puerile prorsus, in quo ferè ordinandi rogantur quod in ludo triuiali solent scholastici, an quis possit bene legere, construere, canere atq; computare? Negare hoc non possunt, ut ne illud quoq;, quòd sacerdotes magis ordinantur ad legendum, psallendum & missandum, quàm ad gubernandā uerbo Dei ecclesiam. Vnde potior ferè uocis ad canendum idoneæ ratio habetur, quàm peritiæ seu experientiæ in sacris literis. Egregiè uerò rem existimant confectam, si muneri pastorali præficiatur non ineptus aliquis iurisperitus. Nam feliciter litigare in foro pro augendis & conseruandis opibus, utilius propemodum esse uidetur, quàm bene concionari in templo pro lucrandis animabus. Quid quòd ex curia, ex regum & principum aulis uidemus ad occupandas ecclesias missos homines, ad quiduis potius quàm ad regendas Dei ecclesias aptiores? Munia enim ecclesiastica cœperunt haberi ceu principū donatiua: unde & beneficia sunt appellata. Ipsi Rom. pontifices coquis suis, cupediarijs, militibus, tonsoribus & mulionibus contulerunt sacerdotia, & honestius quidem hoc quàm cùm contulerunt lenonibus. Bona pars sacerdotum ad ministerium sanctum uiolentia & per Simoniam pene trauit, in quo tamen bene ministrare nec potuit, nec uoluit. Qui uerò honestiore titulo recipiuntur, per commendationem & fauorem recipiuntur. Valet hic plurimum uel affinitas, uel agnatio & consanguinitas. In his omnibus maior habetur uentris quàm ministerij ratio, magis prospicitur ipsis sacerdotibus non sacerdotibus, quàm ecclesiæ Dei & saluti animarum. Hoc autem modo corruunt omnia in ecclesia, & opprimitur grex Dei pondere & ruina pastorum.

Huc pertinet pluralitas, ut uocant, beneficiorum. Vnus aliquis uel miles uel curtisanus, sex aut plura non rarò beneficia ad se, Papa ipsi obijciente, rapit, quorum curam non habet ullam, nisi in recipiendo. Nunquam enim docet, imò rarissimè adest gregi, nisi dum tondet. Interea grex Domini negligitur & perit. Nam qui præficiuntur uicarij ab illis, indocti ferè & mercenarij sunt. Qui minimum accipit, præficitur gregi qualis qualis sit. Et satis quidem doctus esse uidetur, si possit legere, canere, missare, confessiones audire, inungere, & Euangelium ex codice die Dominico recitare. Quæ restant præterea, illis leuicula esse uidentur. *Pluralitas beneficiorum.*

Pudet autem ac piget commemorare, qualis in ecclesia morum remanserit censura. Res clamat, & experientia testatur, indignos non esse exclusos ab hoc ministerio sancto. Admissi enim sunt promiscuè omnes, & tolerantur adhuc fornicarij, ebrij, aleatores, & uarijs flagitijs coinquinati, imò cooperti homines. Sed ne hic nihil facere uiderentur, rogauit in ordinatione Episcopus, Qui digni sint honore? Ac respondit protinus is Episcopo qui antea non uidit aut non nouit quales sint de quibus testificatur, Digni sunt. Præterea tot & tales in consecratione ceremonias usurpant, ut Euangelicæ ueritatis studiosus illas recipere incolumi conscientia non possit. Hæ & aliæ his non dissimiles caussæ faciunt,

quò minus sustineamus ordinari à Romanæ ecclesiæ ordinarijs uel Episcopis.

Quodnam sit officium ordinatorum in ecclesia. Act. 20.

Restat ultimum quod initio huius tractationis explicandum proposuimus, quodnam sit ordinatorum in ecclesia ministrorum officium. Id uno uerbo efferre possumus, Gubernare Dei ecclesiam, uel pascere gregem Christi. Paulus enim Apostolus sermonem habens ad pastores Asianos, Attendite uobis, inquit, & cuncto gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit Episcopos, ad regendum seu pascendum ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Regunt autem ecclesiam Dei pastores uerbo Dei, uel doctrina sana, & sancto uitæ exẽplo. Rursus enim S. Paulus ad Timotheum, Esto forma fidelium in sermone, in conuersatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in puritate. Eadem scribit & ad Titum cap. 2. Quoniam uerò Pontificij de officio uel munere Episcoporum longè alia comminiscuntur, eaq; sicut & alias nugas suas confirmant clauium authoritate seu potestate, sicut commemoraui cùm dissererem de potestate ecclesiastica, dicam ante omnia nonnihil, & quantum huic negotio satis esse putauero, de Clauibus.

1. Tim. 4.

De clauibus ecclesiæ. Lucæ 11.

Clauis instrumentum est omnibus cognitissimum, quo portæ, ostia & arcæ uel clauduntur uel recluduntur. Transfertur à rebus corporeis ad spirituales, diciturq; Clauis scientiæ & regni cœlorum. Dominus enim in Euangelio Lucæ, Væ uobis legisperitis, inquit, qui tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant uetuistis. Eandem sententiam beatus Matthæus sic effert, Væ uobis scribæ & pharisæi, quia clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec aduenientes sinitis intrare. En quod Lucas dixit auferre clauẽ scientiæ, id Matthæus exponit per Cœlum claudere. Est ergo clauis scientiæ, ipsa institutio de uita beata, quomodo eius participes fiamus. Aufert clauem, qui populum non instituit de uera beatitudine, uel obstat quò minus alij rectè instituant. Proinde Claues regni cœlorum, aliud nihil sunt quàm ministerium prædicationis Euangelij seu uerbi Dei, à Deo ministris suis commissum, ut omnes erudiantur qua uia tendatur in cœlum, qua descendatur in tartara. Has Claues promisit Petro & in ipso omnibus alijs Apostolis Dominus, cùm dixit, Tibi dabo claues regni cœlorũ. Et quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis: & quicquid solueris in terra, erit solutum & in cœlis. Inquiramus ergo ubi Petro & alijs traditæ sint claues. Et concors quidem omnium consensus est datas esse in die resurrectionis. Constat autẽ eo die commissum esse Apostolis ministerium seu functionem prædicandi Euangelij: unde cõsequens est, Claues nihil aliud esse quàm ministerium prædicandi in omnes gentes Euangelij. Hoc enim mundo annunciatur, partam per Christum salutem communicari credentibus, incredulis patere tartara. Sed audiamus iam sanctorum Euangelistarum testimonia. Ioãnes Apostolus & Euangelista, Venit, ait, ad discipulos suos Dominus, & dicit illis, Pax uobis. Sicut me misit pater, ita ego mitto uos. Hæc cùm dixisset, flauit in eos, & dixit, Accipite spiritum sanctum. Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis: quorumcunq; retinueritis, retenta sunt. Congruunt hæc cum uerbis quibus claues promisit. Ibi enim dixit, Quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis. Hic dicit, Quorumcũq; retinueritis peccata, retenta sunt. Ibi dixit, Et quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Hic dicit, Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis. Proinde ligare est peccata retinere, soluere est peccata remittere. Dicis, Quomodo remittunt homines peccata, cùm scriptum sit solum Deum remittere peccata? Adhibeantur ergo alia aliorum Euangelistarum testimonia, eandem historiam in die resurrectionis factam contexentia. Lucas, Tunc aperuit mentem illorum Dominus, inquit, ut intelligerẽt scripturas, & dixit eis, Sic scriptum est, & sic oportebat

Matth. 23.

Matth. 16.

Ioan. 20.

Lucæ 24.

tebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorū in omnes gentes. Marcus uerò, Discumbentibus apparuit, ait, & exprobrauit incredulitatem eorum, & dicebat illis, Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui non crediderit, condemnabitur. Solus ergo Deus condonat peccata credentibus in nomine Christi, id est, propter meritum & propitiationem Christi: sed peccata remissa esse certò annunciant ministri prædicatione Euangelij, ac ea prædicatione ligant & soluunt, remittunt & retinent peccata. Exemplo uno aut altero res fiet illustrior. S. Petrus ad Hierosolymitanos ciues uerba faciens, Resipiscite, inquit, & baptizetur unusquisq; uestrum sub nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donū spiritus sancti. Sic autem Petrus Apostolus clauibus sibi creditis usus est: sic soluit in terris, hominibusq; peccata remisit, promittens uidelicet certam peccatorum remissionem per Christum credentibus. Quod nuncium ratum habuit Deus, conferens fidelibus peccatorum remissionem, sicuti crediderunt. Præterea custos carceris Philippici, Silæ & Paulo perculsus dicit, Domini, quid me oportet facere ut saluus fiam? Responderunt Apostoli, Crede in Dominum Iesum: & saluus eris tu & tota domus tua. Absoluerunt ligatum Apostoli, & remiserunt ei peccata, per claues, id est, per prædicationem Euangelij, cui cùm credidisset in terris, absolutum iudicauit Dominus in cœlis. Hæc petita sunt ex Actis Apostolorum. In ijsdem legimus exempla contraria huiusmodi, Iudæi repleti zelo, contradicebant his quæ dicebantur à Paulo, ac conuiciabantur. Paulus autem & Barnabas sumpta fiducia, dixerunt, Vobis oportebat primùm loqui sermonem Dei, sed quoniam repellitis illum, & indignos uos iudicatis uita æterna, ecce conuertimur ad gentes. Rursus cùm idem Paulus Corinthijs Iudæis Christum prædicasset, & hi reclamantes conuiciarentur, Apostolus uestibus excussis, Sanguis, inquit, uester super caput uestrum. Mundus ego posthac ad gentes uadam. Sic autem ligauit incredulos. Et Deus prædicationem Pauli ratam habuit: quia ab ipso Deo erat profecta. Ac nisi propriam ueramq; seræ clauem inseras, neutiquam aperies. Vera & genuina clauis est purum uerbum Dei: adulterina & furtiua clauis est doctrina à uerbo Dei aliena traditioq; humana. Satis claris opinor scripturæ testimonijs euici, claues Apostolis & pastoribus ecclesiæ adeoq; ipsi ecclesiæ datas, aliud nihil esse quàm ministerium docendi ecclesiam. Doctrina enim Euangelica ueluti clauibus quibusdam aperitur regni cœlorum ianua, cum certa & expedita ostenditur ratio & uia per fidem ueram perueniendi in participatum Christi & gaudia uitæ æternæ. Diuino testimonio humanum accedit. Nam beatus Ioannes Chrysostomus in Matth. cap. 23. Clauis, inquit, est uerbum scientiæ scripturarum, per quam aperitur hominibus ianua ueritatis. Clauicularij autem sunt sacerdotes, quibus creditū est uerbum docendi & interpretandi scripturas. Alia ueterum scripturæ interpretum testimonia, ab his nostris nihil discrepantia, studio & breuitatis caussa non adduco.

Marci 16.

Quomodo apostoli soluerint & ligarint.
Acto. 2.

Acto. 16.

Acto. 13.

Acto. 18.

Hæc cùm ita habeant fratres, & disertis tradita sint nobis scripturis, non magnopere curabimus porrò quid garriant Pontificij de potestate clauium, & quæ inde deriuent officia, dignitates, prælaturas, & nescio quid aliud & quam potestatem sacerdotum. Nos didicimus, non ex hominum sermonibus aut opinionibus, sed ex ipso uerbo Dei aperto, Claues esse ministerium uerbi Dei prædicandi, & Claues datas esse Apostolis & eorum successoribus, id est, prædicandi functionem de remissione peccatorum, de pœnitentia ac uita beata commissam.

Vnde petenda sit doctrina.

Vnde illud iam concludimus, præcipuum pastoris ecclesiastici officium esse, illas ipsas claues, quas Dominus Apostolis tradidit, & non alienas usurpare: hoc est, solum & purum uerbum Dei prædicare, neq; aliunde quàm ex ipso uerbo Dei doctrinam petere. Est enim perpetua inuiolabilisq; lex hodie nostris quoq; imposita pastoribus, quæ legitur imposita fuisse etiam uetustissimis ecclesiæ gubernatoribus, ipso Domino attestante apud Malachiam, ac dicente, Fœdus meum fuit cum Leui uitæ & pacis, & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei expauit. Lex ueritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. In pace & rectitudine ambulauit mecũ, multosq; ab iniquitate auertit. Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est. Rursus Ezechieli dicit Dominus, Audies ex ore meo uerbum, & annunciabis eis. Apud Ieremiam dicit Dominus, Propheta apud quem est somnium, narret somnium: & qui habet uerbum meum, loquatur uerbum meum. Distinguit disertè inter diuina & humana, inter ea quæ ex Dei uerbo sunt, & ea quæ hominum electione finguntur, quæ uti incerta & somnia omittere iubet. Mox enim subiungit, An non uerbũ meum est sicut ignis, dicit Dominus, & sicut malleus conterens petram? Et iterum, Ne audieritis uerba prophetarum qui uobis prophetant: decipiunt uos, uisionem cordis sui loquuntur, non ex ore Domini. Omnes itaq; ueri Dei prophetæ id continuò in ore habent, Hæc dicit Dominus. Os Domini locutum est. Proinde nihil alienum à uerbo Dei tradiderunt populo. Erat scriptura quoq; populo ueteri. Et prophetæ nihil aliud erant quàm interpretes legis, applicantes hanc loco, tempori, rebus & personis. Sed & Dominus noster Iesus Christus non semel dicit doctrinam suam non esse suam, sed patris. Id si ad uerbum intelligas, haud scio an aliquid magis absurdum dici possit. Intelligit ergo Dominus doctrinam suam non esse humanam, sed diuinam. Quid quòd ipse ubiq; ad scripturam legis & prophetarum relegat, & sua ex illis confirmat? Est autem Christus unicus religionis doctor, & uitę magister uniuersæ à Deo patre propositus ecclesiæ. Huic & ipse doctores mittens, & quid ipsi ecclesiæ tradant, ostendens, dicit, Docete eos seruare ea quæ ego præcepi uobis. Item, Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. At Paulus Apostolus testatur Euangelium promissum esse per prophetas Dei in scripturis sanctis. Hanc autem doctrinam à Christo acceptam, nationibus tradiderunt Apostoli, nihil ei adijcientes, nihil detrahentes: simul autem exposuerunt scripturas prophetarum ueteres: sed ne hîc quidē suo aliquid indulgentes ingenio, aut suo permittentes arbitrio. Nam Apostolus Petrus, Vt quisq; accepit donum, inquit, alius in alium illud ministrantes, ut boni dispensatores uariæ gratiæ Dei. Si quis loquitur, loquatur ut sermones Dei. Sed & Tertullianus in Præscript. hæret. (quod alibi quoq; citauimus) disertè dicit, Nobis nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec negligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus authores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerunt. Itaq; si etiam angelus de cœlis aliter euangelizaret, anathema dicetur à nobis. Hæc ille. Præterea demonstrauimus in Sermonibus de Fide & de Ecclesia, à solo Dei uerbo pendere fidē, & unico Dei uerbo unicè inniti fidem: uerbo item Dei non doctrinis hominum construi & conseruari ecclesias Dei: quæ omnia huc pertinere uidentur.

Malach. 2. — Ezech. 3. — Ierem. 23. — Matth. 28. — Marc. 16. — Rom. 1. — 1. Pet.

Nõ permissum est episcopis nouas condere leges.

Neq; enim permissum est Episcopis ecclesiæ Christi, sicuti falsò gloriantur Papistici pastores, nouas statuere leges, ac noua proferre dogmata. Doctrina enim Christi Apostolis tradita, simpliciter est recipiēda ab ecclesia, & simpliciter ac purè

tradenda à pastoribus ecclesiæ, quæ est cœtus Christi uerbo credentium. Quis autem nesciat pronunciatum esse à propheta, Omnis homo mendax, solus Deus uerax? Et ecclesia est columna & basis ueritatis, quia ut ueritati scripturarum innititur, ita non aliam quàm scripturis traditam profert, aut prolatam recipit doctrinam. Quis uerò gloriam soli Deo debitam, sibi etiam usurpet? Solus Deus totius generis humani, in ijs maximè quæ attinent ad religionem & uitam beatam, legislator est. Isaias enim, Dominus, inquit, est iudex noster: Dominus legislator noster: Dominus rex noster, ipse seruabit nos. S. Iacobus item, Vnus, inquit, est legislator qui potest seruare & perdere. Deus hoc sibi uelut proprium asserit, ut legibus uerbi sui regat suos, in quos solus habet ius uitæ & necis. Quinimò non possunt piæ leges esse, quæ suo arbitrio fidem docere & cultum Dei præscribere præsumunt. Doctrina fidei & cultus Dei, nisi diuina sit, nihil minus est quàm quod esse dicitur. Solus Deus docet nos quæ sit uera fides, quis ei placeat cultus. Ideoque apud Matthæum ex Isaia filius Dei pronunciauit, Frustra me colunt, docentes doctrinas præcepta hominum. His accedit & illud, quòd ex nouis hominum constitutionibus semper enascitur mirus uerbi Dei legumque diuinarum neglectus, adde & contemptus. Nam propter traditiones nostras, quod & in Euangelio dixit Dominus, præuaricamur & paruipendimus præcepta Dei.

Isaie 33. *Iacobi 4.* *Matth. 15.*

Postquàm autem constat unde sit pastori seu doctori petenda doctrina, non aliunde quàm ex scriptura noui & ueteris testamenti, quæ est certissimum & uerissimum uerbum Dei, ideoque hanc doctrinam esse certam & definitã, dicendum porrò erit nonnihil et de ratione docendi, quam sequatur doctor siue pastor ecclesiasticus. Atque hic summas duntaxat rerum perstringam. Ante omnia autẽ requiritur à pastoribus, ut perpetuò id sibi dictum existiment, quod Archippo inculcare iussit Apostolus, Vide ministerium quod accepisti à Domino, ut illud impleas: denique ne unquam oculos detrahãt à uiua illa boni & mali pastoris pictura, quam Ezechiel illustris propheta ad hunc modum proposuit, Sic dicit Dominus Deus, Væ pastoribus Israel qui pauerunt seipsos. Nónne pastorum est pascere gregem ipsum? Pinguedinem comeditis, & lana induimini, & quod crassum est mactatis, oues autem ipsas non pascitis. Dolore correptam non consolidastis, ægrotam nõ sanastis, confractam non ligastis, propulsatam non reduxistis, & perditã non quæsiuistis: quin & cum duritia & sæuitia dominati estis eis. Et iterum, Ego pascam oues meas, dicit Dominus Deus. Perditam requiram, propulsatam reducam, confractam sanabo, infirmam roborabo, pinguem uerò & firmam coërcebo, & pascam in iudicio. Hinc colligimus boni pastoris esse pascere non deuorare gregem, ministrare non dominari, salutem ouium non priuatam rem quærere. Perditam item ouem requirere, id est, eos qui abhorrent à ueritate & uersantur in tenebris errorum in ecclesiam & lucem ueritatis pertrahere: propulsatam, nimirum separatam à consortio sanctorum, priuati alicuius affectus gratia, restituere & reducere: confractam sanare siue obligare: uulnera enim peccatorum notat, quæ & Ieremias curare præcipit: denique infirmam & languentem roborare non prorsus conterere: ac firmam, id est, homines in uirtutibus florentes coërcere, ne superbiant in donis Dei, ac excidant. Cogitet autem hæc non posse perfici nisi sana & perpetua doctrina deriuata ex uerbo Dei.

Scopus pastorũ ecclesiæ. *Coloss. 4.* *Ezech. 34.* *Iere. 8. & 30.* *Isaie 42.* *Matth. 12.*

Docendi ratio extendit se ad publicas doctrinas & priuatas. Publica doctrina instituit pastor publicè uel Catechumenos uel Perfectiores. Catechumenis quidem tradit elementa ueræ religionis. Comprehendit enim Catechesis rudimenta fidei doctrinæ Christianæ, nempe capita fœderis, decalogum, symbolum Apo-

De ratione docendi ecclesiã.

ſtolorum, Orationem Dominicam, & breuem ſacramentorum explicationē. Veteres eccleſiæ Catechiſtas habuere peculiariter huic muneri conſecratos. Cōmendauit autem nobis Dominus in utroq; teſtamento miris obteſtationibus pubem, præcipiens ut ipſam tempeſtiuè & diligenter in uera religione inſtituamus. Magna inſuper præmia & grauiſſimas pœnas proponit. Nullus certè fructus ab auditoribus catecheſi non probè inſtructis expectari poteſt in eccleſia. Neſciunt enim qua de re loquatur doctor eccleſiæ, cùm audiunt nominari Fœdus, Præceptum, Legem, Gratiam, Fidem, Orationem, Sacramenta. Proinde maximam hîc, ſicubi aliàs, adhibere decet diligentiam. Perfectiorum doctrina uerſatur præcipuè in expoſitione ſcripturæ ſanctæ. Ex ueterum Epiſcoporum ſcriptis conſtat in primitiua illa felici & ſanctiſſima eccleſia moris fuiſſe, non partes aliquot librorum canonicorum, neque locos aliquot delectos ex his, ſed libros integros tam noui quàm ueteris teſtamēti enarrare eccleſijs. Neq; hinc modicus ad eccleſias redibat fructus. Sicuti hodie quoque experimur eccleſias non poſſe erudiri melius, & has non poſſe affici uehementius, quàm ipſis Dei uerbis, fideliq; interpretatione librorum Euangelij, legis, prophetarum & Apoſtolorum. Vbi obiter monemus interpretationem ſcripturarum non eſſe quiduis confingendi & quolibet detorquendi ſcripturas libidinem, ſed ſcripturarum religioſam collationem & donum ſingulare ſancti ſpiritus. Nam S. Petrus, Scriptura prophetica non eſt, ait, priuatæ interpretationis. Proinde nemo habet poteſtatem ſcripturas exponendi pro ſuo arbitrio. Neq; alligatur maiori parti melior expoſitio, quaſi melior ſit interpretatio quæ plures habet conſentientes. Ita enim Chriſtianiſmum multis paraſangis præcederet Arianiſmus et Turciſmus. Melior expoſitio eſt, quæ non pugnat cum fide & dilectione, nec detorquetur ad defendendam ac propagandam hominum gloriam & auaritiam. Verùm dixi de Interpretandis ſcripturis Sermone 2. Decad. 1.

Interpretatio ſcripturæ.

2. Pet. 1.

Applicatio.

Niſi uerò commodè applicetur ſcriptura pro ratione locorum, temporum, rerum & perſonarum cuiuslibet eccleſiæ, & in hunc finem (quod & 3. Sermone huius Decadis inculcaui) ut ædificetur eccleſia, nō ut doctior aut eloquentior uideatur doctor eccleſiaſticus, nullo ſanè cum fructu enarrauerit plebi libros ſcripturæ canonicos. Cōmendat nobis Dominus prudentem diſpenſatorem, & ait, Quis nam eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituet Dominus ſuper famulitium ſuum, ut det illis in tempore demenſum cibum? Et quæ ſequuntur Lucæ 12. Paulus quoq; ſcribens Timotheo Epiſcopo dicit, Stude teipſum probatum exhibere Deo, operarium non erubeſcentem, rectè ſecantem ſermonē ueritatis. Cibus inutilis eſt, niſi diſſecetur in partes. At hîc nouit paterfamiliâs quas partes miniſtret ſingulis in ſua familia, non illud ſpectans quid quemuis delectet, ſed quid cuique maximè proſit. Idem Apoſtolus omnia doctoris eccleſiaſtici ad ædificationē dirigenda eſſe docens, dicit, Qui prophetat hominibus, loquitur ædificationē & exhortationem & conſolationē. Ergo ad perfectiorum doctrinam pertinet non tantùm ſcripturæ ſanctæ expoſitio, ſed & dilucida uel maximè perſpicua dogmatum uel rerum Chriſtianarum demonſtratio, inprimis autem clara de Pœnitentia & Remiſſione peccatorum in nomine Chriſti doctrina: item obiurgatio opportuna & acris, uel grauis ſed prudens ſcelerum accuſatio. Nam Dominus Apoſtolis loquens, Vos eſtis ſal terræ, ait, ſi ſal infatuatus fuerit, quo ſalietur? Huc pertinet cōfutatio quoq; errorū & hæreſum oppreſſio, aſſertioq; doctrinæ orthodoxæ. Paulus enim ait, Oportet uaniloquis & mentium ſeductoribus obturare os, & redarguere ſeueriter. Neq; enim ſatis eſt ſimpliciter docere religionem ueram, niſi eandem quoq; conſtanter inculcando urgeat, defendat atq; conſeruet doctor eccle-

2. Timoth. 2.

Matth. 5.

Titum 1.

ſiaſticus

siasticus. Huc maximè pertinent hæc Pauli uerba, Obtestor te coram Deo & domino Iesu Christo, qui iudicaturus est uiuos & mortuos in apparitione sua & in regno suo. Prædica sermonem, insta tempestiuè, intempestiuè: argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Nam erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores ij quibus pruriunt aures, & à ueritate quidem aures auertent, ad fabulas uerò conuertentur. At tu uigila in omnibus, obdura in afflictionibus, opus perage euangelistæ, ministerium tuum ad plenum probatum reddito. Opus est itaq; adhortationibus creberrimis, ut quod ecclesia per doctrinam frequentem & perspicuam intellexit uel prosequendum esse, uel fugiendum, adhortatione feruenti accensa & impulsa constanter prosequatur uel refugiat. Ac longanimitate hic opus erit episcopo, ne statim omnem abijciat spem si uideat res non protinus ad uota succedere, & fortes aliquot aut impudẽtes etiam aduersarios pertinaciter reluctari. Paulus enim, Seruum domini, inquit, non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cũ mansuetudine, erudientem eos qui obsistunt, si quando det illis deus pœnitentiam ad agnoscendum ueritatem, ut resipiscant è diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius uoluntatem. Opus est præterea consolatione blanda ac uiuida. Sunt enim afflicti multi, uarijs exerciti tentationibus, quos nisi fideliter consoleris, superantur à satana. Hæc & his similia alia pertinent ad doctrinam perfectiorum.

2.Tim.4.

2.Tim.2.

Hic commemorare licet etiam Curam pauperum. Pertinet enim hæc maximè ad episcopum, & ad publicam episcopi doctrinam, qua ditiores perpetuò urgeat ad misericordiam, ut faciles sint ad impartiendum. Egregia huius rei exempla reliquit nobis Apostolus Paulus in omnibus suis ferè epistolis, præsertim autẽ in 16. cap. ad Rom. & prioris ad Corinth. deniq; in 8. & 9. cap. posterioris epistolæ. S. Petrus, Iacobus & Ioannes curam pauperum S. Paulo diligentissimè commendarunt, quemadmodum ipse Paulus cõmemorat in 2. cap. ad Galat. Et quanuis Petrus dispensationem alicubi recusat, in hoc tamen est totus ut pauperibus dentur dispensatores pij & fideles. Idcirco pertinet ad pastores maximè cura pauperum ne negligantur, sed ueluti Christi membra foueantur humanissimè.

Cura pauperũ.

Actor.6.

Priuatum doctrinæ genus nihil differt reipsa à publico illo, sed priuatum appellatur propter discentes. Accedit enim aliquis pastorem Nicodemi instar & cupit ab ipso maximè familiariter de rebus ipsum peculiariter urgentibus erudiri. Deniq; iste pastor priuatim addit & instruit eos quos certis indicijs didicit priuatis colloquijs facilius posse lucrari Christo, quàm publicis concionibus. Præterea admonet priuatim: & in tempore cauet, ne imprudentiores profundius malis immergantur. Huc pertinet uisitatio ægrotorum & captiuorum, quos omnes fidelis pastor non negligit, sed inuisit hoc diligentius, quo grauius ipsos tentari intelligit. Vigilat enim pastor bonus super uniuersum Christi gregem, cui insidias struit satanas circumcursitando, quærens quos deuoret. Huic obsistit orando, admonendo, docendo & adhortando. Quòd si quælibet ecclesia pastorem talem habeat, qui gregem non deserat facilè, quantum obsecro sperabimus fructum? Proinde non immeritò iubemur indesinenter & ardenter orare dominum, ut is ecclesiæ suæ det pastores fideles, prudentes, pios & sedulos.

Priuatum doctrinæ genus.

Oratio pro fidis pastoribus.

Hæc hactenus dixi de doctrina episcoporum in ecclesia dei. Nisi uerò doceat ad hunc modum episcopus, & ea faciat quæ doctrinæ coniuncta sunt, episcopi aut pastoris aut doctoris nomine indignus est, utcunq; prætexat apostolici titulum. Adhærent autem doctrinæ ecclesiasticæ quædam, quæ & ipsa requiruntur à pa-

Quæ cõiuncta doctrinæ.

store euangelico ac sunt officij eius, cuiusmodi sunt congregare cœtum sacrum in quo prædicetur & oretur, & administrare sacramẽta. Sed de his suo loco dicetur.

De uita sancta & inculpata episcoporum. *Matth. 5.* Porrò inspiciendum uidetur quomodo episcopi sancto uitæ exemplo regant ecclesiam Christi. Dominus in euangelio ad apostolos suos dicit, Vos estis lux mundi. Non potest oppidum abscondi supra montem situm, neq; accendunt lucernam & ponunt illam subter modium, sed super candelabrum, & lucet omnibus qui sunt in domo. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrum, qui est in cœlis. Proinde pastores non tantùm doctrina, sed & uita sancta prælucent ecclesiæ: quæ uidens uitam congruere doctrinæ, commouetur & ipsa ad innocentiã uitæ colendam. Plurimum enim potest exemplum uiri boni sanctum ad propaganda studia uirtutũ. In contrarium *1. Sam. 3.* testatur scriptura plurimum potuisse corruptum filiorum Heli antistitum religionis exemplum, ad corrumpendum uidelicet populum. Scriptura enim dicit, Erat autem peccatum filiorum Heli grande nimis coram domino, quòd homines abhorrere inciperent à sacrificijs domini. Videntes enim homines corruptam ministrorum ecclesiæ uitam, subdubitare incipiũt de tota doctrina, clamantes, Si uera esse crederet pastor quæ nos docet, nõ ipse ita dissolutè uiueret. Huiusmodi ergo doctores uita praua subuertere dicuntur quod sana doctrina ædificarunt. Proinde Paulus requirit episcopum uel populi pastorem, qui sit irreprehensibilis, id est qui iure & meritò à fidelibus reprehendi non posit. Alioqui enim quo quisq; syncerior & integrior fuerit episcopus, hoc magis erit impiorum calumnijs & contu-*Matth. 10.* melijs obiectus, domino hoc ipsum prædicente in euangelio, Si ipsum patrem fa-*Ioan. 15.* miliâs uocauerunt Beelzebub, quanto magis domesticos illius? Item, Si me perse-*Matth. 5.* quuti sunt, & uos persequentur. Et iterum, Beati estis cum probra in uos iecerint homines, & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbũ aduersus uos, mentientes propter me. Gaudete & exultate: quoniam merces uestra multa est in cœlis. Curabit ergo pastor summo studio, & quantum in ipso est, ut domi & foris uitam se & sua uocatione dignam uiuat. Castè uiuat tam extra quàm in ipso coniugio. Floreat in episcopo temperantia, sobrietas, parsimonia uel frugalitas, hospitalitas, & reliquę uirtutes quas superius ex Apostolo commemorauimus. Familiam suam prudenter gubernet, & sanctè instituat, ac ita coërceat, ne crimine luxus aut alijs sceleribus offensionẽ ecclesiæ obijciat. Sic enim & apostolus Paulus præ-*1. Tim. 4.* cepit (qui rursus formans studia episcopi) Donec uenero, inquit, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Requirit diligentem à Timotheo lectionem, id est, studiũ asiduum, quò posit euidentius exhortari & docere. At studium asiduum ab eo requirit Paulus, de quo alibi scribit, ipsum à puero sacras nouisse literas. Quantam ergo diligentiã requirit Apostolus ab illis, qui ut tantam spiritus gratiã assecuti non sunt, quantam assecutus fuerat Timotheus, ita non à pueris in sacris sunt exercitati literis? Pudeat ergo multos suæ inertiæ, pudeat illiterati otij, & negotiosi otij. Vt enim multi nunquam quicquam legunt, sed otiantur perpetuò, otioq; ueluti computrescunt: ita innumeri alij in ijs occupantur quæ episcopos minimè decent. Rursus itaq; Apostolus, Nemo qui militat implicatur uitæ negotijs, ut ei qui se in militiam delegit, placeat. Esset hic locus dicendi de stipendio pastoribus debito: sed differemus in locum alium. Foris autem apud populum, si quando ob negotia prodeant episcopi, cœtibusq; hominum honestis intersint, non segniore opera anniti debent, ne dicto aut facto ullo, ne amictu, ne sodalitio, aut uniuersa deniq; conuersatione uitæ iustum ecclesiæ præbeant offendiculum. Conspiciatur in pastoribus ubiq; & semper sancta integritas, maturitas iusta, honestas decens, pruden-

prudentia, modestia, humanitas, humilitas & authoritas Dei ministris digna. Absint autem his contraria uitia siue flagitia. His pauculis comprehensa puto, quæ alij fusè tractarunt disserentes de disciplina & honestate clericorum. Omnia enim secula intellexerunt, in omni gradu & hominum genere malam esse uitam dissolutam, in ministris autem ecclesiarum pessimam & intolerabilem. Quid enim efficiat in ecclesia ecclesiæ minister, cuius omnis intercidit authoritas? Requiritur ergo in pastoribus authoritas.

Hanc concidisse queruntur multi, & collapsam fulcris nescio quibus, titulis inquam, ceremonijsq; subleuare contendunt. Verùm non paratur authoritas rebus huiusmodi leuiculis & uulgaribus. Paratur potius Dei gratia, ueritatis & integritatis studio: si uidelicet deus corda tangat hominũ, si hi intelligant deum per ministros tanquam per organa sua operari opera sua in medio ecclesiæ: si sentiant spiritus feruore nõ frigidè ministros negotia domini agere, nihil metuere in causa bona, nihil timere impios & potentes huius seculi, sed his obsistere: nihil tamen hic indulgere odio, sed animo paterno, forti, constanti & prudenti agere omnia. Quibus si iam accedat non hypocritica, sed uerè sancta & integra uita, mores integri, suaues, & iucundi, satis authoritatis paratum sentient fideli ministro omnes uiri prudentiores. *Authoritas pastorum.*

Nollem tamen his uel tantillum Donatistis & Anabaptistis patrocinatum. Contendunt uerbi & sacramentorum ministerium, à ministro impurioris uitæ administratum, esse inefficax. Tametsi enim uita à ministro sancta requiritur, non inefficax tamen redditur ministerium, ministri uita existente impura, modò doctrina sit integra atq; syncera. Dominus enim in euangelio iubet audire docentes in cathedra Mosis, uetat autem imitari ipsorum opera. Docere enim bona, sed non facere. Dixi hac de re Sermone huius Decad. 2. Nazianzenus pulchrè ait eundẽ esse sigilli typum, siue ferro insculpatur siue auro. Vnum atq; idem est euangeliũ, unus atq; idem est cœlestis à patre missus thesaurus, siue hic à bono siue à malo afferatur nuncio. Interim uerò impura ministrorum ecclesiæ uita non dissimulari, sed coërceri, incurabilesq; è gradu suo deijci debent, ne perpetuo offendiculo infame reddant sanctum ministerium. *Propter uitam non bonam doctoris, non reijcienda doctrina bona. Matth. 23.*

Cæterum cur hæc tractas, aiunt multi, pro concione publica? priuatim hęc dicenda fuerant sacerdotibus. Respondeo ipsas leges ad sacerdotes præcipuè pertinentes, quondam principibus populi esse communicatas & prælectas ipsi populo. Præterea constat Christum dominum nostrũ ea quæ peculiariter pertinebant ad doctores pastoresq; populi, in publicis tractasse concionibus. His accedit quòd S. Paulus loquens de presbyteris, Peccantes coram omnibus, arguè, inquit, ut & cæteri timorem habeant. *1. Tim. 5.*

Scriptura sancta, quæ summa diligentia bonos & fidos pastores doctoresq; describit, non minore fide & sedulitate etiam pseudodoctores & depastores depingit, in hoc ut agnoscantur ab omnibus sanctis, & caueantur. Obuia ueniunt hæc ubiq; in scriptis prophetarum & apostolorum. Singulares tamen locos si qui uelint cognoscere, extant Deut. 13. & 18. Isaiæ 56. Iere. 23. Ezech. 34. Dan. 11. Matth. 7. & 23. Paulinæ epistolæ in his describendis & confutandis sunt densissimæ. Et S. Petrus in his conuellendis bonam partem epistolæ posterioris insumit.

Eorundem prophetarum & apostolorum testimonia atque exempla, tradunt ministros sanctos & fidos pastores omnigenis diuexandos fore afflictionibus persecutionibusq;. Illa ipsa interim manifestè testantur, ministeriũ nunquam opprimendũ fore, sed ministros perpetuò triũphaturos uel morientes. Semper enim

dat dominus ecclesiæ suæ ministros, qui etsi ut aurum igni probantur, uincūt tamen per illum qui mundum & principem mundi superauit. Postrema secula corruptissima erunt, sicuti fuisse leguntur tempora Noe & Loth: uerùm sicuti tunc quoq; in extrema illa deprauatione, hi duo uiri excellentissimi cum nōnullis præstantissimis in omni pietate uiris uerisq; Dei cultoribus floruisse, & suum officium fecisse leguntur, ita in finem usq; seculi durabit & ministerium uerbi, & florebunt doctores pastoresq; egregij, oppugnantes & persequentes omnem impietatem & luxuriam. Cessent hostes ueritatis sperare excidium & ministerij & ministrorum uerbi Dei. Ero, inquit dominus in euangelio, uobiscum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Mentiri nescit qui hæc dixit. Idem spiritu oris sui antichristum conficiet, inquit Apostolus, quem mox abolebit glorioso suo aduentu in iudicium. Erunt itaq;, uel ipsis portis inferorum inuitis & insanientibus, ministri ecclesiæ, & prædicatores ad finem usq; seculi.

Ista autem de ministerio uerbi & ministris ecclesiarum Christi, qua potui breuitate complexus sum hactenus. Nostrum uerò non est tales formare uel dare pastores. Dei gratia & beneficio dantur boni pastores, & auferuntur è medio mali. Deum ergo inuocemus omnes, orantes ut ipse nobis fideles & sanctos det episcopos, quò nomen eius sanctificetur semper, & ecclesia Dei feliciter gubernetur ad salutem omnium credentium.

De modo & ratione orandi Deum, hoc est, de inuocatione nominis domini, ubi & Oratio dominica exponitur, & de cantu, de gratiarum actione ac virtute orationis dicitur. SERMO V.

POST tractationem ministerij uerbi Dei in Ecclesia Christi, commodissimè dicturus uideor de Oratione fidelium, ad quam ministri fideles Ecclesiam nunquam adhortari desinunt.

Oratio quid sit. Vocabulum Oratio patet latissimè apud scriptores, & in usu quotidiano: in præsenti usurpamus ad eum modum, ad quem usurpauit propheta Dauid, dicens, Exaudi Deus orationem meam, & clamor meus ad te ueniat. Est enim oratio supplex & ardens fidelis animi expositio, qua à Deo uel bona petimus, uel pro acceptis gratias agimus. *Orationis partes.* Etenim duæ sunt potissimum partes Orationis, Inuocatio uel Petitio, & Gratiarumactio. Petitione cordis nostri uota & desideria Deo exponimus, postulantes ut det nobis bona, & auertat à nobis mala, pro gloria & bona uoluntate sua, & pro necessitate nostra. Comprehendimus in inuocatione uel petitione Obsecrationem, quæ uehemētior est oratio, & Interpellationem, qua aliorum negotia cōmendamus domino. Preces enim offerimus domino Deo nostro, non pro nobis ipsis duntaxat, sed & pro fratribus nostris, & pro fratrum uarijs necessitatibus, pro laborantibus in periculis, pro ægrotantibus, pro persecutionem sustinentibus, aut alijs calamitatibus ac tentationibus ferè oppressis. Ergo nec Deprecationem excludimus, qua mala à nobis uel ab alijs auerti postulamus. Sunt etiam querelæ quibus cum Deo sancti in precibus suis sanctè expostulant. Gratiarumactio & laudes diuinas continet, & uirtutes Dei eximias, beneficiaq; à Deo accepta alacri spiritu celebrat. Huc refertur bona pars Psalmorum, quorum alia ad inuocationem pertinet. Et sunt quidam didactici, quidam exegetici. De quibus iam non est dicendi locus. Has uerò orationis partes agnoscens beatus Christi Apostolus Paulus, scribens Colossensibus, Orationi instate, inquit, uigilantes in ea, cum gratiarumactione, Et ad Philip. In omni precatione & obse- *Coloss. 4. Philip. 4.*

cratione

oratione cum gratiarum actione petitiones uestræ innotescant apud deũ. Et rursus ad Timotheum, Adhortor ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus. 1.Tim.2.

Species orationis hæ sunt. Est oratio priuata cuiuscunq; fidelis, est & publica totius ecclesiæ. Priuata oratio fit ad deum à quouis fideli homine, quouis in loco, siue domi siue foris, in conclaui cordis & proprij corporis templo. Nam S. Petrus ascendens ad superiores domus partes orat. S. Paulus, Volo, inquit, in omni loco orare uiros, sustollentes puras manus. Ipse quoq; Christus dominus frequentius ex ipso templo in montem orandi caussa secesit, & in euangelio dixit, Tu cum oras, introito in conclaue tuum, & occluso ostio tuo, ora patrem tuum qui est in occulto, &c. Publica oratio est ecclesiastica, quæ fit ad deum in cœtu sacro, iuxta receptum cuiusq; ecclesiæ ritum. Porrò pastorum est, quod & Paulus monuit 1. Timoth. 2. ac nos in Sermone præterito proximè diximus, conuocare, instruere & cõseruare cœtus, in quibus supplicationes uel preces publicæ fiant. Et culpandi sunt ualde, qui hac parte negligentiores sunt, nec ferẽdi planè qui rarò aut nunquam seriò docent, & precandi studium frigidius urgent. Homines natura ignaui & ad studium religionis segnes sunt: unde stimulo acuto indigemus. Datũ est autem officium excitandi & urgendi pastoribus ecclesiarum. Clamant alicubi prophetæ, Clangite tuba in Zion, indicite cœtum. Etenim in cœtu sacro tria potissimum exercentur, doctrina euangelij, oratio fidelis, & religiosa sacramentorũ celebratio uel administratio. Fit nonnunquam & collatio in sustentationem pauperum & ecclesiæ. Hæc non hominum beneplacito, sed diuina authoritate, & ab ipsa mox origine rerũ instituta & à sanctissimis Dei cultoribus usurpata esse testatur scriptura sacra. De Patriarchis illis longè uetustissimis & primis diluuium præcedentibus & mox consequentibus nihil restat dubij: cum de ipso Iacobo nepote Abrahami scriptura manifestè commemoret quòd aram erexerit in Bethel ad quam collegerit uniuersam domum suam, copiosissimã alioqui, ibidemq; cultum exhibuerit deo. Sub Mose per legem significantissimis præceptis cœtus sacros instituit. Imò in decalogo diligentissimè præcipit sanctificare sabbatum: id quod & cœtus sacros comprehendit. Sancti Dei prophetæ, ubiq; ornarunt & commendarunt cœtus populi Dei ecclesiasticos. Nec hos improbauit in carnem ueniens Christus dominus. Sicut enim in cœtibus frequentissimis festisq; singulari docuit diligentia, ita ipse in cœtum recollegit & populum & discipulos suos: quibus singulariter mãdauit ne discederent Hierosolyma, sed ut expectarent promissum patris: id quod in cœtu collectis & precantib. præstitum legimus in Actis cap. 2. Ibidem & cœtus populi fidelis commendatur nobis, sicut & in 11. & 14. cap. prioris epistolæ Pauli ad Corinthios. Supplicationes quas idem fieri mandat pro omnibus in eminentia constitutis, in cœtibus maximè sacris fiunt. Certè Plinius, author ethnicus, non obscuram facit sacrorum cœtuum mentionem Traiano imperatori scribens. Olim habuerunt Cœtus sacri promissiones præstantissimas, sicut uidere licet in oratione Solomonis, quam descriptam tibi exhibet prior liber Regũ cap. 8. Hodie uerò nihilo minores promissiones habet Christi ecclesia, dicente Christo domino, Dico uobis, quòd si duo ex uobis consenserint super terram, de omni re quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ. En ipse dominus est in medio cœtus sanctorum. Vbi autem dominus est, ibi & plenitudo & thesaurus bonorum omnium est. Ideoq; ipsa rerum experientia docet efficaces esse supplicationes ecclesiæ. Exaudit enim preces ecclesiæ dominus, & liberat à

Species orationis. *Actor. 1.* *1. Tim. 2.* *Matth. 6.* *De Cœtibus sacris.* *Gene. 35.* *Exod. 20.* *Lucæ 24.* *Actor. 1.* *Matth. 18.*

malis illos quorum salutem ecclesia domino commendat. Sæpe experti sumus ea ipsa hora præsentissimum sensisse auxilium in discrimine positos, qua preces suas domino obtulit cœtus. Præterea permouet exemplum plurimos, alioqui duros & barbaros. Cernunt enim Cœtus sacri religiosam pietatem fideliumq́ in cœtibus ardorem, & commouentur, ut in seipsos descendentes agnoscant se miseros esse, cupiantq́ huius cœtus esse consortes. S. Paulus, Si conuenerit tota ecclesia in idem, & omnes linguis loquantur, ingrediantur autem indocti aut increduli, nónne dicent uos insanire? Quòd si omnes prophetetis, ingrediatur autem incredulus, aut indoctus, coarguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: & sic occulta cordis eius manifesta fiunt, ac procidens in faciem adorabit, renuncians quòd Deus reuera in uobis sit. Qua ergo confidentia quóue pudore audent nonnulli Cœtus sacros negligere & neglectos suggillare, quasi sine fructu colligantur? Dauid actus in exilium, de nulla re perinde dolet, quàm quòd cœtibus sacris exclusus, per deserta oberrare cogeretur. Promittit autem domino se in cœtum sacrum ingressurum, siquidem restituatur. Certè cum dominus in euangelio dicat, Qui ex Deo est, uerbum Dei audit, consequens est diligentes cœtum in quo annunciatur uerbum Dei, genuinam habere filiorum Dei notam.

1. Cor. 14.

Orandum esse.

Quoniam uerò multi non tantū sacros cœtus fastidiunt, sed & preces in uniuersum aiunt esse superuacuas, inanes & inefficaces, priusquam progrediamur, demonstrabimus orandum esse sanctis, orationesq́ sanctorum & efficaces esse & utiles, adeoq́ necessarias. Prouidētia Dei omnia fiunt, inquiunt, ergo preces sunt inutiles. Quod enim præsciuit Deus, id omnino eo modo in effectū deducit, sicut præsciuit, nec impediri potest precibus. Cæterum isti abutuntur Dei prouidentia, utpote ex qua colligunt quod non docent colligere eloquia sacra. Nam in Deut. disertis uerbis Moses scriptum reliquit, Decreuerat uos dominus delere, Oraui igitur ad dominum, & inueni gratiam. Ionas Niniuitis denunciauit excidium adeo certum à domino, ut etiam dierum numerū ediceret. Sed cum uiri Niniuitæ crederent domino, & pœnitentiam agerent, redijt cum ipsis in gratiam dominus, nec pœnitentes excidit. Dixerat præterea Isaias Ezechiæ ex ore domini, Morieris tu, & nō uiues. Cum uerò ex imis præcordijs domino preces funderet rex, mutauit Deus latam sententiam. Nam dominus ipse apud Ieremiam, Repente loquar aduersus gentem & regnum, inquit, ut excindam illud: Si pœnitentiam egerit gens illa, contra quam loquutus eram, à malitia sua, iam & me mali pœnitebit quod ei facere constitueram. Et cætera. Proinde efficaces sunt fidelium preces, irata Dei iudicia retardantes, adde & è medio sustollentes. Nam quod rursus obijciunt, orationem esse expositionem rerum, quas postulamus à domino, Dominum autem omnia præscire, eidem ergo inutiliter & superuacuè ea quæ nouit exponi, ideoq́ inutilem esse orationem, ab ipso diluitur Christo domino, qui cum disertè dixisset, Nouit pater uester cœlestis, quibus rebus opus sit uobis, priusquā petatis ab eo, nihilominus tamen formulā precandi subijciens docet nos orare. Alibi præcipit & urget ut frequenter oremus. Vigilate & orate, ait, ne intretis in tentationē. Et Paulus, Semper gaudete, inquit, incessanter orate. Huius generis ubique multa occurrunt præcepta. Neq́ uerò res nostras ut nescienti exponimus, sed uota cordis nostri scienti proponimus, & nos ad pedes maiestatis eius humiliamus. Petimus ab illo, quod scimus nobis d. esse, sed ab ipso, utpote omnium bonorum authore, certò dandum. Credimus enim certis & ineffabilibus eius promissis; interim preces non sunt superuacaneæ, quia dominus certò daturus erat quod petebamus. Promisit deus liberationē populi sui, de qua sancti nihil dubitarunt

Deut. 9.
Ione 3.4.
Isaie 38.
Ierem. 18.
Matth. 6.
Ierem. 29.

tarunt prorsus, attamen indefessis precibus supplicarunt Domino, clamantes, Libera nos Domine Deus noster: nec existimarũt se inutilem nauare operam. Anabaptistis prætexentibus purificationem plenam, & ideò puros non posse nec debere orare, Remitte nobis debita nostra, cùm nulla restent debita: respondet sanctissimus Euangelista & Apostolus Ioannes, ac dicit, Si dixerimus peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus non peccauimus, mendacem facimus eum, & sermo eius nõ est in nobis. Donec enim in hoc seculo uixerimus, remanent reliquiæ peccati, omnibus & singulis momentis eluendæ per gratiam Christi. Porrò obijcientibus, Scriptum est, Scimus quòd peccatores Deus non audit: Sumus autẽ omnes peccatores: neminem ergo nostrum audit Deus, atque ita inutiles inueniuntur hominum preces: respondemus peccatores quidem alios esse prorsus impios & con temptores numinis, hos non audit Deus: Sunt rursus pœnitentes & timentes Dei homines, qui tamen peccatores sunt & rectè sic uocantur, propter peccati reliquias: hos audit Deus. Id quod ostendi poterat exemplis Dauidis, Manassis, Petri, Latronis cum Christo crucifixi, & multorum aliorum, qui simul & peccatores fuerunt, & orantes exauditi sunt.

1. Ioan. 1.

Ioan. 9.

Ideoque dicimus preces fidelium non modò utiles & efficaces esse, sed etiam necessarias hominibus. Homines enim peccato corrupti, omnis boni egeni & inanes sumus, Omnis donatio bona & omne donũ perfectum, è supernis est descendens à patre luminum. Is iussit orare, & promissiones amplissimas orantibus proposuit. Vnde & patres nostri frequentissimi & ardentissimi fuerunt in precibus, suo nos exemplo docentes necessarias esse preces. Scriptura item diligenter & copiose commemorat, quanta suis precibus in rebus & discriminibus maximis, in rebus utique maximè necessarijs, impetrauerint à ueracissimo & benignissimo Domino & Deo nostro. Postulant spiritum sanctum, fidem & fidei augmentũ Apostoli, & accipiunt postulata nõ parcè sed liberaliter, participantes omnigena Christi gratia. Clamat in templo apud Euangelistã publicanus, & ait, Deus propitius esto mihi peccatori: ac sentit protinus clementem Dominũ. Quid & quanta precibus suis impetrarit à Domino Helias, commemorat historia sacra. Porrò exemplum eius nobis quoque accommodauit beatus Iacobus Apostolus, ut & nos fide inuocemus Dominum. Id quod commemoro ne quis illud nihil ad nos pertinere existimet. Rursus quantum potuerint fideles preces Mosis, Dauidis, Iosaphat, Ezechiæ & aliorum heroum in bellis, in fame, in morbis, & in alijs discriminibus summis, longum esset recitare. Probant autem hæc exempla orationem & necessariam esse semper hominibus, et maximè efficacem. Nam palàm cernimus moueri Deum precibus suorũ fidelium. Etenim bonus est & misericors: diligit nos; incarnatus est, ut posset sensu infirmitatũ nostrarum affici: ne abhorreremus ab ipso: uerax & fidelis est, fideliter quæ promisit seruans. Quid quod ubique liberaliter & benignè omnes homines ad se uocat, totum se offerens in fide inuocantibus?

Necessarias esse preces.

Iacobi 1.

Lucæ 18.

Iacobi 5.

Mouetur Deus precibus nostris.

Cæterum quòd orantes nõ semper accipiunt petita, non euincit orationẽ prorsus esse inanem. Prodest enim non raró oranti postulata non accipere. Sunt prætera caussæ plures cur Deus petita uel differat, uel non concedat. Est genus hominum precantium, de quibus scriptum legitur, Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperum, clamabit & ipse, & non exaudietur. Item, Cùm multiplicaueritis orationes uestras, non exaudiam. Quia manus uestræ plenæ sunt sanguine. Ita in Solomone rursus clamat Sapientia, testificans se inuocantes non auditurum, eò

Quare orantes non semper petita accipiant.

Prouerb. 21.

Isaiæ 1.

Prouerb. 1.

quòd & ipsi prius audire noluerint in tempore admonentem. Hæc ferè ex perso-
Iacob.4. na orantiũ petita sunt. Ex re illud deriuatur quod sequitur, Dicit beatus Iacobus,
Petitis & non accipitis, eò quòd male petatis, ut in concupiscentias uestras insu-
Matth.20. matis. Nam & Dominus duobus alioqui selectis discipulis postulantibus prima-
tum in regno Christi, respondens dicit, Nescitis quid petatis. Præterea cùm sancti
res petunt sanctas & necessarias, aut certè non iniquas, aut malas, quas tamen ni-
hilo minus non accipiunt à Domino, cogitant protinus Deum iudicij & iustitiæ
esse Deum, ideoq; non protinus liberare posse ex afflictionibus, liberationem con
Prouerb.3. tinuis petentes precibus. Quos diligit corripit: & quos corripit non ideò ut per-
Hebr.12. dat, sed ne cum impio mundo condemnet, corripit. Licet autem in talibus difficul
Psalm 38. tatibus orare cũ Dauide, Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua cor-
ripias me: & cum Ieremia, Domine, corripe me in iudicio, non in furore: & cum
Abakuk, Cùm irasceris recordare misericordiæ tuæ. Nihil dubitant sancti de po-
tentia & bonitate Dei erga homines. Quod uult Deus, & prodest filijs Dei, Deus
potest facere. Exempla huius rei innumera suppeditat nobis historia uetus & E-
uangelica. Proinde cùm non liberamur, cùm non accipimus uota nostra, certissi-
mum est hoc sic uelle Deum, & sic conuenire nobis. Hac ratione exaudit uota no-
stra cùm nos exaudit. Vota enim nostra huc unicè tẽdunt, ut bene sit nobis. Deus
autem cùm solus sapiens norit quid prodesse, quid obesse queat, & non largitur
nobis quod petimus, non largiendo reuera concedit, ut bene sit nobis. Semper
itaq; efficax est legitima fidelium oratio, ac semper finem suum assequitur, Domi-
no suis concedente quod bonum esse nouit.

Quare deus differat dare quæ daturus est. Porrò differt præstare Dominus quod rogatur, adeò q; et preces nostras aliquo
ties prorsus negligere uidetur: sed id facit ut differendo suos probet: ut fidem fla-
grantiorem reddat, dona quoq; sua iucundiora faciat, quæ tanto maiore suauitate
Isaiæ 51. percipiuntur, quanto ardentiori desiderio expectata sunt. In hac tentatione cõso-
letur illud prophetæ, Nunquid obliuiscetur mulier infantis sui, ut non misereatur
filij uteri sui? Et si illa poterit ipsius obliuisci, ego tamen tui nunquam obliuiscar.
Dixerat enim ecclesia, Dereliquit me Dominus, & Deus oblitus est mei.

Quis inuocandus sit orantibus. Consideremus iam qualis esse debeat oratio inuocantis Dominum. Non po-
terit ea quæstio explicari commodius, quàm circumstantiarum præcipuarũ pen-
sitatione. Videamus ergo primùm quis inuocandus sit orantibus: nemo utiq; ni-
1 si unus & solus Deus. Nam tria requiruntur ab eo qui inuocatur. Primum, Vt au-
diat omnium hominum in toto terrarum orbe preces, ut eorum corda penetret &
exactè teneat, adde & rectius & melius omnia hominis uota norit quàm ipsi ho-
2 mines explicare possint. Secundum, ut sit ubiq; præsens, & omnium in cœlo, in
3 terra, & in inferis potens, qui teneat omnes uias & omnes modos iuuandi. Ter-
tium, ut eximiè bona, prompta, & parata sit eius uoluntas, ut quod potest uelit e-
tiam. Cæterum in solo Deo inueniuntur hæ conditiones. Solus enim scrutatur re-
nes & corda Deus: solus omnia audit & uidet: solus plenius nouit ea quæ intra &
extra hominem sunt, quàm ipse homo: solus ubiq; præsens est: solus omnipotens
est: solus sapiens: solius Dei uoluntas perfectissima bonitate hominem complecti
tur, & semper parata est, & sola quod homini utile est fidelissimè procurat: solus
ergo Deus inuocari debet. Quis autem illas conditiones etiam selectissimis in cœ-
lo animabus citra blasphemiam & sacrilegium tribuerit? Proinde animæ in cœlis
cum Deo uiuentes non sunt inuocandæ. Præsertim cùm scriptura uerbis disertis
Isa.63. testetur Abraham & Iacobum ignorare nos, & præcipiat Deum inuocare, prohi-
beat autem ea quæ Dei sunt communicare creaturis. Et ut nihil præterea comme-
moremus,

moremus, cui obsecro sanctorum & diuorum in cœlo agentium, dicere poterimus absque pudore, Pater noster qui es in cœlis, & ea quæ sequuntur in oratione Dominica? Inuocemus ergo Deum solum patrem illum cœlestem, quem solũ inuocarunt omnes quotquot fuerunt in ecclesia sancti.

Quando uerò nemo mortalium, quantumuis bonus & sanctus esse uideatur, dignus est prodire in conspectum æterni & sanctissimi Dei: id quod omnes homines uno ore confitentur, multi quidem & uarij patroni, intercessores & aduocati, delecti & recepti sunt ab orantibus, per quorum interuentum uel ipsi ad Deum perducerentur, uel ipsorum preces Deo offerrentur. Proinde alij delegerunt sibi angelos, alij Apostolos, alij sanctissimam & inter omnes mulieres benedictã illam uirginem matrem, alij alios, prout spem bonam in hos uel illos defixerant. Atqui confinxerunt hæc sibi ex proprij cordis arbitrio, non didicerunt ex ore Domini. Scriptura unica ueritatis regula, unicum nobis proponit mediatorem, intercessorem, patronum & aduocatum, per quem accedamus Deum, & per quem offeramus preces nostras Domino. Ingratæ & abominabiles sunt omnes omnium hominum orationes, quæ non fiunt per Iesum Christum. Nec patitur uera fides ut alium aduocatum pro Christo, uel aliquem alium cum Christo in conspectu Dei singamus, aut ut ipsi soli sine aduocato Christo in conspectum Dei patris prorumpamus. Secernuntur hîc ueri Christiani à Iudæis, à Mahumeticis, adde & à Papistis. Isti enim filium Dei contemnentes, patrem solum inuocant sine interuentu Iesu Christi. Sed pronunciat contra ipsos uox Dei per Euangelium, & per Apostolos. In Euangelio legimus dixisse Dominum, Pater omne iudicium dedit filio, ut omnes honorent filium sicut honorant patrem. Qui non honorat filium, non honorat patrem qui misit illum. Et iterum, Ego sum uia, & ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrem nisi per me. Porrò Ioãnes Apostolus & Euangelista dicit, Quisquis negat filium, is ne patrem quidem habet. Hi uerò non solum agnoscunt Christum esse intercessorem, sed pro ipso uel cum ipso diuos, uti patronos, apud Deum inuocandos docent. Cæterum idem ille Ioannes Apostolus aduocatum ostendens Christianis hominibus, non se statuit, non diuos pro Christo, aut illos cum Christo proponit, sed, Aduocatum, inquit, habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Nec alium ostendit Paulus in 1. ad Timoth. 2. & ad Hebr. 7. cap. Ad Ephes. Per Christum, ait, audemus accedere cum fiducia per fidem in ipsum, &c. Sufficit Christus credentibus, utpote in quo uno reposuit pater omnia bona, iubens illa in ipso & per ipsum precibus postulare. Sufficiunt hæc minimè rixosis mentibus. Plura qui uelint, requirant ex 5. Sermone Decad. 4.

Per quem inuocetur Deus pater.

Ioan. 5. *Ioan. 14.* *1. Ioan. 2.*

Dixi quis orandus uel inuocandus sit pijs Dei cultoribus, & per quem, solus Deus per unicum Dei filium Dominum nostrum Iesum Christũ: inspiciamus modò quæ commoueant hominem ad inuocandum Deum: præcipuè quidem spiritus Dei nostri. Oratio enim rectè inter gratiæ munera deputatur. Neque enim possemus seriò & ex animo Deum nostrũ inuocare, nisi spiritu Dei excitati atque impulsi. Tametsi enim præceptum Dei orare iubeat, & præsens necessitas periculumque impellat, & exemplum aliorum inuitet ad orandum, nihil tamen illa omnia efficerent, nisi spiritus animos nostros ad suum raperet arbitrium, & in oratione moderaretur ac retineret. Licet itaque plures sint concurrentes caussæ ad orandum commouentes hominem, præcipua tamen est origo orationis spiritus sanctus. Cuius impulsum & moderationem ante omnes preces præfatione sancta postulant, quicunque cum aliquo fructu orant. Huc pertinent hæc S. Apostoli uerba, Spiritus etiã opitulatur infirmitatibus nostris. Non enim quid oraturi simus quemadmodum

Quæ commoueant hominẽ ad inuocandũ Deum.

Rom. 8.

oportet,nouimus. Verùm spiritus ipse intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus.Qui uerò scrutatur corda, nouit cogitationem spiritus, quòd secundum Deum intercedit pro sanctis.Equidem interpellare dicitur spiritus Dei,non quòd ipse reuera precetur & ingemiscat, sed quòd animos nostros excitet ad precandū & ingemiscendum, efficiatq; ut secundum mentem Dei pro sanctis,id est,pro nobismetipsis intercedamus uel oremus.

Quibus oporteat instructum esse facultatibus orantem. *Daniel.9.*

Consideremus porrò quibus debeat instructus esse facultatibus qui orator ad Deum accedit. Inprimis exuat necesse est omnem propriæ dignitatis & iustitiæ opinionem:agnoscat se peccatorem esse & omnium bonorum indigum, atque ita conijciat se in meram Dei misericordiam, ab hac cupiens omnibus impleri bonis. Magnus enim propheta Dei Daniel, Non in iustitijs nostris, inquit, effundimus deprecationes nostras in conspectu tuo, sed in miserationibus tuis multis. Sed & pares preces Deo oblatas legis Psalm.79. Clamat enim populus Domini, Adiuua nos Deus salutaris noster: propter gloriā nominis tui libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Ne recorderis iniquitatum nostrarum antiquarum, festina & præueniant nos misericordiæ tuæ. In nouo testamento apud Lucam pharisæus confidens suæ iustitiæ,repellitur & abijcitur à Domino: publicanus uerò ingenuè confitens peccata, & misericordiam implorans Dei, auditur & iustificatur. Nisi uerò agnoscamus nuditatem,infirmitatem, & paupertatem nostram,quis oro orabit ad Dominum? Non ualidi, sed infirmi opus habent medico.Et Dominus in Euangelio, Petite ait & accipietis: pulsate, & aperietur uobis: quærite, & inuenietis. Qui uerò petere iubetur ut accipiat, non habet utiq; quod petit. Qui pulsat, pulsando se foris stare significat. Qui uerò quærit, amisit utique quod quærit.Exclusi ergo gaudijs paradisi,quod amisimus & non habemus, quærimus & petimus orando. Ergo cùm Dauid & Ezechias & alij sancti Dei suam allegant orantes iustitiam,ob quam uidentur iure exauditionem postulare,non propriam quidem dignitatem,sed magis Dei ueritatē respiciunt.Promisit hic se exauditurum suos cultores.Dicunt ergo sancti,En tui sumus cultores, æquum est itaq; ne nos negligas,sed asseras.Interim alijs locis de sua iustitia ita loquuntur, ut dubitare non possimus in suis precibus cum moderatione quadam & limitatione mentionem suæ fecisse iustitiæ.Non intres in iudicium cum seruo tuo, ait Dauid, non enim iustificabitur in conspectu tuo ullus uiuens,&c.

Lucæ 18.

Matth.9.

Fide inprimis opus est orantibus. *Iacobi 1.*

Deinde & quod primum omnium est, fide uera & ardenti opus est orantibus. Doctrina ergo fidei in negotio orationis ueluti matutina stella præluceat, & certa obtinendi spe à Deo petat orator quod petit.Postulet cum fiducia, ait beatus Iacobus Apostolus,nihil hæsitans.Qui enim hæsitat,is similis est fluctui maris, qui uentis agitur & impetu rapitur. Neq; enim existimet homo ille se quicquam accepturum à Domino.Nam & Paulus dixit, Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Dixi de Fide Sermone 4.Decad.1. Vt autē fides iustis grandescat auctibus & floreat firmaq; persistat, promissionibus & exemplis undiq; collectis elaborandum est. Nos paucula recitabimus. In libro Psalmorum legimus, Sacrifica Deo laudē, & redde altissimo uota tua: & inuoca me in die tribulationis, eruam te & glorificabis me,Item,Prope adest Dominus omnibus inuocantibus eum,omnibus inquam inuocantibus eum in ueritate. Voluntatem timentiū se faciet, & clamorem eorū exaudiet,atq; saluabit eos. Rursus apud Isaiā dicit Dominus, Et erit ut antequam clament ego exaudiam: & adhuc illis loquentibus audiā eos. Apud Matthæum dicit Dominus, Petite & dabitur uobis, Quærite & inuenietis, Pulsate & aperietur uobis. Quisquis enim petit accipit, & quicunque quærit inuenit,

Psalm.50.

Psalm.154.

Isa.65.

& pulsanti

& pulsanti aperietur, &c. In eodem Euangelio dicit Dominus, Omnia quæ petieritis in deprecatione credentes, accipietis. Matth. cap. 21. Apud Marcum in 11. cap. eadem sententia sic effertur, Quæcunque orantes petitis, credite, & erunt uobis. Rursus in Euangelio secundum Ioannem ait Dominus, Si quid petieritis per nomen meum, ego faciam. *Ioan. 14.* Item, Amen amen dico uobis, quæcunque petieritis patrē in nomine meo, dabit uobis. *Ioan. 16.* Petite & accipietis. Ab exemplo patrum argumentatur Dauid, & ait, In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt & tu liberasti eos. *Psalm. 22.* Ad te clamauerunt, & liberati sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Inde enim colligit & se non deserendum à Domino. In Euāgelica historia extant exempla plurima quæ mirum in modum fidem suffulciunt & confirmant fidelium.

Vita orantium respondeat fidei.

Cùm uerò fides non sit opinio inanis, sed uirtus efficax, operans per spiritum sanctum omnis generis bona opera (quamuis his nec fidant neque propter ipsa se exaudiri putent) non impudenter & sine pœnitentia tamen ingenio indulgent fideles precatores, uerbis tantùm agentes cum Domino, sed uitam sanctam coniungunt cum precibus. Solomon enim dicit, Qui subducit aurem suam ne audiat legem, etiam oratio eius erit abominabilis. *Prouerb. 28.* Et Dominus apud Isaiam, Cùm multiplicaueritis, inquit, orationes uestras, non exaudiam uos: quia manus uestræ plenæ sunt sanguine. *Isaiæ 1.* De huiusmodi impœnitentibus hominibus illud in Euangelio intelligimus, Deus peccatores non audit. *Ioan. 9.* Quinimò nihil impetrabunt sancti, si pro talibus intercedere pergant. Nam Ieremias diligēter orans pro populo suo, alioqui pertinaciter impio, audit, *Iere. 7. 11.* Tu ne oraueris pro populo isto, neque attollas pro illis clamorem & deprecationem, neque interuenias apud me: quoniam nequaquam te exaudiam. An tu non uides quid isti faciant in ciuitatibus Iuda? Filij colligunt ligna, & patres incendunt ignem, uxores autem farinam aqua conspersam subigunt, ut placentas faciant reginæ cœli, & ut dijs alijs libent libamina, me uerò ad iram prouocent. Ad eundem modum apud Ezechielem dicit Dominus, Si malū immisero in populum hunc, & steterint tres uiri in medio eius, Noe, Daniel & Iob: uiuo ego dicit Dominus Deus, non liberabunt filium aut filiam, sed ipsi in iustitia sua liberabunt animam suam. *Ezech. 14.* Iccirco consequens est, supplicationes impœnitentium hominum, impudenterque in sceleribus perseuerantium, tametsi sine intermissione clament, Adiuua nos Deus salutaris noster, Libera nos Domine, Te rogamus audi nos, planè inanes esse. Seruari enim cupiūt ad uoluptates, & ad scelera patranda. Et quamuis gratis quæ petimus donet Deus, necesse est tamen affectum bene uiuendi tanta Dei beneficia concomitari. Diligentissimè enim hic est cauendum, ne existimemus nos exaudiri propter nostras uirtutes, sed propter meram Dei misericordiam in Christo Iesu.

Eleuanda est mens ad cœlestia.

Præterea eleuet è terrenis ad cœlestia mentem, quisquis cupit preces suas Deo esse gratas. Ea de re eleganter et sanctè differens beatus Christi martyr Cyprianus, Quando stamus, inquit, ad orationem, uigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis secularis & carnalis abscedat, nec quicquam tunc animus, quàm id solum cogitet quod precatur. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostē Dei tempore orationis adire patiatur. Obrepit enim frequenter & penetrat, et subtiliter fallens preces nostras à Deo auocat, ut aliud habeamus in corde, aliud in uoce: cum intentione syncera Dominum debeat, non uocis sonus, sed animus & sensus orare. Hæc ille. Cæterum ut ex terrenis in cœlestia eleuetur mens orantis, efficit maximè spiritus ueræ fidei, spei firmitas, & Dei ardens charitas; si item cogitemus tremendam Dei maiestatem coram cuius oculis orantes stamus. Adorant hunc & reuerentur omnes creaturæ in cœ-

lo & in terra: seruiunt ei millena angelorũ millia. Cogitemus quàm utiles & necessarias res à Deo petamus: sine quibus felices esse nõ possumus. Remoueamus præterea omnia ea quæ uel retinent in hoc seculo, uel detrahunt ad terrena, cuiusmodi sunt accidia, auaritia & crapula, denique his alia similia crimina. Contra uerò studeamus uigiliæ, sobrietati, benignitati, liberalitatique. Certè scriptura ubique ferè coniungit orationi ieiunium & misericordiam. Hæ enim uirtutes alacriores & expeditiores ad orandum efficiunt per fidem. Daniel, Posui faciem meam, inquit, ad Dominum Deum, ut rogarem eum oratione & obsecrationibus, in ieiunio, & sacco, & cinere. Nec his dissimilia tradunt Ionas & Ioel. Imò in Euãgelio & Apostolorum literis ubique obuium habemus, Vigilate, orationi instate, sobrij este. Nam pleno uentre, uel nullæ, uel pingues funduntur orationes. Vnde Augustinus dixisse legitur, Vis orationem tuam uolare ad Deum? Fac illi duas alas, ieiunium & eleemosynam. Nam in Actis Apostolorũ dicit Cornelio Centurioni angelus Domini, Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam coram Deo.

Acto.10.

Oratio proficiscatur ex charitate.

Marci 11.

Matth.6.

Matth.5.

Et sanè requirit à nobis orationem ardentem: at non frigere non potest quæ charitate non inflammatur. Crudeles ergo, & fratribus sua delicta condonare nolentes, odijque fraterni retinentes, non possunt orare coram Domino, dicente, Et cùm steteritis orantes, remittite si quid habetis aduersus aliquem, ut & pater uester qui in cœlis est remittat uobis delicta uestra. Et iterum, Si remiseritis hominibus errata sua, remittet & uobis pater uester cœlestis. Quòd si non remiseritis hominibus errata sua, nec pater remittet uobis errata uestra. Nam & alibi, Itaque si obtuleris munus tuum ad altare, inquit, & illic recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque illic munus tuum coram altari, & abi prius & reconcilieris fratri tuo, & tunc ueniens offer munus tuum. Alioqui enim ingrata erunt omnia tua munera Deo. Condonemus ergo libenter, amemus & beneficijs prosequamur proximos nostros, sic oratio nostra penetrabit cœlos.

Non ore tantùm sed ex corde orandũ est.

Matth.15.

1.Corinth.14.

Matth.23.

His confine est, ne ore duntaxat aut uoce, sed mente & cordis intimo affectu, spiritu ac desiderio oremus. Nulla exaudiebatur Mosis & Annæ matris Samuelis uox orantium, sed fortissimè uociferabantur spiritu ad Deum, qui & exaudiuit: & illum incolumem cum uniuerso populo Israelis per mare rubrum ex cruentissimis Ægyptiorum manibus deduxit, & hanc sterilem quidem, fœcundam fecit. Contra uerò legimus Dominũ in Euangelio ex Isaia hæc contra pharisæos protulisse uerba, Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs suis me honorat, cæterum cor eorum procul abest à me: sed frustra me colunt docentes doctrinas, præcepta hominũ. Rectè ergo Paulus, Orabo spiritu, inquit, sed orabo & mente: spiritum uocans flatum animalem & uocem illam humanam. Condemnantur his diuinis testimonijs eorũ preces, qui mirabili linguæ uolubilitate & celeritate, breui momẽto multa uerba eaque fracta & detruncata deblaterant, uoces profundentes sine sensu. Animus enim eorum interea peregrinatur. Nullum præterea ab his sentitur desiderium, nisi hoc fortè desiderium uideatur, quòd accelerando finem orationi imponere cupidè anhelant. In quo genere primas obtinent monachi & sacerdotes, pretio & mercede precantes, id est, rem nihili magno uenditantes insano populo: non quòd preces inanes sint per se, sed quòd ad eum modum usurpatæ, inanes sint. De his pronunciauit Dominus in Euãgelio, Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos uiduarum, dum sub prætextu precibus prolixis precamini: propter hoc plus accipietis cõdemnationis. Scio quæ hic logodædali isti pro mercede conductis precationibus afferant, atque obtendant: sed paucis hunc illis nodum explicandum propono. Precatores isti fidem & charita-

tem

tem habent, uel non habent: si habent, gratis ex charitate orant: si non habent, inanes sunt ipsorum preces, ideoque falsa specie decipiunt stolidam plebem, pecuniam expendentem pro orationibus iustis, cum isti persoluāt iniustas. Et si iustæ erant, minimè tamen uel uendendæ, uel emendæ fuerant.

Requiritur & illud ab orante, ne indigna Deo postulet, aut legibus Dei contraria petat. Nam beatus Ioannes apostolus, Si quid petierimus, inquit, secundū uoluntatem eius, audit nos: ergo cum indigna Deo petimus, non audit nos. Præterea semper & in omnibus orationibus nostris nostra uolūtas & uota nostra, Deo & uoluntati eius subijcienda sunt. Itaque nemo conetur certis circumstantijs impiè alligare Deum: nemo præscribat Deo, quo quid tempore, quo loco, aut qua ratione faciat quod est facturus. Deus solus sapiens opportunitatem iuuādi nouit. Sed & fidelis & omnipotens est, ampliora utique facere potens, quàm uel ipsi petamus, aut intelligamus. Id quod & Paulus dixisse legitur. Ergo non præter rationem grauiter irascitur uidua honestissima Iudith Osiæ sacerdoti, certum statuenti dierum numerum domino, quo absoluto liberet, alioqui facturos deditionem. Dicit autem Iudith, Quod est hoc uerbum in quo consensit Osias ut tradat ciuitatem Assyrijs, si intra quinque dies non uenerit adiutorium uobis? Et qui estis qui tentatis dominum? Non est iste sermo qui misericordiam impetret, sed magis qui iram prouocet, & furorem accendat. Posuistis uos tempus miserationis domini, & pro arbitrio uestro diem constituistis ei: sed quia patiens dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam eius fusis lachrimis postulemus. Religiosissimè ergo Dauid dixisse legitur in summo discrimine, Si inuenero gratiam in oculis domini, reducet me: sin autem dixerit mihi, Non places, præstò sum. Faciat quod bonum est in oculis ipsius.

Ne quid deo indignum & legibus aduersum petamus.

Iudith 8.

2. Sam. 15.

Iam etiam perseuerantia multa opus est in precibus. Petite, ait dominus in euangelio, & dabitur: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Hac autem uerborum congerie inculcauit orandi perseuerantiam. Petite, inquit, seriò & constanter, quemadmodum faciunt qui necessaria petunt: quærite, ut solent qui abstrusa & pretiosa scrutantur: pulsate, ut solent qui summo desiderio ad amicum ingredi cupiunt. Hæc enim omnia non modò desiderium, sed & pertinax studium consequendi petita significant. In euangelio secundum Lucam proposuit dominus parabolam huc pertinentem, quòd oporteat semper orare, neque defatigari unquā. Nam & Paulus dixit, Semper gaudete, indesinenter orate, in omnibus gratias agite. Nemo autem arbitretur his uerbis domini & Apostoli Psallinorum uel Euchitarum errorē confirmari. Illi nihil aliud quàm precabantur. Semper orare iussit dominus, id est, quanta fieri potest assiduitate, omni tempore & loco, omnibus in rebus erecto esse ad Deum corde, quod semper expectet à Deo bona & pro acceptis beneficijs agat gratias: quod item postulet assiduè gratiam. Tale studium commendatur nobis in Anna illa Phanuelis filia, de qua commemorat Lucas, quòd à templo non discesserit, sed die & nocte ieiunijs & precationibus seruierit domino: non quòd nihil aliud fecerit, nunquam curauerit corpus, nunquam ederit, biberit aut dormierit, sed quòd illud assiduè & potissimū fecerit. Hodie enim sic loquentes dicimus rusticum sine intermissione laborare, & studiosum dies & noctes legere: cum interim omnes intelligant hoc locutionis genere significari assiduitatem & diligentiam excellentissimam operis & lectionis. Egregium indefessæ precationis aut inuocationis exemplum exhibet nobis Syrophœnissa apud Matthæum in cap. 15. Quòd si diutius æquo negligere nos uel postulata differre uidetur Deus, cogitemus perpetuò prophetam dixisse, Adhuc pusillum temporis,

Perseuerādum esse in precibus.

Luc. 18.

1. Thess. 5.

Luca 2.

& qui uenturus est ueniet, & non tardabit. Iustus autē ex fide uiuet, &c. Hebr. 10.

Quando orandum sit. Ex his facillimum erit explicare tempus orationis, de quo etiam inquiritur, quando oporteat orare. Priuatim enim semper orare oportet. Semper enim dum uiuimus, uaria & multiplex offertur orandi materia. Ora ergo quoties impellit spiritus, & quoties ipsa necessitas aut res te orare compellit. Nihil tamen hic coactū sit: omnia hilari & libero prodeant spiritu. Publicæ uerò preces tempori sunt astrictæ. Sunt enim horæ precandi statæ, sunt conceptiuæ. Statæ sunt certæ illæ ab ecclesia receptæ, quibus mane uel uespere tota coit ecclesia ad audiendum uerbum Dei, ad orandum, & ad participationem sacramentorum. Non eodem tempore, & ijsdem horis in sacrum cœtum quondam coijsse ueteres ecclesias, testis est Socrates in historia. Et in hac quidem diuersitate nullum est periculum. Conueniant ad cultum sacrum ecclesiæ, cum maximè ipsis opportunum, honestum, dignum & utile uidetur. Porrò conceptiuæ precandi horæ sunt, quæ pro præsenti necessitate ad certum tempus suscipiuntur aut indicuntur ab ecclesia. Temporibus difficilibus, & in rebus grauioribus indixerunt sancti apostoli preces & ieiunia. Quod hodie quoq; sine superstitione & cum iusta moderatione licet. Et antiquissimum quidem hoc esse institutū liquet ex his Ioelis prophetæ uerbis, *Ioelis 2.* Clangite tuba in Zion, sanctificate ieiunium, indicite cœtum, congregate populum, *1. Cor. 7.* Quid quod priuatim Apostolus iubet secubare coniuges ad tempus, & à licitis sibi temperare uoluptatibus, ut oratio in necessitate sit ardentior?

De loco orationis. Iam & de loco orationis nō difficile erit iudicare. Nam ut priuatim omni tempore, ita ubiq; orare posse sanctos dixi in principio huius Sermonis. Nulli enim loco alligatur uera sanctorum oratio, neq; in hoc loco quàm illo melior esse iudicatur. Bonitas enim siue præstantia orationis non ex loco, sed ex mente orantis æstimatur. Nam dominus in euangelio ait, Veniet hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem spiritu & ueritate, &c. Ioan. 4. cap. *Orare in cubiculo.* Minimè autem hic prætereundi uidētur, quibus persuasum est pios nullibi orare posse nisi domi in cubiculo. Quò detorquent illa saluatoris nostri uerba, Tu cum oras, introito in conclaue tuum, & occluso ostio tuo ora patrem tuū qui est in occulto, & is qui est in occulto, persoluet tibi in propatulo. Cæterum habent hæc antithesin ad superiora. Nam præcessit, Cum oraueritis non eritis sicuti hypocritæ: solent enim in conciliabulis & in angulis platearum stantes orare, quò cōspicui sint hominibus. His enim modò opponit, Tu uerò cum oraueris introito in conclaue tuum. Quoniam autem in taxando orationis uitio non locum propriè damnauit, sed figuratè hoc potius dixit, Pharisæi precibus suis in plateis factis uenantur laudem & assentationem populi: ita ex contrario cubiculi mentionem faciens, non locum propriè orationem uel meliorem, uel peiorem facere sensit, sed figurato sermone docuit syncero animo & alienissimo à captandis hominum laudibus esse orandum. Nam qui mente ab affectibus tranquilla solum Deum respiciens orat, in cubiculo suo orat, siue in templo siue in platea oret. Alioqui enim dominus cum discipulis in templo, in urbe, in agro, & ubicunq; res postulabat, orauit. Sequitur item, Pater qui uidet in occulto, reddet tibi in propatulo. Id est, pater cui probatur animus non superbus, sed humilis & ab ambitione alienus, rependet tibi palàm. Publicæ autem preces fiunt in templo aut in cœtu sanctorum: quem si quis contemnat, clamitans orationē nulli loco alligari oportere, nescio an Christiano nomine dignus sit, cum libertate Christiana fœdè abutatur. Porrò de Cœtibus dixi paulò superius. Dicemus plura fortassis ultimo huius Decadis Sermone.

Habitus orantium. Attingendus hic quoq; uenit orantium habitus. Absit autem omnis luxus, omnis

omnis superbia, omnis immoderatus corporis cultus ab ijs qui oraturi in templũ Christi ueniunt. Turpiter uideretur sancto magistratui illusisse, quisquis ueniam delicti postulaturus, positis pullis uestibus, candidis autem sumptis, in consessum sancti senatus prodiret superbus. Dignus hic iudicaretur qui non modò repulsam pateretur, sed & concluderetur in carcerẽ. Quis uerò neget Deo illudere turpius uenientes in templum oratũ ueniam, cum sint peccatorũ pondere oppresi, hic tamen adeò non humiliari, sed huiusmodi corporis cultu in conspectũ Dei & sanctorũ prodire, ut & iram Dei in se de nouo prouocẽt, & optimos quosq; in Ecclesia offendãt grauissime? Proinde Paulus multis docet modestiam, honestatẽ & humilitatem in templo esse seruandã. Locus extat 1.Cor.11.cap. Quod reliquũ est huius negotij, beatus Christi martyr Cyprianus, cõprehendens sic scribit, Sit orantibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorẽ. Cogitemus nos sub cõspectu Dei stare. Placendũ est diuinis oculis & habitu corporis & modo uocis. Nam ut impudentis est clamoribus strepere, ita cõtra cõgruit uerecundo modestis precibus orare. Quidam ineptè ex corporis constitutione orationem uel meliorem uel peiorem iudicant. Audiant ergo beatum August. lib. 2. ad Simplicianum. Quæst. 4. dicentẽ, Non refert quomodo corpus constituatur, dummodo animus Deo præsens peragat intentionẽ suã. Nã & stantes oramus, sicut scriptum est, Publicanus de longinquo stabat: & fixis gentibus, sicut in Actis Apost. legimus: & sedentes, sicut Dauid & Helias. Nisi autem & iacentes oraremus, non scriptũ esset in Psalmis, Lauabo per singulas noctes lectum meũ. Cum enim quisq; orationem quærit, collocat membra sicut ei occurrerit accommodata pro tempore positi corporis ad mouendum affectum. Cum autem nõ quæritur, sed infertur appetitus orandi, cum aliquid repente uenit in mentẽ, quo supplicandi moueatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocunq; modo inuenerit hominem, non est utiq; differenda oratio, ut quæramus quo sedeamus, aut ubi stemus, aut prosternamur. Tertullianus commemorans habitum suæ ætatis Christianorum orantiũ in Apologetico contra Gentes, Ad cœlum suspicientes Christiani, inquit, manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus: deniq; sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus omnes semper pro omnibus. Vbi tamen in primis recenti memoria tenere oportet doctrinã saluatoris in euangelio dicentis, Cum oraueris, non eris quemadmodum hypocritæ. Nam illi solent in conciliabulis & in angulis platearum stantes orare, quò conspicui sint hominibus. Amen dico uobis, habent mercedem suam. Cauendum enim nobis ante omnia, ne in hunc finem uel priuatim uel publicè oremus, habitumq; corporis componamus, ut auram hauriamus popularem, ut magni & sancti uideamur esse apud homines. Sat est placere Deo, ac eius iudicio approbari.

Cyprianus

Augustinus.

Corporis cõstitutio nec peiorem nec meliorem reddit orationem.

Tertullianus

In consideratione orationis nemo dixerit esse postremũ scire quid ores, quam rem à Deo petas, uel pro quibus preceris. Considerandæ hic ueniunt personæ & res. Personæ uel publicæ sunt, uel priuatæ. Publicæ sunt, episcopi, doctores, magistratus, & omnes in eminentia constituti. Pro his orare iubet prophetica, euangelica & apostolica scriptura. Paulus non semel postulat intercesiones ab ecclesia ad dominum, ut liberetur ab absurdis & proteruis hominibus, & ut liberè loqui posit euangeliũ, sicut loqui deceat. Pro omnibus in eminentia constitutis intercedere idem ille mandat, ut placidam ac quietam uitam degamus, cum omni pietate & honestate. Priuatæ personæ sunt, parentes, uxor, liberi, consanguinei, affines, uicini, ciues, amici, inimici, ægroti, captiui, afflicti, deniq; proximi quiq;: quorum salutem & incolumitatem Deo precibus cõmendare iubet natura & charitas

Quid orandum uel petendum à Deo.

Rom. 15.
Ephes. 6.
2. Thess. 3.
1. Tim. 2.

Res Christiana, quibus accedunt & testimonia ac exempla scripturæ. Cæterũ res sunt ipsa bona expetibilia, quorum alia cœlestia, spiritualia, siue æterna: alia uerò terrena, corporalia, siue temporalia: præterea alia quidem communia, alia rursus priuata sunt. Communia ad communem ecclesiam & rempublicam pertinent, nec paucorum sunt sicuti priuata. Spiritualia autem numerantur hæc maximè, fides, spes, charitas, perseuerantia, & chorus ille uirtutum omnium, ecclesiæ profectus & incolumitas, peccatorum remissio, & uita æterna. Inter quæ non ineptè recensentur dona ingenij, artes ingenuæ, scholæ bene institutæ, fidi doctores, magistratus sanctus, leges æquæ. Corporalia sunt, respub. tranquilla, robusti in bello exercitus, bona ualetudo, robur & forma corporis, amplæ uel sufficientes facultates, incolumitas & felicitas uxoris, liberorum, amicorum & ciuium defensio, pax, integra fama, & quæ huius generis sunt alia. Nemo autem nescit potiorem haberi oportere rationem spiritualium, quàm corporalium: & ante omnia petenda esse cœlestia. Ac in corporalibus quoq; habendus est delectus, ut priuatis bonis communia anteponantur. Salua enim republica, salui esse possunt ciues. Scholis integris, spes est nunquã defore prudentes & æquos gubernatores reipublicæ. Sunt præterea in bonis temporalibus alia alijs præstantiora. Hæc ergo sancti ante alia postulant à domino, sed minus præstantia tamen & ipsa à domino dari intelligũt, ideoq; & à domino petunt. Parum exercitati in scripturis contendunt, non licere à Deo precibus postulare bona corporalia. Verùm confutantur multis scripturæ exemplis. Non enim patriarchæ prophetæq;, sed & Apostoli Christi à Deo postularunt bona temporalia, defensionem ab hostibus, integram famam, & alia corpori necessaria. Id quod mox discemus ex forma orandi, quam nobis tradidit ipse dominus, diligenter quid petamus exponens.

Licet petere à Deo bona corporalia.

Qua lingua orandum sit.

Venit & hoc in quæstionem, qua lingua sit orandum. Qui contendunt Latina priuatim & publicè esse orandũ, mihi insanire uidentur, nisi loquantur de Latinæ linguæ doctis. Quando enim non ore tantũ ac uoce sed corde & mẽte orandum est, quomodo obsecro corde, & mente orabit, qui linga utitur non intellecta? Sancta quidem uerba pronũciat, uerũ quid dicat ignorat. Nihil aut nunquam orare, & uerba non intellecta profundere orãdo, in idem omnino recidunt. Oret itaq; gens quælibet ea lingua, quam maximè & familiarissimè intelligit. Non minor insania est, in publicis cœtibus uti lingua peregrina: atq; hæc quidem res maximorum in ecclesia malorum seges fuit. Quæcunq; egerunt & recitarunt ueteri populo in ecclesia à Deo ordinati sacerdotes, & diuinitus missi prophetæ, nõ Chaldaica, non Indiana, aut Persica, sed Hebraica, id est uulgari & materna egerunt & recitarunt. Sed & libros uulgari lingua scripserũt. Christus dominus unà cum suis apostolis usus est uulgari lingua. Apostolos dono linguarũ instruxit, ut cuiq; genti loqui possent. Et quoniam eo seculo lingua Græca omnium fuit copiosissima uulgatissimaq;, apostoli non Hebraica, sed populari Græca lingua scripserũt. Sanè decet ea quæ in communi templo pro cœtu sacro fiunt, intelligi ab omnibus. Alioqui enim frustra coirent tot homines in cœtum. Vnde luce meridiana clarius est, eos qui peregrinas linguas in templum dei induxerunt, omnia conturbasse, ipsum ardorem mentium extinxisse, adeoq; orationem ipsam & usum orationis, adde & omnem fructum actionum ecclesiasticarũ sustulisse ex ecclesia. Et Latinus quidem princeps Latinam hanc abominationẽ in templum Dei induxit. Clamat hic impijssimè factum, si Germania, Anglia, Gallia, Polonia, Pannonia, & oret, & omnia ecclesiastica officia peragat lingua nõ Romana uel Latina, sed Germanica, Anglicana, Gallica, Polonica, Pannonica. S. Paulus semel hanc contro-

uersiam

uersiā dirimens, disertis uerbis, Si orem lingua, inquit, spiritus (flatus) meus orat, 1. Cor. 14.
at mens mea fructu uacat. Quid ergo est? Orabo spiritu, sed orabo & mente. Ca-
nam spiritu, sed canam & mente. Alioqui si benedixeris spiritu, is qui implet lo-
cum indocti, quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarumactionem? Quan-
doquidem quid dicas nescit. Tu quidem gratias agis, uerum alius non ædificatur.
Ego quidē, deo gratia, magis quàm uos omnes linguis loquor: malo tamen quinq;
uerba mente loqui in ecclesia, ut & alios instituam, potius quàm decem millia uer
borum lingua. Et hunc quidem locum citauit Iustinianus Imperator in Nouell.
Const. 123. ubi districtè episcopis & presbyteris præcipit, nō tacito modo, sed cla-
ra uoce, quæ à populo exaudiatur, sacram oblationem & preces in sancto baptis-
mate adhibitas, recitare, quò maiore exinde deuotione in depromendis Dei laudi
bus audientium animi efferantur. Constat præterea ipsum Gregorium magnum
lingua patria, suis in urbe Romanis ciuibus esse loquutum: id quod ipse testatur
in Præfatione Comment. Ezech. ad Marianum episcopum. De Græcis episcopis
nemo nescit, omnia in ecclesijs suis sacra, patria peregisse lingua, ac in eadem no-
bis sua reliquisse scripta. Insani ergo & amentes meritò iudicabimur, nisi nostra
quoq; in templo sacra peragentes utamur lingua, cum tot & tanta præcedant &
ecclesiarum præstantissimarum & clarissimorum ecclesiæ antistitum exempla,
ut iam non repetam disertissimam S. Pauli apostoli doctrinam.

Postulat hic locus ut nonnihil dicam de cantu ecclesiastico, & Horis canoni- De Cantu ec-
cis. Nemo autē existimet preces uoce humana decātatas deo gratiores esse, quàm clesiastico.
simpliciter recitatas. Deus enim nec uocis humanæ suauitate flectitur, nec rauca
recitatione precum offenditur. Fide & pietate mentis, non ulla specie externa,
cōmendatur oratio. Externa illa propter nos ipsos excitandos magis adhibentur:
quanquam & ipsa parum efficiant, nisi spiritus domini corda nostra inflammet. Et
Canendi quidem ritum longè uetustissimum esse nemo potest negare. Leuitas 1. Par. 29.
enim in ueteri ecclesia diu ante Christi tempora cecinisse, & iubēte quidem Deo
cecinisse, testantur sacræ historiæ. Rursus neminem negare opinor operosam illā
per Dauidem in templum dei illatam musicam, & cerèmonijs accenseri, & ean-
dem unà cum templo & ceremonijs disparuisse. De domino nostro Iesu Christo,
qui est Messias uerus & consummata legis perfectio, non legimus quòd uspiam
cantarit, uel in templo, uel extra templum, aut quòd uspiā discipulos suos docue-
rit cantare, uel præceperit cantum ecclesijs tradere. Quod enim apud Matthæum Matth. 26.
& Marcum legitur, καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, huiusmodi est, ut non Marc. 14.
cogat necessariò intelligere dominū cum discipulis suis cantauisse. Potest enim
hymnus, qui est laus Deo debita, sine modulatione uocis suppliciter recitari. Cer-
tè uetus interpres utrobiq; tum apud Matthæum, tum apud Marcum constanter
uertit, Et hymno dicto, exierunt in montem oliuarum. Erasmus in Matth. reddi-
dit, Et cum hymnum cecinissent: at Marcum uertens dixit, Et cum hymnum di-
xissent, &c. Vtrobiq; uerò legitur ὑμνήσαντες. Significat autē ὑμνέω laudo, aut lau-
des celebro, quod cantu quidem, sed & citra cantum fieri solet.

Quanquam uerò nec ipse dominus cantum præcepisse discipulis, nec hos ec- Paulus canētes
clesiæ tantum tradidisse, aut ipsos in Actis Apostolorū in cœtibus sacris cecinisse non coercet.
legimus, Corinthiorum tamen ecclesiam uel sua sponte, uel imitatione quadam
ecclesiæ ueteris psallere incipientē non coërcuit Paulus, quòd hunc à ueteri plu-
rimū differre uideret. Permisit ergo psalmodiam, sed prætulit interim prophetiam
seu concionandi munus: requisiuit item modum & mentem à psallentibus, sine
quibus proculdubio & oratio & cantus non modò inutilis, sed & noxius est. Ora- 1. Cor. 14.

bo spiritu, inquit Apostolus, orabo & mente: psallam spiritu, psallā & mente. Nec scio si uspiam aliàs cantus in cœtibus sacris meminerit Apostolus, nisi huc referre libeat quod Paulus scriptum reliquit in 3. cap. ad Coloss. quanquā & priuata poterat uideri institutio. Nam quod in epist. ad Ephesios his uerbis scriptū reliquit, Ne inebriemini uino, in quo luxus est, sed impleamini spiritu, loquentes uobis ipsis per psalmos & hymnos, & cantiones spirituales, canētes & psallentes in corde uestro domino, gratias agentes semper de omnibus, in nomine domini nostri Iesu Christi, Deo & patri, quale sit ex occasione & contextu uerborū facilè iudicatur. Nihil enim dicit de cantu publico in templis fieri solito, sed de priuata ratione cantandi. Respexit enim ad cōuiuia luxuriosa, in quibus ferè solent à bene potis cantillari carmina parum uerecunda. Vos ergo ne inebriemini uino, inquit Apostolus, ne cantaueritis parum pudicas cantilenas, quin potius si cantare libet, psalmos spiritualesq; cantiones cantate. Quibus & illud accedit, quòd in his quoq; magis cordis iubilum quàm uocis modulationem requirit, tantum abest ut unquā inconcinnos uel publicos uel priuatos clamores probauerit. Quanquam simplicior sensus fuerit, si intellexerimus, In corde, dictū esse pro Ex animo. Proinde nemo potest uel debet moderatam & religiosam psalmodiam siue publicè in cœtib. sacris, siue priuatim domi usurpetur, improbare. Ac plurima quidem testimonia inuenias in historia Ecclesiastica, per Eusebium & Sozomenum edita, perhibentia, orientales Ecclesias, iam inde ab Apostolorum ætate psalmos & hymnos cantauisse Christo domino. Inuenias & illud, decretis aliquot in Concilijs constitutū esse, ne quid in cœtibus sacris aliud uel legatur, uel canatur præter scripturam canonicam. Maturè enim in ecclesia nec modus seruabatur, nec sola legebatur scriptura canonica, nonnullis uidelicet sua subijcientibus carmina.

Ephes. 5.

Ecclesiasticus cantus uetust.

Hic tamen duarum in hoc negotio excellentium rerum admonendam duxi c.v. Prioris, Cantum ueteris ecclesiæ longè alium fuisse, quàm is sit qui hodie est in usu. Rectè enim Erasmus Roterod. iudicat ueterum cantum aliud non fuisse, quàm distinctam & modulatam pronunciationem, cuiusmodi hodie quoq; super sit modulatio Psalmorum, Euangelij, & Orationis dominicæ. Certè Plinius Asiæ Procos. didicerat ex diligenti rerum peruestigatione, uel examine, Christianos stato die ante lucem conuenire, carmenq; Christo quasi Deo dicere secum inuicē. Locus Plinij extat in epistola eius ad Traianū epist. lib. 10. Sed & Rabanus Maurus lib. Instit. cler. 2. cap. 48. Primitiua ecclesia, inquit, ita psallebat, ut modico flexu uocis faceret resonare psallentem, ita ut pronuncianti uicinior esset quàm canenti. Hæc mutuauit ille ex 33. cap. lib. 10. Confes. S. Augustini, qui ibidem disertè fatetur se peccare si magis capiatur uocū dulcedine quàm sensu uerborum, ideoq; desiderare ut omne melos cantilenarum suauium, quibus Dauidicum frequentatur psalterium, ab auribus suis ipsiusq; ecclesiæ remoueatur. Tutius enim uideri quod recordetur sibi sæpe dictum de Alexandrino episcopo Athanasio, qui tam modico flexu uocis fecerit sonare lectorem psalmi, ut pronuncianti uicinior esset quàm canenti. Posterioris, cantum, utcunq; uetus sit institutum, nunquam tamen fuisse uniuersalem & necessitate impositum ecclesijs, sed liberum, nec in omnib. ecclesijs semper usurpatum. Quibus accedit, quod & Sozomenus testatur eos qui cantarunt, non ijsdem precibus, uel psalmodijs, aut lectionibus, aut eodē tempore esse usos. Socrates historiarum lib. 5. cap. 22. In summa, in omnibus ubiq; regionibus, inquit, non poteris inuenire duas quæ omnino consentiant orando. Et occidentales quidem ecclesias serò recepisse Psalmodiam aut canendi ritum, liquet uel ex ipso Augustini testimonio, qui libro Confess. 9. capite 7. commemorat

Qualis fuerit ueterū cātus.

Cantus liber fuit, nunquam uniuersalis.

Sozomenus lib. 7. cap. 19.

rat Ambrosium pressum Iustinæ imperatricis Arianæ insidijs & persecutione, secundum morem Orientalium partium, instituisse, ut hymni & Psalmi canerentur, ex quo retenta sit psallendi consuetudo, & recepta ab alijs quoq; orbis partibus. Priusquàm tamen canendi ritum Occidentales ecclesiæ recepissent, habebantur ab omnibus Orientalibus pro ueris ecclesijs, nec cuiquam ueniebat in mentē, ideò hæreticas & schismaticas, aut non rectè institutas esse, quòd cantu uel psalmodia destituerentur. Nemo colligebat, Orientis ecclesiæ cantant, Occidentis nō item: ergo non sunt ecclesiæ.

Hæc integritas & libertas si mansisset incolumis & intemerata, hoc est, si ueteri illa modulatione nihil extra canonicas scripturas esset cantatū, si libertas mansisset ecclesijs canendi uel non canendi, profectò nullū hodie in ecclesia esset certamen de cantu ecclesiastico. Quæ enim cantarent ecclesiæ, ueteri modulatione uerbum Dei & solius quidem Dei laudes cantarent, nec hac parte se alias excellere existimarent, neque nihil canentes condemnarent: cùm hæ quoq; non despicerent sobriè & piè cantantes. Si enim pij in studio pietatis, inq; assiduis precationibus perseuerent, licet non canant, filij Dei nihilominus manent. Neq; uerò omnis & ubique cantus ædificat; neque omnes ecclesiæ ad canendum sunt idoneæ. Quid quod Rabanus eodem loco, quem modò citauimus, Propter carnales, inquit, non propter spirituales, in ecclesia consuetudo cantandi instituta est, ut qui uerbis non compunguntur, suauitate modulaminis moueantur, &c. *Concordia in cantu ecclesiastico.*

Cæterum cantus de quo hodie contenditur, non est uetus ille cantus, quinimò ueteri, & materia ferè & modulatione per omnia contrarius. Vulgus Gregorianū uocat, non utiq; à magno illo Gregorio, qui cantui non admodum propitius fuisse uidetur, uti claret ex eius cōstitutione, quæ legitur in Regist. eius parte 5. cap. 44. Rectius ergo sentire uidebimur, si referamus ad Gregorium V. qui sedisse dicitur circa annū Domini 995. & opera præterea usus, nescio cuius Roberti Carnotensis. Sunt tamen qui Vitaliano, sunt qui Gelasio ascribāt. Piget cōmemorare quæ hic contexit Durandus in Rat. diuin. lib. 5. Nam hæc parum moror. *Cantus Gregorianus.*

Plurima in hoc ueniunt uituperanda. Principiò enim multa, imò pleraq; cantantur contra ueram pietatem, nec cantantur ex scripturis sanctis omnia, sed ex legendis, nescio qualibus, & ex hominum traditionibus. Et quæ cantantur ex scripturis, ita ferè detorquentur & corrumpuntur, ut nihil genij diuini maneat reliquum. Inuocantur creaturæ ac homines mortui. Deinde præcipitur hic cantus, cantaturq; non sponte & liberali spiritu, sed coactè: imò cantatur pro pretio, & ut beneficium ecclesiasticum, quod uocant, recipiatur. Cantatur duntaxat à clericis ad hoc conductis, non à tota, ut quondam, ecclesia Christi. Nec ullus est cantandi finis aut modus. Cantatur dies atq; noctes. Huic inepto & etiā impio cantui tanquam operi diuino meritorioq;, tribuitur plus quàm uera fides admittat. Multiloquium esse dicas, quod Dn̄s apud Matth. prohibuit atq; condemnauit ceu ethnicam superstitionē. Cantatur præterea lingua peregrina, & paucis nota, ideoq; sine omni fructu ecclesiæ. Auditur diu sonus sine uerbis significantibus, suspensus, & sursum deorsumq; deflexus. Certant non rarò inter se cantores uocibus, ita fit ut totum templū rauco detonent boatu, ac per uocum cōtentiones auditores quid canatur parum intelligant. Nihil nunc dico de musica, quam figuratiuam uocant, & de musicis instrumentis, quæ omnia penè Organo ut uocant cōtinentur. Nihil nunc dico de nænijs, siue orationibus pro defunctis. De quibus etiā alibi disputauimus. Hæc autem & his similia ita occuparunt totum ecclesiastici cultus tempus, ut minimū aut nihil cedere possit ueris precibus & sanctæ diuinæq; prædicationi *Quæ uituperanda in cantu ecclesiastico.*

uerbi Dei. Idcirco iustissimis de caussis Euāgelio credentes, huiusmodi cantū nec usurpant, nec in templo Dei ferunt: religiosissimè autem, simul & prudentissimè agere uidentur, qui optimam temporis partem, aut ipsum etiam tempus totum cœtuum ecclesiasticorum ardentibus tranquillisq; precibus & sanæ annunciationi uerbi Dei, intermisso illo cantu, impendunt: præsertim cùm difficile sit cantum tolerabilē alioqui sic circūscribere ac cohibere, ne aliquādo iustas excedat metas.

De Horis canonicis. Porrò fuisse ueteribus certas & constitutas horas, quibus priuatim & publicè orarunt domi & in cœtibus, testatur multis locis tota scriptura sancta. Dauid non semel in Psalmis suis dicit, se accessurum Dominum mane & uespere. Daniel tribus in die horis adorabat Dominum. *Daniel. 6.* Rursus Dauid, Septies in die laudem dixi tibi. At per septies intellexit multoties. Sic enim alibi quoq; legimus scriptum, Percutiam uos septies, propter peccata. *Leuit. 26.* Et iterū, Septies cadit iustus, & resurgit. *Prouerb. 24.* Item, Si septies in die peccarit frater tuus, & conuersus fuerit, &c. *Luca 17.* Septies ergo certis locis etiam in hoc Dauidis ponitur pro multoties. Christus autem Dominus priuatas fidelium preces, quod superius quoq; diximus, neq; loco neq; tempori alligauit: publicas non sustulit. Non enim confusionis, sed ordinis est Dominus. Sed & discipuli eius cùm agerent in gente Iudaica, obseruabāt & ipsi, libertate nō necessitate, & propter cœtus maximè, consuetas gentis horas precandi. Nam Petrus & Ioannes ascendunt in templum ad horam precationis nonam. *Acto. 3.* In die Pentecostes erant omnes sancti unanimiter congregati, ac spiritum sanctum acceperunt ad horam diei tertiam. *Acto. 2.* Legitur & Petrus priuatim in superiorem domus partem circa horam sextam ascendisse. *Acto. 10.* Sublato templo & dispersis Iudæis, ecclesiæ ex Gentibus collectæ horas collectarum uel cœtuum non obseruarunt pares, sed pro libertate prout cuiq; ecclesiæ uidebatur maximè opportunū. Cuius quidē diuersitatis meminit & Ecclesiast. historia. *Trip. lib. 9. cap. 39.* Ferè tamē usurpatæ sunt ad cœtus horæ matutinæ & uespertinæ. S. Hierony. exponens nō ritū uniuersalis ecclesiæ quid faciat in cœtibus sacris, sed quid sua spōte chori solitariarū uirginū soleant, in Epitaphio Paulæ, Mane, inquit, hora tertia, sexta, nona, uespere, noctis medio per ordinem Psalterium cantabant. Die tantùm Dominico ad ecclesiam procedebant, ex cuius habitabant latere, &c. Ita ad priuatam institutionem pertinet, quod eiusdem generis legitur ad Lætam de Instit. filiæ, & ad Demetriadem de Custodienda uirginitate. Ac maiores uel celebriores quidem ecclesiæ (quas hodie appellant Cathedrales, nimirum à cathedra, uel ab ordine prophetarum ibi docentium aut profitentium, qualis quondam fuisse uidetur ecclesia Antiochena, Corinthiaca, Alexandrina & similes) certis horis, nimirum matutinis ac diurnis uel etiam uespertinis, ad tractationem seu excussionem sanctarum canonicarum scripturarū conuenerunt. Fundamenta eius obseruationis collocata uidentur in ecclesia Corinthiorum. De qua Apost. 1. Cor. 14. cap. abundè testatur. Euseb. Ecclesia. hist. lib. 5. cap. 9. scholæ ecclesiasticæ Alexandrinæ mentionē faciens, Ab antiquo, inquit, sacrarū literarum doctrina & exercitium apud eos uigebat: quæ consuetudo etiā ad nos usq; perdurat, quam & à uiris eloquentia diuinarumq; literarum studio potentibus institutā esse accepimus, &c. nimirum ad exemplum Corinthiacæ ecclesiæ. Vestigia huius saluberrimi ritus nonnulla apparebant aliquando in Occidentali ecclesia, sicuti colligere est ex S. Ambrosij & August. scriptis. At his quidem ipsis & mox insequentibus temporibus, cū perpetuis bellis omnes prope gentes colliderentur, ac in ultionem sanguinis Christi, sanctorū Apostolorū & martyrū, iuxta uaticiniū Danielis & beati Ioan. Apostoli & Euang. Romanū imperiū discerperetur, & præda fieret omnibus populis: hinc irruentibus Gotthis uel Germanis, illinc in ceruicem Ro-

mæ inuolantibus Hunnis alijsq; barbaris militibus, dissipatæ sunt optimæ scholæ, arserunt nobiles bibliothecæ, perierunt honesta & bona studia, unde & ecclesijs dati sunt doctores, ueteribus illis maximè dissimiles, qui ea non erant instructi facultate ut possent sacras tractare literas, felicitate tanta quanta tractauerant priores. In hac dissipatione, ne nihil remaneret tractationis canonicarũ scripturarum, apparet emersisse uiros doctrinæ canonicæ non omnino negligentes, qui totã scripturam canonicã ita in partes & per totum anni spatium distribuerunt, ut liceret semel in anno Biblia uniuersa, Psalterium autem crebrius, imò singulis septimanis absoluere. Psalmi orationis locum obtinebant: quibus succedentibus temporibus & aliæ multæ preces coniunctæ, ac ne lectio ipsa scripturarũ uideretur omni expositione carere, patrũ lectiones & homiliæ postremò adiectæ sunt: non ut soli sacerdotes hæc sibi secretò legerent (sicut hodie ferè fieri solet) aut ut hæc precum loco festinantissima lectione immurmurarent: sed ut palàm in templo apud populum, & ad ædificationẽ ecclesiæ exercendo peragerent. Vt iam non cõmemorem hunc ritum non fuisse receptũ ab omnibus, tantum abest ut fuerit districtè præceptus. Cuius quidem rei nõnulla insunt uestigia Distinct. 15. Sancta Rom. Cæterũ à lectione Canonicarum scripturarum, horæ, quibus legebãtur illæ, canonicæ uidentur appellatæ: sicuti & canonici à studio & lectione canonicarũ scripturarum. Quo autẽ tempore hoc, & à quibus primũ authoribus factũ sit, liquidò non constat. Tribuunt huius quiddam alij Hierony. alij Damaso, alij uerò Pelagio eius nominis secundo, alij Gelasio & Gregorio. Quoniam uerò Homiliæ & lectiones nõ paucæ Bedæ, & alijs posterioris seculi doctoribus ascribuntur, denique multa alia in his precibus horarijs leguntur quæ nullã planè uetustatẽ resipiunt: certè longè, ut uariè diuersisq; contextum temporibus, ita recentius est institutum quàm Papistæ existiment. Nec desunt qui tradant rogante Carolo magno Paulum diaconum, uel monachum Cassineñ. & Isuardum monachum, Lectiones, illas maximè quæ de diuis sunt, in horis istis legi consuetas, selectas tradidisse. Vtcunq; uerò hæc habeant, certissimum est horas illas hodie præceptas & canonicas appellatas, non diuinum, sed humanum esse inuentum, & laceras corruptasq; ueteris prophetiæ reliquias uel umbras: quibus præterea multas fabulas & ineptias esse attexas negari non potest. Certè talis hodie mixtura apparet, ut uideatur indignissima planè quæ in ecclesia Christi porrò uel usurpetur uel toleretur, nisi magis uelimus uentribus quibusdam quàm toti ecclesiæ consultum. De quibus hæc hactenus.

Postremo loco excutiendum restat quomodo orandum sit, quibus uerbis, aut qua sit utendum orandi formula. Formæ quidem orandi plures sunt, sed nulla melior ea quam tradidit Dominus noster unicè charus Deo patri filius. Nec ulla certior est quæ omnia breuibus comprehendit. Hac summa præscripsit quid se dignum, quid sibi acceptum, quid necessarium nobis sit, quid deniq; concedere ipse uelit. Vnde beatus Cyprianus orationem Dominicam explicans inter alia, Qui fecit uiuere, inquit, idem docuit & orare, benignitate scilicet qua & cætera dare & conferre dignatus est, ut cum prece & oratione quam filius docuit apud patrẽ loquimur, facilius exaudiamur, uereq; & spiritualiter adoremus. Quæ enim potest magis spiritalis esse oratio, quàm quæ à Christo nobis data est, à quo nobis & spiritus sanctus missus est? Quæ uera magis apud patrem precatio, quàm quæ à filio, qui est ueritas, de eius ore prolata est? Vt aliter orare quàm docuit, non ignorantia sola sit, sed & culpa: quando ipse posuerit & dixerit, Reijcitis mandatum Dei ut traditionem uestram statuatis. Oremus itaq; fratres dilectissimi, sicut magister Deus docuit. Amica et familiaris oratio est, Deũ de suo rogare, ad aures eius ascẽ-

Quomodo sit orandum.

Cyprianus

dere Christi orationem. Agnoscat pater filij sui uerba cùm precem facimus. Qui habitat intus in pectore, ipse sit & in uoce. Et cùm ipsum habeamus aduocatum apud patrem pro peccatis nostris, quādo peccatores pro delictis nostris petimus, aduocati nostri uerba promamus. Nam cùm dicat, Quæcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis: quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione? Hæc ille.

An ad uerba orationis Dominicæ simus alligati.

Ex his contexitur quæstio, An ita uerbis orationis Dominicæ alligati simus ut alijs omnino uerbis orare non possimus? Respondeo noluisse Dominum ita nos conceptis astringere uerbis, quasi alijs uerbis aut forma alia uti nō liceat: sed proposuit uniuersalia quædam, ad quæ omnes nostras preces referamus. Nam & Augustinus ad Probam de Orando Deo, ostendit nihil uspiā in sacris literis esse oratum, quod non cōprehendatur oratione Dominica. Nam si per omnia precationū sacrarū uerba discurras, inquit, nihil inuenies, quod non ista Dominica concludat & contineat oratio. Quibus mox subijcit, Vnde liberū est alijs atq; alijs uerbis eadem tamen in orando dicere, sed nō debet esse liberum alia dicere. Consultissimè ergo faciunt, qui omnes suas orationes ad orationē referunt Dominicā, cui & primas tribuunt, & hanc perpetuò in animo retinentes meditantur atq; exercent.

Quid necesse sit Deo uota nostra uerbis exponere.

Quæri solet & aliud, Quid necesse sit Deo uerbis exponere uota nostra cùm omnia prius norit? Diximus mox ab initio huius Sermonis, orationem nostram esse humiliationem coram maiestate diuina, quibus insuper hæc adijcimus. Non exponimus Deo uota nostra uelut nescienti, aut ut ignorantem doceamus, aut ut operosa & eleganti oratione Deū flectamus, sed propter nos ipsos uerbis utimur quibus nos excitemus. Et in hunc finē sanctissimi quiq; uiri Dei prolixè uota sua Domino exposuisse leguntur in Psalmis & in historijs. S. Hieronymus, Nos non sumus narratores, inquit, sed oratores. Aliud est enim narrare ignoranti, aliud scientem petere. In illo indicium est, in hoc obsequium. Ibi fideliter indicamus, hic miserabiliter obsecramus. Et beatus Augustinus, Nobis uerba necessaria sunt, inquit, quibus cōmoueamur, & inspiciamus quid petamus: non quibus Dominum seu docendum, seu flectendum esse credamus.

Quomodo prohibitum multiloquium.

Proinde cùm Dominus multiloquium uel battologiam in oratione prohibuit, non ad modica & succincta uerba orationē fidelium simpliciter astrinxit, sed prohibuit ne ethnicorum more multa uerba sine sensu & mente profundamus, & deinde existimemus nos exaudiri propter multiloquium precumq; frequentem iterationem: quod hodie arbitrantur falsò ad numerum orantes, & rosaria contexentes. Subiungit enim Dominus, Putant fore ut ob multiloquium exaudiantur. S. Augustinus distinguit inter multum loqui & multum precari. Multum loqui, inquit, est in orando rem necessariam superfluis agere uerbis. Multum precari autem est, ad eum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerunq; hoc negotium, plus gemitibus quàm sermonibus peragitur. Et mox, Nō est improbum uel inutile cùm uacat orare prolixius. Nam de ipso Domino nostro scriptum est, quòd pernoctarit in orando, quòd prolixius orauerit. Vbi quid aliud quàm nobis præbuit exemplū? Hæc ille. Quòd si cui difficile est prolixius & continuè orare, interrumpat orationem licet, sed eandem crebrius reparandam recurrat. Talis enim breuiloquentia in orando laudem meretur. Et ut hunc locum finiamus, nemo existimet se orando nescienti Deo narrare res nostras: nemo existimet se exaudiri propter expositionem & propter operosam quidem & exactam expositionē sæpiusq; repetitam, & intensissimis clamoribus auribus diuinis inculcatam: nemo existimet ad numerum certum esse orandum, hoc est, orationes Dominicas

Augusting

minicas

minicas Deo nostro tanquam nõ bene memori & male fidei Domino baccis globulisq; collectis, & quasi ad calculum reuocatis, esse annumerandas. Etenim talia non citra fœdissimam superstitionem fiunt.

Quoniam uerò dixi, quod & omnes pij per totum terrarum orbem confitentur, absolutissimam orandi formulam nobis esse traditam Oratione Dominica ab ipso Domino nostro Iesu Christo, restat ut sanctissimam illam diuinissimisq; uerbis compositam uerbotim ex ore Domini, sicut eam nobis Matthæus Apostolus retulit, recitemus, deinde eandem, qua fieri potest breuitate & perspicuitate, exponamus, quò rectius quisq; quod orat intelligat, afficiaturq; penitius. Orationis diuinissimæ formula hæc est: *Orationis Dominicæ expositio.*

Pater noster, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, ita & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra; sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne inducas nos in tentationem; sed libera nos à malo, Amen.

Sacrosancta hæc Domini Iesu Christi seruatoris, doctoris & summi Pontificis nostri oratio catholicæ ecclesiæ tradita, ut sit catholica orandi Deũ formula, distingui solet in Præfatiunculam & petitiones sex. Alij septem numerant. Tradunt quidam priores tres petitiones seruire præcipuè gloriæ Dei ꝑpagandæ, posteriores nostri curam gerere, & ea quæ nobis necessaria sunt postulare. Videntur autem pleræque utrunque continere. Præfatiuncula hæc est, Pater noster qui es in cœlis. Hac inuocamus & consecrantes nos Deo totos conijcimus in eius curam & misericordiam. Ac singula uerba ingentia habẽt mysteria. Voluit enim Dominus orare nos sensu magis quàm uerbis. Hæc ergo admonent & cogitanda sufficiunt, mens uerò instructa spiritu sancto, quem ante omnia orantibus necessarium diximus, eleuataq; in contemplationem Dei rerumq; diuinarum, hæc deuotè & ardenter meditatur. Et Patris quidem uocabulum multarum simul rerum nos admonet. *Orationis Dominicæ distinctio.* *Pater.*

Principiò enim docet nos, omnes preces nostras, non alij offerendas esse, quàm ei qui pater sit, hoc est, solum Deum esse inuocandum, nec alium pro hoc, aut alium cum hoc. Vnus est enim Deus & pater noster, plenitudo & sufficientia bonorum omnium, in quo solo fideles acquiescunt, & extra quem nihil uerorum bonorum quærunt. Et certè non potest hæc oratio ulli creaturæ offerri. Cui enim angelorum, aut sanctorum, uel diuorum dixeris absque sacrilegio, Pater noster qui es in cœlis? &c. 1

Deinde docet nos Patris uocabulum, per quem, patrem hunc inuocemus, non per interuentum & ora diuorum, sed per Iesum Christum Dominum nostrum, per quem solum facti sumus filij Dei, qui alioqui nascimur & eramus natura filij iræ. Quis obsecro auderet prodire in conspectum Dei summi & æterni, & hunc appellare patrem, se filium, nisi in dilecto & naturali suo filio nos adoptasset in filios gratiæ pater? Dicentes ergo Pater, loquimur ex ore filij, qui ita nos orare docuit, & per quem euecti sumus in hanc dignitatem: ut nihil sit necesse adijcere nomen Christi, ac dicere: Oramus te pater cœlestis per Christum: cùm in prima uoce Pater, totum mysterium filij Dei redemptionisq; cõprehendamus. Quia enim pater est, nos filij sumus, idq; per meritum Christi: patrem ergo inuocamus & appellamus per Christum: ut iam non repetam quòd sic oramus ex ore Christi. 2 *Oratio Dominica patri per Christum offertur.*

Præterea eximit nobis blandum patris uocabulum omnem cordis diffidentiam. Patrem enim appellamus non tam creationis uniuersi ratione, quàm erga nos singularis paternæq; beneuolentiæ. Vnde licet Dominus sit 3

in ipso, ut regnum Christi propagetur & inualeat in orbe terrarum, ut doctores & magistratus ecclesiastici, denique principes, adde & scholæ, & quicunque promouere possunt regnum Christi, charismatibus inuncti & irrigati floreant, superent, triumphent: præterea petimus ut diaboli & antichristi regnum frangatur & dissipetur, ne noceat sanctis, ut cum regno diaboli superetur & calcetur omnis impietas, atterantur denique & perdantur omnia instrumēta seu arma antichristianismi. Postremò oramus ut postquam ex procelloso huius seculi euripo enauigauerimus, recipiamur ac congregemur ad Christum & ad omnes sanctos in regnum gloriæ æternum. Sicut enim regnum Dei uenire ad nos, & deum in nobis regnare cupimus, ita nos in regnum eius uenire uel recipi, & æternùm cum ipso uiuere sanctissimè postulamus.

Fiat uoluntas tua. Tertia petitio est, Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo, ita in terra. Non regnat in nobis deus, nisi ipsi obediamus: petimus ergo post regnum, obedientiæ ab[illegible] gratiam. Etenim non postulamus ut faciat deus quod uult. Semper enim fit Dei uoluntas etiamsi id nunquam petamus, & omnibus uiribus nostris reluctemur. *Psalm.113.* Nam propheta dicit, Deus noster in cœlo est, omnia quæcunque uoluit fecit in cœlo & in terra. Petimus ergo ut quod ipse uult, idem nos semper & uelle & facere efficiat. Semper enim illius uoluntas bona est, nostra uerò propter corruptionem peccati mala est. Oramus ergo gratia sua nobis adsit, quò nostra uoluntas regeneretur, & conformis fiat diuinæ bonæ uoluntati, ut se formandam sponte præbeat spiritui sancto: ut uelit eius gratia quod ipse inspirat: ut quod bene in nobis cœpit, perficiat, uires ad hoc & patientiam conferat: ut in omnibus cùm prosperis tum aduersis bonam Dei uoluntatem agnoscamus, ne quid hic ex nobis ipsis uelimus, ac prosperis efferamur, aduersis demergamur, sed ut accommodemus nos eius uoluntati gubernandos in omnibus & per omnia, ad hunc modum scilicet subijcientes nostram uoluntatem eius uoluntati. Præterea si quid petimus uoluntati eius contrarium, ne concedat, sed stultitiam potius nostram nobis condonet, nostramque uoluntatem non bonam nobis infringat, in uoluntate sua bona nos erudiat, quò nihil dubitemus hanc semper esse sequendam, & semper esse bonam, omniaque in nostrum fieri ab illa profectum.

Sicut in cœlo & in terra. Maximum hac in parte certamen sentiunt in semetipsis fideles, Paulo testante & dicente, Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuò aduersantur, ut non quæcunque uolueritis, eadem & faciatis. Idcirco non qualemcunque conformitatem uoluntatis nostræ cum uoluntate diuina postulamus, sed subiungimus, Sicut in cœlo ita etiam in terra. Id est, concede pater, ut in nobis terrenis hominibus ita fiat tua uoluntas, uti fit in cœlitibus tuis beatis spiritibus. Hi non reluctantur in cœlo sanctissimæ tuæ uoluntati, sed unanimes hoc duntaxat uolunt quod tu uis, imò in hoc uno beati sunt ac felices, quòd *Velle quod uult deus bona felicitatis pars.* in tua uoluntate consentiunt atque acquiescunt. Certè in terris non minima felicitatis pars est, uelle quod uult Deus: extrema infelicitas est, nolle quod uult Deus. Atque hoc quidem infinitis exemplis poterat demonstrari, uulgare duntaxat & unicum proferam. Ægrotat aliquis grauiter, & dolores tormentaque sentit uix tolerabilia homini, at hic interim agnoscit se hæc pati sic iubente & uolente Deo patre optimo, benignissimo, & iustissimo, qui ipsi bene uelit, & hanc calamitatem grandem immiserit in salutem & gloriam ipsius: an non hic in medijs tormentis subijciendo se uoluntati diuinæ refrigeriū sentit? & quod homini uidebatur acerbissimū amarissimumque, deditione hac uoluntaria, & spontanea reddit suaue & dulcissimum? Rursus ægrotat alius non admodum graui morbo oppressus, sed hic

non

non agnoscit morbū bona dei uoluntate sibi immissum esse, imò arbitratur Deum ignorare morbum, Deum non curare morbum, hunc ergo in alias atque alias reijcit caussas, modosque comminiscitur & quærit medendi uarios, ac in his mirificè exercetur & affligitur, nec tamen sic reluctando diuinæ uoluntati, quicquam inde sentit refrigerij aut consolationis: quid ergo hic aliud facit nolens quod uult Deus, quàm quod solent malum male uitando conduplicare? Proinde fundamentum omnis felicitatis est fidelis obedientia, qua nos & nostra omnia plenè subijcimus bonæ Dei uoluntati: ideoque maxima hac petitione nobis concedi à patre oramus, regenerationem uel innouationem mentis, obedientiam ueram, patientiam perseuerantem, mentemque Deo in omnibus & semper consentientem atque subiectam.

Quarta petitio talis est, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Nam diuina uoluntas non potest in nobis fieri, nisi alamur & cōfortemur pane Dei. Panis significat Hebræis omne ciborum genus & conseruationem seu sustentamentum humanæ substantiæ. Vnde in prophetis dictum legimus, Frangam baculum panis. Constat autem homo substantia duplici, anima & corpore. Anima spiritus est: corpus ex terra & elementis alijs confectum est. Duplici ergo conseruatur pane, spirituali & corporali. Spiritualis animæ cibus, quo in uita conseruatur, est ipsum Dei uerbum, ex ore diuino prolatū: in euangelio ex lege repetente domino, & dicente, Nō solo pane uiuit homo, sed omni uerbo quod egreditur ex ore Dei. Et quoniam hoc unicè proponit fidelibus uerbum Dei æternum & incarnatum, ipsum inquam Dei filium, rectè hunc agnoscimus cibum esse animæ, imò totius hominis fidelis. Ipse enim testatur se esse panem qui è cœlo descenderit, ex quo manducantes non moriantur, sed habeant uitam æternam. Corporalis panis constat elementis & terrenus est, ac comprehendit cibum, potum, uestitum, sanitatē corporis prosperam, defensionem, breuiter incolumitatem & saluum uitæ humanæ statum. Et hunc quidem panem appellamus nostrum: non quòd non sit munus & beneficium Dei, sed quòd nobis destinatus, ad conseruationem nostri pertineat, nobisque necessarius sit. Interim tamen & quotidianum siue ἐπιούσιον appellantes, omnium præstantissimum significamus, qui solus possit substantiam nostram, quantum satis, & quàm diu oportet, & eo prorsus modo & ea ratione qua necesse est, sustentare uel conseruare. Diximus enim superius, nostrum non esse Deo modum agendi uel dandi præscribere. Huc pertinēt & illa cōsequentia uerba, Da nobis hodie: Solius enim Dei est dare: nec cōgruit ulli creaturę hæc petitio. Dauid canit. Omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Item, Oculi omniū in te sperant domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Iam Nobis da, non Mihi da, oramus, id quod iterum admonēt & charitatis & coniunctionis fraternæ. Non enim nostra duntaxat quærere, sed & omnium aliorum hominum incolumitatem & conseruationem petere debemus. Vocabulum Hodie modum nobis statuit. Hoc enim dicimus, Suffice tu nobis quotidie & momentis singulis, quantum satis nobisue necessarium est: id quod tu solus optimè nouisti. Admonemur enim obiter ne immodica fluxarum rerum cupiditate ardeamus, & consequutas prodigamus luxu perdentes & opes & nostras animas. Ideo uerò Sapiens ille legitur dixisse, Duo à te postulaui, ne deneges antequā moriar. Procul à me remoue uanitatem & mendacium. Inopiam & diuitias ne dederis mihi; sed fac ut habeam panem dimensi mei, ne satiatus te negem dicens, Quis est Deus? aut per inopiam fu-

Panem.
Matth. 4.
Deut. 8.
Nostrum.
Quotidianum.
Da.
Nobis.
Hodie.
Prouerb. 30.

rer & abiurem nomen Dei mei. Hac itaq; petitione quarta nos totos tradimus in curam Dei patris, ac prouidentiæ eius nos committimus, ut nos pascat, defendat, seruet, qui solus seruare potest. Nisi enim ille benedictionem suam in nos effundat, nisi uires conferat rebus illis medijs pertinentibus ad sustentationẽ & defensionem nostri, nihil omnia efficiunt. Oramus pro felici cursu uerbi Dei, pro ipsis pastoribus ecclesiarum, pro defensoribus reipublicæ, pro ecclesiæ & reipublicæ incolumitate. Petimus ut omnia sufficiat benignus pater quæcunque necessaria sunt ad animæ & corporis sustentationem & necessitatem.

Et remitte nobis. Cæterum ne quis se indignum crederet pane quotidiano, quòd filijs non canibus debetur, & ideo segnius aut fiducia tenuiore oraret, præoccupat hanc sollicitudinem piorum dominus, quintam subijcit petitionem, hanc, Et remitte nobis debita nostra: sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Petimus his peccatorum nostrorum ueniam. Vt autem concedatur nobis delictorum uenia, agnoscamus oportet nos esse peccatores. Nisi enim hoc faciamus, quomodo delicta nobis remitti postulabimus? Certè omnes sancti hac orandi utuntur formula. Omnes itaq; agnoscunt se esse peccatores. Reliquiæ enim remanent etiam in renatis & sanctissimis hominibus, quæ quotidie erumpunt in cogitationes, in dicta & facta praua, non rarò etiam in scelera. Qualiacunq; uerò sint delicta uel peccata nostra, ea primùm quidem deo patri humiliter confitemur, deinde oramus ut remittat. *Debita nostra.* Peccata nostra ipso Deo doctore debita appellamus, quòd eorum pœnã Deo ceu pretium debemus. Ille uerò remittit nobis debita, cum pœnam non exigit à nobis commeritam, perinde de nobis iudicans ac si ipsi nihil debeamus. Allusio enim fit ad debita corporalia: quæ si creditor debitori remiserit, ius non habet amplius, eum qui debitor fuerat, conijciendi in carcerem aut exigendi pœnam. Ergo remittitur nobis non tantùm culpa, sed & pœna. Neq; uerò merita nostra patri obtendimus: sed, Remitte, uel dimitte nobis dicimus, debita nostra. Remissionis uocabulum gratuitam delictorum condonationem innuit. Etenim nobis remittit quod nõ sumus soluendo. *Luca 7.* Vnde in euangelio legimus, Cum debitores non essent soluendo, donauit utriq; debita. Similia traduntur apud Matth. in cap. 18. Nullo ergo merito nostro, nulla satisfactione nostra, sed diuina benignitate propter Christum petimus nobis condonari omnia delicta. Nec dubitant hic sancti de remissionis certitudine. Dixit enim in euangelio dominus, Quicquid petieritis credentes in nomine meo, accipietis: propter Christum ergo nihil dubitant orantes fide omnia peccata sibi esse remissa. Sic enim & in symbolo profitemur, Credo remissionem peccatorum.

Sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Adijcimus his protinus, Sicut & nos remittimus debitoribus nostris: non quòd putemus propter remissionem nostram mereri uel impetrare nos condonationem delictorum nostrorum: alioqui enim non constaret ratio remissionis. Qui enim aliquid uel affert uel facit, cuius gratia peccatũ tollitur, aut qui pro peccato satisfacit, ei nihil remittitur, sed rependitur potius. Alijs ergo de caussis hæc adiecta uidẽtur. Principiò, quia soliciti sumus de remissione, de qua multi ambigunt, uoluit dñs solari nostram infirmitatem, hoc ueluti signo adiecto, quo intelligeremus tã certò nobis à Deo dimissa esse peccata, quàm certò alijs sua remisimus aut condonauimus delicta, quibus nos offenderant. Deinde uoluit nobis excutere ueternum, ac charitatis inculcare studiũ, admonereq; nostri officij, ut si quid animis nostris adhærescat adhuc ueterum inimicitiarum, id sciamus omnino deponendum seu expectorandum, imò iam nunc inuocandum esse dominũ, ut corda nostra commoueat, qui possimus. Grauiter quidem ueteres iniurias & offensas

ponimus.

ponimus. Sed æquum est ut minora remittamus fratribus, qui maximorum peccatorum ueniam accepimus à benignissimo patre: nisi forte illius fortunam experiri libeat, qui in parabola euangelica & ipse magnam domini benignitatem & liberalitatem in donando expertus, interim atrox & crudelis erat erga fratrem in exigendo debito modico & leuiculo. Notissima est parabola apud Matthæum in capite decimooctauo.

Sexta & ultima petitio est, Et ne inducas nos in tentationem: sed libera nos à malo. Nunquam enim ita remittitur peccatum, ut non remaneat in carne concupiscentia, quam excitant & in uaria peccatorum genera producunt tentationes. Eæ sunt uariæ. Principiò enim tentat nos Deus, cũ aliquid obijcit, quo nos probat: ut cum iubet Abrahamum immolare filium: uel cum aduersa immittit, ut & fidem nostram exerceat, & igne tentationis scoriam excoquat scelerum. Hæ tentationes diuinæ tendunt ad salutem fidelium. Proinde simpliciter non oramus, ne tentemur. Tentatio enim diuina utilis est. Beatus enim prædicatur uir ille qui suffert tentationem. Cum enim probatus fuerit, accipiet coronam uitæ. Petimus autem ne inducamur in tentationem. Tentat enim & diabolus, tentamur à mundo, & à carne nostra. Sunt tentationes à dextris & sinistris, huc tendentes, ut subuertamur, ut demergamur in peccatorum barathrum, ac pereamus: id cum fit, nõ tentamur tantùm, sed & in tentationem inducimur & capimur. Tale ergo est quod petimus, Si tuis salubribus tentationibus ô pater cœlestis exercere nos uolueris, præsta quæsumus ut probati reperiamur: ne autem patiare abduci nos per satanicam & prauam tentationem, ut te relicto, hostiq; nostro mancipati & scelerum uoragini immersi, retineamur & capiamur ab illo in malo & perditione nostra. Iam enim subijcimus membrum oppositum, quod & præcedens exponit, id quod alij septimam esse dicunt petitionem, Sed libera nos à malo: ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, ab illo inquam malo, nimirum à satana, qui alibi tentator cognominatur. Libera nos à satana & ab omnibus malis quæ ille immittit: libera ab insidijs, artibus, deceptionibus, à bello, fame, captiuitate, peste, ab omnibus ijs quæ mala, calamitosa & noxia sunt. Ea quæ sint optimè nouit pater cœlestis, ad quẽ hic dicimus, Da nobis salutaria & bona: aufer à nobis quæ tu nosti esse perniciosa & mala, collecta breuitate orationem diuinissimã concludimus, adijcientes insuper Amen. Vulgaris illa quondã confirmatio & acclamatio fuisse legitur, ut uidere est Deut. 27. Nehem. 8. 1. Cor. 14. Exprimit ea principiò nostrum desiderium. Profitemur enim illa quæ orauimus ex animo nos desiderare. Deinde fidei nostræ certitudinem exprimit. Quasi dicamus, Hæc autẽ certò mihi concedenda à Deo credo. Perinde enim est Amen. ac si quis dicat, Fiat. Et dominus in euangelio sæpe clamat, Amen amen dico uobis, id est, pro certo certam ueritatem dico uobis. Vel indubitatam uobis ueritatem profero. Sic autem fideles post oblatas Deo preces, pacatis sunt mentibus, alacres iam munera domini expectantes.

Et ne inducas nos in tentationem.

Iacobi 1.

Sed libera nos à malo.

Amen.

Porrò inserunt quidam ante dictionẽ Amen, mox post illa uerba recitata, Sed libera nos à malo, Quia tuum est regnũ, & potestas, & gloria in secula, Amen. Cæterum Erasmus Roterod. in suis ad Nouum testamentum Annotationibus, testatur illa uerba non reperiri in ullo antiquo exemplari Latino: in Græcis quidem inueniri adiecta omnibus, sed à nemine exposita interpretum, nisi ab uno Chrysostomo & eius imitatore Theophylacto. Sibi ergo addita uideri orationi dominicæ, sicuti Psalmis quidã adpenderunt, Gloria patri & filio, &c. Idem mox subiungit, Proinde nõ est quòd Laurentius Valla stomachetur bonã precationis dominicæ partem fuisse decurtatã. Magis taxanda fuerat illorum temeritas, qui non

Quia tuũ est regnum & potestas & gloria in secula.

ueriti sint tam diuinæ precationi suas nugas assuere. Nugas enim dixerim ad diuinam doctrinam, quicquid ab hominibus profectum fuerit. Præsertim si quod ab hominibus annexum sit, ad Christum authorem conferatur. Nec solus Erasmus de hac appendice addubitauit. Codex enim Hispanien. quem uocāt Complutensem, habet magis credibile uideri ista uerba non esse de integritate orationis dominicæ, uitioq; inserta esse scriptorum quorundam uel librariorum. In eodem codice mox subiungitur, Licet uero beatus Chrysostomus in suis super Matth. Comment. Homilia 20. exponat ista uerba, tanquā essent de textu, uerisimilius tamen præsumitur iam suis temporibus originalia in isto passu fuisse corrupta: ex quo nullus Latinorum etiam ex antiquissimis interpretibus siue tractatoribus, legatur de his uerbis aliquam fecisse mentionem. Et uerè quidem hoc dicitur. Diligentissimi enim interpretes qui singulariter orationem dominicam uerbotim explicandam sumpserunt, quales fuere S. Cyprianus, Hieronymus & Augustinus, huius appendicis ne uerbo quidem meminerunt.

Prouerb. 18. Hæc dixi hactenus de Oratione dominica & inuocatione nominis diuini, de quo sapientissimus hominum Solomon uerissimè pronunciauit, Turris fortissima nomen domini, ad ipsam currit iustus, & exaltatur, id est, in tuto uel in alto loco extra teli iactum consistit & conseruatur. Subijciemus his quædam & de altera

De gratiarum actione. orationis specie, Gratiarumactione. Quanquam uerò & ipsa comprehendatur in oratione dominica (omnia enim orationis ueræ, ergo & gratiarumactionem complectitur) singulariter tamē & post illā expositā uolui de ipsa disserere, ne ex commixtione rerum nascatur in animis confusio. Et requirit quidem à nobis gratiarū actionem dominus: cuius quidem rei euidētia in scripturis sanctis argumenta nec pauca extant. Quot enim in Psalmis laudes, gratulationes & gratiarumactiones, & à Dauide, & ab alijs prophetis cōscriptæ & relictæ leguntur? Quia in lege quoque dominus peculiare oblationis uel sacrificij genus instituit, quod Eucharisticum diximus appellari. Quid quod Cœna illa paschalis nihil aliud fuit quàm gratiarumactio pro redemptione ex seruitute Ægyptiaca? Certè dominus noster Iesus Christus & memoriam instituens omnium beneficiorum, in primis autem redemptionis morte sua partæ, & omnia sacrificia recolligens in compendium, Eucharistiam ecclesiæ tradit. Quemadmodum suo loco dicemus, & partim in superioribus Sermonibus diximus. Ingenium humanum rebus secundis luxuriat, & rarò unde res secundæ oriantur secum cogitat: ita mysteria & beneficia illa spiritualia non æstimat tanti quanti aliàs debebat. Porci uerò non homines esse uidentur, qui non tantùm non æstimant Dei beneficia uti debebant, sed insuper & contemnunt & pedibus conculcant. Grande hos Dei manet iudicium.

Soli Deo debemus gratiarum actionem. Porrò soli Deo debetur sacrificium laudis. Solus enim omnium bonorum datór & author est: licet interim opera utatur intermedia hominum & aliarum creaturarum. Mittit tibi princeps aliquis munus sanè eximium, & id quidem per aulicum non infimæ sortis, sed selectissimum uirum: huic tamen licet nobili, non agis gratias, sed principi, à quo munus est profectū: etsi interim agnoscas ingenuè aulicum quoq; suam hic tibi contulisse operam. Non contulisset autem, nisi iussisset princeps. Ita uerò summa beneficij redit tandem ad ipsum & solum quidem principem. Quemadmodum autem omnis nostra inuocatio grata est deo patri per Iesum Christū dnm nostrū: ita nulla gratiarumactio nostra deo grata est, nisi oblata

Agēdæ deo gratiæ per Christum. sit per Iesum Christum. Huc enim pertinet mysteriū altaris thymiamatis. De quo dictum est in Ceremonijs legis. Sed & Apostolus, Gratias, inquit, agite semper de

Ephes. 5. omnibus, in nomine dni nostri Iesu Christi, Deo & patri. Et iterum, Per ipsum, ait,

Hebr. 13. offerimus

offerimus hostiam laudis semper Deo, hoc est, fructũ labiorum confitentium nomini eius.

Vt autem pro omnibus Dei beneficijs grati esse, & continuas gratiarum actiones Deo offerre possimus, necesse est ut prius agnoscamus & probè nobiscum expendamus Dei beneficia. His enim nondum cognitis aut rectè expensis, mens nostra non inardescit ad agendas gratias pro beneficijs. Hæc planè uaria, imò immensa sunt. Sunt enim priuata & publica, generalia & specialia, spiritualia & corporalia, temporalia & æterna, ecclesiastica & politica, singularia & eximia. Quis uerò omnes species & partes commemoret? Creauit Deus, ornauit, illustrauit & fœcundum reddidit hunc mundum propter hominem. Ad huius ministerium ablegat angelicos spiritus, quos sibi creauerat ministros. Dat nobis corpora & animas: quæ infinitis instruit & cumulat donis ac facultatibus: & quod reliqua beneficia excellit omnia, hominem peccato implicitum explicat, diabolo mancipatum liberat. Asserit enim nos filius Dei in libertatem filiorum Dei: moriendo nos uiuificat: sanguinem profundendo purgat ac expiat: spiritu suo nos donat, quo in hoc exilio regamur & conseruemur, donec recipiamur in æternam & ueram illam patriam nostram. Hæc qui uera fide expendunt, non possunt non rapi in laudem & celebrationem diuinæ bonitatis, & in admirationem rei profectò stupendæ, quòd Deus optimus maximus tam exactam habet rationem hominum, quibus hæc tellus nihil habet uel miserabilius uel ærumnosius aliàs. Destituuntur hic uerbis sancti Dei. Neq; enim uerba satis huic negotio tanto idonea suppetunt. Clamat Dauid, Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra. Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. Et quæ sequuntur Psalmo 8. Et iterum idem, Quis sum ego Domine Deus? & quæ domus patris mei, quòd me tantum euehis? Quid uerò ultra potest addere Dauid, ut ad te loquatur, cùm tu noueris seruũ tuum Domine Deus? Et cætera quæ leguntur 2. Samuelis lib. cap. 7. Extat eiusdem Dauidis elegantissima benedicendi uel laudandi, aut gratias agendi Deo formula in Psal. 103. cuius initium est, Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnium beneficiorum eius. Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis. Et reliqua. Quid uerò pluribus opus? Vnica oratio Dominica poterit esse perfectissima laudandi Deũ, & gratias agendi Deo pro omnibus beneficijs uice multarum formula. Vt enim præfatiuncula & petitiones omnes, in memoriam reducunt & absolutè proponunt maxima Dei beneficia, & nobis ipsis & omnibus alijs largissimè exhibita: ita si cogitemus nostri officij esse pro his singulis Deo gratias agere, incipiamusq; mox ab ipso dominicæ orationis principio nobiscum expendere illud maximè, quòd Deus pater pro ineffabili sua erga nos misericordia, miseros peccatores in numerum filiorum adoptauit, per quos sanctificari, & in quibus regnare, tandem & in regnũ suum æternum transferre uelit: ut nihil de alijs petitionibus dicam, quàm copiosa quæso subnascetur laudandi Deũ, & gratias ipsi agendi materia? Sed intelliguntur hæc rectius ex pia religiosaque exercitatione, quàm ex diligentissimis etiam præceptis.

Agnoscẽda Dei beneficia.

Quomodo agãtur Deo à pijs gratiæ.

Hanc autem gratiarumactionem oblatam ex uera animi humilitate & fide Deo, tanti facit Dominus, ut recipiat & habeat pro sacrificio gratissimo. Huius rei frequentissima fit mentio in testamento ueteri, ut cùm dicitur, Sacrificium laudis honorificabit me. Non in sacrificijs tuis arguam te, nec accipiam de domo tua uitulos: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua. Inuoca-

Gratiarũactio est sacrificium. Psalm. 50.

Psalm.115. me in die tribulationis, eruam te, & glorificabis me. Item, Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Oseas quoque, Tollite uobiscum uerba, inquit, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei, Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum (nim̃ recht für gůt) & reddemus uitulos labiorum nostrorum.
Oseæ 14.
Malach.1. Ad quem modum & Malachias scriptum reliquit, Non est mihi uoluntas in uobis, dicit Dominus exercituum, & non accipiam munus de manu uestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Cæterum oblationem hanc mundam interpretantur magno consensu omnes ueteres interpretes, inprimis Irenæus & Tertullianus, Eucharistiam, id est, laudes & gratiarum actiones, & orationem profectam ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Certè non alia de causa appellarunt ueteres ipsam Eucharistiam siue Cœnam Christi mysticam sacrificium, quàm quòd in ea offeratur Deo laus & gratiarumactio. Nam Apostolus Paulus ostendit Christum semel immolatum, sæpius aut amplius immolari non posse.

De uirtute orationis. Est enim non laudis aut gratiarumactionis tantùm, sed & totius orationis, ipsius inquam inuocationis etiam, magna dignitas & uirtus. De qua etsi nonnihil dixerim, ubi ostendi efficaces esse preces nostras, paucula tamen hæc adijcio. Fuit sanè omnibus sanctis ardentissimum orandi studium, propter orationis uirtutem mirificam. Nam ut nihil dicam de uetustissimis illis patribus diluuium præcedentibus, & mox consequentibus, an non Abraham acceptis promissionibus orat, & quoties sedes suas mutat, Deum inuocat? Idem cùm orat, liberatur à morte Abimelech rex, & quod domui eius immiserat iratus Dominus, curatur à uitio sterilitatis. Iacob ardentissimas fundit Deo preces, & beneficia à Deo accipit inæstimabilia. In Exodo non semel orat Moses, & aufert mala ab Ægyptijs, quæ iusto eis iudicio intulerat Dominus. Orante Mose, terga uertunt Amalechitæ: cessante eodem aut remittente, fugiunt Israelitæ. Rursus cùm ignis Domini deuoraret extrema castrorum Israelis, clamauit hic ad Mosen, & is rursus ad Dominum, & subito absorptus est ultor ignis. Iterum murmurat populus aduersus Dominum, & paratur ultio: sed Moses blanda & iugi deprecatione extinguit iram Dei. Dicitur enim ipsi, Dimisi iuxta uerbum tuum. Mox ubi recruduisset populi murmur aduersus Mosen & Aaronem, ac Dei uindicta iam absumpsisset hominum millia quatuordecim septingentos, iubente Mose incendit thymiama Aaron, stansque inter mortuos & uiuos morti iam uicinos destinatosque, ueniam exorat precibus. Innumera huius generis alia de Mose leguntur. Successor Mosis Iosue precibus tantisper Solis & Lunæ cursum remoratus est, donec ulcisceretur se de hostibus suis. Tacitè deprecatur Anna sterilitatis probrum, & protinus fit plurima sobole fœcunda. Samuel Annæ piæ pijssimus filius oratione Palæstinos atterit, & subito messis tempore excitat ingentem tempestatem tonitrui & hymbrium. Non dissimilia legimus & de Helia. Ionas quoque orauit in uentre ceti, & proiectus est incolumis in aridam. Iosaphat & Ezechias reges religiosissimi, precibus ex fide ad Deum fusis, triumphant de hostibus potentissimis. Nihil à rege suo postulauit Nehemias nisi prius cõprecatus cœli Dominum, itaque nihil non obtinuit. Fortissima uirago Iudith insolentissimũ populi Dei hostem & omnium gentium terrorem Holophernem precibus deiecit. Et ut Daniel omnia sua precibus apud Dominum conficit: ita Hesther necessarium populo Dei facinus aggreditur & feliciter perficit triduanis ieiunijs & assiduis precationibus.

In auspicatissima & desideratissima natiuitate Domini Iesu audiuntur chori angelorum laudes concinentium Domino. Quid quod ipse Dominus in summo uitæ discrimine ad preces confugit, ac mox audit uoces confortantis angeli? Orant unanimes Apostoli cum reliqua ecclesia ad horam diei tertiam, & accipiunt mox spiritum sanctũ. Cùm uerò in periculis uersarentur Apostoli, suppliciter Dei auxilium implorat ecclesia, & sentit euestigio. Accipiunt illi multam dicendi libertatem, & edunt signa & prodigia in populo maxima. Petrus per angelũ Dei educitur ex carcere munitissimo. Quid quod orantibus & laudantibus in carcere Dominum Paulo & Sila, terræmotu carceris fundamenta leguntur concussa, & per eam occasionem custos carceris conuersus ad Deum? Cuius quidem generis innumera proferre possem, nisi hæc pijs sufficere crederem. Et pij uires has non orationi ut nostro operi, sed tanquam ex fide profectæ, adeoq; ipsi Deo promittenti & fidelibus hæc exhibenti tribuunt. Notum est enim iudicium de his Pauli ad Hebræos 11. cap. & quòd uni Deo omnis debetur gloria. Is dignetur omnium mentes sic illustrare, ut oratio nostra ipsi semper placeat, Amen.

De signis & signorum ratione, de signis sacramentalibus, quid sit sacramentum, à quo, ob quas caussas, & quot sacramenta ecclesiæ Christianæ à Christo instituta sint: quibus rebus constent: quomodo consecrentur, quomodo vel coniuncta vel discreta sint signum & signatũ in sacramentis: & de loquutionibus sacramentalibus. SERMO VI.

SVPEREST tractatio de Sacramentis, quam uerbo Dei & orationibus adiunctam esse audiuimus. De Sacramentis autem à Christo Rege & Pontifice maximo traditis, & à sancta eius catholicaq; ecclesia receptis, & legitimè usurpatis, ipso Domino inspirante, dicturus, hunc seruabo ordinem, ut primùm de his generatim, deinde speciatim uel sigillatim disseram. Atq; hic primùm de certa signi uel sacramenti significatione constituam. In ea re si fuero paululum prolixior, condonabit id mihi C. V. Nam spero hoc non omni fructu cariturum.

SIGNVM appellant Latini scriptores notam, repræsentationem, uestigium & indicium rei significantis. Sic Tull. & Fab. Hic, Signum, ait, uocant σημεῖον, quanquam id quidam indicium, quidam uestigium nominarunt, per quod res intelligitur, ut per sanguinem cædes. D. Aurel. Augu. scriptor Ecclesiasticus nobilis, de Magistro cap. 4. Dicimus ea, inquit, signa uniuersaliter omnia, quæ significant aliquid: ubi etiam uerba esse inuenimus. Idem de Doct. Christ. lib. 2. cap. 1. dicit, Signum est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem uenire: sicut fumo uiso, ignem subesse credimus. *Signum.*

Distinguit idem ille signa, in signa naturalia & data. Naturalia uocat, quæ sine uoluntate atq; ullo appetitu significandi, præter se aliquid aliud ex se cognosci faciunt: sicuti est fumus, significans ignem. Non enim uolens significare id facit. Data sunt, inquit, quæ sibi quæq; uiuentia inuicem dant, ad demonstrandos quantũ possunt motus animi sui, uel sensa aut intellecta quælibet. Et Data quidem signa rursus distinguit per sensus. Alia enim ad oculos pertinent, ut sunt uexilla & signa ducum, motus manuum & omnium membrorum. Alia ad aures, ut sunt tuba & tibia, & ipsa deniq; uerba, quæ inter homines obtinuerunt principatũ significandi. Ad odorem refert illum odorem unguenti Euangelicũ, quo Dominus aliquid significare uoluerit. Ad gustum retulit Cœnam Domini. Sacramento enim sanguinis & corporis sui, inquit, prægustato, significauit quod uoluit. Addit & exem *Diuisio signorum ex Augustino.* *Ioan. 12.* *Marc. 14.*

Matth. 9. plum ad tactum, Et cùm mulier tangendo fimbriã uestimenti eius salua facta est, nonnihil significat. Sic August. de Signorum generibus & differentia disseruit.

Signa secundũ tempora distincta. Alij uerò nihil diuersi quidem ab illo afferentes, Signa iuxta temporum rationem distinguunt. Dicunt enim Signa alia quidem esse rerum præsentium, alia rerum præteritarum, alia uerò rerum futurarum. Præsentium signa putant, quæ significant res esse præsentes: ueluti hædera suspensa indicat uinum ibi uendi ubi suspensa hæret. Signa quæ patrabat Dominus noster, significabant adesse Messiam & regnum Dei à prophetis promissum. Sub præterita signa referunt omnia defunctorum monimenta, & lapides illos in Iordane erectos à Iosue, posteritati significantes quid præteritis actum sit temporibus. Futurarum rerum signum dat Vellus Gedeonis, futuræ scilicet uictoriæ signum.

Matth. 12. Iosue 4. Iudic. 7.

Signorum alia data ab hominibus, alia instituta à Deo. Cæterum expensis nec reiectis illis quidem, poterunt signa plenius & dilucidius diuidi in signa, quorũ alia quidem ab hominibus data, alia uerò ab ipso Deo instituta sunt. Ab hominibus dantur Signa ceu notæ, quibus aliquid significant aut designant, quibus denique aliquid apud homines in memoria retinent: aut quod certum & firmum esse uolunt, obsignant. Hac ratione omnis descriptio & pictura demonstratiua dicitur Signum. Nam Ezechielis 4. picta Hierusalem dicitur Signum: uetustas quoq; imagines mortuorum signa appellauit, quòd ijs uellet memoriam eorum, quorum signa dicebantur, refricare & superstitem quasi retinere: quin ipsa etiam scriptura sancta idola appellat signa, sicuti uidere licet Isaiæ 45. & 2. Paral. 33. Ita lapides quoq; ad significandum aliquid positi, cuiusmodi sunt limites agrorum & omnia monimẽta, signa sunt. Rahab illa Hierichuntina ad exploratores Izraelitas dicit, Date mihi signum ueritatis, quòd facturi sitis mecum misericordiam. Et dederunt illi funem suspensum è fenestra. En fidei & ueritatis signum erat funis, quo illi uelut obsignabant seriò & uerè, se diligenter curaturos ne perderetur Rahab. Germani huiusmodi signa fidei & ueritatis gratia uel data uel accepta, nũcupamus & wortzeychen, quia uerbis adduntur, ac ea ueluti obsignant, & warzeychen, quia his ueluti attestamur bona fide, & absque dolo malo exequuturos, quod uerbis promisimus.

Signa data ab hominibus.

Iosue 2.

Signorũ ab homine datorum uarietas. Sunt autem huiusmodi signa uarij generis. Alia enim muta sunt, & pertinent ad sensum oculorum: cuiusmodi sunt militaria signa, cruces, fasciæ, uexilla, accensi ignes: quorum mentio fit Numeri 2. Psal. 73. &c. Neq; enim quisquam huius generis enumerauerit omnia. Nascuntur enim noua subinde pro hominum arbitrio. Iudas suis dabat signum, Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Consertio datæ dextræ quæ ad sensum tactus pertinet, fidei, auxilij & communionis signum, est & ipsum signum mutum: quod Paulus appellauit signũ societatis. Huc pertinent uarij motus & gestus. Alia uerò ex his Vocalia sunt, quæ auditu percipiuntur, eduntur q; uel per humanas, uel per inanimatorum uoces. Humana uoce eduntur uerba, sibilus, & quæ alia sunt huius generis. Quò pertinent uocales tesseræ, qualis illa Iudicum 12. cap. Schiboleth. Porrò inanimes uoces sunt, quæ fiunt per tubas, tibias, cornua, tympana, bombardas, per pulsum campanarum, & per instrumenta sonora, quæ & ipsa longissimè latissimeq; patent.

Matth. 26.

Galat. 2.

Iudic. 12.

Signa à Deo data. Iam uerò dantur signa à Deo in hoc, ut instruant admoneantq; rerum futurarum, aut etiam præteritarum: uel ut res ipsas quarum signa sunt, quodam modo spectatorum oculis subijciant, & similitudine quadam repræsentent, uel ut promissiones & uerba Dei obsignent, uisibili aliqua ceremonia, ab hominibus diuina institutione celebrata, ut deniq; fidem nostram exerceant, & dispersos colligant in unum aliquem cœtum. Sunt autem & hæc non eiusdem generis, ac manifesta

nifesta inter se habent discrimina. Quædam enim oriuntur caussis naturalibus, & dantur tamen à Deo signa, quæ præteritas res, aut etiam promissiones renouent, hominesque rerum gestarum admoneant, cuius quidem generis est Iris apud Mosem. Genes. 9. Nam peracto diluuio, dum Deus cum Noe repararet fœdus, ac fœderis signum institueret Iridem, hanc non condit de nouo, sed iam olim conditam, & caussis orientem naturalibus, noua institutione consecrat, ut diluuium in memoriam reducat, promissionemque Dei ueluti reparet, nunquam uidelicet futurum porrò, ut terra absorbeatur aquarum inundatione. Interim non habet hoc signum ullam ceremoniam, qua celebretur inter homines, institutam, nec colligit nos in ullius corporis cœtúsue societatem. Imò refertur signum hoc ad Deum maximè, dicentem, Erit arcus in nube, quem cùm uidero recordabor fœderis æterni inter me & uos initi. Huic non dissimilia prorsus sunt portenta & ostenta, signa inquam in Sole & Luna & stellis, quibus homines cœlitus præmonentur futurarum calamitatum, nisi emendentur per pœnitentiam: sed ne hæc quidem ullam uel ceremoniam habent institutam ad celebrandum aut colligendum. Sunt rursus signa planè miraculosa non naturalia, licet in ipsis & naturalia quædam concurrant: cuius generis esse uidetur Gedeonis uellus, & Vmbra horologij recedens in Solario Ezechiæ regis. Hæc uerò ut semel facta leguntur, ita nullam habent institutionem, quæ iubeat imitatione & in certum aliquem finem celebrare. Adhibebantur tunc ad futuram uictoriam & sanitatem significandam & attestandam. Ex integro & merè miraculosa sunt, quæ Marci ultimo ab ipso Domino Iesu appellantur signa, beneficia, inquam, sanitatis & linguarum, hominibus nulla humana uirtute aut medicatione, sed solius Christi potentia, collata. Declarabatur ijsdem ueram & indubitatam esse prædicationem Euangelij, qua annunciatur Christus Dominus esse uniuersorum, Dominus uitæ & mortis, satanæ & ipsius etiam inferni. Iam enim cùm in nomine Christi resurgunt mortui, & cedunt depulsi morbi, his ipsis signis approbatur uerum esse quod dicitur, Christum esse Dominum uniuersorum. Sic Mosis & Aaronis prodigia in Ægypto patrata, Exod. 4. à scriptura appellantur signa. Erant enim testimonia & missionis legitimæ à Deo, & potentiæ contra Ægyptum exercendæ ingentis argumenta. Verùm non habebant & illa ullam ceremoniam, non colligebant in ullam societatē. Iam uerò legimus & signa quædā paradigmatica esse, exhibita quidem ab hominibus, sed non sine præcepto Dei, ut possint hæc quoque signa à Deo data dici. Sunt illa à miraculis prorsus aliena, ac petita quidem non modò à rebus naturalibus, sed etiam uulgaribus planè: qualia fuisse leguntur Ieremiæ sancti prophetæ iugum, hydria atque catena, quibus, Domino iubente, res sermone copiosè expositas, nunc etiam hypotyposi ac suffiguratione aliqua, signo, inquam, uisibili hominum oculis quasi inspiciendas uoluit subijcere. Paria uidere licet & apud Ezechielem in cap. 17. & 24. Habent autem hæc signa paradigmatica similitudinem quandam cum Chrijs actiuis, imò sunt Chriæ quædam mixtæ. Chriam actiuam finijt Aphthonius, quæ actione aliquid declarat aut demonstrat: ueluti cùm Pythagoras interrogaretur, quanta nam esset uita mortalium : is autem breui momento se conspiciendum præberet, mox autem subsidens se subduceret à conspectu hominum : eo modo eaque actione significans, uitam hominum esse breuem & momentaneam. Cæterum in sacris proponuntur fermè Chriæ mixtæ, sermone & actione constantes: ueluti cùm Dominus producto in medium puello, hæc insuper uerba adijcit, Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puelli, non ingrediemini in regnum cœlorum. Huiusmodi autem

Varietas signorum datorum à Deo.

Portenta & ostenta. Lucæ 21.

Miraculosa signa. Isaiæ 38.

Signa paradigmatica.

Iere. 19. 27. 28.

Chriæ.

Matth. 18.

Christi aut signa nō habent institutionem & præceptum Dei iubentis hanc ipsam actionem solenni celebratione repetere. Habēt tamen cum his cognationem aliquam sacramentalia signa, Baptismus uidelicet & Cœna Dominica. Nam diuinitus quidem nobis data, & à rebus petita naturalibus, citra ullum miraculum, imò in rebus naturalibus sensibilibusq́, & maximè uulgaribus instituta sunt, aqua, pane & uino. Habent hæc cum alijs à Deo datis signis communia, quòd renouant res præteritas, adumbrant etiam futuras, & similitudine repræsentant res significatas. Habent peculiare quo differunt ab alijs, quòd adiunctas habent cum præcepto ceremonias, quas ipse Dominus ecclesiam suam celebrare iussit: & habent hoc peculiare, quòd obsignando promissa Dei, nos Deo & cum omnibus sanctis uisibiliter coniungunt, & sacrosanctis mysterijs Dei in Christum dedicata sunt. De his porrò disseremus paulò fusius & diligentius.

Signa sacramētalia secernuntur ab alijs signis, cum quibus multa communia habent.

Sacramētum.

SIGNA sacramentalia Christi & ecclesiæ Christianæ, quæ uidelicet Christus Dominus Ecclesiæ suæ tradidit, Ecclesia autem Christiana ab ipso accepit, & religiosissimè custodit, à scriptoribus Latinis appellantur Sacramenta. At uocabulum hoc nullibi extat in tota scriptura sancta, nisi quòd eo usi leguntur interpretes: uocabulum autem signi frequens est, ac quod nostrum attinet institutū, significantissimè ponitur Genes. 17. & Rom. 4. Interim uocem Latinam Sacramentum nec abhorrentes reijcimus, neq́ reijcientes nouam cōminiscimur. Placet uox Sacramentum, modò quis ea utatur legitimè. S. Augustinus Epist. ad Marcellinū 5. Longum esset disputare, inquit, de uarietate signorū, quæ cùm ad res diuinas pertinent, Sacramēta appellantur. Hinc petita est haud dubiè uulgaris illa descriptio aut consignatio, Sacramentum est sacræ rei signum: quæ quidem ut reijci non potest, ita nemini obscurum est ea rei naturam plenè non comprehendi exprimiue, aut ab ijs quæ & ipsa sacra sunt signa, distingui. Profertur ergo alia, certè exactior definitio, Sacramētum est inuisibilis gratiæ uisibilis forma. Quoniam uerò & hæc non usquequaq́ rei naturam exponit, melior multis uisa est, quæ sic habet. Sacramenta sunt ceremoniæ, quibus exercet populum suum Dominus, ad fidem primùm excitandam fouendamq́, deinde & ad testificandam apud homines religionem. Rectè quidem hoc dicitur. Quid uerò si paulò copiosius liberiusq́ sic describas? Sacramenta sunt actiones sacræ, uerbis siue promissionibus Euangelicis & ritibus præscriptis constantes, ecclesiæ diuinitus in hoc traditæ, ut Euangelicam prædicationem attestentur atque obsignent, fidem exerceant, rebusq́ terrenis & uisibilibus magna Dei mysteria repræsentent & ob oculos statuant, denique ut ecclesiam uisibiliter colligant, suiq́ moneant officij. Est sanè longè petita, diffusa, & multiplex, multis inquam ex partibus collecta definitio: uerùm libet apertè agere, & rem totam semel oculis conspiciendam proponere: singula deinceps per partes illustrabimus, & scripturarum testimonijs confirmabimus.

Quid sit sacramentum.

Sacramentum pro iureiurando.

Iam ut de Vocabulis huic rei inditis plenius disseram, uideo Latinos scriptores Sacramentum dixisse iusiurandum, aut religiosam obligationem: quòd hæc quibusdam, opinor, ceremonijs perageretur. M. Varro linguæ Latinæ libro secundo, explicans quid sit Sacramento contendere, Qui petebat, inquit, quiq́ inficiabatur de rebus alijs, utriq́ quingentos æris ad pontem deponebant, de alijs item rebus certum numerum assium: qui uerò iudicio uicerat, suum sacramentum à sacro auferebat, uicti ad ærarium redibat. Quia itaque sacris interpositis, Deo & omnibus sanctis per participationem sacramentorum obligamur, adeoq́ & ipse Deus sacramentorum testimonio se nobis ueluti iureiurando obstrin-

obstringit, Sacramenti uocabulum appositissimè signis nostris inditum apparet. Legitur apud Latinos scriptores & de Militari quodam sacramento. Non enim pugnare phas erat, nisi sacramento adactis. Conceptis autem uerbis iurabant se omnia strenuè facturos (ut ait de re militari Vegetius) quæ præcepisset imperator, nunquam deserturos militiam pro republica Romana. Dabatur donatiuum ueluti pignus & authoramentum: dabant nomina: signabantur notis. Iam quia nos nostris sacramentis, baptismo maximè, recipimur & inscribimur in militiam Christi, & sacramentis sumptis nos profitemur attestamurq́ esse Christi milites, inde nec absurdè nec præter rationem signa Christi & Ecclesiæ sacramenta appellantur. Interim nolo pertinaciter contendere uocem, Sacramentum, illa caussa potissimum sacris illis signis nostris à ueteribus esse attributam. Nam Erasmus ille Roterodamus linguarum peritissimus & in sacris uetustisq́ scriptoribus, si quis alius, sedulò uersatus, in Catechesi sua symboli 5. Qui exactius loquuti sunt, inquit, sacramentum appellant iusiurandum aut obligationem numinis ac religionis interuentu confirmatam. At maiores nostri uocem eam accommodarunt ad significandum id quod Græci dicunt Mysterium, quod religiosum arcanum possis dicere. Quia ab his tractandis secludebatur uulgus. Hæc Erasmus. Fuerunt ergo ueteribus scriptoribus ecclesiasticis sacramenta dicta quasi mysteria. *Sacramentum militare.*

Eadem enim signa appellantur à scriptoribus ecclesiasticis Græcis μυστήρια, quæ Latini ferè interpretantur sacra & religiosa arcana, arcana inquam sacra, à quorum celebratione (ut modò dictum) excludebatur prophanum uulgus. Nam Cœlius in Lectionibus antiquis dicta arbitratur mysteria ὅτι δεῖ μύσαντας τηρεῖν ἔνδον, quòd oportet occludentes, siue qui cōclusi ea peragunt, custodire intus ac nulli proferre prophano: unde rectè uocauerimus Mysteria, seclusa & arcana sacra, solis initiatis cognita, solisq́ celebranda sanctis. Videri tamen poterat μυστήριον deriuatum à μύσις & μύω, sicut ἀκροντήριον, ex ἄκρ & λύω, ut etymon apud Græcos non magis ualeat quàm testamenti apud Latinos, quòd sit mentis contestatio. Quanquam non nesciam quid hic quoq́ nonnulli disputent. Certè Mysteria dicuntur Sacramenta, quòd inuolucro tegant res alias magis sacras. Libenter autem hac uoce in epistolis suis utitur Paulus. Ac ratio patet cur attributa sit hæc uox sacris Christianæ ecclesiæ signis. Hæc enim solis nota sunt fidelibus, excluduntq́ prophanos. Certè prædicatio euangelica dicitur & ipsa mysterium regni Dei, nimirum quòd exclusis impuris, perspecta sit solis Dei filijs. Dixit enim mystagogus ille noster, Ne proieceritis margaritas ante porcos, neq́ dederitis quod sanctum est canibus. Et Paulus, Quòd si adhuc uelatum est, ait, euāgelium nostrum, in his qui pereunt uelatum est, in quibus Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, 2. Corinth. 4. *Mysteriū quid.* *Matth. 13.* *Ephes. 3.* *Matth. 7.* *2 Corinth. 4.*

Porrò ex Græcis Ecclesiæ doctoribus plerisq́ sacramenta nostra appellarunt σύμβολα, quæ uox & à latinis recepta est, & usurpatur frequentissimè. Deducitur ea à συμβάλλω, id est confero. Collatione enim illustrantur & rectè perspiciuntur symbola. Significat ergo symbolum signum quod relationem habet ad aliud: quemadmodum diximus signum militare. Ac uarius quidem fuit olim symbolorum apud Græcos usus. Habebant enim in sacris sua symbola, signa, inquam, allegoricè aliquid insinuantia: ut in sacris Bacchi symbolum erat, quod circunferebant bacchantes cribrum, significantes utiq́ ebrios esse futiles. Quid quod sententiæ reconditioris aliquid sensus comprehendentes, per allegoriam aut ænigma, symbola dici cœperunt? Nam nota sunt symbola Pytha- *Symbolū quid.*

gorae. Ita mystica theologia nuncupari cœpit symbolica, nimirum mysterijs implicita secretioribus. Inde symbolicum est, quod ænigmaticum & allegoricum est, longè aliud habens in recessu, quàm fronte promittat. Rursus symbolum dicitur, quod inter sponsum & sponsam ex mutuo consensu interponitur, fidei munus, ne liceat à pacto recedere. Deniq; dabantur militibus sub ijsdem signis merentibus, symbola. Dabantur item in quibusdam urbibus amicis, ad uicinas & socias urbes concedere uolentibus, symbola, hoc est, tesseræ, quibus uisis intelligebant offerentem humaniter esse tractandum, ueluti socium & amicum singularem. Veteres itaq; Symboli uocem sacramentis nostris accommodarunt, quòd hæc nobis maxima Dei mysteria repræsentāt, allegorica & ænigmatica sunt, quòd deniq; ipse dominus sacramentorum institutione se nobis, nos illorum communione, ipsi & omnibus sanctis obstringimus, testificantes & palàm profitentes nos strenuè sub signis domini militaturos. Præterea admonent nos sacra symbola dilectionis fraternæ, ut meminerimus eos qui nobiscum de eadem mensa participant, & eodem abluuntur baptismo, impensissimè ut filios Dei & fratres nostros esse diligendos. Hæc de sacramentis quid sint, quibus uocentur nominibus, & quare sic nuncupentur, consignasse sufficiat.

Solus Deus sacramentorum author.

EXPONENDVM autem ante omnia uidetur, à quo authore profecta sint sacramenta, & quas ob caussas instituta. Confessum est apud omnes ferè, solum deum instituere posse sacramenta, non homines, non ipsam quoq; Ecclesiam. Est enim inter Scholasticos, qui submonet Ecclesiam, ut meminerit se non esse dominam sacramentorum, sed ministram, nec posse hanc magis instituere formam sacramentalem, quàm legem aliquam diuinam abrogare. Sed & Aquinas parte 3. quæst. 46. articulo 2. Ille instituit, inquit, aliquid, qui dat ei robur & uirtutem: sed uirtus sacramenti est à solo Deo: solus itaq; Deus potest instituere sacramenta. Et reuera solus Deus cultum legitimum instituere potest. Pertinent autem sacramenta ad cultum, unde solus Deus sacramenta instituit. Si quis in ueteri testamento obtulisset sacrificium non præceptum à domino, nec obtulisset eo modo quo iusserat immolare Dominus, non modò nihil utilitatis inde percepisset, sed insuper commisisset piaculum pœna expiandum longè funestissima. Quis enim ignorat filios Aaronis ignem alienum offerentes, cœlitus delapsa flamma horribiliter esse concrematos? Displicent ergo domino ceu prophana: neq; legitima sacramenta dici merentur, quæ non habent ipsum dominum authorem. His accedit, quòd sacramenta diuinæ erga nos uoluntatis & beneuolentiæ testimonia & quasi sigilla sunt. At quis oro melius, rectius & certius de diuina uoluntate testabitur, quàm ipse Deus? Sigillum Dei neutiquam appellari & haberi meretur, quod ab ipso Deo non est appensum aut impressum, imò adulterinum est sigillum quòd à Deo non est profectum, interim tamen Dei nomine uenditatur. Iam & S. Augustinus, quod omnium in ore uersatur, dixisse legitur, Accedit uerbum ad elementum & fit sacramentum: unde colligimus in sacramentis potissimas partes habere ipsum Dei uerbum: uerbum inquam Dei, non uerbum hominum, non Ecclesiæ: unde denuo sequitur signum proficisci oportere ab ipso Deo, non ullis hominibus, licet numero multis, eruditione doctis, & uitæ innocentia sanctis: ut iam alius author sacramentorum esse nequeat, quàm Deus solus.

Isaiæ ult.

Leuit. 10.

Sacramēta ueluti ex manibus Christi accipienda.

1. Thess. 2.

Quemadmodum uerò recipimus uerbum salutis & gratiæ, ita necesse est nos accipere & signa gratiæ. Licet autem uerbum Dei nobis annuncietur ab hominibus, non tamen illud amplectimur tanquam uerbum hominis, sed ueluti uerbum Dei, iuxta illud Apostoli, Cum acciperetis à nobis sermonem quo

Deum discebatis, accepistis non sermonem hominum, sed sicut erat uerè sermonem Dei. Spectare enim nos conuenit primum authorem, qui ablegatis discipulis suis dixit, Ite in orbem uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ, docentes eos seruare omnia quæcunque præcepi uobis: & baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Qui autē uos audierit, me audiuit: qui autem uos repulerit, me repulit. Ideoque tametsi hominum manibus administrentur sacramenta, à religiosis tamen illa non percipiuntur tanquam ab hominibus, sed uelut è manu ipsius domini, primi sacramentorum authoris. Huc enim pertinet quod in euangelio legimus quæsiuisse dominum, Baptismus Ioannis è cœlo, ne an ex hominibus erat? Certè Ioannes qui baptizabat, homo erat: sed quòd baptizabat, ex institutione Dei baptizabat: erat itaque baptismus Ioannis è cœlo, licet aqua flueret ex abysso in alueo Iordanis, ipseque Ioannes uersaretur in terris. Huc præterea pertinet, quod Paulus disertè pronunciauit, Ego enim accepi à domino, quod & tradidi uobis. Quanquam ergo homo esset Paulus, & homo quidem peccator, quod tamen tradebat Ecclesiæ, non ex seipso, aut ullo inuento humano tradebat, sed ex traditione Christi, ut iam traditio, Christi sit traditio, diuina & cœlestis. Præterea operatur uel hodie in Ecclesia sua summus ille & æternus pontifex noster, cuius ministerio funguntur, id est, cuius iussu baptizant, & cuius institutione sacrum exhibent conuiuium, qui sunt dispensatores mysteriorum Dei. Opus ergo illius ingenuè agnoscendum est à nobis omnibus. Hæc autem de Sacramentorum authore hactenus.

Marci 16. Matth. 28. Lucæ 10.

Matth. 21.

1. Cor. 11.

Caussas institutionis sacramentorum, cur uidelicet res spirituales & cœlestes nobis traditæ, aut commendatæ sint sub signis aut speciebus ritibusque uisibilibus, Lombardus in sententijs tres numerat: quarum prima ita friget, ut eam pigeat commemorare. Meritum enim in eo constituit, quòd Dei imperio, ut ait, salutem homo quærit in inferioribus se. Quibus tamen mox addit, Etsi non ab illis, sed per illa à Deo: satis quidem & illud ipsum effutiens inexpensum. Reliquæ duæ, nempe quòd propter eruditionem, & propter exercitationem, inuenta sint, non prorsus absurdæ esse uidentur. Verissima & maximè propria caussa, cur sacramenta sint instituta sub signis uisibilibus, uidetur esse diuina partim bonitas, partim humana imbecillitas. Difficulter enim intelligimus res diuinas atque cœlestes, si absque inuolucro aliquo, ita ut natura sua sunt, puræ & illustres proponantur: rectius autem faciliusque intelliguntur, si suffigurentur nobis per terrena, hoc est, per signa nobis familiariter cognita. Proinde sicuti parabolis benignus dominus negotium regni Dei obtexit, imò illustrauit ornauitque: ita symbolis quoque idem ipsum negotiū ob oculos quodāmodo statuere, & quasi in picta tabella demonstrare, refricare, renouare & repræsentare uoluit. Hanc ut maximè propriam caussam agnouit & Ioannes Chrysostomus, qui Homilia in Matth. 83. Nihil sensibile, inquit, tradidit nobis dominus. Res quidem sensibiles sunt, omnia tamen intelligibilia. Sic in Baptismo per rem sensibilem datur aqua: quod autem perficitur, nempe regeneratio & renouatio, mente percipitur. Nam si tu incorporeus esses, nuda tibi hæc tradidisset omnia dona: quia autem corpori coniuncta est anima tua, in rebus sensibilibus ea quæ mente percipiuntur, tradidit. Id quod non ideo adduco, quòd humano innitar testimonio: sed quòd uideam D. Ioannem Chrysostomum obseruato scripturarum more ita esse loquutum. Quis enim nesciat sacras literas parabolis, similibus, allegorijs symbolicisque scatere loquutionibus? Quibus sanè Dei spiritus utitur, non propter semetipsum, sed propter nos. Notissimum est enim illud domini in euangelio cum Nicodemo de

Cur sacramenta nobis instituta in rebus uisibilibus.

Chrysostomus de caussa sacramentorum.

Ioan. 3.

Ioan. 3.

regeneratione cœlesti, per inuolucra aëris & aquæ disputantis atque dicentis, Si terrena dixi uobis & non creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia, credetis? Atqui appellauit Terrena, doctrinam illam suam de regeneratione cœlesti per terrena symbola aquæ & spiritus siue aëris ac flatus suffiguratam: per Cœlestia uerò illam eandem intellexit doctrinam de regeneratione cœlesti, sed citra imaginationem, similitudinem, aut symbola nudè traditam. Significauit ergo Dominus facilius capi ab hominibus doctrinam rerum cœlestium inuolucro aliquo tectam, quàm nudè & spiritualiter planè traditam: ut facillimè ex collatione rerum non admodum disparium colligi posit, non alia causa & sacramenta diuinitus esse inuenta, quàm perspicuæ demonstrationis & illustrationis rerum cœlestium gratia. In qua re obseruanda uenit Analogia, quæ est aptitudo quædam, proportio, seu, ut Cicero uocauit, conuenientia, rerum, inquam, signis sic agnatarum, ut sine ea leuiter transmissa, ratio sacramenti plenè non intelligatur, excussa autem & ad plenum obseruata, ἀναγωγὴν, hoc est, intelligentiam reconditiorem sine labore offerat contemplanti. Exemplis id fortè in rerum tractatu illustrabitur diligentius.

Analogia.

Laudandus dominus propter instituta sacramenta.

Quisquis ergo exactè hanc sacramentorum inuentionem expenderit, non poterit non laudibus insignem domini uehere bonitatem, quæ mysteria regni Dei non tantùm miseris recludit mortalibus, sed rationem quoque habet infirmitatis humanæ singularem, qua nobis condescendens, nobiscum quodammodo balbutit, dum uidelicet mysteria cœlestia terrenis adoperta symbolis, pro captu nostro formans, & declarat significantissimè, & quasi oculis contemplanda subijcit. In eadem hac sacramentorum institutione laudare etiam licet diuinam sapientiam: si modò paruis licet componere magna. Nam hic mos in mundo quasi pro lege receptus est, quòd sapientissimi quique maxima sapientiæ mysteria, non uerbis modò, sed & symbolis adiunctis, suis commendarũt auditoribus, nimirum ut duo sensus nobilissimi in homine, auditus & uisus, simul percellerentur & permouerentur grauius efficaciusque. Plena sunt exemplis philosophorum gentilium uolumina. Quid quod ueteri quoque Dei populo huius generis cesserunt, & ab ipso Deo data sunt plurima?

Sapientia Dei relucet in sacramentorum institutione.

Mos sanciendorum fœderum.

Rursus quando in fœderibus sanciendis aut in serijs magnique momenti pollicitationibus confirmandis, homines signa ueritatis, gratia fidei conciliandæ promissis interponunt: idcirco dominus hac quoque in re humanum morem imitans, fœderi suo æterno, & promissionibus uitæ, signa adiecit fidei & ueritatis, ipsa inquam sacramenta, quibus promissiones suas ipsamque euangelij sui doctrinam obsignat. Nec hoc ipsi rarum aut nouum est. Iurant homines per ipsum dominum, dum alios de ueritate promissionum suarum uolunt reddere certos atque securos: iurasse ergo legitur & dominus ipse in sacris literis, & iurasse quidem per semetipsum, cum uidelicet promissionũ hæredibus eximiè uellet ostendere, ut ait Apostolus, consilij sui firmitatem. Præterea mos fuit priscis hominibus fœdera ferientibus, hostiam dissecare in partes, atque per partium dissectarum medium transire, eaque testari ceremonia, subijcere se dissectionis pœnæ aut supplicio, nisi stent pactis firmissimè. Ad eum uerò modum Dominus cum Abrahamo fœdus initurus aut reparaturus, quod Moses copiose describit Gene. 15. cap. iubet Abrahamum buculam, capram & arietem triennes, dissecare, & partes ex opposito collocare: quod cum fecisset Abraham, ipse dominus, sub specie lampadis aut facis ardentis, per partes illas medius transiuit, ut inde intelligeret Abraham terram Chanaan semini ipsius certò fore tradendam, neque quicquam

Hebr. 6.

Gene. 15.

quam

quam eorum quæ ea pactione promiserat dominus, irritum futurum. Quando ergo bonus & uerax dominus semper sui similis est, & nunc quidem eo quo diximus modo se suæ attemperauit ecclesiæ, quid mirum aut nouum obsecro, si nobis hodie quoq; sub rebus uisibilibus signacula uel sigilla suæ gratiæ & mysteriorum regni Dei reliquit? Atq; hæc hactenus de sacramentorum caussis præcipuis, ob quas instituta sunt, disseruimus.

IAM uerò de specie & numero sacramentorum, qui locus præcedenti proximus est, uaria disputata sunt à scriptoribus, postremi temporis maximè. Priscis enim res illa, utpote planissima perfectissimaq; paucis absoluebatur. Atqui scripturas peruestiganti, uidentur alia quidem ueteris, alia uerò noui testamenti ac populi esse sacramenta. Et ueteris quidem populi sacramenta fuere Circuncisio & Pascha, quibus accessere sacrificia. De quibus copiose diximus Decadis 3. Sermone 6. Similiter autem noui, id est, Christiani populi sacramenta numerant literæ apostolicæ duo. Baptismum & Cœnam dominicam. At Petrus Lombardus septem numerat, Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, Confirmationem, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium. Hunc sequitur totus grex interpretum & turba theologorum scholasticorum. Cæterum prisci doctores ecclesiæ ferè omnes, duo præcipua commemorant sacramenta: inter quos Tertull. primo & quarto libro contra Marcionem, & in libro de Corona militis significanter duo tantùm recenset, Baptismum uidelicet, & Eucharistiam. August. quoque lib. de Doct. Christ. 3. cap. 9. Dominus signis nos non onerauit, inquit, sed quædam pauca pro multis, eademq; factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicuti est baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis domini. Idem rursus ad Ianuarium epist. 118. Sacramentis numero paucissimis, ait, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit, sicuti est baptismus trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in scripturis canonicis commendatur, exceptis his, quæ seruitutem populi ueteris, pro congruentia cordis illorum & prophetici temporis onerabant, quæ in 5. libris Mosis leguntur. Obseruandum autem uidetur quod non dicit, Et si quæ alia in scripturis canonicis commendantur: sed, Et si quid aliud, &c. Id quod palàm arguit ipsum non de sacramentis loqui, sed de obseruationibus quibusdam, & usurpatis & receptis ab Ecclesia: sicuti & consequentia in Augustino uerba declarant. Fateor tamen ingenuè eundem alibi & sacramenti Ordinis mentionem facere: ubi tamen illud quoque mihi expendendum uidetur, quod idem ille & Chrisma, & Prophetiam, & Orationem, & alia quædam huius notæ, non minus quàm Ordinem, sacramenta appellat, & quòd scripturarum sacramenta idem subinde in ore habet: unde claret sacramenti uocabulum in illius scriptis aliter ac aliter usurpari. Hæc enim sacramenta uocauit, quòd sacrosancta sint è spiritu Dei sancto profecta, quòd sancta sint Dei instituta ab omnibus obseruata sanctis: ut hæc iam differant ab ijs sacramentis, quæ actiones sacræ sunt, uerbis & ceremonijs constantes, consortesq; in unam colligunt societatem.. Sed & Rabanus Maurus diligens Augustini lucubrationum lector, & episcopus Moguntinus, lib. de Institut. clericorum 1. cap. 24. Sunt autem sacramenta, ait, Baptismus & Chrisma, Corpus & sanguis: quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum, uirtus diuina secretius salutem eorundem sacramentorũ operatur: unde & à secretis uirtutibus uel sacris, sacramenta dicuntur. Floruit hic circa annum domini 830. ut uel hinc colligere liceat

Species sacramentorum.

Numerus sacramentorum.

Rabanus Maurus.

priscæ apostolicæ ecclesiæ non fuisse plura, quàm duo sacramenta. Ambrosij hic nullam mentionem facio, licet & ipse in libris suis de Sacramentis, non tot enumeret sicuti numerauit scholasticorum grex: quòd libri eius non recipiantur ab omnibus doctis pro genuinis Ambrosij libris. Ita nihil moueor Dionysij librorũ authoritate, quibus quid doctissimus optimusq; quisq; tribuat, in aperto est. Vtcunq; uerò illa habeant, scriptura sacra, unica uitæ & omnium in ecclesia rerum gerendarum certissima regula, Baptismum & Cœnam nobis tanquam solennia Christi instituta & sacramenta commendat. Ea ergo sufficiunt nobis, ut nihil nos moueat, quicquid tandem contra aut præter hæc afferat ingenij humani acumen, quod nullam unquam potestatem accepit instituendi sacramenta.

Salubres ritus ecclesiæ nõ contemnuntur.

Interea salubres ritus, & salutaria Dei instituta, obseruationesq; religiosas ecclesiæ Christi non contemnimus. Diximus aliàs quid sentiamus & doceamus de Pœnitẽtia, & de ordine ecclesiastico: dicemus suo loco de reliquis illis, quæ neoterici uenditant pro sacramentis. Ita etiam alibi, quantũ satis esse putauimus, disseruimus de similitudine & differentia sacramentorum ueteris & noui populi.

VIDEAMVS modò quibus rebus sacramenta constent. Scripturarum & omnium sanctorum testimonio constant duobus, è signo & re signata, è uerbo & ritu, è promissione euangelica & ceremonia, è re externa & interna, è re, inquam, terrena & cœlesti (ut habet martyr Christi Irenæus) ex re uisibili & inuisibili, è sensibili & intelligibili. Huc enim pertinet quod D. Ioan. Chrysostomus in Matth. οὐδὲν γὰρ, inquit, αἰσθητὸν παρέδωκεν ἡμῖν ὁ χριστὸς, ἀλλ᾽ αἰσθητὰ μὲν τὰ πράγματα, πάντα δὲ νοητά. Cæterum appellauit αἰσθητὰ sensibilia, quæ uidelicet externis sensibus, utpote uisu, auditu, gustu, & tactu percipiuntur, νοητὰ uerò intelligibilia aut mentalia, quæ mente uidelicet, intellectu, consideratione & animi discursu aut ratiocinatione, non carnis quidem, sed fidei, percipiuntur. Scripturarum demonstratione res fiet illustrior. Dominus dicit in euangelio discipulis suis, Ite in orbem uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Baptizabitis autem in nomen patris & filij & spiritus sancti. Eadem scriptura euangelica de Ioanne Baptista dicit, Baptizabat Ioannes in deserto, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Ita & S. Lucas testatur D. Petrum ad Israelitas dixisse, Resipiscite, & baptizetur unusquisq; uestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti. In baptismo itaque aqua uel aquæ aspersio in nomen patris & filij & spiritus sancti, & totum illud quod fit ab Ecclesia, est signum, ritus, ceremonia, ac res externa, terrena atque sensibilis, sensibus, inquam, patens & exposita: at remissio peccatorum, participatio uitæ, consortium cum Christo & membris eius, dona item sancti spiritus, quæ conceduntur nobis per gratiam Dei, in fide Iesu Christi, res est significata, interna, cœlestis, ac intelligibile illud, quod mente fideli percipitur. Ad eundem modum testificans scriptura & de Cœna Domini, altero Ecclesiæ sacramento, Dominus, inquit, Iesus accepto pane, gratias egit, fregit, distribuit discipulis suis, & ait, Accipite, edite, Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur. Similiter & poculo accepto dixit porrigens, Bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus, qui est noui testamenti, qui pro multitudine effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite in mei commemorationem. Iam itaque in Cœna Domini tota illa actio quæ fit ab Ecclesia ad exemplum summi pontificis Christi, fractio inquam panis, distributio, adeoq; conuiuium ipsum aut perceptio panis & uini, signum est, ritus, ceremonia, ac res externa siue terrena, ipsum illud sensibile quod patet sensibus.

Lib. contra hæreses 4. & 5.

Signo & re signata constant sacramenta.

Marci 1.

Actorum 2.

Matth. 26.
Luc. 22.

bus. Cæterum intelligibile & res significata, interna & cœlestis, est ipsum corpus traditum pro nobis, & sanguis effusus in remissionem peccatorum, adeoq; redemptio nostra & cõmunio quam habemus cum Christo & omnibus sanctis, & quam habet ille inprimis nobiscum.

Ex his facilè licebit certum constituere de uocabulis iamiam huic inditis negotio. Externa enim appellantur signa, quòd sint corporea, foris incurrentia sensibus, quibus hauriuntur. E diuerso appellamus ipsas res significatas internas, non quòd res ipsis inclusæ signis lateant, sed quòd internis animi facultatibus per spiritum Dei concessis percipiuntur. Ita quoq; eadem signa nuncupantur & terrena & uisibilia, quòd rebus constent è terra sumptis, aqua uidelicet, pane & uino: & quòd in his speciebus coràm uideantur. Porrò cœlestes & inuisibiles dicuntur res significatæ, quòd fructus ipsarum sit cœlestis, quodq; oculis animi seu fidei, non corporis, cernantur. Alioqui enim ipsum Domini nostri Iesu Christi corpus & sanguis, quæ in cœna specie panis & uini repræsentantur fidelibus, suapte natura non sunt cœlestia aut inuisibilia. Corpus enim Domini nostri sua substantia & natura nostro corpori consubstantiale est: cœleste quidem & ipsum propter liberationem à corruptione & infirmitate, aut propter clarificationem, non naturæ euacuationem aut depositionem, appellatum. Idipsum uisibile est non inuisibile sua natura, residens in cœlis: uidetur tamen à sanctis cœnam celebrantibus, non corporis quidem, sed animi oculis, ideò propter nos inuisibile dicitur, quod in seipso non est inuisibile. Iam Verbum in sacramentis dicitur, & est diuinæ uoluntatis testificatio, beneficiorum & promissionum Dei commemoratio & renouatio, institutio item & præceptum Dei, quod sacramenti authorem, modum & finem ostendit. Verbum enim in baptismo illud est, quod modò recitauimus, Ite in mundum uniuersum, &c. In Cœna Domini, uerbum Dei illud est, Accepit Iesus panem, &c. Ritus autem consuetudo & mos est, petitus ab exemplo Domini præeuntis actione sacra, in qua & preces & ea quæ recitantur è uerbo Christi, comprehendimus. Nam ut ille panem fregit & distribuit, similiter & poculum diuisit: ita sancta imitatione & ritu sacramentali idem imitamur in actione sacra: ut ille gratias egit, ita & nos agimus gratias. Inuocamus super baptisandos certis precibus auxilium & gratiam Domini: recitamus locos quos ad negotium baptismi pertinere credimus certos ex Euangelio. Idem solemus & in celebratione Cœnæ Dominicæ exequi. Verùm nõ est instituti nostri fusè & exactè nunc de Ritibus sacramentorum differere: quos tamen optimos esse arbitramur, si sint petiti ex sacris, & modum non excedant. De quibus suo loco.

Signa externa et res internæ. Signa terrena & uisibilia, res cœlestes & inuisibiles.

Verbum & ritus.

Alij pro uerbo reponunt promissionem, pro ritu ceremoniam. Ac in uocabulo quidem Ceremoniæ non uideo ullum periculum: siquidem per Ceremoniam intelligat̃ externus ille cultus & ritus, quem ipse Dominus suo nobis exemplo cõmendauit, & celebrandum reliquit. Et reuera signa sacramentalia non sunt simplicia signa, sed ceremoniæ seu actiones religiosæ. Ita nullum periculum esse uidetur & in uoce Promissionis, modò per Promissionem intelligamus prædicationem Euangelij, & cõmemorationem promissionum diuinarum, quas in prædicatione Euangelij & celebratione sacramẽtorum recitantes usurpamus, Deum uidelicet nos propter Christum in fide recipere in suum consortium, abluere à peccatis, donare uarijs charismatibus: Christum pro peccatis nostris traditum, effudisse sanguinem ad expianda omnium peccata fidelium. Nam in celebratione baptismi usurpamus illa Domini uerba, Sinite paruulos uenire ad me, talium enim est regnum Dei, &c. In celebratione conuiuij sanctorum recitamus

Promissio & Ceremonia.

hæc sacra Domini uerba, Cœnantibus eis accepit Iesus panem, & postquàm egisset gratias, fregit & dedit eis, dicens, Accipite, edite, Hoc est meum corpus quod pro uobis traditur, Hic est sanguis meus qui pro uobis effunditur, in remissionem peccatorum. Hoc facite in mei commemorationem. Et reliqua. Sunt enim illæ commemorationes, & recitationes, promissiones Euangelicæ pollicentes peccatorum remissionem credentibus, annunciantes pro ipsis Domini corpus traditum, & pro ipsis effusum esse sanguinem: quæ sanè fides unica & certissima est uitæ & salutis apprehendendæ ratio. Christus est uis & substantia sacramentorum, per quem solum efficacia sunt, extra quem nihil possunt aut efficiunt.

Cæterum si quis per promissionem intelligat pactionem, qua se Dominus singulariter obstrinxerit, ac uelut affixerit signis, in quibus aut cum quibus uelit corporaliter, essentialiter & realiter esse præsens, iam plus dicit, quàm scripturis demonstrare euincereq́ possit. Nullibi enim promisit se Christus in signis aut cum signis corporaliter, hoc est, uero suo corpore affuturum. Alioqui non nescio Deũ alicubi patribus nostris apparuisse sub figura corporali, id est, specie aliqua uisibili: ueluti dum Iacobo Izraeli scalæ incumbens & Mosi in foramine petræ ceu in specula constituto se exhibet uidendum. Verùm ea huc propriè non pertinent, qui de corporali Christi præsentia, & de signis sacramentalibus disserimus. Quia uerò non pauci uerba Domini, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, huc torquent, ut corporalem corporis Domini præsentiam in Cœna statuant: respondemus uerba illa Domini non rigidè ad literam exponenda esse, quasi panis & uinum essentialiter aut corporaliter sint corpus & sanguis Christi: sed symbolicè & sacramentaliter, ita ut corpus & sanguis Christi in sua substantia & natura, & in loco suo, in certo inquam aliquo cœli loco maneant, panis autem & uinum signũ uel sacramentum sint, testimonium aut obsignatio, memoriaq́ celebris traditi pro nobis corporis ac effusi sanguinis. Verùm hac de re suo loco copiosius disseremus. Ex ijs quæ diximus satis claret quomodo sacramenta constent duobus, signo & re signata, uerbo Dei & ritu uel ceremonia sacra.

SVNT tamen qui arbitrantur uerbis eam esse uim à Deo inditam, ut pronunciata super signa, ipsa sanctificent, immutent, adeoq́ res significatas aduehant uel præsentes faciant, & signis ipsis inserant, uel includant, aut certè coniungant. Hinc enim exaudiuntur uoces huiusmodi, Aquam baptismi uirtute uerborum regenerare: & uirtute uerborum ipsum panem & uinum in Cœna fieri carnem & sanguinem Domini naturalem. Ac uerbo quidem & signo constant sacramenta Christi & ecclesiæ. At diligenter dispiciendum uidetur quid intelligi oporteat per uerbum. Modò dixi Verbum in sacramentis esse diuinæ uoluntatis testificationem, ipsumq́ Dei præceptum aut institutionem Dei, quæ sacramenti authorem, modum & finem ostendit. Hoc inquam uerbo & præcepto Dei, hac uoluntate & institutione Dei, sanctificantur sacramenta, non quòd uerba à ministris sic pronunciantur, sicuti leguntur prius ab ipso Domino recitata, aut ab ipsis tradita Apostolis: sed quòd Deus sic uoluit, fecit, & facere iussit. Quod enim Deus facit, aut facere iubet, ipso Dei præcepto aut facto est sanctificatum. Nam omnia quæ fecit, ualde bona sunt: ergo quæ facere iubet, non possunt non esse sancta: quia ipse sanctus est & sanctificator unicus. Proinde ex natura, uoluntate, facto, aut iussu Dei, non ex pronunciatione ullorum uerborum est sanctificatio sacramentorum. Cui iam, ut homini quoque applicetur ac prosit, fidelis hominum obedientia accedat necesse est: quæ uidelicet omnem fiduciam defigat in misericordiam

Exod. 33. 34

Quid in negocio sacramẽtorũ intelligatur per uerbum.

diam & potentiam Dei, quæ denique non contemnat aut respuat institutionē Dei, licet in speciem uilis & contempta uideatur. Apparebit hoc clarius in exemplo Naamani magistri militum regis Syriæ. Is audit à propheta, haud dubiè ex præcepto Domini, septies lauet in Iordane: sic enim futurum, ut mundetur à lepra. Audis hic uerbum, uoluntatem inquam & præceptum Dei: non audis autem ulla uerba recitari uel super Iordane, uel super Naamano, uel ulla uerba Naamano à propheta præscribi, quæ ipse recitet, quibus uidelicet aquæ indatur purificandi uis. Obtemperat per fidem præcepto Dei Naaman, & mundatur à lepra, non suo quidem merito, aut aquæ Iordanis beneficio, sed uirtute Dei & fideli obedientia. Mundantur & in Euangelio leprosi non pauci uirtute inquam & uoluntate Christi Domini fideique gratia, non ulla pronunciatione uel recitatione uerborum. Dixit sanè Dominus, Volo, mundus esto: cæterum si quis hodie eadem recitarit etiā centies super leproso aliquo, nihil effecerit. Vnde perspicuum est, uerbis nullam esse uim inditam sanitatis effectricem, si pronuncientur. *4.Reg.5.* *Matth.8.*

Dixerunt sanè Apostoli ad ægrotos languentes & claudos, In nomine Domini Iesu surgite & ambulate: ac surrexerunt quidem sanati: sed non uerborum beneficio seruati, uerùm nomine, potentia inquam & uirtute Christi. Petrus enim qui ad claudum Hierosolymis dixerat, In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula, coram senatu Hierosolymitano, Examinamur hodie de eo, inquit, quòd benefecerimus infirmo, qua ratione iste saluus factus sit: notum sit ergo omnibus uobis, quòd per nomen Iesu Christi Nazareni, iste astat coram uobis sanus. Et ad populum idem, Per fiduciam nominis eius, inquit, hunc quem uidetis ac nostis, confirmauit nomen ipsius, & fides, quæ per eum est, dedit ei integritatem istam. Præterea legimus in Actis Apostolorum, filios cuiusdam Sceuæ sacerdotis exorcistas inuocare nomen Domini Iesu super eos qui habebant dæmonia, hæc uerò adeò non cessisse exorcismis, ut magis in exorcistas insurgentia illos ferè ad mortem usque mulctarint. Vbi apertissimum est exorcistas eadem ferè usos esse formula, qua utebantur Apostoli (nam per nomen Domini Iesu tentabant eijcere dæmonem) hoc autem cùm non potuerunt, quis non uideat uerba pronūciata nihil posse? Nec obstat hìc quicquam, quòd exorcistæ illi fuerunt increduli. Nam apud omnes receptissimum est, sacramenta non minus efficacia esse per malos administrata ministros quàm per optimos. *In nomine Domini sanati languentes. Acto.3.* *Acto.19.*

At obijcitur hìc nobis illud Apostoli, Christus exposuit semetipsum pro ecclesia, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum, uel in uerbo. Siquidem, En, inquiunt, mundantur homines aqua baptismi quæ ex uerbo uim habet sanctificandi inditam: uerbis itaque uim sanctificandi inesse necesse est. Cæterum euincemus perspicua demonstratione, non hoc sensisse Apostolum, quod illi putant. Præscribit Apostolus Christianis coniugibus officia sua: ad quam rem illustrandam utitur exemplo Christi & ecclesiæ, Christi erga ecclesiam commendans insignem illam dilectionem, qua inflammatus exposuerit sese pro ipsa, in hoc ut purgatam & gloriosam sibi sponsam adiungeret: ubi obiter mundandi modum indicat. Nam ipse Dominus Iesus, inquit, illam mundauit. Solius enim Christi est purgare. Iam sequitur modus, Lauacro aquæ per uerbum: quod quia breuiter dictum est, nonnihil obscuritatis habet. Duo autem commemorat, quæ Dominus suis adhibet mundandis, Lauacrum aquæ & Verbum. Lauacrum aquæ baptismus est, externa uidelicet actio, internæ purificationis, gratia & spiritu Dei factæ, testificatio: iuxta illud, Secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti, quem effudit in *Explicatur locus Pauli Ephes.5.cap.* *Titum 3.*

nos opulentè, per Iesum Christum seruatorem nostrum. Per interpretationem enim subijcit, Ac renouationis spiritus sancti, cuius quidem symbolum est lauacrum aquæ. Porrò Verbum est ipsa Euangelij prædicatio, testificans gratia & misericordia patris datum nobis esse filium unigenitum, qui traditus pro peccatis nostris, credentes effecerit hæredes uitæ æternæ: ut iam hæc Pauli uerba ad Ephes.5. congruant cum hoc præcepto Domini apud S.Marcum, Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, &c. Nam his quoque adumbrat Dominus salutis modum & rationem, quòd ipse solus sit, qui purget per fidem: uelit interim, ut credentes baptismo consignentur, & palàm prædicetur in orbe, quòd ipse sit qui condonet peccata, & donet etiam gratis uitam æternam. Hæc autem omnia quid pro faciunt ad illorum institutum, qui Paulinis uerbis euincere uolunt, uerbis inesse uim sanctificantem baptismum? Elucidant nostra adhuc clarius hæc Domini uerba ad Apostolos suos dicta, Iam mundi estis propter sermonem, quem dixi uobis. (Ioan.15.) An enim hic dicemus propter uerba Christi recitata purgatos esse Christi Apostolos? Quid itaq; opus erat ipsum postridie crucifigi & mori? An ut uerbis illam potestatem impetraret? Omnis itaque gloria uerbis porrò uindicabitur. An uerò non magis dictat fides & pietas per Sermonem Domini illud intelligendum esse, quod prædicatione Domini explicatur, mors & redemptio Christi, cui quoniam crediderunt, purificati sunt? Alibi enim dicit, Fide purificans corda ipsorum. (Acto.15.) Proinde error in eo uersatur, quòd non rectè iudicant de uerbo aut sermone. Dominus enim loquitur de prædicato & credito: illi intelligunt de pronunciato, quasi sic uim habeat ex Domino sanctificandi. Nobiscum facit & S. Augustinus, qui Tractat. in Ioan. 80. Vnde ista, inquit, tanta uirtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente uerbo? Non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso uerbo aliud est sonus transiens, aliud uirtus manens. Hoc est uerbum fidei quod prædicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris ore tuo, quòd Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia illum excitauit à mortuis, saluus eris. (Rom.10.) Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Vnde in Actibus Apostolorum legimus, Fide mundans corda eorum. (Acto.15.) Et in Epistola sua beatus Petrus, Sic & nos, inquit, baptisma saluos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. (1.Pet.3.) Hoc est uerbum fidei quod prædicamus, quo sine dubio ut mundare possit consecratur & baptismus. Christus quippe nobiscum uitis, cum patre agricola, dilexit ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, & uide quid adiungat, Vt eam sanctificaret, ait, mundans eam lauacro aquæ in uerbo. Mundatio itaque nequaquam tribueretur fluxo & labili elemento nisi adderetur, In uerbo. Et reliqua. Hucusque enim S.Augustini uerba recensui, non quòd humano innitar testimonio, aut hoc quenquam urgere uelim, aut ipse humano premi sustineam testimonio, sed quòd his testimonia aliquot scripturæ de uerbo testificantia collegit, ex quibus intelligere possumus uerbum fidei prædicatum, & non recitatum aut pronunciatum, accipi oportere. Hoc, inquam, uerbum uerè purgat, id est, gratia Christi, in quam unicè & uerbum & fides intendit, purificat. Ideò enim ille disertè dixit, Non quia dicitur, sed quia creditur. Deinde Verbum fidei est, inquit, quod prædicamus. Præterea, Verbo fidei, inquit, consecratur baptismus, ut mundare possit. Quod quid aliud est, quàm si dixisset, Ipsum fidei negotium efficit ut baptismus sit efficax? Sequitur enim, Mundatio itaque nequaquam fluxo elemento tribueretur, nisi adderetur, In uerbo.

Iam si prisca quoque inspicias sanctorum mysteria, non legas in celebratione Circuncisionis, Pasæ & Sacrificiorum ulla esse recitata uerba, quibus ea formarentur, ac ueluti crearentur Sacramenta, redderenturque efficacia. Quo accedit, quòd Baptista non tantùm uulgus promiscuum, sed ipsum etiam Dominum Iesum, aqua Iordanis baptizauit, nullis interim uerbis recitatis, quibus gratiam cœlestem euocarit super aquam baptismi. Rursus dum in Euangelio Cœnam instituit Pontifex noster Christus, nihil iubet recitare aut pronunciare, cuius pronunciationis uirtute, uel elementa mutentur, uel significatæ res cœlitus detractæ adferantur aut cōiungantur symbolis: sed simpliciter quid fecerit Dominus, & quid à nobis fieri uelit, hoc est, quomodo & in quem finem cœnam instituerit, exposuerunt Euangelistæ. Nullibi legimus dixisse Dominum, Quoties hæc uerba mea recitaueritis, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, fiet uirtute uerborum meorum, ut substantia signi euacuetur & incipiat in pūcto recitationis sub speciebus panis & uini esse uerum Domini corpus, & uerus sanguis: aut manentibus speciebus & signi ueritate, incipiat simul etiam esse cum pane & uino uerum corpus & uerus sanguis. Proinde nulla est uirtus in recitatione uerborum Domini in Cœna uel deuocandi uel transmutandi. Superstitionem hæc magis quàm pietatem alere uidentur. Quasi uerò uerba, concepta formula recitata, uim habeant euocandi, deducendi, sanandi, attrahendi, depellendi aut transformandi. Diuus Aurelius Augustinus inter superstitiosa numerat ligaturas & remedia, quæ medicorum quoque, ut ait, disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis, quas uocant characteres, siue in quibusdam rebus suspendendis, &c. Locus extat cap. 20. lib. de Doct. Christ. 2. Et Chrysost. grauiter succensens ijs, qui Euangelium scriptum suspendunt è collo, Vbi (inquit in Matth. 23. cap.) uirtus est Euangelij, in figuris literarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circum collum suspendis. Si in intellectu, ergo melius in corde posita sunt. Hæc ille. Atqui eadem est ratio figurarum & pronunciationis literarum aut uocum Euangelij. Sicut ergo nihil potest figura literarum: ita nulla uirtus est & in pronunciatione uerborum, uel in sono. Quid quod Plinius scriptor gentilis multa quidem gentilitia profert exempla, quibus ostendit uerba esse efficacia: idem tamen inter alia, Quæsitum est, inquit, ualeant ne uerba & incantamenta carminum? Sed uiritim sapientissimi cuiusque respuit fides. Locus extat libro 28. cap. 2. Meritò autē his omnibus ipsum Dei uerbum præfertur, quod apud Mosen Deut. 18. omnis generis superstitiones & incantamenta magna cum grauitate condemnat atque prohibet.

Verba recitata non formare et efficacia reddere sacramenta.

Scio quid mihi hic obijciant aduersarij, Benedictionem seu consecrationem, non superstitionem esse quam perficiant. Afferunt præterea plurima è sacris, posita in Decret. canonicis exempla, quibus ineptissimè profectò demonstrare conantur benedictione, ut aiunt, rerum naturas mutari: unde colligunt & panem uerbis benedictionis uel consecrationis conuerti in carnem. Huius autem generis sunt, aqua manans è percussa petra, Nilus conuersus in sanguinem, aqua in nuptijs Canæ Galilææ mutata in uinum, aqua marath cōuersa in aquam dulcem, uirga Mosis in colubrum. Cæterum quid hæc oro faciunt ad Cœnam Dominicam, cum qua nihil similitudinis habent? ut ineptissima iam sit collectio, Nilus conuersus est in sanguinem, ergo panis conuertitur in carnem: aqua in nuptijs Cananaicis mutata est in uinum, ergo uinum in cœna Domini conuertitur in sanguinem Christi. Dum enim aqua proflueret è petra percussa, dum conuerteretur Nilus in sanguinem, dum aqua in nuptijs uino commutaretur, dum dulcesce-

An benedictione, rerum naturæ mutentur.
Num. 20.
Exod. 7.
Ioan. 2.
Exod. 15.
Exod. 7.

rent aquæ marath, dum denique uirga Mosis uerteretur in serpentem, certè conuersa nempe aqua, sanguis, uinum, aqua dulcis, & serpens, non erant sub specie earum rerum quæ fuerant, neq; simul erant quod fuerant & quod facta erant: sed aqua Nili erat uerus cruor, non aqua & cruor simul, neq; sub uisibili specie aquæ erat sanguis inuisibilis. Ita habet res & in reliquis exemplis. Nihil igitur cōgruunt cum signis sacramentalibus, ac dissimilia sunt non similia. Præterea quis facilè dixerit qua prolatione uerborum Moses aquam elicuerit è saxo, Nilum conuerterit in sanguinem, amaras aquas reddiderit dulces: qua item uerborum forma usus sit Dominus dum aquam conuertit in uinum? Ineptissimè itaq; accommodantur illa exempla benedictioni conuertenti rerum naturas, cùm non possit ostendi qua benedictione usi sint sancti. Similiter nō legimus Mosen aut Iosue ulla pronunciasse uerba benedictionis, quibus dissecuerint aquas aluei maris Erithæi & fluminis Iordanis. Nil legitur benedictionis recitasse Heliseus dum natans ferrum manu-
4. Reg. 6. brio attraheret. Diuina in his omnibus operabatur potentia. At ab ea nō colligen-
Omnipotentia Dei. dum est quidlibet. Impotentia est enim nō potentia quæ iustitiæ repugnat, & contraria ueritati diuinæ patrat. Sed & potentia Domini opera huiusmodi sunt, ut nemo non intelligat, & manifestè talia esse cernat, qualia esse dicuntur. Dixit Domi-
Genes. 1. nus, Fiat lux, & facta est lux: huiusmodi, inquam, lux, quæ & lux dicebatur, & pro natura lucis lucebat: non autem dicebatur aut fiebat lux, quæ lux reuera esset, & tamen non luceret: sicuti panis dicitur corpus Christi, qui tamen corporis Christi ne pilum quidem habet.

De uocabulo Benedictionis. Porrò Benedictionis uocabulum nullibi in scripturis ita usurpatur, ut isti inducunt. Benedicere in scripturis est confiteri, laudare, salutare, ualedicere, bene loqui & bene precari, gratulari, magnificè celebrare, gratias agere pro beneficijs, augere, ditare, multiplicare, aut fœcundare. Possem de singulis proferre exempla si necesse foret: nullibi uerò legas benedicere perinde esse atque Dei, uel alioqui bonis uerbis precationibusq; certa formula pronunciatis, rerum conuertere naturas. Legimus, inquiunt, in Euangelio Dominū accepisse panem, & benedixisse:
1. Corinth. 10. sed & Paulum eo nomine panem & poculum appellasse panem & poculum benedictionis, consecrationis haud dubiè, qua consecratione substantia signorum commutatur mirabiliter. Ego autem respondeo, uerba & Euangelica & Apostolica torqueri uiolenter ad sensum qui in mentem non uenit unquam uel Domino uel Apostolis. Nam quantum attinet ad locum Euangelij, Benedicere non est pingere gestu manus signum crucis, & adhibito ore ad panem aut poculum anhelare distinctas etiam syllabas uerborum consecrationis: sed laudes Deo canere, siue pro beneficijs agere gratias. Quod dixi probabo uerbis Euangelicis & Apostolicis. Nam Apostoli & Euangelistæ utuntur indiscriminatim uerbo benedicendi
Eucharistia & Eulogia. & gratias agendi. Vbi enim Marcus habet εὐλογήσας, Matthæus, Lucas & Paulus habent εὐχαριστήσας: qua uoce & Marcus paulo post utens, scribit, Et accepto poculo εὐχαριστήσας, cùm scilicet gratias egisset, dedit eis. Est itaque uel ipsis Apostolis interpretibus benedicere, gratias agere, cùm alterū pro altero ponant. Idipsum nō oscitanti lectori palàm cernere licet & in loco Pauli qui est 1. Corinth. 10. cap. quē nos in sequentibus tractabimus ex integro. Nondum itaque probarunt ex scripturis aduersarij benedicere perinde esse atq; res mutare, uel res ipsas significatas uerbis, pronunciatione, recitationeue uerborum adducere. Mysticæ benedictionis quidem meminerunt ueteres, sed longè alio sensu quàm isti consecratores. Et de Consecratione uera mox dicemus: confutabimus & alio loco quæ adferuntur de benedictione aut consecratione baptismi: nunc quod cœpimus, absoluemus.

Verba

Verba per se in hoc instituta sunt à Deo, ut significent, & significando testentur atque admoneant: nec habent præterea ullam uim latentem conuertendi rerum naturas, aut res ipsas ut corporaliter adsint adducendi: neque illis sancti unquam sic usi leguntur: peccant ergo & imponunt hominibus, qui ipsis aliter quàm instituta sunt utuntur. Agnouit hoc ipsum & Aurel. August. qui in Enchiridio suo ad Laurent. cap. 22. Et utique uerba, inquit, propterea sunt instituta, non per quæ se homines inuicem fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis itaque uti ad fallaciam, non ad id quod instituta sunt, peccatum est. Idem summam colligens totius libri de Magistro inscripti, interrogat, Sed iam mihi dicas uelim, quid de hoc toto sermone meo sentias. Ad quod mox respondet, Ego uero didici admonitione uerborum tuorum, nihil aliud uerbis, quàm admoneri hominem ut discat, & perparum esse quod per locutionem aliquanta cogitatio loquentis apparet: utrum autem uera dicantur, eum docere solum qui se intus habitare cum foris loqueretur admonuit. Hæc ille de Magistro cap. ult. Huc iam pertinent uerba sapientissimi Solomonis in Ecclesiasta dicentis, Sapientum sermones sunt uelut stimuli, & uelut claui plantati inter folia collectitia, tradita ab uno pastore. Vbi libenter agnoscimus magnam inesse uim eloquentiæ & orationi iustæ: sicuti Græci per Herculem illum Gallicum significarunt, Cicero item multis in 1. lib. de Oratore exposuit. At quod illi comminiscuntur de Pitho siue Suada aut Suadela, id reuera nos tribuimus spiritui sancto, qui & gratiam dat dicenti, & auditorum animos præparat atque commouet. Ex his autem omnibus perspicuum esse arbitror, nouum esse commentum hominum, non doctrinam oracularem, asserere uerbis recitatis in sacramentorum celebratione eam esse uim inditam, ut res conuertant, aut res significatas faciant præsentes, signisque ipsis uel indant, uel coniungant. Docebimus præterea paulò post, signa non mutari uel commisceri cum rebus significatis, sed utrumque in sua natura & proprietate permanere. Satis autem fuerit si uerbis id tribuamus, quod attribuit scriptura, significandi & admonendi, excitandi, commouendique ex Deo officium. Polluunt enim non decorant uerba Dei, qui alienis & ementitis ornant laudibus.

Ad quid uerba instituta sint, et quid ualeant.

Eccli. ult.

Eloquentiæ uis.

Agnoscimus quidem Verbo Dei attribui omnẽ Dei omnipotentis uirtutem, sed quis non intelligat id dici & intelligi de æterno Dei filio, qui in scripturis appellatur Verbum Dei? Quis tam hebes ut non ualeat ritè distinguere inter æternum Dei uerbum, quod est filij Dei persona secunda in trinitate adoranda: & inter uerbum recitatum, aut pronunciatum ab homine? Verbum Dei æternum in sua manet substantia atque natura, creator non creatura: non miscetur: non inditur aut incorporatur uocibus humanis: Verbum ab homine prolatum creatura est non creator, & creatura manet. Nam est sonus transiens. Fit tamen uirtus manens, si syncerum non adulteratum sit, recipiaturque fide. Sic enim seruat, non sua quidem uirtute, aut quia ab homine est recitatum: sed propter uirtutem eius qui reuelauit uerbum, qui uerax est, ideoque ea seruat quæ per uerbum promittit: ut iam reuera ipse Deus seruet, qui per uerbum se seruaturum dixit credentes. Ergo uerbũ quod reuelauit nobis Deus per seruos suos prophetas & electos apostolos, non ideo uerbum Dei est ac dicitur, quòd syllabæ sonus, uerba & uoces sint natura sua uerbum Dei, hoc ipsum scilicet, quod sua substantia est filius Dei: sed quia reuelatio uerbi facta est à Deo in spiritu sancto per uerbum uel sapientiam Dei: unde licet origo diuina sit non humana, uerba tamen quibus usi sint prophetæ & Apostoli humana sunt, nec aliud quàm significare possunt. Quibus interim

Quomodo uerbo dei attributa omnipotentia.

nolo externi uerbi Dei uim iustam eleuatam. Agnosco omnia ea quæ uerbo Dei sano intellectu tribuuntur. Verùm ea de re aliàs fusius disputaui.

De uera sanctificatione, seu consecratione. At dicat iam aliquis, Si ex uerborum Dei recitatione non sanctificantur sacramenta, unde ergo habent quòd sunt & dicuntur sacramenta siue sacra signa? Vana ne & nullius uirtutis est consecratio? Vana certè & nullius uirtutis est consecratio illa quam finxerunt Papistæ. De Consecratione autem siue sanctificatione uera, dixi in principio huius capitis, id quod nunc paulò luculentius copiosiusque edisseram. Sacræ literæ utuntur frequentissimè in commemoratione sacrorum uocabulo קדש, id quod Græci interpretes ferè reddiderunt per ἁγιάζω, Latini per sanctifico, consecro atque initio. Latissimè autem patet eius uocabuli usus. Significat enim sanctificare, offerre Deo, purgare & iustificare, item seligere & separare, separare inquam à prophano usu & rebus sacris dedicare, nuncupare, applicare, destinare. Dicimus itaque Consecrare in præsenti aliud non esse, quàm sanctificare, Deo utique dedicare, adeoque & segregare, aut è re prophana facere sacram. Quis autem hoc facit? aut qui facit, quo obsecro medio & instrumento hoc facit? quis oro consecrat, Deus ne an homo? Deus utique non homo. Deus enim instituens rem aliquam, & uerbo suo, quid & in quem finem instituerit, testificans atque exponens, sua ac sancta uoluntate iusta & bona, sola institutione inquam sua, citra ullum aliud medium, rem iam à se institutam consecrauit. Sicut enim ipse sanctus, iustus & bonus est: ita quicquid ipse iusserit, sanctum, iustum & bonum est. Et homo ex uerbo dei intelligens Deum sic in sanctum, bonum & iustum usum aliquid instituisse, ipsum institutum pro sancto, bono & iusto habet, recipit, usurpat: non ipse demum uerbis recitatis sanctum efficit atque consecrat. Et quia instituta Dei omnia sancta & bona esse credit, ideo & hoc Dei institutũ, ita ut Deus ordinauit, celebrat, gratias Deo agit, & totus à Deo & regula uerbi eius dependet. De sanctificatione huiusmodi loquens Apostolus in alio quodam argumento, Spiritus, inquit, certò loquitur quòd in posterioribus temporibus exorientur seductores, qui prohibebunt contrahere matrimonium, iubebuntque abstinere à cibis, quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarumactione fidelibus & his qui cognouerunt ueritatem, quòd quicquid creauit Deus, bonum sit, & nihil reiiciendum, si cum gratiarumactione sumatur. Sanctificatur enim per sermonem Dei & precationem. En sanctificatur, inquit, cibus per sermonem Dei & precationem. Est autem sermo uel uerbum Dei in præsenti, sicut ipse exponit Apostolus Paulus, testimonium scripturæ & uoluntatis diuinæ, quo erudimur quòd omnia quæ Deus condidit ualde bona sunt, & quòd ea munda non immunda sunt quæ Deus ad uescendum & ad nostros usus condidit. Audit in Actis Apostolorum beatus Petrus, Surge Petre, macta & uescere. Vidit autem in uisione ante se omnia terræ cœlique animantia. Respondit uerò Petrus, Nequaquam domine, quia nunquam edi quicquam commune & immundum. Rursus ergo audit, Quæ Deus purificauit, tu ne dixeris esse communia. Sed ubi quæso purificauit? Dum condidit & usibus hominis concessit. Accedit uerbo uel sermoni precatio, non imprecatio quidem aut præcantatio, sed fidelis gratiarumactio. Semel enim & iterum ipse Apostolus gratiarumactionis meminit, ut per genus, id est, precationem aut orationem, aliud intelligere non liceat, quàm speciem, ipsam inquam gratiarumactionem. Est enim oratio uel precatio uelutigenus ad has species, Inuocationem & Gratiarumactionem. Ideo ergo cibus sanctus est, ait, quia à Deo qui bonus est, conditus, & usibus hominis destinatus est; deinde quia cum fide & gratiarumactione ab homine recipitur.

1. Tim. 4.

Acto. 10.

recipitur. Cibus enim multis non est sanctus & bonus, non suo quidem uitio, qui semper est bona Dei creatura, sed non agnoscentium fide Dei beneficia, aut abutentium & ingurgitantium sese contra uerbum domini, culpa. Sic inquam habet illa in caussa negotium sanctificationis, quod & sacramētis applicare oportet. Deus ex bona sua uoluntate & ad hominum utilitatem sacramenta ordinaturus, deligit sibi ex bonis suis creaturis, aquam, panem & uinum, & hæc in certum aliquem finem instituens, præscripto aliquo ritu usurpare uel celebrare iubet: iam itaq; iussu delectuq; diuino aqua, panis & uinum consecrata sunt, mox eadem uerbo suo signat, & quòd ea pro sacramentis haberi, & quomodo celebrari uelit, exponit. Consit itaque consecratio sacramentorum, uoluntate, institutione, delectu, seu præcepto Dei, uerbiq; consignatione. Proinde aqua, panis & uinum usurpata uulgari more, aut non ita ut à Deo delecta & instituta sunt, insculpta quodammodo nota uerbi, communia utiq; siue prophana sunt: delectu seu iussu demum diuino, usu sancto, & uerbo ceu nota accedente, incipiunt iam esse quod prius non fuerunt, sacramenta. Substantia quidem ipsis eadem manet, quæ fuerat antea, accedit autem nunc alius usus & finis, habent nunc notam uerbi Dei impressam & præceptum Dei, sunt taq; consecrata. Quibus omnibus accedit etiam usus sanctus, fide uera celebrantium redemptionis beneficium, & gratias agentium benefico redemptori precibus fidelibus. Possumus hic ex politicis quædam proferre exempla, in quibus etiam res quædam, propter nouas accedentes caussas, manente substantia sua, iam fiunt, quod antea non fuerant. Argentum enim uel aurum nondum cusum & notatum magistratus signo, nihil aliud est quàm argentum & aurum, accedit autem, iubente magistratu, noua forma per typum, & fit numisma, quod prius non fuerat, licet substantia sua idem maneat quod fuerat prius. Cera priusquam notetur sigillo, communis & prophana est cera: ubi uero, rege sic uolente & iubente, character sigilli regij ceræ imprimitur appenditurq; tabulis & instrumento publico, mox eo haberi loco incipit, ut læsæ maiestatis reus habeatur, quisquis signatam tabulam aut ceram uiolarit. Ex quibus patere iam arbitror, ueram sanctificationem uel consecrationem sacramentorum constare uoluntate & institutione Dei, fine certo & usu sancto, quæ nobis explicantur uerbo. De quibus hucusque uerbosius fortasis, quàm quidam faciundum putent, disputaui. Sed condonabunt hanc mihi prolixitatem pij lectores, cum omnino omnia fideliter, diligenter & fusè explicare cupiam.

Quomodo consecrentur sacramenta nostra.

VINDICATO iam legitimo usu uerbi, & exposita huius uirtute, declarataq; per occasionem uera sacramentorum sanctificatione seu consecratione, redimus ad propositam & cœptam disputationem: & quoniam docuimus sacramenta constare duobus, signis & rebus significatis, reliquum est, ut demonstremus partes illas, naturas suas discretas proprietate incommunicata retinere: ex qua demonstratione, & præcedentibus & consequentibus, adeoq; toti sacramentario negotio, mira, haud dubiè, lux affulgebit. De communicatione uerò nominum dicam suo loco.

Quòd autem discretas naturas quælibet partium incommunicata proprietate retineat, hinc manifestum est, quòd multi signo participant, qui tamen cum re significata nihil commune habent. At si naturæ partium unirentur aut coirent naturaliter, necesse esset eos re quoq; significata communicare, qui signo participant. Exempla scripturæ ut in promptu, ita perspicua sunt. Nam Simon ille magus in Actis apostolorum accipit quidem signū & baptizatur: rei uerò ne tantil-

Signum & signatū in sacramentis discretas retinere naturas.

Acto. 8.

lum quidem uel habet uel accipit. Iudas quoq; Iscariotes, domini proditor perfidus & crudelis, edit quidem panem domini, at panem dominum non edit. Alioqui enim uixisset felix, iustus & beatus in æternum. Qui enim edit me, ait ipse dominus, non morietur in æternum. Perijt autem Iudas morte æterna, ergo cibum uiuificum non edit.

Impios in communione sacramentorum re nō participare.

His claris scripturæ testimonijs adijciam modò & quædam ad idem institutum pertinentia S. Augustini, qui tractatu in Ioan. 26. Accipimus hodie, inquit, uisibilem cibum: sed aliud est sacramentum, aliud est uirtus sacramenti. Quàm multi de altari accipiunt & moriuntur accipiendo? Vnde dicit, Apostolus, Iudicium sibi manducat & bibit. Nónne buccella dominica uenenum fuit Iudæ? & tamen accepit, & cum accepit, in eum intrauit inimicus: non quia malum accepit, sed quia bonum malè malus accepit. Et mox, Huius rei sacramentum, id est unitatis corporis & sanguinis Christi, de mensa dominica sumitur, quibusdam ad uitam, quibusdam ad exitium: res uero ipsa cuius & sacramentum est, omni homini ad uitam, nulli ad exitium, quicunq; eius participes fuerint. Et iterum, Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubiò nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit sanguinem eius, licet carnaliter & uisibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit. Et reliqua. Similia tradit & lib. de Ciuit. Dei 21. cap. 25. Libro quoq; de Doct. Christ. 3. cap. 9. ostendit in coniunctione opus esse distinctione, ne externo signo nimium inhæreamus.

Redimus ad testimonia scripturæ. Apostolus testatur in 1. ad Corinth. 10. cap. omnes patres nostros baptisatos esse, & omnes eundem cibum & potum spiritualem edisse & bibisse: sed dominum plures ex ijs non approbasse. Quòd si spiritualem cibum & potum edissent & bibissent spiritualiter per fidem, proculdubiò approbasset illos dominus. Nam sine fide, ut idem ille ait, impossibile est placere Deo: fidem ergo habentes probantur Deo. Proinde participarunt patres nostri sacramentis quidem uisibilibus, gratia autem inuisibili caruerunt. Vnde consequens est signum atq; signatum non confusas aut commixtas, sed discretas retinere naturas. Præterea habent uerba euangelicæ prædicationis cum signis sacramentalibus cognationem & similitudinem saltem aliquam. Alioqui uerba signis longè præferuntur, Apostolo dicente, se prædicatum nō baptisatum esse missum. Atqui audiunt permulti foris uerbum domini qui tamen cum fide destituantur, carent interno uerbi fructu, Paulo rursus dicente, Nobis annunciatum est quemadmodum & illis: at non profuit illis audisse sermonem, quòd is non esset cum fide coniunctus. Ita enim fit, ut plures percipiant sacramenta uisibilia, careant interim inuisibili gratia, quæ fide sola percipitur. Vnde denuo consequitur signum non confundi cum signato, sed utrumq; substantiam & naturam suam retinere discretam. Quid quod scriptura diserte & luculenter distinguit inter externum hominis ministerium, & internum operatorem & largitorem spiritualium donorum, Deum? Nam Ioan. Baptista, Ego quidem baptizo uos, inquit, aqua, ille uerò (Christus) baptizabit uos spiritu sancto. Cum quo congruit illud Petri, Baptismus uos saluos reddit: non quo carnis sordes abluuntur, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.

Cognatio uerbi Dei & sacramentorum.

1. Corin. 1.

Hebr. 4.

Matth. 3.

1. Pet. 3.

Distinguit scriptura in ministerio hominis & operatione spiritus.

Huc iam pertinet euidentissimum illud S. Augustini testimoniū, quod Quæst. lib. in Leuit. 3. Quæst. 83. in hæc uerba legitur, Animaduertendum est quoties dicit, Ego dominus qui sanctifico eum, loqui de sacerdote, cum hoc etiam Mosi dixerit, Et sanctificabis eum. Quomodo ergo & Moses sanctificat & Dominus?

Non enim Moses pro domino: sed Moses uisibilibus sacramentis per ministerium suum: Dominus autem inuisibili gratia per spiritum sanctum: ubi est totus fructus etiam uisibilium sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione inuisibilis gratiæ, uisibilia sacramenta quid prosunt? Hæc August. Quemadmodum uerò inter suum ministerium baptisandi & potestatem Christi distinxit Ioannes Baptista, ita idem ille discernens inter ministerium concionandi & interni doctoris tractum, Ego uox, inquit, clamans in deserto: parate uiam domini. Et iterum, Qui è supernis uenit, supra omnes est. Qui è terra profectus est, terrenus est, & è terra loquitur. Qui è cœlo uenit, supra omnes est, & quod uidit & audiuit, hoc testatur, &c. Consentiens uerò his S. Paulus, Quis, inquit, est Paulus, quis autem Apollos? nisi ministri per quos credidistis, & ut cuiq; dominus dedit. Ego plantaui, Apollos rigauit: sed Deus dedit incrementum. Itaq; non qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum Deus. Quanquam uerò prorsus & per omnia non congruat (quod & supra significabamus) ministrorum cum signis collatio: quòd ministri sint cooperarij Christi, secundum suam functionem: signa autem inanimata non item, nisi in ipsa κατ᾽ ἐξοχὴν transferamus, quod ministrorum est: attamen ex alijs satis liquidum fieri arbitror, signum & signatum discretas in sacramentis naturas retinere.

Ioan. 1. & 3. capite.

1. Cor. 3.

Impugnant hæc maximè, quibus persuasa est Papistica illa panis in corporis Christi uiniq; in substantiam sanguinis transsubstantiatio. Hi enim negant modis omnibus, panem & uinum in mysterijs consecrata, in suis manere substantijs. Has enim annihilari conuertiq; contendunt in ipsum Domini corpus & sanguinem, ut à consecratione, post accidentia panis & uini, nihil substantiæ supersit prorsus. Nam aiunt dominum disertis uerbis super pane & uino pronunciasse, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Posse autem dominum nullo quidem negotio efficere sua illa omnipotentia, ut quod dixit, ita fiat sicut dixit. Ad hoc illustrandum proferunt similia non pauca, dominum uidelicet hominem formasse ex limo terræ: mox & ex costa hominis mulierem: ex uxore item Loth statuam salis: eundem itaq; eadem sua potentia efficere posse ex pane corpus, ex uino autem sanguinem. Et hæc quidem illorum firmamenta sunt. Nos uerò aliàs abunde satis disputauimus de sensu uerborum Domini, Hoc est corpus meum: ut superuacaneum sit eadem hic multis repetere. Ostendimus item ex omnipotentia Dei, non quidlibet colligendum atq; statuendum esse: sed & potentiam Dei nihil facere contra ueritatem, adeoq; contra se ipsam: neque fideli quicquam suscipiendum esse prætextu potentiæ diuinæ quod pugnat cum apertis scripturis & catholicæ fidei articulis.

Confutatur dogma Papisticū de Transsubstantiatione.

Iam uerò clarissimum est post consecrationem manere in sacramento panis uiniq; substantiam. Nec alijs hic opus habemus testibus, quàm ipsis sensibus: qui aliud nihil sentiunt, uident, gustant & palpant quàm panem & uinum. Atqui dum terra conuerteretur in corpus hominis, costa in mulierem, uxor item Loth in statuam salis, non erant sicuti sacramentum altaris quod fuerant prius, neque quicquam apparebat sensibus, terræ, costæ, uxoris Loth. Ineptissimè ergo applicantur illa exempla negotio cœnæ dominicæ, cum qua nihil congruunt. Quam rem & superius attigimus. Scriptura euangelica sacrosanctam Cœnæ institutionem & modum diligentissimè describens, nullius meminit conuersionis miraculosæ: quin panem & uinum à domino acceptum & distributum discipulis, adeoq; & ab his receptum, ac post recitata uerba cōsecrationis, ut uocant, panem & uinum, sicuti ante consecrationē, appellat. Quid quod Matth. 26. cap. dominus

Panem & uinū manere in suis substantijs post cōsecrationem.

uinum consecratum, iam non uinum tantùm, sed etiam genimen uitis empha-
tico quodam loquendi genere nuncupat, ne quis uinum uerè uinum esse & ma-
Marci.14. nere ignoraret. Apud Marcum de poculo hæc legimus: Et accepto poculo, cum gratias egisset, dedit illis. Et biberunt ex eo omnes. Et dixit illis, Hic est sanguis meus noui testamenti, &c. En biberunt, inquit, ex poculo omnes, priusquam essent recitata uerba, quæ uocant, consecrationis, uinum itaque biberunt. Quòd si illi responderint locum euangelistæ explicandum esse per hysteronproteron figuram, admiserunt tropos in negotium cœnæ: quod tamen simpliciter & absque troporum auxilio contenderunt esse intelligendum. Sed & Paulus Apostolus in 1.ad Corinth.10.cap. panem dominicum in sacro usu iam existentem, & ut sic dicam consecratum, panem nominat. Et in 1.ad Cor.11. cap. tertiùm panem nuncu-
Acto.2. & 20. pat. His accedit, quòd Acta apostolica testantur totam actionem mysticam ab Apostolica ecclesia denominatam esse Fractionem panis, non fractionem corporis aut distributionem sanguinis. Claret itaque panis & uini substantiam in sacramento Cœnæ dominicæ manere in sua natura, & transsubstantiationem figmentum esse sophisticum.

An panis & uinum propter priorem subsistentiam, post cõsecrationem sic nominẽtur.

Est & illud sophisticum & egregiè Papisticum, quòd dicunt panem & uinum consecrata in Cœna, ideo in literis Apostolicis appellari panem & uinum, quòd antea fuerint panis & uinum. Hoc enim in præsenti fieri quod quondam legitur factum in Exodo, ubi uirga Aaronis dicitur deuorasse uirgas incantatorum, quæ tamen tunc non fuerint uirgæ, sed serpentes, uirgæ autem nunc nominentur, quòd ante conuersionem fuerant uirgæ, quæ nunc erant serpentes, non uirgæ. Quis autem rursus non uideat exemplum illud nihil similitudinis habere cum pane & uino dominico? Virga enim dicebatur quidem uirga, sed erat interim & uidebatur clarè iam non uirga, sed serpens: panis uerò dicitur panis, nec aliud esse apparet quàm panis, nulla hic cernitur species carnis, sicuti ibi uidebatur forma serpentis. Dicitur præterea uirga conuersa esse in serpentem, & pro miro aut prodigio ostentatur: nullibi autem legas panem conuersum in carnem, miraculo quodam; sed sacramentum instituitur, quod sane sacramenti nomen & naturam amittit, cum subuersa aut adnihilata signi substantia, nihil hic nisi res ipsa remanet significata. Nam quod de accidentibus sine subiecto miraculose subsistentibus signique loco manentibus nugantur, nebulæ sunt. Quòd si perrexerimus quælibet nostra somnia uenditare pro miraculis, nihil porrò tam absurdum & ineptum fuerit, quod nostris figmentis mendacijsque non colorauerimus. Quid quod uocabulum ipsum transsubstantiationis manifestè euincit, totum hoc nugamentum, non è simplici apostolorum doctrina, sed è spinosa
Coloss.2. sophistarum schola esse petitum? At apostolus Paulus præcepit, ut caueremus no-
1.Tim.6. bis cùm à philosophia ipsa tum à uerborum nouitatibus. Quanquam in præsenti non tantùm de uocabulo nouo, sed noua item re & noua doctrina apostolicæ per omnia aduersa agatur. Pugnat enim hæc doctrina de transsubstantiatione, cum doctrina Apostolica & euangelica de uera incarnatione domini, & uera humani corporis eius natura & proprietate, deque uera corporum nostrorum resuscitatione. Coguntur enim hic plurima commentari planè prodigiosa de inuisibili corpore Christi, & de subtili corpore Christi, sua subtilitate per corpus ianuæ & lapidis, operculi inquam, sepulchri, penetrante, de corpore dñi uero, & tamen simul & semel in pluribus locis existente, omniaque implente: & quæ huius notæ absurda sunt & impia innumera. Iam & Ioan. Scotus doctor subtilis scripto suo
Ioan. Scotus doctor subtilis. in Sentent. Distinct.11.lib.4. Quæst.3. author est articulum Transsubstantiationis

nec in ſymbolo Apoſtolorum, nec in priſcis illis ſymbolis eſſe expreſſum: ſed de-
claratum demum definitumq; ab eccleſia (ſic ille loquitur, Romanam intelligens)
ſub Innocentio tertio in Concilio Lateranenſi. Vnde colligimus doctrinam de *Anno Domini*
Transſubſtantiatione planè neotericam ſeu nouam eſſe: cuius hiſtoriam alicubi 1215.
copioſius contexuimus. Iſtis autem demonſtratum arbitror apertè & efficaciter
ſatis, ſigna non commiſceri ſignificatis rebus, uel in ipſa commutari, ſed diſcretis
manere naturis.

QVANQVAM uerò utraque partium ſuam retineat impermixta naturam,
coeunt tamen illa duo in unum ſacramentum, & coniuncta non diuiſa, faciunt
unum plenum ac legitimum ſacramentum. Aqua enim ſola & priuatim quidem
uulgariterq; aſperſa non eſt ſacramentum, niſi accommodetur & uſurpetur ſecun
dum inſtitutum Chriſti. Purgatio item ſiue ablutio peccatorum & inſertio aut re-
ceptio in fœdus & conſortium Dei omniumq; ſanctorum, per ſe non eſt ſacramen
tum, niſi accedat & aquæ in nomine benedictæ Trinitatis aſperſio. Pari ratione ſa
cramentum non eſt ſi edatur in publico cœtu panis, & bibatur de eodem poculo
uinum, more uulgari; nec ſacramentum eſt ſi fideli cõmemoratione contemple-
tis traditum pro te corpus Domini fuſumq; ſanguinem, pro quibus & gratias a-
gas: niſi quatenus omnia Dei & ſalutis noſtræ myſteria, ſacramenta generaliter, id
eſt arcana & ſpiritualia Dei & ſalutis noſtræ myſteria dicuntur. Nam in pleno le-
gitimoq; ſacramento concurrant neceſſe eſt & actio ſacra corporalis ſiue ſen-
ſibilis, & ſpiritualis celebratio eius cuius gratia inuenta eſt peragiturq; actio ſacra
mentalis. Atque hic nonnulli multa & uaria diſputant de V[nio]ne ſacramentali, *De Vnione ſa-*
perſonalis ne, realis, an rationalis ſit. Ego quoniam nihil huius uideo anxiè tradi- *cramentali.*
tum ab Apoſtolis, adeoq; rem planam per ſe, huiuſmodi ſophiſticationibus reddi
contortam, implicatam, obſcuram & difficultatibus plenam, ſimpliciter & clarè
dico ſignum & ſignatum in ſacramentis coniungi inſtitutione diuina, contempla
tione & uſu fideli, ſignificatione deniq; rerumq; ſimilitudine: nego autem modis
omnibus duo illa uniri naturaliter, ita ut ſignũ in ſacramento id eſſe incipiat, quod
ſignatum eſt ſua ſubſtãtia atq; natura; nego rem ſignatam corporaliter cum ſigno
coniungi, ita ut ſignum in ſua quidem maneat ſubſtantia atq; natura, interim ta-
men nihilominus rem ſignatam corporaliter ſecum habeat coniunctam, ut quiſ-
quis ſigno participet, pariter & rei ipſius, per ſignum aut cum ſigno fiat particeps.
Id cur tam conſtanter negem, apparet, opinor, ex ijs quæ hactenus diſputaui, &
quæ mox ſubiungentur.

Porrò inſtitutione coniuncta dico ſignum & ſignatum: quia qui ſacramentum *Explicatur*
Baptiſmi & Cœnæ inſtituit non in hoc inſtituit, ut aqua corporis ſordes abluere- *quomodo in ſa-*
mus, uti conſuetum eſt fieri quotidiano balneorum uſu: neque ut pane & uino *cramentis coe-*
nos ſatiaret: ſed ut redemptionis & gratiæ ſuæ, denique ſalutis noſtræ myſteria no *ant ſignum &*
bis commendaret ſignis uiſibilibus, eaq; repræſentando renouaret, obſignandoq; *ſignatum.*
confirmaret. Contemplatione fideli coniuncta dico, quia religioſè participantes
ſacramentis, oculos ſuos non in ſenſibilia tantùm, ſed magis in res inſenſibiles, in
ſignificatas & cœleſtes defigunt: ut in ſeipſis quidem duo illa coniuncta habeant,
quæ in ſigno aut cum ſigno alioqui nullo connectuntur uinculo. Corporaliter
enim & ſenſibiliter ſigna percipiunt: ſpiritualiter uerò res poſſident, uerſant, reno
uant atque exercent ſignificatas. Significatione uerò rerumq; ſimilitudine con-
iuncta dico, quia ſignum ſignati ſignum eſt: ac niſi ſigna ſimilitudinem haberent
cum ijs rebus, quarum ſigna ſunt, ſigna utique non eſſent. Habent ergo appoſitiſ-
ſimam coniunctiſſimamq; inter ſe cognationem. Sicut enim Aqua abluit ſordes

corporis, sicut Panis & Vinum exatiant exhilarantq; cor hominis: ita gratia Dei purgatur populus Dei: ita corpus & sanguis Domini pro nobis tradita, fide hausta, & satiant & exhilarant totum hominem, ut totum sese in gratiarum actionem & obedientiam Dei effundat. Dicerem hic copiosius de Analogia signi & signati, nisi commodiore loco me id postea facere posse uiderem. At pluribus scripturæ locis ut hæc euidentius demonstrentur opus esse nō arbitror: cum sponte sua consequantur ex ijs, quæ hactenus scripturarum testimonijs cōfirmauimus, & porrò copiosius confirmaturi sumus.

Signa mutuare rerum signatarum nomina.

Cæterum propter similitudinem signi & rei signatæ communicantur uocabula, aut nomina rerum ipsis signis. Id quod euidentissimis scripturæ testimonijs demonstrabimus. Gen, 17. sic dicit ad Abrahamum Dominus, Et tu custodies fœdus meum, tu inquam & semen tuum post te in generationibus suis. Hoc autē est fœdus meum quod obseruabitis inter me & uos, circuncidatur uobis omnis mas. Circuncidetis uerò carnem præputij uestri, quod erit signum fœderis inter me & uos. Hæc dixit os Domini: quis uerbum Dei suggillabit? Verbū Dei appellat Circuncisionem fœdus: ergo signo datur nomen rei. Nam Circuncisio reuera non est ipsum fœdus. Fœdus enim est ipsum pactum & conuentio inter Deum & homines, certas habens conditiones, certaq; capita. Proinde per interpretationem mox Circuncisio eadem appellatur signum fœderis. At quis hanc interpretationem Dei reprehendet? Accipiunt ergo uel Deo interprete signa rerum nomina.

Circuncisio.

Agnus paschalis.

Ita legis Exodi 12. Comedetis agnum cum festinatione, Pæsa siue transitus hic Domini. Et mox, Et sanguis ille erit uobis in signum in domibus uestris, &c. Item; Erit autem uobis dies illa monimentum, &c. Quid denuo clarius, quàm quòd agnus appellatur Pæsa, siue transitus? Quid autem est propriè Pæsa? Audiamus hic rursus Dominum sese exponentem atq; dicentem, Trāsibo per terram nocte illa, & percutiam omne primogenitum in terra Ægypti, tam in hominibus quàm in iumentis: ubi autem uidero sanguinem agni, præteribo seu trāsibo uos, nec erit in uobis plaga internecionis. En Pæsa, ipso Deo interprete, est illa transilitio uel præteritio, qua angelus Domini præteriens ædes Izraelitarū sanguine agni notatas, ipsorum pepercit primogenitis, cæsis interim Ægyptiorū primogenitis. Agnus uerò si ignoras quis aut qualis fuerit, audi rursus dicentem Dominū, Decima huius mensis tollant singuli sibi pecudem pro familia. Pecus seu agnus sit integer, masculus, anniculus, quem ex ouibus aut capris accipietis. At hic agnus apertè appellatur Pæsa uel transitus. Quis autem non uideat agnum non esse transitum? attamen quia signum uel monimentum est transitus, ut ait os Domini, certè nomen accepit transitus aut præteritionis. Rursus legis Numeri 19. Sic dicit Dominus ad Mosen, Loquere ad filios Israel, ut ducant ad te buculam ruffam sine uitio, tradetisq; eam Eleazaro sacerdoti, qui educat ipsam extra castra, ubi sacrificet, atque totam comburat. Colligat autem uir mundus cineres illius buculæ, & reponat extra castra in locum mundum, ut reseruetur ab ecclesia Israelitica ad aquas sparsorias siue lustrales. Peccatum enim est. Vide iterum morem loquendi scripturarum. Iuuenca uel bucula est peccatum, hoc est, sacrificium pro peccato: sicut & Christus dicitur factus pro nobis peccatum, ut de peccato condemnaret peccatum, nimirum ut unica corporis sui hostia oblata, expiaret peccatum. Huc pertinet, quod Apostolus quoque ad Hebræos de sacrificijs loquens, Atqui in istis, inquit, cōmemoratio fit peccatorum quotannis. Non enim potest sanguis taurorum aut hircorum peccata auferre. Quoties ergo sacrificia, uelut iuuencæ, hirci, tauri & ouiculæ, sanctificationes aut peccata appellantur, signa rerum nomina

Sacrificia.

Galat. 8.
Rom. 8.
Hebr. 10.

mina accipiunt. Fuerunt enim hæc typi quidam uenturi sacerdotis & hostiæ Christi, cui imponuntur peccata nostra. Hic enim est agnus ille Dei qui tollit peccatū mundi. Venimus iam & ad noui testamenti sacramenta, quorum signa & ipsa rerum participant nominibus. Petrus enim in Actis cap. 2. Baptizetur unusquisque uestrum, inquit, in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum. Et Paulus in illis ipsis Actis Apostolicis, audit, Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine Iesu. Ideò uerò appellatur baptismus purgatio & ablutio peccatorum. At Petrus alibi dicit, Baptismus uos saluos reddit, quo non carnis sordes abijciuntur, sed quo fit, ut bona conscientia bene respondeat Deo. Et Paulus quoq;, Abluti estis, ait, sanctificati estis, iustificati estis per nomen Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. Euincit ergo iusta horum inter se locorum collatio, quòd signo baptismi, aquæ uidelicet, imponitur nomen rei significatæ. Ad eundem modum habet & negotium Cœnæ Dominicæ uel Eucharistiæ. Panis appellatur corpus Christi, uinum sanguis Christi. Verùm cùm fides uera credat uerum corpus Christi ex hoc elatū mundo, agere nunc in cœlis, neq; redire Dominum in hunc mundum amplius, donec ueniat in nubibus cœli iudicaturus uiuos & mortuos, nemo non intelligit, signo, puta pani & uino attribui per communicationem nominum, rerum ipsarum, corporis uidelicet & sanguinis, nomina.

Zach. 3. Isaiæ 35. Ioan. 1. 1. Pet. 1. Baptismus. Acto. 22. 1. Corinth. 6. Cœna Domini.

Sacramentalibus loquutionibus non sunt admodū dissimiles & multæ aliæ in sacris literis & usu quotidiano. Legimus enim Christū esse & dici leonem, agnū, pastorem, uitem, ostium, uiam, scalam, diem, lumen, solem, aquam, fontem, panem, petram: quæ si quis rigidè urgeat hodie, contendens Christum esse agnum realē, ostium substantiale, uitem naturalem aut similia, quis oro disputantem ferat? Exploderemus talem tanquam insanum & peruersorem oraculorum Dei. Legimus sanè, Petra autem erat Christus: considerandum interim, quid consequatur. Si enim petra realiter fuisset Christus, nemo eorum, qui de petra biberunt, fuisset reprobatus. Placent enim Deo, qui sunt participes Christi. Plures autem illorū qui de petra biberunt, non approbauit Dominus. Prostrati sunt enim in deserto: ergo bibentes de petra, quæ erat Christus, Christi participes facti non sunt: proinde petra non erat realiter Christus. Videntes quoq; insignia regum, principum atq; urbium, signa appellamus regum, principum atq; urbium nominibus, dicentes, Hic est rex Galliæ, Hic est princeps Germaniæ, Hoc est Tigurum, Hæc Berna. Ita cernentes annulum coniugalem, uel imaginem aliquam principis, nuncupamus fidem coniugalem, aut coniugem, deniq; ipsum principem. Proferentes enim matronæ annulum dicunt, Hic est meus ille coniunx. Demonstrantes statuam uel imaginem principis Saxoniæ dicimus, Hic est princeps Saxoniæ. Quòd si quis pergeret pertinacius contendere, signum reipsa esse rem signatam, quòd huius nomen gerit, an non omnes clamarent, talem destitui sensu communi, & pertinacem rixatorem omnibus modis esse contemnendum?

Sacramentales & figuratæ loquutiones. Vsus quotidianarum loquutionum.

Intelligunt itaq; periti rerum, catholicum, receptum ab omnibus & orthodoxum fuisse semper, quod multis modò ostendimus, signa rerum mutuare nomina, non autem transire in illa. Ideò uerò priscis nullæ fuerunt de sacramentis rixæ & altercationes, quales inter nos hodie uigent. Vt enim signa rerum ornabant nominibus, ita genus loquendi agnoscebant, nec rigidè urgebāt uerba, quasi ipsa signa realiter & corporaliter illud ipsum essent, quod significabant. Ideò uerò & apud Aurelium Augustinum hæc regula uel hic canon, Signa usurpare uel mutuare rerum nomina toties repetitur & inculcatur. Eodem canone obscura quædam loca illustrat: cuius rei iam aliquot subijciemus testimonia. De Baptismate

De sacramētis nullæ rixæ ueteribus.

paruulorum ad Bonifacium Epist.23. Si sacramenta, inquit, quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut de ipso Baptismo Apostolus, Consepulti, ait, sumus Christo per baptismum in mortem. Non ait sepulturam significamus, sed prorsus, ait, consepulti sumus. Sacramentum ergo tantæ rei non nisi eiusdem rei uocabulo nuncupauit. Et in Tractat. super Ioan.63. Exeunte immundo omnes mundi remanserunt. Tale aliquid erit, cùm uictus à Christo transierit hic mundus, & nemo in populo Christi remanebit immundus, cum zizanijs à tritico separatis iusti fulgebunt sicut Sol in regno patris eorum. Hoc futurum præuidens Dominus, & nunc significatum esse contestans, discedente Iuda tanquam zizanijs separatis, remanentibus tanquam tritico Apostolis sanctis, Nunc, inquit, clarificatus est filius hominis: tanquam diceret, Ecce in illa clarificatione mea quid erit, ubi malorum nullus erit, ubi bonorum nullus perit. Sic autem non est dictum, Nunc significata est clarificatio filij hominis: sed dictum est, Nunc clarificatus est filius hominis: Quemadmodum non est dictum, Petra significabat Christum, sed Petra erat Christus: nec dictum est, Semen bonum significabat filios regni: sed dictum est, Bonum semen, hi sunt filij regni, zizania autem filij maligni. Sicut ergo solet loqui scriptura, res significantes tanquam illas quæ significantur appellans: ita locutus est Dominus, dicens, Nunc clarificatus est filius hominis postquàm separato inde nequissimo, & secum remanentibus sanctis significata est glorificatio eius, quando separatis iniquis manebit in æternitate cum sanctis.

Non dicitur, Petra significat Christum, sed Petra est Christus.

Idem in Epist. ad Euodium 102. Sonitus ille uocis & columbæ species corporalis, & linguæ diuisæ uelut ignis, qui insedit super unumquemque eorum, sicut illa in monte Sina, quæ terribili specie facta sunt: & sicut columna illa nubis per diem, & flammæ per noctē significatiua operatione acta atque transacta sunt. Illud in his maximè cauendum est, ne cuiquam Dei natura uel patris, uel filij, uel spiritus sancti commutabilis & conuertibilis esse credatur. Nec moueat quod aliquando res quæ significat, nomen eius rei, quam significat, accipit. Spiritus sanctus dictus est corporali specie tanquam columba descendisse & mansisse super eum. Sic enim & Petra Christus, quia significat Christum.

Error eorum qui nolunt sacramentales locutiones exponi sacramentaliter.

Ex his autem recensitis scripturarum exemplis perspicuum est signa rerum mutuare nomina, non naturas atque substantias, unde indubitatum est, eos toto errare cœlo, quibus persuasissimum est sacramentales locutiones, non ut translatitias & figuratas, sed maximè proprias esse exponendas: ideoque aquā, panem & uinum non iam signa aut symbola duntaxat esse regenerationis & corporis Christi sanguinisque pro nobis traditi atque effusi: sed ipsammet regenerationem, ipsissimū Domini nostri Iesu corpus & sanguinem. Sic enim sentientes peccant contra omniū seculorum communem & loquendi & interpretandi rationem, pugnant & cum uera fide adeoque & cum sensu communi. Quibus accedit, quòd sua illa signi signatique confusione seruilem infirmitatem, carnalemque, ut Augustini uerbis utar, seruitutem inducunt. Hic enim lib. de Doctr. Christ. 3. cap.9. de Sacramentis disserens Christianorum, Pauca, inquit, pro multis, eaque factu facillima & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicuti est Baptismi sacramentum, & Celebratio corporis & sanguinis Domini. Quæ unusquisque cùm percipit, quo referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali seruitute, sed spirituali potius libertate ueneretur. Vt autem literam sequi, & signa pro rebus quæ his significantur accipere, seruilis infirmitatis est, ita inutiliter signa

Carnalis seruitus, & seruilis infirmitas.

signa interpretari male uagantis erroris est. Et adhuc significantius cap. 5. Principio cauendum est, ne figuratam locutionẽ ad literam accipias. Ad hoc enim pertinet, quod ait Apostolus, Litera occidit, spiritus autem uiuificat. Cùm enim figuratè dictum sic accipitur, quasi propriè dictũ sit, carnaliter sapitur. Neq; ulla mors animæ congruentius appellatur, quàm cùm id etiam, quod in ea bestias antecellit, hoc est, intelligentia, carni subijcitur sequendo literam. Qui enim sequitur literã, translata uerba sicut propria tenet: neq; id quod proprio uerbo significatur, refert ad aliam significationem: sed si sabbatum audierit (uerbi gratia) non intelligit nisi unum diem de septem, qui cõtinuo uolumine repetuntur: & cùm audierit sacrificium, non excedit cogitatione illud quod fieri de uictimis pecorum terrenisq; fructibus solet. Ea demum est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen leuare non posse. Hæc Augustinus. Colligimus autem ex his S. Augustini uerbis, eos sacramenta libertate spirituali uenerari, qui neq; literæ inhærent, neq; res uisibiles & elementares, aquam puta, panem & uinum, ueluti ipsas res significatas colunt & uenerantur: sed per ipsa potius admoniti & excitati, animis in illarum contemplationem efferuntur.

Quomodo recipienda & agnoscenda oratio figurata.

Idem ille in eodem lib. cap. 15. docens, quando & quomodo recipiendus aut agnoscendus sit tropus, Seruabitur, inquit, in locutionibus figuratis regula huiusmodi, ut tam diu uersetur diligenti consideratione quod legitur, donec ad regnũ charitatis interpretatio deducatur. Si autem hoc iam propriè sonat, nulla putetur figurata locutio. Et adhuc planius in sequenti 16. cap. subiungit, Si præceptiua locutio est, aut flagitiũ aut facinus uetans, aut utilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus uidetur iubere, aut utilitatẽ beneficentiámue uetare, figurata est. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis uitam in uobis, facinus uel flagitium uidetur iubere: figura ergo est præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & uulnerata sit. Ait scriptura, Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Hic nullo dubitante beneficẽtiam præcipit. Sed quod sequitur, Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius, maleuolentiæ facinus putes iuberi: ne igitur dubitaueris figuratè dictum. Et reliqua. Hæc uidelicet omnia illorum redarguunt errorem, qui sacramentales locutiones ceu proprias interpretantur, & à figuris aut tropo, in negotio Cœnæ potissimum abhorrent.

Verba Domini Ioan. 6. faciunt ad explicanda uerba Cœnæ.

Non nescio tamen, quid huic postremo S. Augustini testimonio opponant, Verba saluatoris Ioan. 6. nihil facere ad interpretationem negotij sacramentarij, ergo & locum S. Augustini non congruere nostro instituto. Cæterum clarum est S. August. eo libro disputare de Signis & de locutionibus sacramentalibus. Clarũ est & illud ex multis alijs Augustini locis, hunc frequenter ad illustrandum Cœnæ negotium adducere uerba saluatoris ex cap. 6. Ioan. Quare uerò illa ad negotium Cœnę nihil faciunt? An de alio corpore loquitur in Cœna, de alio uerò apud Ioan. in cap. 6? Ergóne credemus Dominũ fuisse & esse bicorporem? Vnum modò est corpus Domini Iesu, quod ut corporaliter comestum nihil prodest apud Ioan. in cap. 6. ita illud ipsum corporaliter comestum nihil prodest apud Matth. in cap. 26. Verùm hanc rem attigimus aliàs. Nihilo plus salis habet & ista eorundem obiectio, Vitiosam uidelicet consequentiam esse cùm colligimus, Circuncisio est fœdus, Agnus est transitus, Sacrificia sunt peccata & sanctificationes, &c. locutiones sunt sacramentales, symbolicæ ac figuratæ: ergo illa quoq;, Hoc est cor-

Argumentari à sacramẽtis ueterum ad nostra.

pus meum, est locutio symbolica & figurata. Cùm enim par sit ratio sacramentorum, cur non liceret ab uno argumentari ad alterum? Quòd autem par sit ratio sacramentorum, receptum est ab omnibus ueritatem rectè agnoscentibus, & probabitur postea quoque plenius. Quòd si non licet à sacramentis ueterum argumentari, & per illa collatione quadam nostra interpretari, nostrisque illa illustrare, peccauit certè Apostolus, qui uitiosa consequentia per collationem, ab illorum sacramentis ad nostra argumentatus legitur in 1. ad Corinth. 10. & ad Coloss. secundo cap. Sed redimus.

Sacramentalibus locutionibus uti licet.

Ergo ut finiamus tandem hunc locum, locutiones sunt sacramentales & symbolicæ, cùm legimus & audimus, Panem esse corpus Christi, Vinum esse sanguinem Christi: ac corpus & sanguinem Christi manducare & bibere, qui edunt & bibunt sacramentum corporis & sanguinis Domini: purgari item à peccatis, & regenerari in nouam uitam, qui baptizantur in nomine Christi: & baptismum esse ablutionem omnium peccatorum. Atque hoc modo loquuntur scripturæ. Hunc loquendi modum seruarunt & ueteres ecclesiæ doctores: quos hoc nomine nemo prudens uituperat, neque nunc quisquam quenquam uituperare potest qui sic loquitur; modò hic quoque in ea maneat synceritate, qua sanctos illos Dei uersatos constat. Nam ut libenter & simpliciter locutionibus illis utebantur, ita rigidè literam & locutiones non urgebant, interpretabantur easdem, ut nemo tam rudis esset, quin intelligeret signa non esse idipsum, quod significabant, sed signa usurpare rerum nomina. Vtebantur ergo uocabulis significatiuè, mysticè symbolicè, sacramentaliter. Ergo quod nonnulli nolunt sacramentales exponi, quasi plus authoritatis, maiestatis, grauitatisque inexplicatæ habeant, ingens trahit secum periculum noxiumque scandalum ponit. pugnat item cum canone Apostolico, cum sana ratione & cum ueterum consuetudine. Cùm enim huiusmodi locutiones, Panis est corpus Christi, Cùm uinum bibis Dominicum ipsum bibis Domini cruorem, Baptismus nos saluos facit, &c. inexplicatæ simplicibus proponuntur, quid oro aliud quàm laqueus carnalis seruitutis, sed & scandalum idololatriæ periculosissimum proponitur? Verbis hic pluribus opus non est, cum experientia quid factum sit, & quid fiat in diem, abundè satis hunc locum illustret. Canon uerò Apostolicus iubet oracula diuina interpretari in ecclesia, & ad sanum intellectum omnia scripturæ mysteria proferre, sicut uidere licet in 1. ad Corinth. 14. cap. Ratio quoque ipsa dictat, rebus non intellectis, parum aut nihil moueri mentem hominis. Quis ergo fructus erit sacramentorum apud simplices, ad quos nulla explicatio sacramentorum peruenit? Rectius ergo ueteres omnia regni Dei mysteria, sacramentorum inprimis, non explicarunt modò, sed & exponenda esse docuerunt. Quod quanquam ex præcedentibus clarè colliquescat, adijciam tamen duo S. Augustini hac de re testimonia. De catechisandis rudibus cap. 26. De sacramento quòd accepit, inquit, cùm ei bene cõmendatum fuerit, signacula quidem rerum diuinarum esse uisibilia sed res inuisibiles in eis honorari: nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet. Dicendum etiam quid significet & sermo ille quem audiuit: quid in illo condonatur, cuius res illa similitudinem gerit. Deinde monendus est ex hac occasione, ut si quid etiam in scripturis audiat, quod carnaliter sonet, etiamsi non intelligit, credat tamen spiritale aliquid significari, quod ad sanctos mores futuramque uitam pertineat. Et quæ sequuntur. Idem lib. de Doct. Christ. 4. cap. 8. prohibet omnino doctoribus ecclesiasticis, ne ideò se putent obscurè loqui oportere de mysterijs scripturarum, quia uident hæc paulò intricatius tradita esse in scripturis: lucem magis perspicuitatemque

Sacramentaliter.

Sacramentales locutiones exponendæ sunt.

temq; postulat. Verba eius si quis requirat, hæc sunt, Si nos de literis canonicorũ nostrorum authorum, doctorumq;, quæ sine difficultate intelliguntur, nonnulla sumimus eloquutionis exempla, nequaquã tamẽ putare debemus, imitandos eos nobis esse in his quæ ad exercendas & elimandas quodammodo mentes legentium, & ad rumpenda fastidia atq; acuenda studia discere uolentium, zelandos quoq;, siue ut ad pietatem conuertantur, siue ut à mysterijs secludãtur, animos impiorum, utili & salubri obscuritate dixerunt. Sic quippe illi loquuti sunt, ut posteriores, qui eos rectè intelligerent & exponerent, alteram gratiam, disparem quidem, ueruntamen subsequentem in Dei Ecclesia reperirent. Non ergo expositores eorum ita loqui debent, tanquam se ipsi exponendos simili authoritate proponant: sed in omnibus sermonibus suis primitus ac maximè ut intelligantur elaborent, ea quantum possunt perspicuitate dicendi, ut aut multum tardus sit qui non intelligit: aut in rerum quas explicare atq; ostendere uolumus, difficultate ac subtilitate, non in nostra loquutione sit caussa, quo minus tardiúsue quod dicimus possit intelligi. Hæc August. Et hæc hactenus de loquutionibus sacramentalibus dixisse sufficiat. Laudemus Dominum.

Religiose disserendum esse de sacramentis. Ea per se non conferre gratiam, neq; hanc in se ipsis inclusam continere. Rursus quæ sit virtus, quis finis & vsus sacramentorũ legitimus. Hæc sine fide non prodesse, eadem fidem habentibus non esse superuacanea; neq; ipsa pendere à dignitate, vel indignitate ministrantium.

SERMO VII.

HERI C. V. exposui quid sit sacramentum, quo authore sint profecta, & quas ob caussas instituta sacramenta, quibus rebus constent, signo nimirum & re signata: quid item signum sit, quid res significata, & quibus insigniantur nominibus, quomodo consecrentur: quòd signum cum re signata non commisceatur, sed utrunque in sua natura naturæq; proprietate maneat: quòd signum non annihiletur, aut miraculose conuertatur, nec ita cum hoc signatum coniungatur, ut quicunq; illius sit particeps & hujus habeat communionem: exposui denique quomodo aut qua ratione coniuncta sint signum & signatum, ut plenum & legitimum sacramentum constituant, ubi & de sacramentalibus locutionibus disserui: iam ergo restat ut etiam de natura, uirtute & efficacia sacramentorum, & de ijs quæ cum eis coniuncta & cognata sunt, consequenter dicam: ita enim ratio ordinis in finitione proposita requirit. *Epilogus particularis.*

De uirtute & natura sacramentorum, quid uidelicet in homine efficiant, uariè & copiose disputatur à scriptoribus: mihi uidetur in hac disputatione uersandum religiose, cauendumq; ne in dextram uel sinistram inclinem, hoc est, ne illis tribuam nimium in euangelicæ & apostolicæ doctrinæ derogationẽ: néue ijs detraham aut adimam, quod ipsis tribuit scriptura, uerbum dei, in meam ipsius condemnationem. Abundè uerò satis magnam laudem & gloriã institutis Dei tribuerimus, si id de eis prædicauerimus, quòd tradidit in sacris spiritus Dei: plura uelle ijs tribuere, non modò error est humanus, sed peccatum grande, afferens exitium atq; interitum horribilem. Exemplis memorandis id nobis in sacris est expositum. Arca testificationis, populo Israelitico per Mosen data, testimoniũ erat diuinæ in populo præsentiæ, fœderis item & amicitiæ inter deum & hominem. Nam in hæc uerba pepigerat cũ populo Deus, Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Ex ea institutione ac pactione appellabatur arca ipsa, Dominus Deus exercituũ, sedens inter cherubim, ut uidere licet *Religiose uersandũ in caussa sacramẽtorum.* *Arca fœderis.* *Leuit. 26.*

2. Samuelis 6. & in libro Paralipomenon: appellabatur & arca fœderis domini. Hæc autem cum ipsi sacramēto Dei prophetæ dei tribuerent, abundè satis & magnificè de sacramento Dei senserunt & loquuti sunt: ubi uerò indocti & malitiosi sacerdotes, & per hos corruptus populus, longè maiora arcæ seu sacramento Dei tribuerent, quid oro factum est? Audi prius quid arcæ tribuerint. Clamant seniores Izraelis, Quare strauit nos hodie dominus coram Palæstinis? Adducemus ad nos de Silo arcam fœderis domini, ut illa ueniens inter nos, seruet nos de manu hostis nostri. Audisti quid arcæ tribuerint, audi iam quid fecerint. Misit itaq; populus in Silo, & attulerunt illinc arcam fœderis domini exercituum, sedentis inter cherubim. Et factum est cum uenisset arca fœderis domini in castra, uociferatus est cunctus Izrael iubilo magno, ut terra tremeret. Quod cum audissent Palæstini, dixerunt, Quid sibi uult clamor iste? Et audientes arcam castris illatā Hebræorum, clamant & ipsi, Væ nobis. Venit Deus in castra, quis eruet nos è manu deorum istorum fortium, qui percusserunt Ægyptum? Sed audi modò quid factum sit, & quomodo declararit Deus arcam illam nō esse Deum, sicut dicebatur, & ab imperitis rerum sacrarum habebatur, quomodo item puniuerit peccata populi sui, id quoq; quòd nimium tribuerunt sacramento. Sequitur ergo, Pugnauerunt itaq; Palæstini, & Izraelitæ cæsi sunt, fugerunt singuli in tentoria sua, & cædes facta est uehementer magna, ut caderent ex Izraele triginta millia peditum: sed & arca Dei capta fuit, ac cæsi sunt duo filij Heli. Hæc omnia leguntur 1. Sam. 4. Rursus cum irreligiosius tractaretur sacramentum Dei à porcis Palæstinis, percutiuntur & hi plaga fœda & exitiali. Gloriabantur quòd dij sui & religio Palæstina uicisset deum Izraelitarum & religionem Izraeliticam, sed cadunt & confringuntur dij Palæstini, confunditurq; religio ethnica. Quid quòd Izraelitæ iam leuius contrectantes sacramētum à Palæstinis reductū in Bethsames, curiosiusq; illud contra legem Dei Numeri 4. scrutātes, grauiori plaga nunc quàm prius concidunt? Percussit enim dominus septuaginta uiros, & quinquaginta millia hominum 1. Samuelis 6. Cum Moses negligentius distulisset circuncisionem in liberis suis, in graue incurrit periculum. Sichimitæ ob temere receptam Circuncisionem delentur. Et Simeon ac Leui propter prophanatum sacramentū graues accipiunt à patre suo sententias, Gene. 49. Quibus congruit quod Apostolus de indignè celebrantibus cœnam dicit, Propter hoc multi inter uos imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Huc pertinet etiam exemplum Ozæ uiri nō omnino mali, sed non legitimè hoc ipsum sacramentum tractantis, unde & subitanea morte conficitur à domino, idq; non priuatim in tabernaculo, sed in celebri pompa. De quo facto Dei postea in synodo & Ecclesia Izraelitica pronuncians Dauid dicit ad Leuitas, Dominus constituit ut portetur arca à Leuitis (non uehatur nouo plaustro à bubus) sanctificate ergo uos & transferte arcam domini Dei Izraelis ad locum, quem paraui ei. Quandoquidem enim hoc ab initio non fecistis, rupturam in nobis fecit dominus Deus noster, quia non requisiuimus eum, sicuti oportuit. Et sequitur mox, Sanctificati sunt igitur sacerdotes & Leuitæ ut adducerent arcam domini Dei Izraelis: portaruntq; filij Leuitarum arcam Dei, sicut præceperat Moses iuxta uerbum domini, humeris suis impositis uectibus. Extant hæc omnia 1. Paral. 15. cap. Ex quibus colligimus nolle dominum nostras bonas intentiones & celebrationes magnificas in celebratione sacramentorum: sed illud requirere unicè, ut ita iudicemus & loquamur de sacramentis, sicuti ipse per uerbum iudicat & loquitur, & ut ipse instituit & celebrauit, ita nos usurpemus atq; celebremus. Proinde abundè satis tribuit sacramentis, quisquis id eis tribuit, quod ipse Deus in scripturis sanctis tribuit.

Nimium tribuere sacramentis.

Grande peccatum non tribuere tātum sacramentis, quantū tribuit scriptura.

Numeri 4.

Excutia-

Excutiamus ergo ante omnia quid nostro ferè seculo tributum sit sacramentis, ut inde rectius quid tribuendum uel non tribuendum sit intelligatur. Docuit uulgus sacerdotum & monachorum sacramenta nouæ legis non tantùm esse signa gratiæ, sed simul etiam gratiæ caussas, hoc est, quæ habeant uirtutem conferendi gratiam. Esse enim illa ceu instrumenta, organa & infundibula quædam passionis Christi, per quæ in nos gratia Christi transfundatur: at signa ueteris testamenti patribus data, signa tantùm, non caussas quoque gratiæ fuisse, utpote quæ uim duntaxat significandi non conferendi gratiam habuerint. *Docetur sacramenta cōferre gratiam.*

Videntur autem id dogmatis hausisse ex uerbis Augustini perperam intellectis. Scribit enim is in Psal. 73. Sacramenta nouæ legis salubriora & feliciora ijs, quæ in ueteri lege: eò quod illa promittant, hæc dent. Atqui non uoluit his uerbis aliud dicere S. August. quàm quod alibi sic protulit, Sacramenta ueteris legis Christum prænunciarunt, nostra annunciant. Nam & contra Faustum lib. 19. cap. 14. sacramenta ueterum uocat promissiones rerum cōplendarum, nostra nominat indicia rerum completarum. Proinde in Psal. 73. Dant dixit pro eo quod est datum testantur, aut exhibitum significant. Fateor quidem illum non semel dixisse, nostra esse feliciora & uirtute præstantiora: atqui id dixit non alia ratione quàm quod præstito nobis Messia in nouo testamento omnia nostra pleniora, illustriora, siue luculentiora sunt. Christus enim plenissimè omnia absoluit: unde reuera nostra plenius significant, & quodammodo uiuidiora sunt. Cæterum si Augustinus omnino in ea fuisset sententia, quam sequuntur isti, an non suaderet ipsa pietas, ut deserta hominum authoritate, uerbo ueritatis adhæreremus? *August. nō docuit sacramēta conferre gratiam.*

Videamus ergo quid colligatur ex uerbo ueritatis, id est, ex scripturis canonicis, de sacramentorum ueteris & noui testamenti similitudine & differentia. E scripturis habemus hoc certissimū, unum esse utriusque ecclesiæ æternū & immutabilem Deum ac dominum, unam per Christum in illum utriusque ecclesiæ fidem, unam in utraque Ecclesia propositam promissionibus salutis rationem, denique unā unius perpetuo Dei ex utroque populo collectam Ecclesiam. Non arbitror autem copiosa ex scripturis confirmatione horum opus esse, quòd Decadis 3. Serm. 8. illa fusius tractaui. Illis uerò ita præstructis, & scriptura apostolica confirmatis, ita demum, non ex nostris capitibus, sed ex authoritate diuina colligimus. Quorum unus est perpetuò æternus & immutabilis Deus, una omnium salutis ab æterno in Christo proposita ratio, una fides, una Ecclesia, unus baptismus, idem spiritualis cibus & potus, eorum non possunt esse nisi eadem quod substantiam attinet sacramenta. Atqui Iudæorum & Christianorum est unus Deus, una fides, & una salutis per Christum ratio, una denique ecclesia: sunt itaque eadem quoque sacramenta, nisi quòd nostra, sub alijs data sunt signis, & quòd propter exhibitum solem iustitiæ Christum multo sunt illustriora & euidentiora. His addo scripturam testari sacramenta ueterum & nostra idem usqueadeò ualere, ut Paulus dicat circuncisos qui sunt baptisati, baptisatos qui sunt circuncisi? Docet idem ille patres nostros eandem nobiscum escam spiritualem edisse, & de eodem potu spirituali bibisse, nimirum de petra. Sed addit mox, Petra uerò erat Christus. Verba apostoli notissima sunt, & leguntur 1. Cor. 10. Idem ad Coloss. cap. 2. In Christo inquit, estis completi, per quem & circuncisi estis circuncisione quæ fit sine manibus, dum exuistis corpus peccatorum carnis per circuncisionem Christi, consepulti simul cum illo per baptismum, &c. Quid his oro clarius dici potuit? circuncisio quæ fit sine manibus, est circuncisio Christiana, baptismus uidelicet. Cæterum in superiore loco Pauli ad Corinth. obseruandum est (quod alibi monuimus) In Mosen Bapti- *De similitudine & differētiā sacramentorū ueteris et noui testamenti.*

zari, non idem esse quod est in Christum baptizari. Nam in Mosen baptizari, perinde est ac si dixisset per Mosen baptizari, aut ministerio Mosis. Constat enim Mosen suæ fidei creditum populum unicè Deo adduxisse.

August. quoque docuit eadem esse sacramēta ueterum & nostra.

Non diuersa his legas & apud Aurel. August. non uno loco, utcunque aduersarij differentiam illam suam inter ueterum & nostra sacramenta inductā ad Augustinum referre cupiant. Nam contra literas Petiliani lib. 2. cap. 27. Fuerunt, inquit, in signis diuersa, in re quæ significatur, paria. Item in Tract. in Ioan. 26, in hunc locum, Hic est panis qui de cœlo descendit. Hunc panem significauit manna: hunc panem significauit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt. In signis diuersa sunt, sed in re quæ significatur paria. Non dissimilia legas contra Faustum Manichæum lib. 19. cap. 13. 16. 17. Rursus Tract. in Ioan. 45. Ante aduentum domini nostri Iesu Christi, quo humilis uenit in carne, præcesserunt iusti, sic in eum credentes uenturum quomodo nos credimus in eum qui uenit. Tempora uariata sunt, non fides. Et reliqua. Et mox, In signis diuersis eadem fides, sic in signis diuersis quomodo in uerbis diuersis: quia uerba sonos mutant per tempora, & utique non aliud sunt uerba quàm signa. Significando enim uerba sunt: tolle significationem uerbó, strepitus inanis est. Significata sunt ergo omnia. Nunquid non eadem credebant per quos hæc signa ministrabantur, per quos eadem quæ credimus prophetata prænunciabantur? Vtique credebant, sed illi uentura esse, nos autem uenisse. Item in Psal. 77. Idem in mysterio, inquit, cibus & potus illorum qui noster, sed significatione idem non specie. Quia idem ipse Christus illis in Petra figuratus, nobis in carne manifestatus. Sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo. Omnes quidem eundem cibum spiritalem manducauerunt, & eundem potum spiritalem biberunt, id est, spiritale aliquid significantem: sed non in omnibus illis beneplacitum est deo, & cum essent omnia communia sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ sacramentorum uirtus est. Sicut & nunc iam reuelata fides, quæ tunc uelabatur, omnibus in nomine patris & filij & spiritus sancti baptisatis commune est lauacrū regenerationis, sed ipsa gratia cuius ipsa sunt sacramenta, qua membra corporis Christi cum suo capite regenerata sunt, non communis est omnibus. Hæc August. docens eorum signa, temporis diuersitate excepta, non imparia aut dissimilia esse, quorum eadem est fides & religio.

Gratia quid sit.

PERSTRICTA autem similitudine & differentia sacramentorum ueteris & noui testamenti, idque ex occasione dogmatis recepti, Sacramēta nouæ legis conferre ex se gratiam, expendamus & ipsum quale sit. Ac de uocabulo quidem gratiæ primò paucula hæc admonemus. Gratia fauor est numinis & beneuolentia, qua Deus pater nos propter Christum complectitur, purgat, iustificat, donis instruit & saluat. Nam apostolica scripta gratiam apertè uocant, qua saluamur & iustificamur ex fide Iesu Christi. De hac scriptum est, Non irritam facio gratiam dei. Nam si per legem est iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. De hac scriptum est, Christus uobis factus est otiosus, quicunque per legem iustificamini, à gratia excidistis. De hac scriptum est, Si autem gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia iam nō est gratia. Quid quod ipse dei filius gratia & donū dei appellatur? Ioan. 4. Tit. 2. capite. Iam uerò Conferre quid aliud est quàm dare, uel rem aliquam, quam prius non habebas, donare? Si ergo sacramenta conferunt gratiam sumentibus, profectò eas res non habentibus dant, quas significant, ipsum inquam Christum cum omnibus eius donis: id est, gratos & acceptos Deo faciunt, iustificant & saluant, idque ex seipsis, utpote quæ uirtutem ex passione Christi accepisse dicuntur sanctificandi, & non tantùm significandi aut iuuandi, commendandi aut

proue-

prouehendi gratiam. Sed & perceptionem gratiæ attribuunt nostro operi quo ipsa sumimus sacramenta. Verùm quantum hæc doctrina pugnet cum ueritate prophetica & apostolica, nunc demonstrabo. Vetus fuit error Iudaici populi sacramenta iustificare. Hinc est quòd sancti Dei prophetæ cum populo suæ fidei credito, falsis tamen imbuto opinionibus, concertantes, clamarunt, Frustra illum niti suis ritibus & sacrificijs: Deum autem delectari obedientia fideli, fide, inquam, charitate, innocentia, uera utiq; pietate. Inter quos Ieremias dicit, Sic ait dominus exercituum Deus Israelis, Holocausta uestra addite uictimis uestris, & comedite carnem: quoniam nihil locutus sum cum patribus uestris, neq; præcepi eis, eo tempore quo educebam eos è terra Ægypti, de ratione holocausti & sacrificij: sed hoc uerbum præcepi eis dicendo, Audite uocē meā, & ero Deus uester, uos autem eritis populus meus: & ambulate in omni uia quam præcepi uobis, ut bene sit uobis. Similis locus est & apud Isaiam in cap. primo. Non reiecit dominus, neq; damnarunt diuini uates in uniuersum omnia sacrificia, cum ea ipse dominus per Mosen instituisset: sed falsam opinionem uanamq; in ipsa fiduciam oppugnabant. Vana fiducia & falsa opinio est, sacrificia per se ac propter opus nostrum reddere nos gratos domino. Nam fides acceptos efficit nos Deo per Messiam. Et dominus sacramenta uel sacrificia non instituerat, ut gratiam oblata conferrent aut iustificarent, sed ut testimonia essent gratiæ Dei, & ut in ordine retinerent populum, ut ipsum retraherent ab idolis & cultibus ethnicorum, ad Christum autem summum pontificem, & unicam totius orbis hostiam deducerent. Pædagogia enim siue exercitia fuerunt, Paulo hoc approbante atq; dicente, Lex pædagogus noster fuit ad Christum, ut ex fide iustificaremur. At postquam uenit fides, non amplius sub pædagogo sumus. Idcirco sacrificia ueterum sacrificantibus non conferebant gratiam, neq; iustificabant, sed symbola & testimonia erant Deum sanctificare, & iustificare quidem per hostiam omnibus seculis destinatam, per Messiam, ad cuius fidem ueluti pædagogus quidam deducentia dirigebant.

Sacramenta nō conferunt gratiam.

Ierem. 7.

Galat. 3.

Ac prædicantibus quidem apostolis puram doctrinam euangelij, sola Dei gratia per Christum seruari credentes, auitus ille error tam altè Iudaicis insedit animis, ut illi quoq; qui Christum receperant, contenderent tamen, Christum non posse plenè, nisi sacramentis Iudaicis accedentibus, sanctificare aut iustificare. Contra quos apostoli magna grauitate & ualidissimo spiritus impetu disputantes, euicerunt hominem Christianum nullis legalibus interuenientibus, nullis denique operibus adiuuantibus, sed sola & mera siue gratuita Dei gratia misericordiaue per Christum sanctificari, purificari, iustificari, atque saluari. Quæ sanè prora, quod dici solet, & puppis est doctrinæ euangelicæ & apostolicæ, quam qui negat, nullam haud dubiè sortem habet in hæreditate Christi & euangelij ipsius. Nec obscurum aut dubium est quod modò paucis his proposui. Quis enim nesciat memorabilem illam concertationem maximorum apostolorum Christi Pauli ac Barnabæ, institutam contra eos qui docebant, nisi circunciderentur Christiani iuxta legem Mosis, nullo pacto saluari posse? Contra quos & Petrus concludit, Fide purificari corda, & gratia domini Iesu Christi saluari credentes.

Error in ecclesia apostolica.

Actor. 15.

Verum quidem est, abrogata apostolorum aduersarios reducere uoluisse, interim uerò indubitatum est & illud, Apostolos non alio ariete incusso aduersariorum sententiā de sacramentis purificantibus debilitasse ualidius, adeoq; & subuertisse felicius quàm hoc, Gratia Dei per Christum iustificari credentes: cumq; ubiq; ferè adijciunt non lege, nō ceremonijs aut ullis ritibus, an putamus illos in participatū admissuros sacramenta, quæ sub censum ueniunt ceremoniarū aut rituum?

Gratis cōferri gratiam, recipi per fidem.

Fides Christiana gratiam Dei, remissionem peccatorum, sanctificationem & iustificationem tribuit in solidum gratuitæ misericordiæ Dei, adeoq; & merito passionis Christi, & ita tribuit, ut præterea admittat nihil prorsus in participatum. Quod ergo Lombardus dixit, Sacramenta uirtutẽ conferendi gratiam accepisse ex merito passionis Christi, ex se finxit. Nam ut Christus gloriam suam non dat ulli uel sanctis siue homini, nedum inanimatæ creaturæ: ita qui credit se iustificatum plenè per mortem & resurrectionẽ domini, is in alia nulla re amplius quàm in solo Christo quærit gratiam aut iustitiam, in quo acquiescit, quem & in fide per spiritum sanctum iam sentit in corde uel mente uires suas exerere. Huc enim pertinent illa ex euangelio, Vade in pace, fides tua te saluam fecit. Item, Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum. Quisquis autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitierit in æternum, &c. Huc pertinet & illud Pauli, Iustificati ex fide, pacem habemus erga deum per dominũ nostrum Iesum Christum, per quem & contigit nobis, ut fide perduceremur in gratiam hanc, in qua stamus & gloriamur sub spe gloriæ Dei.

Lucæ 7.
Ioan. 4.
Rom. 5.

Cõfutatur commentum eorum qui fingunt fidẽ generalem & specialem.

Non nescio quorundam sutelas commentantium esse generalem quandam deinde & specialem fidem. Generalem uocant, qua credimus nos morte & resurrectione Christi uerè iustificari. Specialem uerò, qua credimus per symbola & opus nostrum peculiariter & cuilibet nostrum singulariter applicari dona Dei. Verùm quorsum attinebat è terra, in qua licebat uesci manna, respicere ad ollas & allia Ægypti? Quid Christianis, oro, negotij cum distinctionibus sophisticis? Aut unde probabunt nobis hanc suam distinctionem? Vna modò fides est, eaq; non alia in usu sacramentorũ, quàm extra usum. Extra usum credimus nos morte & resurrectione Christi sanctificari. In baptismo & Cœna dominica non aliam exercemus fidem, quàm qua credimus domini gratia & misericordia purgari nos à peccatis, eiusdemq; tradito corpore & effuso sanguine nos redimi à morte & hæredes fieri uitæ æternæ. Applicant hæc nobis non sacramenta, sed fides per spiritum sanctum. Id quod uniuersa testatur scriptura apostolica, quam huiusmodi commenta obscurant. Breuiter, Vnus est omnium Deus & saluator, una salus, una redemptio & purgatio, una fides, qua recipimus quidem oblatam nobis salutem à Deo in Christo per spiritum sanctum. Eadem annunciatur aut prædicatur nobis in uerbo per ministrum, & repræsentatur obsignaturq; per sacramenta.

Iam uerò quis nesciat Paulum Apostolum in omnibus suis scriptis unicè contendere fide in dominum Iesum, non per ulla opera iustificari credentes? Rursus quis ignoret, sub censum operum nostrorum uenire & perceptionem aut celebrationem sacramentorũ? Quibus & illud adijciam, Illud sacramenta non dare quod non habent: gratiam & iustitiam donáue cœlestia non habent, ergo nõ conferunt.

An gratia Dei in sacramentis contineatur.

Hinc uerò exoritur nobis noua quædam disputatio, An gratia Dei & uirtus quædam diuina symbolis sit indita inclusáue & uelut in ipsis contenta, ut ex eis in sumentes deriuetur? Vulgus sacrificorum & monachorum tam uerbis quàm factis suis prodit se sentire, ipsis symbolis diuinam esse inclusam uirtutem, adeoq; deum ipsum ijs contineri. Non enim alia origine emergunt anxiæ illorũ disputationes de eo quid arrodat mus, cum sacramentum corporis Christi arrodit. Innocentius Papa libro de Sacramento altaris 4. cap. 11. Miraculose reuertitur substantia panis, inquit, non illa quæ transiuit in carnem, sed quòd eius loco alius panis miraculose creatur, qui corroditur, &c. Vide acumen & miraculosam quandam theologiam. Omitto hic studiò alia huius generis permulta. Adde his, quòd characteribus impressis, & mirificis quibusdam uerbis, gestibus & exufflationibus,

quæ

quæ omnia benedictionis titulo ornant, aquam baptismi consecrant. Ac inter alia canunt, Deus aquam hanc regenerandis hominibus præparatam, arcana sua luminis admixtione fœcundet, ut sanctificatione concepta, ab immaculato diuini fontis utero in nouam renata creaturam, emergat. Sit hæc sancta & innocens creatura, libera ab omni impugnatoris incursu, non insidiando circumuolet. Sit fons uiuus, aqua regenerans, unda purificans, ut omnes hoc lauacro salutifero diluendi, operante in eis spiritu sancto, perfectæ purgationis indulgentiam consequantur. Vnde benedico te creatura aquæ, per Deum uiuũ, per Deum uerũ, per Deum sanctum, per Deum qui te in principio per uerbum separauit ab arida, &c. Rursus sufflando in aquam ter, hæc protinus subiungit uerba, Tu has, Domine, supplices aquas tuo ore benedicito, ut præter naturalem emundationem, quam lauandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces. Deinde accipit minister sacrorum cereum ardentem, & impositum aquæ baptismi ter dicit, Descendat in hanc plenitudinem fontis uirtus spiritus sancti. Addit, Et totam huius aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu. Et reliqua. Hæc omnia sine tropis simpliciter dicta intelligunt & exponunt. Id quod satis euidenter euincit, quid homines isti aquæ consecratæ tribuant, & quòd signis res sacras contineri sentiunt. Torsit se hac in re mirum in modum Bonauentura, qui scripto suo in 4. Magistri, Distinctio. 1. quæst. 3. inter alia, tandem, Non est aliquo modo dicendum, inquit, quòd gratia contineatur in sacramentis essentialiter, tanquam aqua in uase, uel medicina in pyxide, imò hoc intelligere est erroneum. Sed dicuntur continere gratiam, quia ipsam significant, & quia nisi ibi sit defectus ex parte suscipientis, in ipsis gratia semper confertur, ita intelligendo quòd gratia sit in anima, non in signis uisibilibus. Pro tanto dicuntur etiam uasa gratiæ. Possunt etiam dici uasa alia ratione. Quia sicut quod est in uase, non est de ipso nec ex ipso sed tamen ab ipso hauritur: sic gratia non est à sacramentis, nec de sacramentis, sed oritur à fonte æterno, & ab illo hauritur ab ipsa anima in ipsis sacramentis. Et sicut quis recurrit ad uas cùm requirit liquorẽ, sic quærenti liquorẽ gratiæ & nõ habẽti recurrendum est ad ipsa sacramenta. Hæc Bonauentura, qui rectè gratiam retulit ad fontem omnium bonorum Deum: utinã purius & simplicius reliqua etiã subiecisset. Rectè is quoq; sedem seu receptaculum gratiæ & donorum Dei animã hominis, non signa insensibilia esse sensit. Scriptura enim sancta ubiq; docet, mentem hominis, non elementum ullum, aut quicquid humana est conditum arte, domiciliũ esse gratiæ Dei, & hanc non peti aut coli ceu inclusam in ulla re insensibili. Si cœli cœlorum, inquit Solomon, te non continent, quanto minus domus hæc? Ad quæ alludens constantissimus Christi martyr Stephanus, Non is est excelsissimus ait, qui in manufactis templis habitet, sicut propheta dicit, Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum: quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ est? Nónne manus mea hæc omnia fecit? Quæ sequutus magnus ille Christi Apostolus Paulus dixit, Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cùm ipse det omnibus uitam, &c. Vnde ipse Dominus in Euangelio significantissimè pronunciauit, Venit hora quando neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis patrem: sed uenit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem spiritu & ueritate. Fideles itaque animi oculos à terrenis rebusq; uisibilibus attollunt in cœlestia. Vnde & sancti maiores nostri Cœnam celebraturi illud sacris mysterijs congruentissimum audierunt sibi occini, Sursum corda, respon-

Canuntur illa in benedictione baptismi, in ferijs Paschæ.

Bonauentura dicit gratiam non contineri in sacramentis.

Sedes gratiæ Dei.

3. Reg. 8.

Acto. 7.

Acto. 17.

Ioan. 4.

dente toto populo, Habemus ad Dominum. Quid quod ipsa rei absurditas plane euincit gratiam symbolis non contineri? Si enim per gratiam intelligis fauorem & beneuolentiam Dei: si indulgentiam peccatorumque ueniam, purgationem in quam & iustificationem credentium: si dona denique & charismata spiritus: quid absurdius quæso fingi poterat, quàm res tantas inclusas contineri aqua, pane & uino? Signis profectò nulla opus est gratia, nulla indulgentia & uenia peccatorum. Ad quid ergo contineretur gratia in sacramentis? Quis oro fructus ad homines redibit? Aut quis ignorat omnia Dei instituta ad utilitatem hominis esse ordinata? An uerò dicemus gratiã ideò inclusam teneri sacramentis, ut inde in nos transfundatur tanquam per canales? At non ita loquitur scriptura. Gratia enim, quod sæpe iam repetitur, est fauor & beneuolentia Dei: qua ille in nos non per sensibilia, sed suapte propensione, potentia & uirtute fertur. Spiritualia hæc sunt: ergo spiritus munere & interuentione perficiuntur. Spiritu suo coniungitur nobis Deus, nos illi fide, spiritus dono copulamur: id quod in Euangelicis Apostolicisque literis nuspiam non obuium est.

Canon Nicenus de Baptismo.

Proinde uerba Canonis Conc. Niceni, Baptisma nostrum non sensibilibus oculis, sed mentalibus considerandum est. Aquam uides, considera diuinam uim, quæ in aquis latet, &c. non ita crassè & ruditer intelligenda sunt. Nam oratio symbolica est, quam nemo non eo quidem tempore intelligebat: sicuti & nobis hodie nouum & difficile non est, si quis dicat in sigillo esse fidem & ueritatem: in anulo coniugali fidem & amorem coniugalem: in sceptro & corona regiam potestatem. Nam nemo tam ineptus est, ut propter huiusmodi loquutionem contendat res ipsas in signis contineri inclusas; loquutionis genus & consuetudinem quisque agnoscit.

Apostoli baptizarunt in aqua nõ consecrata.

Huc iam pertinet quòd Ioannes Baptista in Iordane flumine, quòd Apostoli denique ipsi baptizarunt aqua non consecrata paratáue ullis excantationibus, insufflationibus & characteribus, ad recipiendam & transfundendam Dei gratiam in baptizandos. Vidit Æthiops in Actis Apostolorum fontem, nullo delibutum oleo, nec ullis consecratum carminibus sacris, nullis denique exufflationibus, cereorum immissione, & crucium picturis formatum, nihilominus Philippo Apostolo dicit, Ecce aqua, quid uetat quò minus baptizer? At Philippus fidem requisiuit in Dominum Iesum, & confitentem protinus baptizauit, nulla fontis cõsecratione præmissa, qua uidelicet gratiam spiritus sancti & uim regenerantem in aquam deuocaret, protinusque Æthiopi ad purificationem affunderet.

Elementis gratiã indere, idololatriã gignit.

Quòd si perrexerimus elementis indere ipsam Dei gratiam, & res ipsas signis repræsentatas, quis non uideat, quanto cum periculo, apud simplices maxime, id facturi simus? His enim suppeditabitur occasio idololatriæ, inhærendique sensibilibus: à quibus etiam requirent & postulabunt, quæ eleuatis in cœlum mentibus ab authore omnis boni Deo fuerant petenda. Quod enim obijcitur diuina quadam pactione sic constitutum esse diuinitus, ut in se habeant sacramenta gratiam, & ex se ipsis ueluti canales aquam gratiæ transfundant in sitientes, sine scripturarum authoritate & contra ueram religionem dicitur. Id quod ex disputatis hucusque satis patere arbitramur. Quibus & illa subijcimus,

Sancti prius iustificati receptique in gratiã quàm initiati sacramentis. Rom. 4.

Sancti & electi Dei non tum primùm gratia Dei donisque cœlestibus participãt, cùm sacramenta percipiunt. Etenim rebus prius quàm signis participant. Nam apertè traditur nobis, quòd Abraham pater noster prius fuerit iustificatus, quàm circuncisus. Inde uerò quis non colligat, circuncisionis sacramento ipsi non collatam & exhibitam esse iustificationem, sed eam quam fide prius possidebat obsignatam

gnatam potius? Quis præterea inde nō colligat nos, qui filij Abrahæ sumus, non alia ratione iustificari, quàm patrem iustificatum constat, ac sacramenta nostra in nobis non aliud efficere quàm quod in illo effecerunt? præsertim cùm eadem sit ratio sacramentorum ueterum & nostrorum. De quo paulò post dicemus copiosius, expositurі locum Apostoli ad Rom. 4. Eunuchus ille, cuius modò meminimus ex Actis, uisa ex itinere aqua, dicit Philippo, Ecce aqua, quid uetat quò minus baptizer? Dixit autē Philippus, Si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait, Credo filium Dei esse Iesum Christum. Post ea demum sequitur, Et descenderunt ambo in aquā, & baptizauit eum. Credidit, inquit Euangelista, eunuchus ex toto corde, id est, uerè & non hypocriticè. Videamus iam quid scriptura de huiusmodi fide prædicet. S. Ioannes Apostolus & Euangelista, Omnis, inquit, qui credit Iesum esse Christū, ex Deo natus est. Idem, Quisquis cōfessus fuerit quòd Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Sed & Paulus electum illud organum & doctor gentium, Si confessus fueris ore tuo, inquit, Dominū Iesum, & credideris in corde tuo quòd Deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. Rursus autem beatus Ioannes in Epistola sua dicit, Qui credit in filiū Dei, habet testimoniū in seipso. Et hoc est testimonium, quòd uitam æternam dedit nobis Deus: & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filium Dei, uitam non habet. Ex his porrò omnibus ita colligimus, Eunuchus credidit priusquàm accepisset baptismum: ergo ante acceptum baptismum natus erat ex Deo, in quo manebat ipse, & Deus in ipso, iustus ac Deo acceptus erat, adde quòd uitam habebat in semetipso: ideoq; subsequens baptismus Eunucho non conferebat quod habebat prius: sed cessit ipsi in testimonium ueritatis, & in obsignationem iustitiæ fidei, adeoq; in donorum continuationem & incrementum. Ad eundem modum legitur de Cornelio centurione in ijsdem Apostolorum Actis, quòd prædicationi Petri Apostoli credens acceperit spiritum sanctū etiam specie uisibili, sicuti Apostoli acceperant Hierosolymis in die Pentecostes, Petrum uerò ea re comperta, dixisse, Num quis prohibere potest, quò minus aqua baptizentur hi, qui spiritum sanctum perinde acceperunt uti nos? Quoniam ergo Cornelius cum suis ante baptismum accepit spiritum sanctum, manifestissimū est quòd eundem non primùm per baptismum aut cum baptismo exhibitum consecutus sit. Rursus legimus in Actis Apostolorum, Qui libenter acceperunt sermonem Petri, baptizati sunt: priusquàm ergo tingerentur à Petro, erant consecuti gratiam Dei per fidem. Aut cur obsecro baptizamus infantes nostros? an quia corde credunt & ore confitentur? Non arbitror. An non ideò baptizamus, quia illos Deus sibi adducere iussit? quia promisit se & nostrum & seminis nostri Deum futurū? deniq; quia nos credimus Deū ex mera sua gratia & misericordia in sanguine Iesu Christi illos mundasse ac adoptasse, & hæredes uitæ æternæ cōscripsisse? Ex his ergo caussis baptizantes infantes, abundè testamur baptismo eis non primùm cōferri, sed obsignari quod habuerūt prius. Coniungamus his quoq; testimoniū de Cœna Domini. Apostolus docens quomodo sancti se præparent conuiuio Dominico, Probet autem homo seipsum, inquit, & sic de pane hoc edat, & de poculo bibat. Cæterum probare significat scrutari, quantum ab homine fieri potest, cor uel mentem, diligentiq; examine excutere conscientiam. Dicitur & Deus probare corda nostra. Et idem Apostolus iubet nos probare quæ sit bona seu bene placens Dei uoluntas. Discussio autem illa fieri non potest citra scientiam & iudicium. At scientia & iudicium Christianorū fides est: ergo quisquis se probat antequam ad cœnā ueniat, fidem habet. Si fidem habet: ergo illis non caret quæ cum fide cōiuncta sunt. Proinde in

Acto. 8.
1. Ioan. 5.
1. Ioan. 4.
Rom. 10.
1. Ioan. 5.
Acto. 10.
Acto. 2.
1. Corinth. 11.
Rom. 12.

cœna illa non primùm accipiuntur diuina beneficia, sed pro acceptis aguntur gratiæ. Effeci his, opinor, euicique sacramenta non conferre gratiam.

Sacramẽta euacuare, & deum arguere mendacij.

Opponunt his, sat scio, (quibus persuasum est sacramenta conferre gratiam, ac in seipsis inclusas continere res significatas) euacuare uel exinanire nos sacramenta, & docere, fideles in his aut per hæc nihil nisi nudam aquam, nudumque panem & uinum accipere: atque ea ratione Deum per nos redargui falsitatis & mendacij. Respondemus paucis, Si uacua plenis (ut sic dicam) opponunt, ut uacua sint quæ res ipsas in se non habent inclusas, sanè uacua quàm plena ingenuè confiteri malo. Si uerò uacua dicunt & prophana intelligunt, quæ uidelicet à prophanis signis nihil differunt: si per nuda intelligunt inefficacia: palàm profitemur nos sacra non prophana, efficacia non inefficacia, diuinitus exornata non nuda, & idcirco plena non uacua aut inania habere sacramenta. Sacra enim sunt non prophana, quia à Deo, & pro sanctis non pro prophanis instituta sunt hominibus. Efficacia non inefficacia sunt. Nam in ecclesia apud pios seu fideles eum consequuntur effectum & finem, ad quem instituta sunt diuinitus. De quo mox plura. Diuinitus item exornata non nuda iure dicuntur, quæ ipsum Dei uerbum habent quo exornantur pulcherrimè. Itaque & plena non inania sunt sacramenta, quia ea habent quæ plenum constituunt sacramentum. Repetimus hic parabolas, quas superius quoque de consecratione disserentes ferè adduximus, quò plus lucis huic tractationi affulgeat. Cera cum fidei testimonijsque gratia literis uel tabulis non appenditur, uulgaris, uacua & nuda est cera, hoc est, nihil aliud quàm cera. Vbi uerò signatur & apponitur instrumentis, nec uacua nec nuda est iam cera: nam fides & ueritas appellatur. Signum principis uel reipublicæ alicuius dum pingitur in fenestris aut parietibus, nudum est signum: at si idipsum appendatur tabulis, aut imprimatur literis, magnum hoc ab illo habet discrimen. Nunc enim principis aut reipublicæ uoluntatem declarat & obsignat, idcirco eam apud omnes existimationem habet, ut hoc uiolasse aut præter principis aut reipublicæ uoluntatem alteri alicui diplomati applicasse, crimen reputetur falsationis & læsæ maiestatis. Lapis cùm nondum est terminus & limes agrorum constitutus, nudus & uacuus, id est, uulgaris est lapis, quem pedibus proculcasse aut loco mouisse nihil habet piaculi: at dirimendis agrorum finibus adhibitus, amplius non est uacuus aut nudus lapis, sed testimonium legitimæ diuisionis & iustæ possessionis, quem mouisse loco iudicatur crimen capitale. Itaque aqua, panis & uinum extra institutionem & usum sacramentalem, nihil aliud sunt quàm aqua, panis & uinum, cæterum in usu sacramentali ab illis longe lateque discrepant, & sacramẽta sunt à Christo signata uerbo, & ad salutem fidelium instituta.

Sacræ non prophanæ res sacramenta.

Non nihil percipimus in sacramentis.

Ideoque qui sacramentis participant, non nihil, ut isti dicunt, percipiunt, nisi pro nihilo uideatur habenda Dei institutio. Instituit hic sacramenta ut sint gratiæ eius testimonia, & ueritatis promissionum eius sigilla. Id quod mox copiosè demonstrabimus. Vt ergo Deus uerax est, nec mentiri potest: ita uerissima sunt promissionum eius sigilla. Promisit ille se nostrum futurum, & in Christo se nobis cum omnibus donis suis communicaturum. Talem ergo se nobis certò præstat & communicat: licet id faciat non nunc primùm cum sacramentis participamus, ueluti se nobis per illa ut canales & in his ut uasis inclusum effundat. Statim enim à mundi exordio suam nobis gratiam promisit: statim atque credere cœpimus, talem ille se nobis præstare cœpit, & præstat magis magisque per omnem uitam nostram: nos fide ac spiritualitar ipsum recipimus atque haurimus. Ergo cùm participamus sacramentis, pergit is se nobis singulari modo, id est, sacramentis proprio communicare,

nicare, adeoq́ nos, qui dudum participes facti sumus Christi, cõmunionem illam in sacramentorum celebratione fide ac spiritualiter cõtinuamus atq́ reparamus, eandem nobis obsignantibus signis sensibiliter. Quis autem posthac dixerit, sic sentientes de sacramentis, & hac fide his participantes, inania habere spectacula, & in his nihil percipere: licet nec signis includamus gratiam, neq́ ex illis hanc deriuemus? Si quis uerò aliam de Deo & eius institutis opinionem concepit, id non magis Deo fraudi fuerit, aut ipsum mẽdacij arguerit, quàm si quis uiro iusto mendaciũ impingat, quòd id non præstet quod ille expectauerat: cùm interim id quod expectauit, hic non promiserit, sed ille pro corrupta & erronea sua opinione sibi promissum somniauerit.

ET hactenus per occasionem ostendimus, quæ sit similitudo & differentia sacramentorum ueteris & noui testamenti, & quòd nostra sacramenta neque conferunt, neq́ continent gratiam, redimus modò ad id quod cœperamus, ad caput, inquam, huius disputationis primarium: ut quandoquidem quid illa non efficiant diximus, tandem quid reuera efficiant adijciamus, explicantes uidelicet quæ sit uirtus, quis finis & ùsus sacramentorum legitimus, ad quem à Deo instituta sunt. Attigi quidem caussarum locum ferè in principio Serm. 6. cæterum modò & alia adiungam, quæ huc pertinent, & singula tradam fusius & plenius.

Præcipuus sacramentorum finis ille est, quòd ueritatis testimonia sunt, per quæ Dominus in ecclesia sua etiam uisibiliter testificatur res Euangelica prædicatione annunciatas promissionibusq́ ab exordio mundi promissas fidelibus, ita omnino gestas esse & certò sic habere, quemadmodum annunciantur & promissa sunt uerbo ueritatis. Ita Baptismus diuinum & publicum in ecclesia Christi testimonium extat, quo testificatur Dominus, se eum esse qui recipiat homines in gratiam gratuitò, & qui purget ab omnibus maculis, denique participes hæredesq́ nos faciat omniũ bonorum suorum. Ad eum enim modum Circũcisio quondam publicum & diuinum fuit testimonium, Deum esse qui purget & adoptet. Ideò enim Moses Deut. 30. Circũcidet, inquit, Dominus Deus tuus, cor tuum & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Eadem ratione ipse Dominus instituta in ecclesia Cœna sacra, palàm attestatur signis exhibitis, corpus suum certò pro nobis traditum, & sanguinem suum uerè in remissionẽ peccatorum nostrorum effusum esse: se item uiuificum esse cibum, qui reficiat ad uitam æternam. Idcirco legimus apud Chrysost. Homelia 83. in Matth. in hæc uerba, Sicut in ueteri eodem hic modo in beneficio reliquit, memoriam mysteriorum colligendo & hinc hæreticorum ora frænando. Nam quando dicunt, Vnde patet Christũ immolatum fuisse, & alia multa mysteria. Hæc enim afferentes ora eorũ consuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est? Hæc ille. Intelligis, opinor, ut hic scriptor symbolum Cœnæ pro testimonio ueritatis, ueræ inquam mortis Dominicæ, contra hæreticos proferat. Quemadmodum itaq́ Euangelium appellatur testimonium, & prædicatores Euangelij testes: sic sacramenta nuncupamus ueritatis eiusdem testimonia, muta quidem illa, sed uisibilia tamen: quo nomine S. Augustinus eadẽ appellauit uerba uisibilia. Euãgelij enim prædicatio, quæ constat uerbis quæ hauriuntur auribus, testimonium est loquens: sacramenta uerò quæ signis cõstant, & percipiuntur uisu, testimonia sunt muta & quasi appendices & monimenta Euangelicæ prædicationis.

Sacramẽta sunt testimonia ueritatis.

Euangelium testimonium.

Imò inuenta sunt diuinitus sacramenta, ut bonam & propensam erga nos Dei uoluntatem, adeoq́ prædicationem Euangelicam atq́ omnes promissiones uitæ & salutis uisibiliter obsignent, sintq́ Euãgelio & promissionibus diuinis uelut ap-

Sacramenta beneuolentiã Dei erga nos obsignãt uisibiliter.

pensa sigilla, quæ testificentur atque confirment fidem in Christum ueram esse iustitiam. Quod dixi scriptura approbabo Apostolica. Docui autem superius eandem esse rationem sacramentorum ueteris & noui testamenti, pauculis modò exceptis, ut iam iure optimo possimus ex collatione utrorumque, nostrorum uim, finem & usum æstimare. Paulus ergo ad Rom. 4. cap. Dicimus, inquit, quòd imputata fuerit Abrahæ fides ad iustitiã. Quomodo ergo imputata est? cùm esset in circuncisione, an cùm esset in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio. Et signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio: ut esset pater omnium credentium per præputium, uidelicet ut etiam ipsis imputaretur iustitia, simul & pater circuncisionis esset, non eorum modò, qui ex circuncisis sunt, sed & eorum, qui ingrederentur uestigiis fidei, quæ erat in præputio patris nostri Abrahæ. Hæc omnia Pauli sunt. In quibus primùm quidem uoces aliquot explicandæ uidentur: deinde indagandus sensus uerborum Apostoli: postremò adaptanda illa nostro negotio sacramentario.

Sacramenta sigilla sunt, & quis sit usus sigillorum.

Vtitur in præsenti Apostolus duabus uocibus, Signi uidelicet & Signaculi. Signum σημεῖον generalius est, & patet latissimè. Signaculum uerò σφραγὶς, singulare est sacramentis obsignantibus. Neque enim omnia signa obsignant. Nam quædam significando duntaxat absoluunt suum officium. Est autem σφραγίζειν propriè obsignare fidei faciendæ confirmandæque gratia, unde σφραγὶς sigillum erit, quod fidei seruandæ cõfirmandæue cauendisque fraudibus adhibetur. Imitatur hic quoque, ut aliàs sæpe, morem humanum Dominus. Solemus enim homines scripta fœdera, seu uerbis datam fidẽ, appensis roborare sigillis. Et sigillorum institutionem & usum huiusmodi semper fuisse, colliquescit ex his scripturæ testimoniis. Cùm filii Israel sub Ezra fœdus inirent cum Domino, mox fœdus in literas referunt, & scripturam in ueritatis testimonium obsignant: sicut uidere licet Nehem. 9. cap. Hag. 2. cap. legis, Assumam te Zorobabel fili Salathiel, serue mi, dicit Dominus, & ponam te quasi annulum signatorium, quia te elegi. Quasi dicat, In Salathielis filio omnes certò discent, superesse, per quem sit propaganda Messiæ posteritas. Ita scribit Ieremias in 22. cap. Viuo ego dicit Dominus, quia si esset Chonenias filius Iehoiakim regis Iuda, sigillum in manu mea dextra, tamen inde auellam te. Id quod perinde est, ac si dixisset, Quamuis ille sis, in quo promissiones meas seruabo, attamen in Babylonem abducêris. Huc pertinet illud ex Matthæo de Iudæis scriptũ,

Matth. 17.

Illi autem abeuntes munierunt sepulchrũ obsignato lapide, nimirum contra fraudes, adhibitis custodibus. Liquet ergo ex his, quis sit usus sigillorum.

Exponitur locus Pauli Rom. 4. Et accepit signum circuncis. &c.

His sic expositis, perquiramus iam consilium & sensum uerborum Apostoli. Demonstrat Paulus iustificationem hominibus obtingere nullorum operum, nullarúmue ceremoniarum uel sacramentorum uirtute, sed solius Christi beneficio per fidem. Ad hoc confirmandum adducit exemplum Abrahæ, de quo scriptura pronunciauit, Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Inde colligit Abrahamum esse iustificatum fide, imò hanc illi imputatam esse pro iustitia. Vbi & ex uocabulo aut ui imputationis, & ex tota Mosis sententia, præualidè argumentatur, demonstrans gratiæ per fidem esse iustitiam. Quibus coniungit & ex Dauide testimonium, de imputatiua iustitia. Tractaui eum locum Decadis 4. Sermone 1. Deinde redit iterum ad Abrahæ exemplum, & locum adductum ex Genesi applicat suo instituto, excussis circumstantiis modi temporisque, ac dicit, Quomodo ergo imputata est, cùm esset in circũcisione, an cùm esset in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio. Quæ quidem apertiora sunt, quàm ulla expositione indigeant. Quia uerò Iudæus obiicere poterat, Inanis ergo & uacua,

inutilis & uana fuit circuncisionis institutio & usus. Si enim prius iustificatus quàm circuncisus fuit Abraham, quid potuit illi amplius conferre circuncisio? & si nihil contulit, certe superuacanea & inutilis fuit. Paulus per antipophoram respondens, Et signum accepit, inquit, circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, &c. Circuncisio, ait, nec inutilis fuit, neq; uacua est. Licet enim non iustificet, purget, dona Dei applicet, ideo tamen non sequitur, nullum eius usum esse amplius. Alium enim finem habet. Nam signum circuncisionis accepit in signaculũ quoddam iustitiæ fidei. Hoc est, Deus instituit circuncisionẽ, ut esset sigillum ratificans atq; confirmans, adeoq; uisibiliter etiam testificans, fidem esse iustitiã, hominesq; fide iustificari, ita inquam, ut his quoq; fides imputetur ad iustitiam, sicuti Abrahæ imputata fuit. Nam sequitur, Vt esset pater omnium credentium per præputium, ut imputaretur & illis iustitia. Et reliqua. Et quamuis hæc luce clariora sunt, conabor tamen eadem illa magis illustrare parabola. Finge enim principem aliquem ex gratia & mera munificentia sua, seruum aliquem in aulã adeoq; in participatum omnium bonorum recipere, insuper beneficium hoc ad liberos quoq; posteritatemq; adoptati extendere: mox uerò iubere ut transactio, priuilegium & gratia illa confecta uerbis uiuis, referatur in literas, quas & appenso suo sigillo roboret, quò istæ posteris certum sint testimoniũ contra omnes tergiuersatores, gratiam illam ad ipsos quoq; pertinere, principemq; in bona & propensa sua uoluntate perseueraturũ erga posteros adoptati, si & ipsi fideles principi esse perrexerint. Ad hunc enim modum Deus optimus maximus, rex regũ & principum munificentissimus, gratis & nullo præcedente nostro bono merito, euocat Abrahamum, in quem cumulatim innumera congerit beneficia, cui & fœdus communionemq; offert bonorum omnium, nec ipsi modò, sed & omnibus posteris eius, dicens, Ego deus omnisufficientia, ero deus tuus & seminis tui post te. Benedicam tibi & semini tuo. Imò in semine tuo benedicentur omnes cognationes terræ. Priuilegium hoc etiam iuramento interposito firmans sacrauit, mox & patres liberis ceu per manus, uice scripturæ tradere, deinde uerò seruos suos prophetas in literas referre iussit, ipse deniq; circuncisione instituta, ueluti iam literis aut traditioni appenso sigillo aut diplomate obsignato, toti posteritati obsignare & roborare uoluit, quò certo ad se quoq; illud pertinere scirent. Vbi tamen illud non uidetur nobis dissimulandum, sacramenta diplomatis signatis aliquid maius & uiuidius habere. Inscribuntur enim priuilegia principũ membranis, sigillaq; scriptis appenduntur membranis: Deus uerò ipsis suorum corporibus suum imprimit sigillum. Membro enim genitali, unde posteritas propagatur, circuncisionem indit, ut ueluti nota impressa ipsis corporibus, plus iam quàm obsignaret testareturq; benedictionem & communionem bonorum omnium pertinere ad circuncisos, si pergant fideles esse domino Deo hominibus confœderato. Ideo enim significanter circuncisio à Paulo non signaculum iustitiæ dicitur, sed signaculum iustitiæ fidei: id est ratificatio, quòd fides sit iustitia, quòd fide uidelicet iustificati iam sumus, quòd credentibus debeatur iustitia, quòd Deus fidelibus certò benedicere uelit, hisq; fidem imputare ad iustitiam: sicuti & Abrahæ imputauit.

Parabola res illustratur.

Sacramenta aliquid uiuidius habere tabulis obsignatis.

Iam cum par sit ratio sacramentorum, licet hæc quoq; nostris applicare sacramentis. Christus ergo domini, redempto per mortẽ innoxiam mundo à potestate satanæ, & iam ascensurus ad patrem in cœlos, uocatis ad se discipulis suis dicit, Ite in orbem uniuersum & prædicate euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptisatus fuerit, &c. Euangelica prædicatio explicat ingens pretiosum, salutare, uiuificum & munificum, regium atq; diuinũ priuilegium, quòd filij dei ex filijs

Quomodo obsignet baptismus Marci 16.

diaboli facti sumus, hæredes inquam Dei, cohæredes autem Christi, qui sanguine fuso tantam nobis salutē parauit. Hac gratia Dei nemo exclusus est, nisi qui se suo uitio & culpa per inobedientiam excludit. Nam de liberis siue infantibus credentium idem dominus in euangelio pronuncians ait, Sinite puellos uenire ad me, & ne prohibueritis illos: talium enim est regnum Dei. Et iterum, Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut pueri, non ingrediemini in regnū cœlorum. Et qui receperit unum puellum talem, me recipit. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim uobis, quòd angeli eorū in cœlis semper uident faciē patris mei, qui in cœlis est, &c. Neq; uerisimile est, exhibito nobis Christo, Deum inclementiorem factum, quàm erat dum nondum esset exhibitus. At tunc dixit, Ero Deus tuus & seminis tui post te. Valet ergo id ipsum nunc magis, cum dominus uenerit quærere & seruare quod perierat, gratiam deniq; & dona sua liberalissimè in omnem effundere carnem. Ergo priuilegium illud regium, amplissimum & diuinum, primū quidem ipsius Christi domini prædicatione, mox & apostolorum eius annunciatione mundo expositum est: deinde uerò Deo sic uolente idem ab apostolis & euangelistis relatum est in literas: sacramentū uerò ipse dominus ceu appendicem & sigillum adiecit prædicationi aut scripturæ, baptismum substituens circuncisioni: quam, quia cruenta, deniq; signum uenturi seminis benedicti erat, quod tum exhibitū fuerat, abrogari oportebat. Baptismus autem succedens circuncisioni & ipse est signaculum iustitiæ fidei, testimonium & diploma obsignans, deum certò nos mundare & hæredes constituere uitæ æternæ, totamq; euangelij gratiam ad baptisatos pertinere, si in fide uera consistant.

Marci 10. Matth. 18.

Baptizantur infantes non credentes.

At non credunt, ais, infantes Christianorum baptizandi. Fateor. Cæterum non credebant Iudæorū infantes, qui nihilominus circuncidebantur, erantq; in fœdere Dei & communione omnium bonorum: ut idem nostris tribuere infantibus uera iubeat pietas. Vbi adoleuisset semen Iudaicum, & præuaricaretur impiè, exciderat fœdere Dei: unde & Christianorum infantes euangelica gratia exciderunt, quando adulti impiè agunt, recipiuntur tamē rursus in eandem per fidelem pœnitentiam. Sed redimus. Baptismus sigillum iustitiæ fidei, non apponitur membranæ aut scripto euangelico, sed accommodatur ipsis filiorum Dei corporibus, ijsq; ueluti infigitur imprimiturq;. Toti enim corporibus nostris immergimur, aut toti aspergimur aqua baptismi: quæ sanè uisibilis obsignatio est, confirmans Deum uerum, esse Deum nostrum, sanctificantem ac purificantem, purificationemq; & omne bonum Dei nobis tanquam hæredibus Dei deberi. Atq; huc iam pertinet euidens ille Pauli locus, qui in epistola ad Galatas sic legitur, Omnes filij Dei estis, eò quòd credidistis Christo Iesu. Nam quicunq; baptizati estis, Christum induistis. Et reliqua. Similis est ratio Cœnæ dominicæ, quæ & ipsa est sigillum iustitiæ fidei. Moritur enim filius Dei, morte sua redimit credentes, corpore item sanguineq; suo cibat & potat nos ad uitam æternam. Ac singulare quidem excellensq; hoc priuilegium fidelibus datum, annunciatur & scribitur ab apostolis, sed ab ipso domino consecratur & obsignatur sacramento corporis & sanguinis sui, quo obsignat fide nos in traditum dominum iustificari, communicari nobiscum omnia Christi bona, pasci & uegetari nos Christo. Porrò ut obsignatio uiuidior esset, sigillum non apponit membranæ scriptæ, sed infertur atq; adeò manducandum præbetur corporibus nostris, ut testimonium intra nosipsos habeamus, totum uidelicet Christum cum omnibus donis suis ad nos propriè pertinere, si in fide perseueremus. Nam ipse dominus in euangelio, Qui edit me, inquit, uiuet & ipse propter me. At edit qui credit. Ibidem enim dicit dn̄s, Ego sum panis uitæ,

Galat. 3.

Quomodo cœna domini sit sigillum iustitiæ fidei.

Ioan. 6.

uitæ, qui uenit ad me non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam.

Ex his iam summam rei colligimus, sacramenta obsignare diuinas euangelicasque promisiones: ac proinde toties in ecclesia tabulas seu literas aut diplomata atque sigilla prædicationis euangelicæ diuinarumque promissionum proferri, atque adeò & totum salutis nostræ negotium renouari & continuari, quoties actiones illæ diuinitus institutæ, sacramenta uidelicet, in ecclesia celebrantur.

Huc pertinere arbitror, quæ fidelis Christi minister Zuinglius de Sacramentis in hæc uerba tradidit, Sacramenta testimonium rei gestæ præbent. Vniuersæ enim leges, mores ac instituta, authores suos initiaque prædicant. Baptismus ergo cum Christi mortem ac resurrectionem significando prædicat, eas uerè gestas esse oportet. Extant hæc in Expositione fidei ad Regem Christianū. Idem ad Principes Germaniæ contra Eggium, Cum homo ille nobilis, inquit, abiturus in regionem longinquam, panem ac uinum præbens, longè uiuidius & peculiarius sese nobis dabat, cum diceret, Hoc est corpus meum, quàm si dixisset, Hoc est symbolum corporis mei: etiamsi naturale corpus suum ablaturus ac cœlo illaturus esset. Nihilo tamen minus sese totum, quod ad fidem & gratiam pertinet, his uerbis donat. Quasi diceret, Nunc in mortem pro uobis eo, paulò post ex integro hinc migraturus. At nolo de amore & cura in uos mea ambigatis. Totus uester sum, quantus quantus sum. In cuius rei testimonium, huius meæ traditionis & testamenti symbolum uobis commendo, quo memoriam mei, meorumque beneficiorum excitetis: ut cum uobis hunc panem & hunc calicem exhiberi uideatis in memoriali Cœna, non aliter sitis mei memores, quòd scilicet me pro uobis tradiderim, quàm si uideretis me coram: quemadmodum nunc uidetis & uobiscum conuiuari, & mox ad supplicium pro uobis à uobis rapi. Hactenus Zuinglij uerba recensui, recensebo autem rursus alia paulò post: non quòd illis aut ullis humanis testimonijs innitar, sed ut perspicuum fiat, uirum illum non contempsisse, uti à quibusdam falsò putatur, sacramenta.

Zuinglius de sacramentis testificantibus certificantibusque.

Interim agnoscimus hæc sancta sacræ scripturæ testimonia, Qui confirmat nos unà uobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus est: qui etiam obsignauit nos, deditque arrham spiritus in cordibus nostris. 2. Corinth. 1. Item, Postquam credidistis, obsignati estis spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitæ possessionis in laudem gloriæ ipsius. Ephes. 1. Et iterum, Ne cōtristetis spiritum sanctum Dei, per quē obsignati estis in diem redemptionis. Ephes. 4. Agnoscimus Dei ueritatem per se satis solidam, ueram & certam esse, nec aliunde quàm ex seipsa meliorem accipere cōfirmationem: nisi uerò undique animus noster cōfirmetur, fluctuat. Deus ergo se attemperat nostræ imbecillitati, & per sacramenta quoque, quantum fieri potest, nos fulcit, ita tamen ut omne confirmationis beneficium referamus ad ipsum spiritum & eius operationē magis quàm ad elementum. Quemadmodum ergo doctrinæ atque doctoribus confirmationem tribuimus, ita obsignationem sacramentis. Legimus autem in Actis cap. 14. & 18. Reuertebantur apostoli, & denuo confirmabant animos discipulorum, exhortantes, ut perseuerarent in fide. Rursum 1. Thess. 3. cap. Misimus, ait Paulus, Timotheū fratrem nostrum, & ministrum Dei, ut confirmaret uos & consolaretur. Cæterū nisi interior spiritus uis rapiat, & commoueat auditorum corda, nihil efficiet exterior doctoris quantumuis bene instructa oratio: si uerò exerat uim ac cooperetur, firmissimè corroborantur animi. Sic habet & negotium sacramentarium. Si enim desit interior unctio & obsignatio spiritus sancti, actio exterior pro ludo ab incredulis habebitur, nec efficit tantillum sacramentorum

Spiritus sanctus propriè obsignat.

obsignatio: cùm uerò præcesit fides spiritus sancti donum, firmisima est sacramentorum obsignatio. Rectè alij quoq;, Si desit mentibus, inquiunt, spiritus sanctus, nihilo plus ipsa præstant quàm cæcis oculis iubar solis illustrisimum licet. Si uerò isti per spiritus illuminationē pateant, ualde afficiūtur diuino sacramentorū spectaculo. Et Zuinglius in libello ad principes Germaniæ, Nos non offendit, inquit, etiamsi uniuersa quæ spiritus operatur, ad externū sacramentū referantur: dummodo symbolicè dicta, quomodo patres locuti sunt, intelligamus. Hæc ille.

Incredulis nihil obsignant sacramenta.

Et quamuis sacramēta incredulis nō obsignent promisiones, quibus diffidūt, nihilo minus tamen sacramenta ut obsignent diuinitus instituta sunt. Non recipit doctrinam euangelicā impius, ideo tamen nemo colligit, doctrinā à Deo non esse ad docendum institutā. Est qui obsignato diplomati nō credat: ideo tamen nō sequitur, diploma signatū fidei faciendæ aut confirmandæ non seruire. Ergo cū doctrina apud rebellem nihil efficit, cum sacramenta prophanum nihil mouent, nec quicquam prosunt impio, id sanè non instituentis, aut uerbi sacramētorúmue culpa fit, sed uitio increduli. Per se interim instituta sunt, ut prosint & obsignēt, suūq; in sanctis sanctum usum & finem habeant. Hæc autē hactens de prima sacramentorum uirtute attulimus, quòd diuinæ ueritatis, adde & beneuolentiæ erga nos diuinæ testimonia, & sigilla sunt euangelicarum promisionum omnium, obsignantia, fidem esse iustitiam, & omnia Christi bona pertinere ad credentes.

Sacramenta repræsentāt res.

EST & alius signorum sacramentalium finis & usus, quòd uidelicet significant & significando repræsentant. Id quod superuacaneum esset pluribus approbare testimonijs, cum hoc omnibus sit manifestisimum, saltem ex præcedentibus. Est autem significare, indicare, notisq; & signis rem declarare aut demonstrare. Repræsentare uerò non significat rem ablatam quondam nunc rursus corporaliter, ut quidam nugantur, præsentem sistere, dare aut facere, sed similitudine & imitatione quadam referre, eamq; rursus reuocare in animum, & oculis uelut obijcere. Dicimus enim filium repræsentare uel referre patrem, cum uidelicet forma & morum similitudine patrem exprimit: ita ut qui hunc uidet, putet seipsum patrem ueluti præsentem cernere.

Sacramenta excitant & iuuāt fidem.

Et hac quidem ratione excitant & adiuuant sacramenta fidem nostram, dum uidelicet foris obijcitur nobis, quod animū impellit, excitat & cōmonefacit: imò illud ipsum quod animo iamdudum cōprehensum est, nunc etiam modo quodam sensibus, in similitudine, parabola, aut typo seu inuolucro, contemplandum uolutandūq; mente, uisibiliter offertur, ut iam mutua inter se opera iuuētur. Similitudo ergo seu analogia signi ad signatum obiter & in transcursu hic consideranda est.

De analogia in baptismo.

Dixi superius Analogiam esse aptitudinem, proportionem & conuenientiam quandam signi ad rem significatam: ita ut hæc in illo quasi in speculo perspiciatur. Exemplis res fiet illustrisima. Recipit ex mera gratia benignus dominus genus mortalium in omnium bonorum suorum cōmunionem, & adoptat fideles, ut iam non modò sint fœderati dei, sed etiā filij Dei. Id quod sancta baptismi actione, quæ uice signi aut ipsum signum est, euidentisimè omniū oculis repræsentando obijcitur. Adstat enim ad fontem sacrū dei minister, cui offertur baptisandus, qui ab ipso recipitur & baptizatur in nomen uel in nomine patris & filij & spiritus sancti. Nam utrunq; est inuenire, in nomen & in nomine. Porrò baptizari in nomen domini, est in uirtutem & potentiam (significat enim nomen Dei potentiam) in gratiā, misericordiam, & auxilium Dei consignari, imò inseri, & Deo ueluti agglutinari, dedicari, & incorporari. Baptizari in nomine dn̄i, est iusione aut imperio dei baptizari, ex cōmisione, inquā, dei patris & filij & spiritus sancti, recipi in consor-

consortiũ filiorum Dei, adeoq; & accenseri familiæ Dei, ut baptisati sint & dicantur Christiani, nominentur nomine Dei, appellati filij Dei patris, &c. Refert ergo locutio illius nonnihil, quod alibi legimus nomẽ dei inuocari super aliquo, quod perinde est, ac si dicamus, aliquem nomine Dei uocari, id est, seruum & filium Dei appellari. Ergo qui antea per gratiam inuisibiliter à Deo recepti sunt in consortiũ Dei, illi idem uisibiliter iam per baptismum eidem Dei familiæ inscribũtur à ministro Dei: atq; ideo & nomen simul accipiunt, ut semper meminerint se Christo nomen in baptismo dedisse, uicissim & accepisse. Ad hunc modum refert per analogiam accommodatissimam ipsum signum rem significatam. Fit deniq; Baptismus per aquam. Aqua uerò in rebus humanis duplicem habet usum. Purgat enim sordes, hominemq; ueluti renouat: sed & potat ac refrigerat æstuantem. Sic autẽ repræsentat gratiam Dei, quum fideles suos emundat à peccatis, regenerat & refrigerat spiritu suo. Porrò aspergit aut affundit potius aquam minister Christi, aut immersos extrahit ex aquis: qua re significatur Deum liberaliter dona sua effundere in fideles suos: significatur deniq; nos cum Christo sepeliri in mortem eius, & cum eodem resurgere in nouitate uitæ. Suffocat sinus Erythrei maris Pharaonem, transmittit autem populum Dei. Nam uetus Adam submergi ac extingui, nouus de die in diem reuiuiscere & emergere debet. Pulchrè ergo baptismo repræsentatur mortificatio & uiuificatio Christianorum.

Nomina dare & accipere in baptismo.

Iam in Cœna domini Panis & Vinum represent ant ipsum corpus & sanguinem Christi. Ratio huius hæc est. Vt panis alit & roborat hominem, uiresq; sufficit ad laborandũ: Sic Christi corpus per fidem manducatũ cibat & satiat animam hominis, totumq; hominem ad omnia pietatis officia instruit. Vt uinum potat sitientes & lætificat corda hominũ: Sic sanguis domini Iesu haustus fide restinguit sitim æstuantis conscientiæ, & gaudio ineffabili perfundit corda fidelium. Frangitur uerò in Actione Cœnæ panis domini: funditur uinum. Confractum enim, id est, modis omnibus afflictũ est corpus saluatoris nostri, cruorq; largissimus per hiantia erupit & manauit uulnera. Ac nos ipsi quidem panem domini proprijs frangimus manibus. Nos enim ipsi in culpa sumus, quòd ille atritus est. Peccata nostra uulnerauerunt illum, & nos ipsi crucifiximus eum: id est, ille propter nos, ut morte sua nos à morte liberaret, crucifixus est. Præterea accipimus in manus nostras panem, accipimus in manus nostras similiter & poculum: eo quòd ille dixit, Accipite, edite, Accipite, & diuidite inter uos: nec reponimus, aut recondimus illa: neq; alijs modò porrigimus: sed accepta edimus & bibimus in nostra trajcientes corpora, deinde uerò & alijs cõmunicantes offerimus. Qui enim legitimè cœnam domini celebrant, non tantùm credunt Christum passum esse, aut pro alijs non pro se passum esse: sed credunt illum pro ipsis esse passum, credunt Christum omnia bona sua ipsis liberalissimè communicare, adeoq; & communicasse. Ergo sicut alimentum panis & uini traiectum in uiscera mutatur in humani corporis substantiam: ita Christus fide haustus à sanctis, ijs spiritu suo unitur, ut unum sint cum Christo, & hic unum cum illis. Et ut cibus splendidè apparatus & conspectus duntaxat in mensa, non satiat: ita si audias magnificè tibi prædicari Christum, non autem credas tuum esse Christum cum omnibus bonis, nihil prodest quantumuis pulchrè instructa sit oratio aut mensa. Facit & ad amicitiam conciliandam, reparandam & conseruandam, quòd de uno pane participamus, quòd panem offerimus fratribus, quodq; de manu fratrum poculum accipientes bibimus. Non enim aliam ob caussam uidentur ueteres Cœnam appellasse Synaxim. Verũ ea de re dicemus nonnihil aliás. Ista uerò exempli gratia de Analogia

De analogia in negotio Cœnæ.

Synaxis.

signi & signati attuli, plura dicturus, nisi hæc diligentibus satis esse considerem. Occasionem enim plura atque maiora cogitandi inueniendique suppeditaui.

Quomodo sacramēta fidem excitent.

Ex hac autem perfunctoria analogiæ tractatione perspicuū esse arbitror, quomodo sacramenta excitent, & adiuuent fidem sanctorum. Nam dum animus Dei beneficia, Christi benedictionem, redemptionem, & dona alia comprehendit & uoluit, dum ijs magna cum uoluptate spiritus fruitur, dum in his gestit & exultat, accedunt foris iam & sacramenta, quæ oculis adeoque omnibus incurrentia sensibus, uisibiliter ea repræsentant, quæ animus internè comprehendit, agitat & uoluit. Quoniam enim tota actio, quæ uerbis & ritu constat, signo accensetur, uident oculi symbola & omnia quæ in tractatione symbolorum geruntur, quæ quasi loquuntur omnia. Audiunt aures uerba & instituta Christi. Tactus & Gustus sentiunt & ipsi, quàm suauis & bonus sit dominus: ut iam totus homo uelut corpore & anima in cœlum raptus, fidem excitari iuuarique, fructū denique ex fide in Christum suauissimū sentiat atque percipiat. Hæc omnia in credentibus locum habent, apud incredulos inanimata manent signa: ergo fidei & spiritus in legitimo usu sacramentorum operantis uirtute illa fiunt, sine fide & spiritu sancto non sentiuntur. Non dissimilis energia est & in prædicatione uerbi dominici. Cum enim hoc adhibitis parabolis, paradigmatis ac per hypotyposim proponitur auditoribus, si in animo reluceat spiritus fidesque, his res expositas non audire modò, sed & coràm cernere sibi uidentur. Qua ratione arbitror Paulum dixisse, O stulti Galatæ quis uos fascinauit, ut nō crederetis ueritati? quibus præ oculis Iesus Christus ante fuit depictus, inter uos crucifixus. Nullibi enim uel pictum uel crucifixum constat Christum apud Galatas: loquitur ergo de euidentia sermonis, qua res dicuntur quidem, sed energia oculis etiam quodammodo subijciuntur. Eadem est ratio & in sacramentis, quæ eò nomine à priscis appellata fuere uerba uisibilia.

Energia in prædicatione uerbi Dei.

Zuinglius de sacramentis fidē fulcientibus.

De his ad hunc modum disseruit Zuinglius in libello ad Principes Germaniæ contra Eggium, Nónne cupit fidelis, ubi fidem labi senserit, fulciri & in locū restitui? Id autem ubi gentium commodius, quàm in ipsa sacramentorum actione inuenturum sperare poterit, quantum ad omnia sensibilia attinet? Esto enim, omnes creaturæ inuitent nos ad contemplationem numinis: at omnis ea inuitatio muta est: in sacramentis uerò uiua & loquens inuitatio est. Loquitur enim dominus, loquuntur & elementa: atque idem loquuntur & suadent sensibus, quod menti sermo & spiritus. Adhuc tamen hæc uisibilia omnia nihil sunt, nisi spiritus sanctificatio præcedat. Hæc copiosius tradit primùm quidem in Annotationibus suis ad 27. cap. Ieremiæ: deinde in Expositione fidei ad regem Christianum.

PRAETEREA legimus sanctum Augustinum contra Manichæos disputantem libro contra Faustum 19. capite undecimo dixisse. In nullum nomen religionis seu uerum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorū uel sacramentorum uisibilium consortio colligantur, &c. Hanc Augustini sententiam ex scripturis petitā agnoscentes, de sacramentis docemus, his nos colligi ac colligari in unitatem corporis Christi, segregarique ab omnibus alijs religionibus consortijs & societatibus: adde ijsdem nos ceu iureiurando obstringi in unius dei cultum uerum, inque unam religionem synceram, in quam nos consentire cum omnibus qui communicant sacramentis, palàm profitemur. Vbi illud maximè obseruandum uenit, collectionem aut colligationem in unitatē corporis Christi, duplicem habere respectum. Vel enim cum Christo coniungimur, ut is in nobis sit, nos in ipso uiuamus. Vel copulamur cum omnibus Christi membris, nempe cum fidelibus Christi, cum ipsa inquam ecclesia catholica. Porrò Christo connectimur

Cōiunctio cum Christo & cū Ecclesia.

spiritu

spiritu & fide. Ecclesiæ uerò aut membris Christi coniungimur per fidei spiritusq; unitatem & uinculum charitatis. Quæ quidem omnia interna spiritus dona sunt, quæ gratuitò nobis per solum conferuntur Dominum, non per ullas creaturas, non per ulla elementa. Sacramenta itaque inserunt nos uisibiliter consortio Christi & sanctorum eius, qui inuisibiliter quidem per ipsius gratiam inserti fueramus, priusquàm sacramentis participaremus: participatione autem nunc aperimus & manifestamus, cuius corporis membra simus atq; esse uelimus, Domino signis aut notis suis per ministrum nos uisibiliter quoq; pro sua familia proq; suo populo signante. Id quod scripturis iam plenius illustrabimus.

Qui olim ex ui fœderis, ex gratia, misericordia, & promissione Dei, populus Dei erat, circuncisione uisibiliter colligebatur in unam ecclesiam & unius corporis compagem. Apostolus enim Paulus ad Ephesios, Mementote, inquit, quòd uos quondã gentes in carne uocabamini præputium, ab ea quæ uocatur Circuncisio, quæ circuncisio manibus fit: quòd inquam eratis in tempore illo sine Christo, abalienati à republica Israelis, & extranei à testamentis promissionis, &c. Ex quibus facilè quoque intelligitur, quomodo circuncisione segregati sint ab alijs religionibus & societatibus Iudæi: quodq; circuncisio alibi hanc ob caussam ponitur pro ipsis circuncisis: & cur Incircuncisi uocabulum probro datum sit. Habebantur enim incircuncisi pro impijs impurisq; hominibus, quibus nullum erat consortium, nulla pars aut hæreditas cum Deo & sanctis eius. De Baptismo qui in locum Circuncisionis substitutus est, dicta sunt quædam in præcedentibus. Sed & Apostolus significantissimè, Quemadmodum, inquit, corpus unum est, & membra habet multa: omnia uerò membra corporis unius multa cùm sint, unum sunt corpus: sic & Christus. Etenim per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Græci, siue serui, siue liberi: & omnes unum spiritum hausimus. Obstringimur ergo baptismi sacramento in unitatem corporis Christi, ita ut hoc rupisse uinculum & in aliud concessisse consortium religionis & societatis, sacrilegium atque proditio ritè uocetur. Huc respexisse uidetur Apostolus, cùm interrogaret Corinthios, An non in Christi nomen baptizati estis? Innuens utique baptizatos in nomen Christi palàm iurasse, fidemq; suam coram Christi ecclesia obstrinxisse, ut iam nec possint, nec debeant de ullo alio quàm Christi nomine gloriari, in cuius familiam recepti sint per baptismum. Sic inquam baptismo separamur ab omnibus alijs religionibus, & Christianæ duntaxat consecramur.

Sacramentis uisibiliter colligimur in unã religionem, separamur ab alijs. *Ephe. 2.* *Philip. 3.* *Rom. 15.* *1. Corinth. 12.* *1. Corinth. 1.*

Similis per omnia locus est de Cœna Domini apud eundem in 1. ad Corinth. cap. 10. Cùm enim Apostolus Corinthijs demonstrare uellet, ab omni pietate alienum, indignum & sacrilegum esse, Christianos in idolorum templis ad idolothyta accumbere sacrisq; gentilitijs communicare, à ratione & natura sacramenti Cœnæ Dominicæ argumentans, Fugite, inquit, à simulachrorum cultu. Vt prudentibus loquor: iudicate uos quod dico. Poculum benedictionis quo benedicimus, nónne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nónne communio corporis Christi est? Quoniam unus panis, unum corpus, multi sumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Videte Israelem iuxta carnem. Nónne qui edunt uictimas consortes altaris sunt? Quid ergo dico, quòd simulachrum aliquid sit? Aut quòd immolatum simulachris aliquid sit? Illud potius dico, quòd quæ immolant gentes, dæmonijs immolant & non Deo. Nolim autem uos consortes dæmoniorum esse. Non potestis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum,

Exponitur locus Pauli 1. Corinth. 10. Panis quẽ frangimus.

Et cætera. Hæc enim omnia Pauli sunt: quæ cum instituto nostro mirificè conueniant, & clarissima sint, perstringam obiter. Principiò statum & scopum rei ponit, ad quem mox omnia sua dirigit. Fugite, inquit, simulachrorum cultum. Intelligit autem idololatriæ uocabulo, quicquid pertinet ad idololatriam, idolothytorum esum maximè. Si autem nescis quid sit idolothytum, scias uocem esse Græcam, qua Paulus in hac caussa utitur, ac significare idolo sacrificatum, aut sacrificio publicè idolo consecratum. Fuit autem in usu Corinthijs sacrificare ad aras deorum suorum in idoleis, id est, idolorum templis, ac ad sacrificia illa sua uocare Christianos: hi uerò accedentes accumbebant ad idolothyta, promiscuè edentes cum idololatris, existimantes id citra omnem culpam fieri posse, quòd Euangelica luce coruscante clareret, neque idolum, neque ipsum Deum, quem repræsentabat idolum, & idcirco ne idolothyta quicquam esse aliud, quàm nomina inania, res uanas & nihili. At contra hos Paulus ab 8. cap. usque ad 11. disputans, docet à Christianis esse alienissimum sacris communicare prophanis: ac dicit, Loquar uobiscum ut cum prudentibus, qui uestigijs aliquot commonstratis, ipsi uestri ingenij perspicacia, quid uerum, quid falsum, quò denique uobis inclinandum sit, intelligitis. Deinde semina quædam argumentorum spargit, quæ illi mox sua excutientes industria, excolant. Qui, inquit, cœna Domini (in qua panis Domini frangitur, poculumque Domini hauritur) participant, eiusdem sunt communionis, cœtus, aut corporis cum Domino. Nam κοινωνία, quo uerbo hîc utitur Paulus, & quod uerterunt interpretes Communio uel communicatio (quanquam melius sit communio quàm communicatio: sicuti & in Germanica uersione melius est gmeind quàm gmeinschafft) non actiuè, ut sic dicam, pro distributione, exhibitione aut porrectione corporis Christi per ministrum: sed passiuè pro consortio & societate, pro corpore, inquam, ecclesiastico accipitur: uelut cùm ecclesia appellatur communio, id est, cœtus, collectio & societas sanctorum. Porrò hæc appellatur κοινωνία siue communio corporis & sanguinis Christi, quia Christi corpore & sanguine redempta est, ac particeps Christi, uiuit per eundem. Nam ipse uiuit in sanctis, omnia sua uitæ dona ipsis communicans. Quòd autem participantes cœna Domini sint corpus aut communio Christi, per subiectam rationem declarans dicit, Quia unus panis, unum corpus multi sumus. Cui mox & aliam rationem expositionis caussa illustriorem suppingit, Nam omnes ex eodem pane participamus. De uno, inquit, pane participantes, palàm testamur nos eiusdem corporis esse consortes cum Christo & omnibus sanctis. Quibus pulchrè ad analogiam respexit. Vt enim ex multorum granorum adunatione, sicut Cyprianus ait, unus fit panis: ut de botris siue acinis plurimis uinum confluit: ita ex multis membris coalescit corpus ecclesiæ, quod est corpus Christi. Veniunt autem in his Pauli uerbis hæc obseruanda. Principiò, quòd nunc multitudinem signantiore uocabulo nuncupat, quod prius communionem appellauit. Est ergo communio nihil aliud, quàm multitudo siue cœtus. Dixit enim, Panis est communio corporis Christi: iam uerò dicit, Nos multi sumus unus panis, unum corpus. Multi, inquam, id est, nos omnes, qui sumus multitudo & ecclesia, Christi corpore tradito & fuso sanguine redempta. Deinde, Multi, inquit, unum corpus sumus: non dicit, Vnum corpus efficimur. Nam non primùm per sacramentorum participationem (quod iam sæpius inculcamus) inserimur corpori Christi: sed qui inserti eramus per gratiam inuisibiliter, nunc etiam uisibiliter consecramur. Rursus ex simili sacramentorum ratione, siue per exemplum scripturæ à sacramentis populi ueteris petitum, demonstrat sacris participantes unum esse corpus,

Mos sacrificãdi Corinthiorum.

κοινωνία pro cœtu.

corpus, & cum eo cui offerunt, & cum ijs quibus cum offerunt, aut cum quibus de idolothytis edunt. Contemplamini mihi, ait, Israelitas, carnales adhuc uictimas offerentes. Nónne qui edunt uictimas κοινωνοὶ, id est, communicatores, socij siue consortes sunt sacrarij aut aræ? Complexus est autem uoce sacrarij aut aræ (θυσιαστηρίου habet) quicquid ad cultum & religionem Dei Iudæorum pertinet: ut sit sensus, An non omnes illi unum corpus sunt, una communio, unus populus, & cum Deo Israelis, & cum populo eius, qui edunt de uictimis Deo Israelis, à populo Israelitico immolatis? Quasi dicat, Nemo est qui id nesciat, aut neget, cùm confessum & manifestum sit apud omnes. Ex his sua sponte colligendum relinquit Corinthijs, Proinde qui sacramentis communicant ethnicorum, unum corpus & una sunt communio cum dijs ethnicorum & ethnicis sacrificantibus. Iam per occupationem interponit, Propterea autem non dico, quòd idolum aliquid ualeat, aut idolothytum aliquid diuinæ maiestatis habeat. Quibus mox addit, Hoc autem sentio, quòd quæ gentiles sacrificant, non Deo sed diabolo sacrificant. His intulisset legitimè, Ergo si uos perrexeritis participare de idolothytis, eritis certè unum corpus & una cõmunio, & cum ipso diabolo, & cum omnibus membris eius. Sed quia hoc acerbius à multis fuisset exceptum, reponit aliud paulò lenius & ciuilius, ac dicit, Nolui autem uos κοινωνοὺς, id est, communicatores seu socios & consortes esse dæmoniorum. Post quæ mox collatis partibus contrarijs summam rei infert, ad quam omnia direxit, & ait, Non potestis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Sacramenta itaque separant nos ab omnibus alijs cultibus & religionibus, & obstringunt, atque consecrant, adeoq; & incorporant nos uni Deo uero & synceræ religioni Christianæ. Quoniam ijs participantes palàm profitemur nos esse membra Christi, quæ nemo sanus tollit & facit fornicationis & idolorum membra.

Membra diaboli sunt participantes sacris illegitimis.

Huc pertinet, quod Zuinglius in Expositione fidei Christianæ ad regem Christianum, Sacramenta, inquit, uice iurisiurandi sunt. Nam & Sacramentum Latinis pro iureiurando usurpatur. Qui enim unis eisdemq; sacramentis utuntur, una quædam gens & sancta coniuratio sunt: in unum corpus, inq; unum populum coëunt: quem qui prodit, periturus est. Populus ergo Christi cùm eius corpus sacramentaliter edendo in unum corpus coniungitur: iam qui perfidus est, attamen sese huic societati audet insinuare, corpus Christi prodit, tam in capite quàm in membris, &c. Hæc ille.

Zuinglius de sacramentis obstringentibus, &c.

Ex his uerò omnibus nullo negotio intelligere licet, quomodo sacramenta nos nostri admoneant officij: maximè si obseruemus in Apostolorum literis, quomodo ex ratione sacramentorum suas exhortationes instituerint Apostoli. Vbi denuo analogia considerata, plurimum habet & lucis & uirium. Nos in transcursu quædam huius generis attingemus. Putantur arbores, resecanturq; ex ipsis arida, sterilia & superuacanea: itaq; circuncisione admonebantur circuncisi omnia ea cultro spiritus resecare, quæ ex carne contra legem Dei enascuntur. Huc respexit Moses, cùm in Deut. dixit, Circuncidite præputium cordis uestri, & ceruicem uestram amplius ne induretis. Quem imitatus Ieremias in cap. 4. Circuncidimini Domino, & auferte præputia cordis uestri, &c. Quæ uerò de pascha te celebrando tradidit Apostolus, planiora sunt quàm hic referri debeant. Et nos de illis omnibus copiosè disseruimus Decadis 3. Sermone 6. Idem Apostolus in epistola ad Romanos, An ignoratis, inquit, quòd quicunq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Sepulti ergo sumus unà cum

Sacramenta fideles sui admonent officij.

Deut. 10.

1. Corinth. 5.

Rom. 6.

illo per baptismum in mortem: ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, & ita nos in nouitate uitæ ambulemus. Et cætera. Admonemur ergo baptismi mysterio, ut renunciemus satanæ & mundo, ut mortificemus carnem nostram, sepeliamusq; ueterem Adamum, quò nouus in nobis homo per Christum resurgat. Porrò Cœna Domini admonet nos charitatis fraternæ, & unitatis cum omnibus membris Christi: admonet nos puritatis & synceritatis in fide: ut quoniam palàm professi sumus nos cum Christo, & omnibus membris eius adunatos esse, diligentissimè etiam curemus, ne perfidi simus in Dominum Christum & ecclesiam eius, ne nos peregrinis contaminemus sacris: admonemur etiam gratitudinis, ut laudemus gratiam eius, qui nos redemit, iuxta illud, Quotiescunq; de pane illo ederitis, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis donec uenerit.

1. Corinth. 11.

Atque hactenus disserui de uirtute, fine, & effectu sacramentorum: quibus tantùm, opinor, tribui, quantum debui, id est, quantum ex scripturis demonstrari potest. Instituta sunt Christi, non ergo amant laudes fucatas & alienas: satis laudum habent, si eas habent, quas ipsis institutor eorum Deus & summus ecclesiæ catholicæ Pontifex Iesus Christus tribuit.

QVONIAM uerò fidei toto hoc libro creberrima facta est mentio, paucis ostendam porrò sine fide non prodesse sacramenta, rursus fide illa percipientibus non esse superuacanea. Hoc enim uidetur adhuc ad plenam sacramentorum explicationem considerationemq; pertinere. Sine fide non prodesse sacramenta, facile est ostendere. Dictum est enim sacramenta esse appendices & sigilla Euangelicæ prædicationis. Cæterum si prædicatio Euangelica audiatur citra fidem, non modò nihil prodest ad uitam, sed cedit magis ad iudicium, ipso Domino attestante atque dicente, Si quis audierit uerba mea, & non crediderit, ego non iudico eum. Veni enim ut seruem, non ut iudicẽ mũdum. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in extremo die. Sermoni Dominico quadrat hic Apostolicus, Annunciatum est nobis Euangelium, quemadmodum & patribus. At non profuit illis audisse sermonem, quòd is non esset fide cõiunctus ijs qui audierant. Quis iam usqueadeò stupidus sit, ut non colligat sacramenta sine fide inutilia esse, præsertim cùm idem Apostolus dicat, Quisquis ederit panem hunc, aut biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini? Omnis autem dignitas nostra coram Deo fide constat, eodem Apostolo rursus ex propheta dicente, Iustus fide sua uiuet. Item patres fide meruerunt testimonium. Quò & illud pertinet, quod in Euangelio legitur, Qui inuitati fuerant, non erant digni: unde consequens est dignitatem fideli constare obedientia. Huc referenda puto exempla, quorum etiam superius non semel mentio facta est, Patres nostri omnes baptizati sunt, & omnes eandem ederunt escam spiritualem, sed quidam ipsorum displicuerunt Deo. At Paulus iterum, Sine fide, inquit, impossibile est placere Deo: unde sine fide nihil proficiunt sacramenta. Notissima sunt Simonis magi & Iudæ proditoris exempla, quorum ille tinctus, hic Cœnæ adhibitus, fructu caruerunt omni: quoniam fidem ueram non habuerunt.

Sine fide non prodesse sacramenta.
Ioan. 12.
Hebr. 4.
Rom. 1.
Hebr. 11.
Matth. 22.
Hebr. 11.

His diuinis & luculentis testimonijs adiungemus iam aliquot S. Augustini locos. Is contra Faustum lib. 19. cap. 12. Petrus ait, Baptismus nos saluos facit: & ne sufficere putarent uisibile sacramentum, per quod habebant formam pietatis, & per malos mores perditè uiuendo uirtutem eius abnegarent, continuò subiecit, Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Item contra literas Petiliani lib. 2. cap. 7. Non ideò, ait, putandi sunt esse in Christi corpore, quòd

Augustinus docet sacramenta sine fide esse inutilia sumentibus.

re, quod est ecclesia, quia sacramentorum eius corporaliter participes fiunt. Illa enim & in talibus sancta sunt, & eis indignè tractantibus & sumentibus ad maius iudicium ualebunt. Ipsi autem non sunt in illa ecclesiæ Christi compage, quæ in membris Christi per connexum & contactum crescit in incrementum Dei. Illa quippe ecclesia in petra est: sicut Dominus dicit, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: illi autem in arena ædificant: sicut idem Dominus dicit, Qui audit uerba mea, & non facit ea, similabo eum uiro stulto. Et rursus Tractat. in Ioan. 13. Non aliquid prosunt syllabæ nominis Christi & sacramenta Christi, ubi resistitur fidei Christi. Fides autem Christi & sacramenta, est credere in eum, qui iustificat impium, credere in mediatorem, sine quo interposito non reconciliamur Deo. Hactenus August.

Sacraméta non pendent à nostra dignitate uel indignitate.

Obijcitur, si sacramenta sine fide nostra non prosunt, pendent ergo à nostra dignitate uel indignitate, ut integra non sint inter malos & infideles. Respondeo, Per se quidem sacramenta ex institutione diuina satis rata & firma sunt, nec pendet ipsorum integritas ex conditione communicantium, ut uel meliora sint inter bonos, deteriora inter malos. Manet enim firmum & integrum, quod instituit Dominus, retinetq; institutionem suam bonam semper, utcunque uarient & perduelles sint homines. Nam Apostolus, Num incredulitas illorum, inquit, fidem Dei faciet irritam? Absit. Imò sit Deus uerax: omnis autem homo mendax. Verùm attigimus hoc negotij nonnihil & in superioribus. Quia tamen aliud est offerre, aliud accipere, offert quidem Deus ex bonitate sua bona dona sua hominibus in hoc, ut prosit ipsis & seruet eos: quemadmodum & medicus ægroto offert medicinam, ut sanet: quoniam uerò ineptus ac uæsanus beneficium non agnoscit, & ægrotus medicinam oblatam respuit, nihil prodest oblatum beneficium inepto, neque ualet quicquam medicina repellenti: non culpa offerentis, beneficij, aut medicinæ, sed repellentis uitio. Ad hunc modum disputauit hac de re & sanctus Augustinus. Nam de Baptismo cōtra Donatistas lib. 3. cap. 14. Nec interest cùm de sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum: interest quidem plurimum ad salutis uiam, sed ad sacramenti quæstionem nihil interest. Item contra literas Petiliani lib. 2. cap. 47. Memento, inquit, sacramentis Dei nihil obesse mores hominum malorum, quò illa uel omnino non sint, uel minus sancta sint: sed ipsis malis hominibus, ut hæc habeant ad testimonium damnationis non ad adiutorium sanitatis. Idem Tractat. in Ioan. 26. Si carnaliter accipis, ait, spirituale esse non desinit, sed tibi non est.

Rom. 3.

De baptismo infantium.

Eadem facilitate diluitur, quod obijcitur, infantibus non profuturum baptismum, si perrexerimus asserere sine fide non prodesse sacramenta: infantulos enim non habere fidem. Sic illi loquuntur. Respondemus enim principiò, baptismum infantium gratuitæ misericordiæ & gratię Dei inniti, dicentis: Ero Deus tuus & seminis tui. Item, Sinite paruulos uenire ad me, talium enim est regnum Dei, &c. Numerantur ergo censenturq; infantes ab ipso Domino inter fideles, ut his iam baptismus debeatur, quatenus debetur fidelibus. Imputatione enim Dei fideles sunt infantes, Quo nimirum pertinet hoc saluatoris dictum, Qui offenderit unum de pusillis qui in me credunt, &c. Manifestè enim appellat pusillos credentes: certe propter imputationem, non propter confessionem, quæ nulla adhuc est in pusillis. His accedit & illud, quòd pater infantuli ideò cupit signo populi Dei, baptismo, fœtum suum insigniri, quia credit promissionibus Dei, infantulum uidelicet suum esse de familia Dei: est itaque in infantium baptismo fides.

Atqui non credit pater. Esto, Necq; uerò id fraudi est infantulo. Nam in fide ecclesiæ affertur ad baptismum. Credit autem ecclesia infantes adducendos esse ad Dominum: credit istos esse de familia & populo Dei, ergo initiari mysterijs iubet: ut rursus in baptismo paruulorum inuenias fidem. His addit sanctus Augustinus de Peccatorum meritis & remissione lib. 1. cap. 19. dicens, Propterea fideles rectè dicuntur pueri, quoniam fidem per uerba gestantium quodam modo profitentur. Plura is eadem de re disputat in Epistola ad Bonifacium, quæ ordine est 23. à quo qui plura cupit, petat.

Cæterum hæc omnia, inquiunt, non euincunt, infantes habere fidẽ propriam. Nam aliena fides est fides parentum, gestantium, aut fides ecclesiæ. Esto. Certissimum tamen illud est, quod Dominus infantulos inter suos, hoc est, inter fideles numerat: ut iam non tantùm in aliena fide baptizentur, sed in propria, quam uidelicet ipsis imputat Dominus. Præterea alienum non est, quod eidem corpori commune est. At sunt in eodem corpore ecclesiastico infantes, unde ipsis propriũ non alienum est, quod ecclesiæ est. Neque uerò quisquam hominum facilè dixerit, quos præterea habeant motus spiritus sancti infantes, &c. Quia enim Dei sunt, spiritum Dei habent: quem qui non habent, Dei non sunt, Rom. 8.

Sacramenta fidem habẽtibus non esse superuacanea.

Vt autem in sinistram nimium declinant, quibus uisum est, sacramenta etiam sine fide prodesse sumentibus: ita in dextram nimium recedunt, qui putant, eadem fidem habentibus esse superuacanea. Fides, inquiunt, plenè absoluit nos, ut post illam nihil possint addere sacramenta, idcirco necesse est ipsa esse inutilia. Tales quondam fuisse leguntur Messaliani, qui & Euchitæ & ἐνθουσιασταὶ appellantur, diuini, si dijs placeet, & afflati numine. Contendebant enim fidelibus post spiritum sanctum acceptum, nullis opus esse sacramentis. Cæterum sunt isti in Deum ipsum iniurij, qui uidelicet sacramenta instituit fidelibus, non sine magna causa, nec inutiliter. Et Abraham quidem credidit Deo, id quod ipsi imputatum est pro iustitia, amicusq; Dei iustus & sanctus, non utique sine spiritu sancto, habitus est: at idem ille circuncisionem accepit, signaculum iustitiæ fidei quæ fuerat in præputio. Eidem Abrahæ dicitur, Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit. *Exod. 4.* Certè angelus Domini cædem intentans imminet Mosi, quòd circuncisionem iustius æquo, uel sua negligentia, uel Madianiticæ uxoris culpa, in liberis suis distulisset. An uerò quisquam iustior & sanctior inuenietur Dei filio, utpote qui plenitudine spiritus accepta, ut caput, de illa in sua membra diffudit liberalissimè? attamen hic uenit ad Baptistam, & postulat ab eo baptizari in Iordane; *Matth. 3.* cumq; is tergiuersaretur ac diceret, Mihi opus est abs te baptizari, & ego te baptizarem? audit, Sine modò, sic oportet nos omnem implere iustitiam. Iustitia certè cuique suum tribuit. Fides ergo quæ Christianorum iustitia est, tribuit gloriam Deo, creditq; hunc summè sapientem bene uelle hominibus, atque ideò nihil inutiliter instituisse, sed omnia in salutem suorum fidelium: utitur ergo omnibus Dei institutis homo fidelis absque disputatione ac contradictione. Nec quisquam hîc, opinor, dixerit nihil ad se pertinere factum Christi, quo utique nobis exemplum prætulit, quod imitaremur. Imò quod ipse fecit, alios quoque facere iussit, dum discipulos amandaret & diceret, Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine patris, &c. Qui enim

Sacramenta nõ sunt indifferentia.

crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: coniungens utiq; & fidem & baptismũ, quod haud dubiè non fecisset, si sacramenta superuacanea essent, ubi fides est. Vbi manifestè claret & illos errare toto cœlo, qui arbitrantur sacramenta esse indiffe-

differentia, hoc est, in nostro constitutum arbitrio, siue illis utamur, siue non utamur. Nam ut de baptismo iam apertum præceptum audiuimus: ita Cœnam instituens & celebrans dominus ait, Hoc facite in mei commemorationem. Qui ergo hæc Dei præcepta contemnit, non uideo quomodo fidem habeat, qua inuisibiliter sanctificari possit. Huc iam pertinet, quòd fidelis ille princeps Æthiopicus confitetur, se toto corde credere in dominum Iesum, nihilominus tamen uisa aqua dicit, Ecce aqua, quid uetat quo minus baptizer? Non dicit, Credo toto corde, & sentio me iustificatum esse atque purgatum, quorsum ergo aqua abluerer, qui nihil sordium habeo reliquum? Proinde ubicunque uera fides est, ibi non contemnuntur aut repelluntur, sed petuntur magis sacramenta. Nam & Cornelius Centurio accepto spiritu sancto non contradicit Petro dicenti, Quis iam prohibere potest, quo minus baptizentur aqua hi, qui perinde ut nos spiritum acceperunt? Fidelis erat euangelij præco Petrus, peritus ueritatis doctor, neminem ergo fallit, & suo nos facto docet, fidem tum maximè ad communionem sacramentorum incitare, cum uera est in fidelibus. Cui consentiens collega Paulus, Probet seipsum homo, inquit, & deinde edat de pane, & bibat de poculo hoc. At probatio illa fide fit: fides ergo sacramenta non respuit, sed perfidia.

Sine uisibilibus sacramētis sanctificantur multi.

Scio sanè plurimos citra usum uisibilium sacramentorum sanctificatos esse, & hodie quoque sanctificari: sed nullus illorum spreuit aut contempsit illa: necessitate adacti his non communicarunt, ut hodie sunt, qui sub tyrannide antichristi & Turcæ captiui tenentur, interea uerò toto corde credunt in dominum Iesum. Ergo horum aut similium exempla ijs nihil patrocinantur, quibus liceret communicare sacramentis, si instituta Dei curarent, tantique æstimarent, quanti facerent meritò. Ascribam hic in lectorum gratiam elegantem sancti Augustini de hac re disputationem, quòd institutum nostrum pulchrè illustret. Quæstio. lib. in Leuit. 3. cap. 84. Meritò, ait, quæritur, utrum etiam inuisibilis sanctificatio, sine uisibilibus sacramentis, quibus uisibiliter homo sanctificatur, nihil prosit? Quod utique absurdum est. Tolerabilius enim quisque dixerit, sine illis istam non esse, quàm si fuerit non prodesse: cum in ista sit omnis utilitas illorum. Sed etiam hoc, quòd sine illis ista esse non possit, quomodo rectè dicatur intuendum est. Nihil quippe profuit Simoni mago uisibilis baptismus, cui sanctificatio inuisibilis defuit: sed quibus ista inuisibilis quoniam affuit, profuit, etiam uisibilia sacramenta perceperunt similiter baptisati. Nec tamen Moses qui uisibiliter sacerdotes sanctificabat, ubi fuerit ipse uisibilibus sacrificijs uel oleo sanctificatus ostenditur: inuisibiliter uerò sanctificatum negare quis audeat, cuius tanta gratia præeminebat? Hoc & de Ioanne Baptista dici potest. Prius enim baptisator quàm baptisatus apparuit: unde eum sanctificatum nequaquam negare possumus: id tamen in eo factum uisibiliter non inuenimus antequam ad ministerium baptisandi ueniret. Hoc & de Latrone illo, cui secū crucifixo dominus ait, Hodie mecum eris in paradiso. Neque enim sine sanctificatione inuisibili tanta felicitate donatus est. Proinde colligitur, inuisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse atque profuisse sine uisibilibus sacramentis: uisibilem uerò sanctificationem, quæ fieret per uisibilia sacramenta, sine ista inuisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo sacramentum uisibile contemnendum est. Nam contemptor eius inuisibiliter sanctificari nullo modo potest. Hinc est, quòd Cornelius & qui cum eo erant, cum iam inuisibiliter infuso sancto spiritu sanctificati apparerent, baptisati sunt tamen, nec superflua iudicata est uisibilis sanctificatio, quam inuisibilis iam præcesserat. Hæc ille.

Cypriani error de sacramento baptismi.

HVIC disputationi affinis est & alia quæstio, An uidelicet sacramenta pendeant à dignitate ministrorum, an eorundem indignitate impediantur? Cyprianus non uno loco contendit, eos baptizare non posse, qui carent spiritu sancto. Qui error inde est, quòd baptisandi ministerio tribuit nimium. Arbitratur hoc homines purgari: colligit itaque hominem impurum purgare non posse, ergo nec baptizare, baptismumque hominis impuri non esse baptismum: unde iam deriuat anabaptismum. Cæterum si uir sanctus ritè & religiosè distinxisset inter potestatem & ministerium, denique inter signum & signatum, externam & internam sanctificationem, uidisset haud dubiè mera nos Dei gratia sanctificari inuisibiliter, & internam illam sanctificationem extra per ministerium repræsentari & obsignari: ibi intellexisset obsignatas literas non minus à malo quàm bono ministro proferri posse. Dei sunt sacramenta, ad Deum referenda authorem, qui uerax & fidelis est in omnibus institutis suis, utcunque fallaces sint homines. Quanquam fur esset Iudas, docuit tamen & baptizauit, cuius doctrina & baptismus non minus Christi doctrina & baptismus erat, quàm Petri & Andreæ, Iacobi & Ioannis. Ac de integritate quidem cùm doctrinæ tum baptismi Iudæ ministerio administrati, nemo dubitauit unquam, quasi nec docti nec baptisati fuerint, quos ille docuit & baptizauit, qui interim ab ipso domino non homo diabolicus, sed ipse diabolus appellatur. Nam non suo, sed Christi nomine baptizauit: non suam sed Christi doctrinam attulit. Denique dominus ex bonitate sua propter ueritatem suam, non propter Iudam, operatus est in fidelibus, quam operationem aliena infelicitas & malitia impedire non potuit, sicut ne hodie quidem impedit. Conandum quidem nobis modis omnibus, ut sancti & innocentes sint ministri, quantum uidelicet nostra fide & industria indagare & efficere possumus: imò gradibus suis deijciamus, quos deprehenderimus se sua functione indignos gerere: interim uerò nihil dubitemus de sacramenti integritate, quod illi nobis dum in officio fuerunt, administrarunt, ea ratione uidelicet modoque, quo dominus instituit. Ac fideles quidem ut animos suos non defigunt in elementa, ita neque in ministros. Deum authorem omnis boni & finem institutorum domini spectant unicè in omnibus.

Ioan. 6.

Tractauit hoc negotium diligenter S. Augustinus, non inefficacia argumenta pulchrè his accõmodans, cuius uerba ascribam. Libro contra Donatistas de Baptismo 3. cap. 10. Non est aqua prophana, inquit, aut adultera, super quam nomen Dei inuocatur, etiamsi à prophanis & adulteris inuocetur: quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus uerò Christi uerbis euangelicis consecratus, & per adulteros & in adulteris sanctus est, quamuis illi impudici sint & immundi: quia ipsa eius sanctitas pollui non potest, & in sacramento suo diuina uirtus assistit, siue ad salutem bene utentium, siue ad perniciem male utentium. An uerò Solis uel etiam lucernæ lux cum per cœnosa diffunditur nihil inde sordium contrahit, & baptismus Christi potest cuiusquam sceleribus inquinari? Si enim ad ipsas res uisibiles quibus sacramenta tractantur animum conferamus, quis nesciat eas esse corruptibiles? Si autem ad id quod per illas agitur, quis non uideat non posse corrumpi: quamuis homines per quos agitur pro suis moribus uel præmia percipiant uel pœnas luant? Et cætera. Possem huius generis multa proferre, si putarem necessaria. Arbitror enim illis copiose & dilucide satis declaratum esse, integritatem sacramentorum non æstimari dignitate uel indignitate ministrorum, sed Dei instituentis ueritate. Ei sit gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

De

De sancto baptismo, quid, à quo, quando institutus, & quod aquæ vnus duntaxat sit. De baptismo ignis. De ritu baptismi, quomodo, à quo, & quibus conferendus sit. De baptismo obstetricum, & infantibus sine baptismo decedentibus. De paruulorum baptismo, contra anabaptismum: & de virtute vel efficacia baptismi.

SERMO VIII.

RESTAT ut sigillatim disseramus de sancto Baptismo, & de sacra Cœna domini. Id quod tanto succinctius fieri potest, quanto fusius iam diximus in genere de Sacramentis. Christus dominus aperiat uobis mentes, & dirigat linguam meam in gloriam & laudem nominis eius benedicti in secula.

Baptismus uox est à Græcis petita, qui utrunque sicuti & Latini Baptismus & baptisma dicunt. Est autem baptismus tinctio, qua uoce libenter utitur Tertullianus. Significat enim βάπτω tingo uel intingo, & βαπτίζω immergo: unde & Baptizare ursurpatur pro immergere, abluere uel lauare: & baptismata in scripturis ponuntur pro lauacris & purificationibus, sicuti claret apud S. Marcum in cap. 7. & apud Paulum Hebr. 9. cap. Eodem baptismate baptizari prouerbialiter dictum est, pro eo quod est eiusdem periculi uel mali consortem esse. Et baptizari sanguine, est perfundi sanguine. *Baptismus.*

Baptismum finiunt ferè symbolum esse purgationis nostræ, imò initiationis quo recipimur in Ecclesiam, ut inter filios Dei recenseamur. Copiosius uerò naturam eius describentes, dicimus baptismum esse actionem sacram, diuinitus institutam, ac uerbo Dei rituque sacro constantem, quo Dei populus in nomine domini aqua tingitur, quo denique ipse dominus suam nobis purgationem repræsentat & obsignat, in unum corpus congregat, & baptisatos sui admonet officij. *Baptismus quid sit.*

Circa hanc Baptismi descriptionē uidentur hæc potissimū esse consideranda, Quis instituerit baptismum. Quibus rebus cōstet. Simplex ne sit, an in partes distrahatur. Quis sit ritus baptisandi traditus. Quis finis, quæue uirtus baptismi.

Instituit Baptismi sacramentum non homo aliquis, sed ipse Deus, licet per hominem, nempe Ioannem, qui ex eo Baptistæ nomen inuenit. Hoc ut intelligeremus, euangelistæ multis approbarunt nobis uocationem Ioannis fuisse cœlestem. Inde enim colligere possumus, ministerium eius esse diuinum. Quid quod ipse disertis uerbis, Qui misit me ut baptizarem aqua, inquit, is dixit mihi, Super quem uideris spiritum sanctum? &c. Ioan. 1. Sed & dominus noster in Euangelio innuens baptismum Ioannis non ex hominibus, sed ex Deo profectum esse, interrogat Pharisæos, Baptismus Ioannis ex hominibus ne an ex cœlo erat? Proinde baptismum sancti etiam hodie accipiunt perinde ut ab ipsius Dei manibus, licet hominum ministerio baptizentur. Dominus enim spiritu suo suis assistens institutis, operatur in electis salutem. Vnde consequens est, per malum ministrum non impediri uirtutem aut effectum baptismi. De quo aliàs dictum est atque dicetur. *Quis instituerit baptismum.* *Matth. 21.*

Eo tempore uerò institutus est à Deo, & inceptus à beato Ioanne baptismus, quo hic palàm pædicare cœpit tempus impletum, & Christum orbi præstitum esse. Atqui re exhibita, signa rerum futurarum uel exhibendarum non manere, sed mutari in alia oportuit. Circuncisio autem fuit symbolum uenturi seminis benedicti, ipsius, inquam, Messiæ, qui effuso sanguine benedictionem suam toti mundo collaturus erat. Ergo cum hic uenerat, & iam iam effusurus erat sanguinem, circuncisionem mutari oportuit in baptismum. De quo postea. *Quādo institutus baptismus.*

Constat autem Baptismus signo & re signata, uerbo uel promissione Dei, & *Quibus cōstet baptismus.*

ritu sacro uel ceremonia. Signum est actio externa, ipsa, inquam, aspersio aquæ in nomen patris, & filij, & spiritus sancti, cum inuocatione nominis diuini. Promisio uel uerbum Dei est, Baptisantes eos. Qui crediderit, & baptisatus fuerit, saluus erit. Et reliqua. De quibus Sermone VI. abundè satis diximus.

Vnus duntaxat baptismus.

Pleriq; ueterum distinxerunt inter baptismum Ioannis Baptistæ, & baptismum Christi ac Apostolorum. Etenim negant aliqui remissionem peccatorum comprehensam fuisse baptismo Ioannis. Cæterum si diligenter inspiciamus, & expendamus scripturæ sanctæ doctrinam, deprehendemus Ioannis baptismum, & Christi, apostolorumq; unum atq; eundem esse. Certè doctrina Ioannis, Christi, & apostolorũ, una & eadem est ubiq;. Omnes enim uno ore prædicant euangelium, & per hoc pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine Christi. Conferat qui uelit ea quæ Ioannes euangelista tradidit de doctrina Ioannis Baptistæ primo & tertio capite: & ea quæ Lucas tradit in 24. cap. euangelicæ historiæ, & in Actis Apostolorum, de doctrina Christiana & apostolica, & dicet unam atq; eandem esse omnium doctrinam. Cæterum doctrinæ apponitur baptismus, ueluti sigillum tabulæ. Quis ergo credat eiusdem doctrinæ diuersa esse sigilla uel baptismata? S. Ioannes aqua baptizauit: non aliam materiam quàm aquam commendauit discipulis dominus, neq; hi aliter quàm aqua baptizauerunt. Illi ipsi baptizauerunt in Christum, in pœnitentiam & remissionem peccatorum. At de Ioanne baptista scribit S. Marcus, Baptizabat Ioannes in deserto prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et S. Paulus loquens de doctrina & baptismo Ioannis, Ioannes, inquit, baptizauit baptismo pœnitentiæ, populo loquens de eo qui uenturus esset post ipsum ut crederent, hoc est de Christo Iesu. Ex his uerò quis non colligat eundem omnino baptismũ esse Ioannis & Christi? nisi fortè hoc uideatur alicui aliquid discriminis inducere, quòd Ioannes in uenturum uel reuelandum baptizauit, apostoli in reuelatum. Sed non uideo tantillum temporis spacium quidpiam posse adferrre discriminis: præsertim cum tantùm ab initio prædicationis suæ Ioannes loqueretur de reuelando. Mox enim & præsentem digito demonstrauit, testimoniumq; exhibuit præsenti & reuelato, non uenturo amplius aut reuelando. Huic accedit quòd Christus non alio quàm S. Ioannis baptismo tinctus est. Si autem baptismus Ioannis alienus esset à Christianæ ecclesiæ baptismo, consequeretur neque Christum in nostro, neq; nos in Christi baptismo baptizari. Atqui Christus baptismum Ioannis sanctificauit corpore suo, & in eandem societatem tingi nobiscum dignatus est, qui & ipsi tingimur hodie in baptismo, non Ioannis quidem, sed Christi, qui per Ioannem baptismum instituit, & ipse eundem consecrauit. Proinde dominus apud Matth. in 28. cap. & apud Marcum in 16. cap. non abrogat baptismum à Ioanne cœptum, non instituit nouum, sed eundem iubet continuare & conferre credentibus in nomen patris & filij & spiritus sancti.

Vnus & idem baptismus Ioannis, Christi, & apostolorum.

De baptismo Christi, qui & ignis.

Quod autem ipse Ioannes dicit, Ego baptizo aqua, ille baptizabit spiritu sancto, non discreuit inter aquæ baptismum suum & Christi: sed Christo amplius quiddam tribuit, quod nullus hominum uel ministrorum (errarunt enim qui quondam baptizarunt igni) cum ipso commune habet, sed solus confert, nempe baptismum ignis, id est, singularia dona spiritus sancti, in primis autem usum linguarum sub specie ignis. Sic enim hoc negotium exponitur in Actis ab ipso primùm domino Christo, deinde per experientiam in Ecclesia. Dominus enim dicit, Ne discesseritis Hierosolyma, sed expectate promissum patris: de quo audistis ex me, Quoniam Ioannes baptizauit quidem aqua: uos autem baptizabimini

Acto. 1.

zabimini spiritu sancto post dies hosce non multos. Et consequenter die ipso pentecostes baptismo Christi baptizati sunt, non aqua rursus, sed donati sunt spiritu sancto, insidentibus singulorum ipsorum capitibus dissectis linguis uelut igneis: & cœperunt loqui linguis diuersis. In Actis baptizati sunt baptismo Christi in aqua legitimè & plenè Samaritani ciues à Philippo: sed illi ipsi postmodum baptizantur peculiari baptismo Christi, dum per impositionem manuum Petri & Ioannis accipiunt spiritum sanctum. Non quòd hactenus prorsus caruerint dono spiritus sancti, (Quomodo enim sine spiritu sancto credere potuissent?) sed quòd præterea uisibili ignis baptismo sint baptizati, & linguarum donum acceperint, aliaq́ dona excellentia. Sicut & de Cornelio legitur, qui primum quidem igne, Christi inquam baptismo peculiari baptizatus, linguis loquebatur, deinde uerò aqua tinctus est. Contra uiri illi Ephesij duodecim, primo Ioannis, adeoq́ Christianæ ecclesiæ aquæ baptismo plenè tincti, deinde uerò imponente eis manus Apostolo Paulo, non rursus aqua sed igne baptizati sunt, Luca testante & dicente, Venit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis & prophetabant.

Acto.8. Acto.10. Acto.19.

Cæterum hic baptismus ignis & uisibilis exhibitio donorum disparuit unà cum miraculis, nec hodie usitatus aut uulgaris est in Ecclesia: manet autem baptismus aquæ, qui unus atq; idem est, siue administretur Ioannis, siue Apostolorum, siue ministrorum Ecclesiæ diuersis manibus. Nam diuersæ manus non faciunt diuersa baptismata. Rectissimè ergo credimus unum modò & simplex esse baptisma omnium temporum fidelium. Nam & Paulus disertis uerbis, Vnus, inquit, Dominus est, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium. Quo nimirum & hoc apostoli eiusdem pertinet, Gratias ago Deo quòd neminem uestrum baptizarim, nisi Crispum & Caium, ne quis dicat quòd sub nomine meo baptizarim. Huic ueritati Apostolicæ innixi patres Constantinopol. Synod. in symbolo suo confessi leguntur, Credo unum baptisma in remissionem peccatorum. Etenim una duntaxat est Ecclesia, unum corpus, unicum caput, & unus rex, princeps & pontifex catholicæ Ecclesiæ.

Ephes.4. 1.Cor.1.

Venimus iam ad ritum baptismi explicandum. Simplex hic fuit ab initio, & nullis ceremonijs immoderatis ecclesiæ uel sumptuosus uel onerosus. Baptizauit Ioannes in Aenon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic: & baptizauit in nomen Christi. Sic fecerunt etiam Apostoli. Vnde indubitatum relinquitur optimam esse formam baptisandi, quæ fit aqua in nomen patris, & filij, & spiritus sancti. Sic enim præcepit dominus Matth.28. Rogas qui factum sit quòd Lucas in Actis commemoret Petrum & Paulum baptizasse in nomen domini, & non exprimat eos baptizasse in nomen patris & filij & spiritus sancti? Respondeo sub nomine domini comprehendi trinitatis mysterium. Cum enim dominus dixerit, Ego & pater unum sumus, qui in dominum baptizatur, etiam in patrem baptizatur, ita & in spiritum sanctum, qui ab illis non diuiditur. Est enim amborum unus atq; idem spiritus. Vel certè in domini nomine baptizatos dixit Lucas ab Apostolis, quos apostoli baptizauerunt iuxta institutionem domini. Alij, Christus complementum est, inquiunt, & proprium obiectum baptismi: unde mirum non esse, quòd in nomen domini baptizarunt Apostoli, qui tamen iussi fuerant baptizare in nomen patris & filij & spiritus sancti. Omnia enim mysteria baptismi in unico nobis Dei filio proponi. Dicitur autē utrumq;, Baptizare in nomen domini, & Baptizare in nomine dñi. Priore forma loquendi usus legitur Matth. cap.28. & Lucas Acto.19. Vterque enim habet εἰς τὸ ὄνομα in nomen. Et ita

De ritu baptismi. Ioan.3.

interpretatur etiam Tertullianus contra Praxeam dicens, Iussit tingi in patrem & filium, &c. Posteriore forma ἐν τῷ ὀνόματι & ἐπὶ τῷ ὀνόματι, In nomine, utitur idem ille Lucas Acto. cap. 10. & 2. Porrò quid sit Baptizare in nomen uel in nomine domini, dixi proximè præcedenti sermone, nimirum inscribi in familiam Dei, ut baptizatus recipiat iam nomen Dei, dicaturq́ filius Dei, adeoq́ inscribatur quasi in catalogum filiorum Dei, ciuium regni cœlorum. Vnde & nomina nobis imponuntur uel dantur in baptismo, ut quoties nominari nos audimus, baptismi meminerimus & mysteriorum eius. Neq́ nouum & alienum est à scripturis quòd nomina dantur nobis in baptismo. Ita enim usurpatum est & in Circuncisione, quod uidere licet Lucæ 2.

Quid Baptizare in nomine domini.

Quæritur præterea, An nudis hisce uerbis, Baptizo te in nomen patris & filij & spiritus sancti, baptizare oporteat, an aliquid addere uel coniungere liceat? Respondendum censeo, seruum domini nihil addere institutioni domini sui, sed diligenter retinere quod ille tradidit, diligenter item obseruare quid inter baptizandum ipse dominus cum apostolis suis fecerit, ac illa sanctè imitari, ut in Ecclesia omnia decenter & secundum ordinem, ita ut Paulus iussit, fiant. Cæterum post traditam illam baptizandi formam sanctissimam, cernimus duo apud sanctum baptisma & in eius usu esse obseruata. Principiò enim disseruerunt apostoli & uiri apostolici significanter de promissionibus Dei, & fide in Christum. Id quod claret in Actis Apostolorum. Licet ergo in actione baptismi recitare diuinas promissiones, recitare symbolum, & requirere fidem, uel à baptizandis adultis, uel ab illis qui infantes afferunt ad baptismum. Deinde cum baptizaretur dominus in Iordane à Baptista, orabat. Id quod de eo tradit Lucas in historia euangelica. Licet ergo in usu baptismi orare & solenniter inuocare dominum. Ab initio moderatissimæ hæ & breues fuerunt, non in immensum extensæ preces: temporibus succedentibus nullus seruatus est modus, non modò in prolixis benedictionibus, sed & in uarijs ritibus, quos adiecit posteritas. De quibus aliquid ex ueteribus recitare non inutile prorsus fore uidetur.

1. Cor. 14.

Luca 3.

Tertullianus in libello de Corona militis, Aquam adituri, ibidem, inquit, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renunciare diabolo & pompæ & angelis eius. Dein ter mergitamur, non (quidam omittunt non) amplius aliquid respondentes, quàm dominus in euangelico determinauit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus: exq́ ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Audimus in his abnegationem, uel abrenunciationem, ternam mersionem, lactis & mellis degustationem, & abstentionem balneorum à baptismo per integram septimanam. Libro primo contra Mart. meminit & olei. Certè Lac conuenit infantibus, quibus etiam adulti baptizati assimilantur. Præterea in ueteri testamento frequentissima est mentio promissæ terræ lacte & melle fluentis. Ea iam prægustanda baptizatis offerebantur, ut intelligerent se duce Iesu & transmisso Iordane in terram promissionis per spem infallibilem esse repositos. S. Hierony. lacti uinum additum testatur, & ait, Comment. lib. 15. ad Isaiam, Dominus prouocat, ut non solum ematmus uinum, sed & lac: quod significat innocentiam paruulorum: qui mos ac typus in Occidentis ecclesijs hodie usq́ seruatur, ut renatis in Christo uinum & lac tribuatur. Hodie neutrum tribuitur infantibus, etiam ab illis qui ueterum rituum seueri uindices uideri uolunt. Interim credunt suam illam omissionem carere piaculo. Iam etiam colligere licet ex 6. lib. Augustini de Bapt. contra Donat. cap. 24. uarias & liberas fuisse circa baptismum usurpatas preces. Idem contra

Ceremoniæ olim baptismo adiecta.

contra Pelagium & Celest.lib.2.cap.40. In pueris baptizandis, ait, prius exorcizatur & exufflatur potestas contraria. Cui etiam uerbis eorum à quibus portantur sese renunciare respondent. Eiusdem ritus meminit & in lib.1. de Nupt. & concup. ad Valer.cap. 20. & lib. 2. cap. 18. In Ecclesiasticis dogmatibus dicitur illum ritum in uniuerso mundo sanctam obseruare ecclesiam. Rursus August. Epistola ad Bonifacium 23. dicit susceptores fidei iubere pro paruulis & confiteri fidem. Interrogamus, ait, eos à quibus offeruntur, & dicimus, Credit in Deum? (de illa ætate quæ utrum sit Deus, ignorat) respondent Credit: & ad cætera sic respondetur singula quæ geruntur. Idem lib. de Trinitate 15. cap.26. etiam olei meminit quo inungebantur baptizati. Sequutus deinde multa post tempora Augustinum Rabanus Maurus Moguntinus Episcopus, multô plures baptismi ceremonias cõmemorat. Nam lib. de Instit.cler.1.cap.27. In fronte & corde signantur, inquit, baptizandi cruce, ut diabolus hoc signum uidens, uas illud à se alienatum sciat. Datur puero item benedictum sal in os: ut sale sapientiæ conditus, fœtore careat iniquitatis, nec à uermibus peccatorum ultra putrescat. Tanguntur illius aures & nares saliua, addita saluatoris uoce Ephatha, ut uirtute summi sacerdotis Christi aperiantur aures eius ad percipiendam Dei notitiam, & ad audienda mandata Dei. Hinc benedicitur puero & inungitur pectus eius oleo sancto: ut nullæ in eo inimici latentes reliquiæ resideant. Post hæc in nomine sanctæ Trinitatis terna mersione baptizatur. Et cap.28. Baptizatus statim signatur in cerebro chrismate, sequente simul oratione, ut regni Christi particeps fiat, & à Christiano Christianus possit uocari. Et cap.29. Post baptismũ traditur Christiano uestis candida designans puritatem & innocentiam. Sed & hanc ob caussam albis uestibus induebantur baptizati, quò meminissent se iam manumissos, & è seruis ac mancipijs diaboli libertos factos Iesu Christi. Erat præterea candidus color quondam uictoriæ consecratus & triumpho. Vnde uideri poterat uestem candidam ideô baptizatis datam, ut cogitarent sibi perpetuò dum hîc uiuunt in terris esse pugnandum & uincendum in Christo. Nam militia est uita hominis super terram. Certè quòd donatiua baptizatis quoque dari cœpere à susceptoribus uel patrinis, & ipsum petitum uidetur à militia. Nam donatiuo seu authoramento (quod Heluetij nominamus *die ynbindeten*) admonetur baptizatus datæ fidei in baptismo, ut semper sit memor quem deseruerit imperatorem, & in quæ castra transierit, in quibus fidem datam nouo imperatori Christo seruet. Multa alia huius generis apud postremi seculi scriptores consignata uolens transeo, ne uidear abuti uestra beneuolentia. Quis autem non intelligat & alia huius generis innumera quotidie posse affingi baptismo? Tutissimum ergo fuerit primis insistere beatorum Apostolorum fundamentis. Si enim uetustas uidetur his posterius inuentis patrocinari ritibus, quis negare audeat authoritatem Apostolicam multis modis excellere? Nam Apostoli præcesserunt illos omnes, qui posterius adinuenerunt ac tradiderunt uarios illos in baptismo usurpandos ritus.

An aqua non consecrata baptizandum.

Venit & hoc in quæstionem. An aqua pura, an consecrata oporteat baptizare: & quare aqua iusserit Dominus baptizare? S. Cyprianus Epist. lib. 1. Epist.12. Oportet mundari & sanctificari, inquit, aquam prius à sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere. Cæterum plus apud me ualent scripturæ sanctæ exempla & testimonia, quàm S. Cypriani aut alterius hominis qualis qualis sit authoritas. Errauit aliàs quoque optimus hic uir Dei in negotio baptismi, ut scripta eius cum iudicio legere oporteat. Scriptura tradit nobis Ioannem Baptistam, & Apostolos discipulosque Christi fideles aqua non

consecrata baptizauisse. Quid enim clarius dici aut legi poterat, quàm quòd Ioannes in Iordane baptizauit? Adde quòd ipsum Christum in Iordane, & Apostolos quoque baptizauit. Vbi, aut quomodo consecrauerunt Apostoli aquã baptismi in Actis Apostolorum? Philippus Eunuchum aquam ex itinere ostendentem baptizat ex fonte puro ac limpido. Præterea subindicaui Sermone proximè præterito, quàm parum sit pura forma illa uulgaris qua consecratur fons baptismi. Si quis uerò sentiat aqua consecrata baptizari oportere: ac per consecratam intellexerit nec unctam, nec characteribus precaminibusque paratam uel sanctificatam, sed sacris delectam usibus, nihil cum eo contenderim. Aqua enim baptismi reuera est sancta, non propter uerba recitata, & additos characteres, sed ex instituente Deo, & propter usum sanctum, orationesque sanctorum. De qua re disserui cùm loquerer non ita pridem de sanctificatione uel consecratione sacramentorum.

Quare aqua baptizare iusserit Dominus. *1.Pet.3.* *1.Corinth.10.*

Aqua autem iussit suos baptizare propter caussas uarias. Præcesserunt enim typi baptismum in aqua, ut diluuium, ut mare rubrum, per quod transijt populus Israeliticus, ut ablutiones uariæ uei baptismata certa in lege tradita. Nec dissimulant illa Apostoli Christi. Petrus enim commemorat Noe seruatum esse aquæ diluuio, impios autem aquis præfocatos. Paulus asserit omnes patres nostros per Mosen baptizatos esse in nube & in mari. Mortificatio ergo & uiuificatio præfigurata est. Et primarium quidem noui testamenti symbolum est baptismus, testificans plenariam ad nos peccatorum remissionem delatam esse per Christũ. Hanc autem prænunciantes ac promittentes ex ore Domini sancti prophetæ, libenter summum hoc beneficium adumbrarũt per aquam: ideò oportuit baptismum dari in aqua. Hæc item seruiebat mysterio pulchrè repræsentando. Qua de re dixi proximo Sermone cùm differerem de Analogia. Hasce uerò ob caussas potissimum oportuit baptismum in hoc, & non in alio dari elemento.

Semel an ter mergendus infans.

Disceptatum est & de hoc, semel ne an ter mergendus aut aspergendus sit baptizandus? Equidem nihil de his præceperunt Apostoli curiosius. Proinde liberũ est uel aspergere uel immergere. Aspersio uidetur usurpata ueteribus. Honestas enim ac pudor uetabat nudare corpora. Sed & infantium conditio prohibet ferè immersionem, cùm & aspersio tantùm efficiat quantum immersio. Stat autem in arbitrio dantis baptismum, ut pro consuetudine ecclesiæ, cuius minister est, semel uel ter aspergat. Tertullianus aduersus Praxeam, Dominus mandauit, inquit, ut tingerent in patrem, & filium, & spiritum sanctum. Non in unum: nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingimur. Gregorius uerò Leandro respondens Episcopo, In una fide, inquit, nihil officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramẽta significamus. Rursus patres Synodi Toletanæ IIII. approbarunt simplam baptismi mersionem: & addunt mox caussam hanc, Et ne cuiquam sit dubium huius simpli mysterium sacramenti, uideat in eo mortem & resurrectionẽ. Nam in aquas mersio, quasi ad infernum descensio est, & rursus ab aquis emersio, resurrectio est. Item uideat in eo unitatẽ diuinitatis & trinitatem personarum ostendi. Vnitatem, dum semel mergimus: trinitatem, dum in nomine patris, & filij, & spiritus sancti baptizamus. Hæc non proferimus quòd humanis testimonijs innitamur, sed ut humano quoque testimonio ostendamus liberum esse sequi, quod maxime ædificationi ecclesiarum seruit.

De loco baptismi.

De loco item baptismi affertur quæstio, An non liceat alicubi quàm in templo baptizare? Dicimus templum ministerijs & cultui Dei consecratum esse, ideoque ipsum decorum flagitare, ut baptizemus publicè in templo. Si autem

necessitas

necessitas hoc non permiserit, nulli loco alligatus est Christi baptismus. Nam audiuimus Philippum baptizasse ex fonte in patenti campo. Cauendum tamen ne necessitatem prætexamus prauis affectibus. Munda autem sint omnia in templo ad baptismum pertinentia: absit omnis luxus, absint sordes & impuritas, omnia decenter, ut inquit Apostolus, & secundum ordinem fiant.

De Tempore nulla præscribitur à Domino lex, iudicio piorum id relinquitur liberum. Qui crediderunt prædicationi S. Petri Hierosolymis in die Pentecostes, Eunuchus item quem Philippus tinxit, Cornelius quoque Centurio, Paulus denique Apostolus Damasci, sed & Lydia purpuraria mulier religiosa, custos item carceris Philippici & alij uiri ac mulieres fideles, simul atque gustarunt dona Christi & crediderunt uerbo eius, protinus baptizari desiderarunt: non distulerũt in ullum tempus proximum. Vnde rectissimè faciunt, qui neque in semetipsis, neque in suis baptismum suscipere cunctantur. Male cessit Mosi dilatio circuncisionis in liberis suis. Vt ergo tempus baptismi libenter concedimus esse liberum, ita nostrũ fuerit cauere ne abutamur nostra libertate: memores semper diuinæ sententiæ, Anima cuius caro præputij non fuerit circuncisa, delebitur de populo suo: quia pactum meum irritum fecit. At non ignoramus in locũ circuncisionis subijsse baptismum. Itaque non est libera baptismi omissio. Cypriani seculo fuerunt qui contenderent baptismum ad similitudinem circuncisionis octaua demum die recipi oportere. At Cyprianus & qui cum ipso fuerunt in Synodo Episcopi & presbyteri LXVI. diuersum statuerunt, nempe ut quisque nulla interiecta mora baptismum accipiat, ac in suis ꝓcuret maturè. Locus extat Epist. lib. 3. Epist. 8. Porrò Socrates historicus lib. 5. cap. 22. Noui & aliam, ait, Thessaliæ consuetudinẽ, qua solis paschatis diebus baptizant. Vnde fit, ut præter admodum paucos non baptizati moriantur. Post tempora uerò aliquot lata est lex de non baptizandis fidelibus, nisi in festiuitatibus Paschæ & Pentecostes. Exceperunt tempus necessitatis. Id legere licet in Decretis Syricij Pont. apud Isidorum: item in Epistolis Leonis Papæ ad Episcopos Campaniæ & Siciliæ, quæ ordine numerantur 57. & 62. Quæ autẽ istos huc permouerunt, huiusmodi sunt ut facilè dilui possint. Certè ab initio tempus baptismi non fuit ita circumscriptum. Reparata est tamen illa lex de baptizandis fidelibus in festo Paschæ & Pentecostes, à Pipino, Carolo, Lodeuico & Lothario Francorum regibus, ac latè propagata, cùm latè imperitarent. Plurima canuntur in sacris Papistarum tempore Paschæ & Pentecostes, quæ non intelliguntur nisi per hanc legem & consuetudinem. Tandem exoleuit illa, ac baptizati sunt fideles prima quaque occasione & commoditate.

Tempus baptismi. *Genes. 17.*

Sed & hoc controuersum est, quis baptizare debeat, & quid efficiat Baptista. De posteriore priore loco dicam. Baptista confert uisibiliter sacramentũ regenerationis, & testimonium remissionis peccatorum, Dominus autẽ per spiritum suum inuisibiliter regenerat, peccataque remittit, & regenerationem obsignat. Ioannes & Apostoli aqua baptizant, Christus baptizat spiritu sancto: non tantùm uisibili signo ignis & linguarum dono, sed idem ille confert solus omnia spiritualia dona. Id ut disertè exprimerent ueteres, diligenter secreuerunt inter potestatem & ministerium. Nam August. Tract. in Ioan. 5. Aliud est baptizare, ait, per ministerium: aliud baptizare per potestatem. Potuisset Dominus noster Iesus Christus si uoluisset dare potestatẽ alicui seruo ut daret baptismũ suum tanquam uice sua, & transferret à se baptizandi potestatem, & constitueret in aliquo seruo suo, & tantam uim daret baptismo translato in seruum, quantam uim haberet baptismus datus à Domino. Hoc noluit ideò, ut in illo spes esset baptizatorum, à quo se bapti-

Quid efficiat Baptista.

zatos agnoscerent. Noluit ergo seruum spem ponere in seruo. Ideoque clamabat Apostolus cùm uideret homines uolentes ponere spem in seipso, Nunquid Paulus pro uobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Baptizauit ergo Paulus tanquam minister, non tanquam ipsa potestas: baptizauit autem Dominus tanquam potestas. Et iterum, Ioannes Baptista à columba didicit, Super quem uideris spiritum descendentem, sicut columbam, & manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. Non ergo te decipiant ô columba seductores qui dicunt, Nos baptizamus. Columba agnosce quod columba docuit, Hic est qui baptizat spiritu sancto. Per columbam discitur, quia hic est: & tu eius potestate putas te baptizari cuius ministerio baptizaris? Si tu hoc putas, nondum es in corpore columbæ: & si non es in corpore columbæ, non mirandum, quia simplicitatem non habes. Simplicitas enim maximè per columbam demonstratur. Per simplicitatem columbæ didicit Ioannes, Quia hic est qui baptizat spiritu sancto. Hæc ille.

Ioan. 1.

Vera simplicitas.

Qui debeāt baptizare.

Porrò baptizare debet legitimè constitutus ecclesiæ minister. Donatistæ contenderunt neminem nisi purum & sanctum baptizare posse: inutilem & inefficacem prædicabant esse illum baptismum quem administrasset minister malus, uel sceleribus inquinatus. Contra istos grauiter disputauit Augustinus, & scripturarum ueritate oppressit. Is Epist. 166. Videte, inquit, quàm peruersè & impiè dicatur quod dicere soletis. Quia si bonus sit homo, ipse sanctificat eum quem baptizat: si autem malus sit & nesciat ille qui baptizatur, tunc Deus sanctificat. Hoc si uerum est, optare ergo debent homines ut à malis ignoratis baptizentur potius, quàm à notis bonis, ut magis à Deo quàm ab homine possint sanctificari. Sed absit à nobis ista dementia.] Quare ergo non uerum dicimus & rectè sapimus, quia semper est Dei illa gratia & Dei sacramentum, hominis autem solum ministerium: qui si bonus est, adhæret Deo & operatur cum Deo: si autem malus est, operatur per illum Deus uisibilem sacramenti formam, ipse autem donat inuisibilem gratiam. Hoc sapiamus omnes & non sint in nobis schismata. Idem contra literas Petiliani lib. 3. cap. 49. eandem rem luculenter proponit. Quoniam uerò nos quoque eandem rem tractauimus in fine superioris & proximè præcedentis Sermonis, non est quod idem bis dicamus.

An obstetrices baptizare possint.

Obijcitur hîc nobis quæstio de Baptismo obstetricum, An obstetrices fœminæ in articulo necessitatis, id est, cùm periculum est ne infans moribundus in manus ministri ecclesiastici peruenire possit, baptizare debeant & possint? Respondemus baptismum esse ecclesiæ sacramentum: à ministerio autem ecclesiæ arceri mulieres, has ergo non posse nec debere baptizare, quemadmodum & docere nullo modo permittuntur. Notæ sunt leges Apostolicæ. Mulieri, inquit Paulus, docere non permitto, neque authoritatem usurpare in uiros, sed esse in silentio. Eadem lex repetitur ab eodē Apostolo 1. Corinth. 14. & confirmatur lege diuina. Diuinis congruunt humana. Tertullianus enim de Virginibus uelandis, Non permittitur mulieri, inquit, in ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius uirilis muneris, nedum sacerdotalis officij sortem sibi uendicare. Hoc ipsum repetitum legitur in Concilio Carthaginen. III. cui interfuisse dicitur etiam Aurelius Augustinus. Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus contra uarias hæreses disputans, & Martionem confutans, Dat etiam, inquit, permissionem mulieribus ut baptismum dent. Idem dicit de Quintilianis & Peputianis. Contra Collyridianos disserens, Si mulieribus, inquit, præceptum esset sacrificicare Deo, aut regulare quicquam operari in ecclesia, oportebat magis ipsam Mariam

1. Timoth. 2.

riam sacrificium perficere in nouo testamento, quæ digna facta est in proprijs sinibus suscipere uniuersorū regem Deum cœlestem Dei filium, cuius uterus templum factum est ac domicilium, ad Domini in carne dispensationem, per Dei benignitatem & admirandum mysterium præparatus est. At non complacuit. Sed neq; baptisma dare concreditum est. Alioqui potuisset filius ab ipsa potius, quàm à Ioanne baptizari. Addit idem, Et ministrarum quidem diaconissarum appellatarum ordo est in ecclesia: Sed non ad sacrificandum, neque ut quicquam aggredi permittantur: uerùm reuerentiæ gratia muliebris generis, aut propter horam balnei, aut uisitationis, affectionis, aut laboris. Quod Sephoræ uxoris Mosis Madianiticæ filium circuncidentis in tempore necessitatis obijcitur exemplum: id quidem nullam legem communem constituit, perinde ut singulare Delboræ exemplum, non efficit omnes mulieres iudices. Sunt enim singularia multa in scripturis facta, ex quibus si quis colligere pergat generalia & leges communes, infinita inducet absurda. Quid quod Moses eo loco indignabundæ uxoris, & non religiosæ, ministerium Deo præstare uolentis facinus describit? Impotenter enim marito adeoq; & Deo obstrepens, præputium filij resectum ad pedes patris atque mariti abijciens, non sine conuitio ait, Sponsus sanguinum tu mihi es. Quasi dicas, Ich hab wol ein blůtig mann an dir. Et quamuis desierit Mosi imminere angelus, quod muliebre facinus uelut Deo bene placens opus approbare uidetur, misericordiæ tamen diuinæ id magis quàm humanæ iustitiæ imputandum est. Valde displicuit Deo quòd Dauid Vriam occidisset, & Bersabeam sibi insuper uxorem duxisset, attamen ex bonitate & singulari clementia Solomonem natum ex Bersabea appellare dignatur Iedidia, eò quòd Dominus diligeret eum. Ita bonus Dominus & Mosi, siue propria negligentia, siue culpa Madianiticæ uxoris, circuncisionē in corpore filij contra legem plus æquo differenti, reconciliatur, & circuncisionem indignatione magis quàm religione à fœmina perfectam recipit ac boni consulit: interim non uult ut ad hanc, tanquam ad perfectum exemplar, aliorum hominum circuncisiones fiant.

Sephora circuncidit.

Iudicum 4.

2. Sam. 12.

Cæterum baptismo, ais, à muliere administrato, præueniendum erat periculum mortis seu condemnationis æternæ, in quod incurrit infans, sine baptismo ex hoc seculo decedens. Respondeo, cùm infantulus iamiam ex utero materno effusus præpropera morte excedit, ut non liceat parentibus, quantumuis desiderantibus, illum ministro ecclesiæ baptizandum offerre, certè articulus hic necessitatis huic non cedit ad mortem, quippe qui gratia Dei receptus in fœdus, propter sanguinem filij Dei, à morte liberatur. Non destituimur iustis scripturæ testimonijs. In lege phas non erat ante octauam diem circuncidere infantulum. At certum est plurimos ante octauam migrasse ex hoc seculo: interim uerò si quis puellus triduo aut quatriduo à natali excessisset, nulla ei imputabatur condemnatio. Alioqui enim Dauid uir, in religione integerrimus, & liberorum amantissimus, salutisq; suæ familiæ cupidissimus, mortuo infantulo suo ex Bersabea genito, non potuisset se adeò hilarem exhibere aulicis suis, quibus inter alia prædicabat se abiturum ad puerum mortuum, nimirū in regionem uiuentium. Quòd si fœmellis non erat fraudi incircuncisis mori: nam incircuncisæ saluabantur: certè nec masculis damnabile erit non baptizatis, in articulo necessitatis, decedere. Sæpe enim diximus in locum circuncisionis subijsse sanctum baptisma. Huc per tinent illa ex lege atque prophetis testimonia. In lege enim non semel protestatus est se infantium habere rationem certissimam. Apud Ionam disertè profitetur se habere rationem eorum qui nondum ad annos discretionis peruenerunt. Pro-

De salute infantium excedentium sine baptismo.

pter hos enim ex parte Niniue urbi famosissimæ pepercit Dominus.

Ais hæc ueteris testamenti testimonia nihil pertinere ad nos, qui uiuimus sub nouo testamento. Respondeo, Deum nobis post aduentum Christi in carnem, nõ seueriorem esse factum, quàm fuit ante Christi aduentum. Alioqui enim quid dicemus aliud quàm Christum uenisse non ad implendas, sed abolendas aut infirmandas Dei promissiones? quando apud ueteres quondam gratia & promissio sine signo in necessitate efficaces erãt, nunc autẽ apud nos sine signo irritæ & inefficaces esse cœperunt. Diuinæ ergo confisus misericordiæ ac ueraci & indubitatæ promissioni, credo paruulos præpropera morte priusquam baptizari possint decedentes, mera Dei gratia, in uirtute ueritatis aut promissionis diuinæ saluari per Christum dicentem in Euangelio, Sinite paruulos uenire ad me: horum enim est regnum Dei. Item, Non est uoluntas patris mei, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. Dixit enim qui mentiri nescit Deus, Ego sum Deus tuus & seminis tui post te. Vnde & S. Paulus eos nasci sanctos, qui ex fidelibus nascuntur, asserit: nõ quòd ex carne & sanguine sanctũ quid nascatur: Quod enim ex carne est, caro est: sed quòd sanctitas illa & segregatio à cõmuni hominum semine, ex promissione & iure fœderis sit. Omnes quidem nascimur filij iræ & mortis natura & propagatione naturali: sed speciale priuilegium tribuit Paulus fidelium liberis, quo gratia Dei purificantur qui natura fuerant immundi. Ita idem alibi ex radice sancta sanctos colligit ramos. Idẽ alibi, Si unius delicto, inquit, multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donũ per gratiam quæ fuit unius hominis Iesu Christi, in multos exuberauit. Ideoq́ non dubitauit Augustinus pronũciare, Sicut omnes qui moriuntur non nisi in Adamo moriuntur, ita omnes qui uiuificantur non nisi in Christo uiuificantur. Ac per hoc quisquis nobis dixerit quenquam in resurrectione mortuorum uiuificari posse nisi in Christo, tanquam pestis communis fidei detestandus est. Ad Hierony. Epist. 28.

Marc. 10. Matth. 18. Gene. 17. 1. Cor. 7. Rom. 11. Rom. 5.

Obijciunt, Hac ratione euacuatur & è medio tollitur usus Baptismi: reuixit autem Pelagianismus, quem tanto cum labore S. Aurelius Augustinus cum multis alijs uiris doctis & sanctis oppressit: falsum pronunciauit, qui dixit, Anima cuius caro præputij nõ fuerit circuncisa, delebitur de populo suo, quia pactum meum irritum fecit: falsum pronunciauit, qui dixit, Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum Dei. Si autem uera ista sunt & pueri non baptizantur, certè consequens est eos sine baptismo decedentes non seruari. Respondeo, me nullo modo sanctum baptisma extenuare, multò minus tollere è medio, cùm contendo necessitate interueniente, nec ullo accedente aut contemptu aut neglectu prauo, infantes sine baptismo decedentes non damnari. Sic enim alligaretur salus signo, & euacuaretur Dei promissio, quasi sola sine signo, in articulo necessitatis, inanis nihil efficeret, manusq́ Dei abbreuiata, & ueluti signo uincta esset. Alioqui enim modis omnibus doceo infantes esse baptizandos, nec neglectim aut malitiosè differendum baptisma: interim uerò si præpropera morte expirent non baptizati, bene sperare iubeo de ueritate & misericordia Domini in lege & in Euangelio promittentis se Deum esse infantium, nolleq́ ut quisquam paruulorum pereat.

Gene. 17. Ioan. 3.

Pelagiani negant pædobaptismum, & quare?

Cum Pelagio & Pelagianis nihil nobis est commertij: nec ignoramus quid de hac caussa scripserit S. August. ad Hierony. Epistola 28. Quisquis dixerit, inquit, quòd in Christo uiuificantur etiam paruuli qui sine sacramenti eius participatione de uita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationẽ uenit, & totam condemnat ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis paruulis festinatur & curritur,

ritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo uiuificari omnino non posse. Et contra Pelagianos Epist. 106. Apostolica sedes contra Pelagium agens, anathematizauit eos qui dicerent infantes non baptisatos habere uitam æternam. Idem de Anima & eius origine lib. 1. cap. 9. ad Renatum, disputat contra Vincentium Victorem concedentem quidem paruulos originali peccato esse obstrictos, sed nihilo minus tamen saluari si non baptizentur. Contra hunc producit hoc saluatoris, Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum Dei. Nos uerò qui & ipsi Pelagium & Pelagianos condemnamus, utrunque quod isti negabant asserimus, nempe nasci infantes in originali peccato, & ideo sanctificationem Christi eis esse necessariam, sine qua non saluantur. Rursus baptizandos, si possibile sit, eosdem illos contendimus, tametsi iure fœderis ad corpus Christi pertineant, & sanguine Christi sanctificati sint. Pelagius non baptizandos esse paruulos docebat, quòd noxa, culpa uel peccato omni carere existimaret: ergo non agnoscebat impius uel corruptionem nostram, uel beneficium, quod Deus præstitit per Christum. Neutrum uerò in nostra assertione & doctrina inuenias, proinde nihil nobis commercij cum Pelagianis. S. Augustinus disertè in eadem illa ad S. Hieronymum epistola dicit, Non es ex illis qui dicunt nullum reatū esse ex Adam tractum, qui per baptismum in infante soluatur. Et contra Iulianum lib. 1, cap. 2. patrum quoque sanctorum sententijs astruit originale peccatum, deinde colligit, ideo baptisandos esse paruulos, quia peccatum habent. Nam Pelagiani ex contrario colligebant, Peccatum non habent, ergo non sunt baptisandi. Concilium enim Carthaginen. ad Innocent. sic scribit, Pelagiani paruulos negant baptisandos. Quia isti, inquiunt, non perierunt, nec est quod in eis saluetur: quia nihil est in eis uitiatum, &c. Nos uerò quia credimus paruulos in peccato nasci, adeoque & filios iræ nasci & uitiatos esse, præterea quia credimus filium Dei purè ex illibata uirgine natum ad implendas cōfirmandasque Dei promissiones, quæ infantes ex salute non excludunt, sed in fœdere includunt, ideo eos baptisandos esse contendimus. Idcirco & collectionem hanc Augustini, Extra Christi consortium ad uitam nemo peruenit: baptismo autem incorporamur Christo: ergo infantes non baptisati, sunt extra consortium Christi, ac condemnati, simpliciter probare non possumus. Sicut enim non negamus nos inseri corpori Christi per sacramentorum participationem, sicuti declarauimus proximè præcedenti Sermone de Sacramentis: ita ostendimus alibi, & iam sæpe luculentissimè, nō à sacramentis primum fieri initium nostræ cum Christo unionis, sed eam ipsam quæ in promissione fundata est, & gratia Dei per spiritū sanctum nobis & nostris etiam ante sacramentorum usum cōmunicata, per sacramentorū perceptionē cōtinuari & obsignari. Tametsi ergo infans sine baptismo discedat, nec uisibili fœderis signo, necessitate exclusus participet aut obsignetur, tamen in uniuersum non est alienus à Christo, cui adhæret spirituali fœderis nexu, cuius uirtute saluatur. *De Peccat. meritis & remiss. lib. 3. cap. 4.*

Locus Gen. 17. productus de excindendis è populo Dei incircuncisis, pro ratione temporis, adultis nō infantibus cōpetit. Id quod in Mose cernitur, quem ob neglectam aut diutius iusto dilatam circuncisionē inuadit angelus domini, sicut ipse de seipso testatur. Nec ignoro ueteres aliquot interpretes id non ad Mosen, sed ad Eleazarum Mosis filiolū, referre. Verùm ipse historiæ contextus, ipsæ circumstantiæ, satis euincunt periculū in patrē non in filium incubuisse. Quid quod in uerbis legis ratio subijcitur, quæ infantibus nullo modo congruit? Ideo peribit incircuncisus, ait, quia pactum meum irritum fecit. Quòd si consideremus circuncisionem eo ipso loco non tantùm infantibus, sed adultis, ut Abrahæ Is- *Expositio loci, Anima incircūcisa excindetur.*

maeli aliisque iam consortio Dei uisibiliter coniungi cupientibus præceptam esse, non mirabimur interitum inobsequenti esse interminatum. Nam si quis hodie intelligat domini institutionem his eius comprehensam uerbis, Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit, nihilo minus baptizari nolit, sed iactitet sibi fidem sufficere ad salutem, baptismum esse superuacuum, ordinationem Dei contempsit, & pro rebelle & hoste non amico Dei condemnatur.

Expositio loci, Nisi quis natus fuerit ex aqua, &c.

Porrò locus Ioan. 3. non est intelligendus de externo sancti baptismi symbolo, sed simpliciter de regeneratione sancti spiritus interna & maximè spirituali, quam cum Nicodemus non liquidè intelligeret, parabolis aquæ & spiritus, id est, uenti uel aeris, per elementa inquam, maximè tenuia, suffigurauit illustrauitque. Mox enim subiicit, Quod natum est ex carne, caro est, &c. Item, Spiritus ubi uult spirat, &c. Id quod de aëre exponi necesse est. Sequitur enim altera pars collationis, Sic omnis qui natus est ex spiritu. Præterea subdit, Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia credetis? Cæterum argumentum quod proposuit planè non fuit terrenum. Hoc enim est totius disputationis argumentum, Nisi quis natus fuerit è supernis, non potest uidere regnum Dei: id est, nisi quis per spiritum Dei, qui è supernis datur, id est, diuinitus infunditur, fuerit innouatus, & ueluti regenitus, non potest saluus fieri. Hæc doctrina planè cœlestis est: Sed modus quo hanc doctrinam cœlestem tradidit, illustrauit, ac proposuit: terrenus est. Rebus enim è terra sumptis, crasso homini terrenoque rem spiritualem & cœlestem adumbrauit, & ueluti oculis conspiciendam proposuit. Sicuti aqua & aëre non rarò corporum qualitates mutantur, & mirus est effectus in corporibus aëris & aquæ: ita etiam spiritus sancti in anima hominis, quam immutat, purgat, uiuificat, &c. Sic enim ipse dominus postea (quod & modò dixi) parabolam spiritus alteram illustrat. Quoniam uerò ueteres plerique omnes per aquam intellexerunt symbolicam, id est sanctum baptisma, recipimus & hanc interpretationem. Libenter enim concedimus baptismum tam in adultis, quàm in infantibus ad salutem esse necessarium, modò non interueniat necessitas. Alioqui enim si pergamus cum S. Augustino præfractè condemnare per hunc locum infantes, cogemur profectò etiam baptisatos, sed sine communione corporis & sanguinis Christi decedentes, condemnare. Pari enim errore circumuentus S. Augustinus, contendit & infantibus ingerendum esse sacramentum eucharistiæ, alioqui de uita periclitaturis: eo quòd scriptum sit, Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sangninem, non habebitis uitam in uobis. Eodem ergo ordine collocat has duas sententias, Nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest uidere regnum Dei: &, Nisi manducaueritis carnem filii hominis, &c. Si ergo Augustinianæ sententiæ mordicus inhærere libeat, damnabis certè totam Ecclesiam hodie, quæ infantibus eucharistiam negat. At si hac in re admissa est commoda interpretatio, cur in altero, & simili loco, & caussa non dispari, tam rigidi & pertinaces estis?

De pecca. meritis & remiss. lib. 1. cap. 20. Ioan. 6.

Quid quod in hoc dogmate ne sibiipsi quidem per omnia satisfacit Augustinus? Putat ueniale peccatum esse laico, si in tempore necessitatis baptizet. Nescit an quisquam piè dixerit laici baptismũ esse repetendum. Quanto uerò satius & tutius fuerat, præterita baptisandi necessitate, quæ nullas legitimas caussas habet, sentire infantulos, si à morte non præoccupati fuerint, à ministro Ecclesiæ in Ecclesia procurantibus parentibus prima quaque opportunitate baptisandos esse: præproperam mortem autẽ (quam nos necessitatis articulũ appellamus) non esse fraudi aut salutis impedimentum ad baptismum nondum delatis. Idem de pœna

na paruulorum damnatorum propter baptismum non susceptum, definire trepidat, nec quid certò dicat, habet. De Anima & eius origine lib. 1. capite 9. Non baptisatis paruulis, inquit, nemo promittat inter damnationem regnumque coelorum quietis uel felicitatis cuiuslibet atque ubilibet quasi medium locum. At ea sententia hodie est recepta ferè ab omnibus: unde & medio quodam loco inter prophanum & sacrum sepeliuntur in coemiterio innocentum. Rursus autem idem ille August. contra Iulianum Pelagianum lib. 5. capite 8. scribit infantulos illos in damnatione omnium leuissima futuros. Ac mox subiungit, Quae, qualis & quanta erit, quamuis definire non possim, non tamen audeo dicere, quòd eis ut nulli essent, quàm ut ibi essent potius expediret. Et iterum in epistola ad S. Hieronymum 28. Cum ad poenas uentum est paruulorum, inquit, magnis mihi crede coartor angustijs, nec quid respondeam prorsus inuenio. Hic accedit, quod lib. cont. Donatistas 4. cap. 22. & 23. de latrone cum Christo crucifixo disputans, inter alia dicit, tunc impleri baptismum inuisibiliter, cum non contemptus religionis, sed articulus necessitatis, à uisibili baptismo excludit. Cur ergo non credamus & in infantibus praepropera morte decedentibus baptismum inuisibiliter perfici, quando non contemptus religionis, sed articulus necessitatis eos à uisibili baptismo excludit? Et cum plerique hodie concedant, quemuis adultae aetatis hominem citra baptismum in articulo necessitatis saluum fieri posse, modò adsit baptismi desiderium: cur ergo infantes iam recens natos pia parentum uota à reatu non eximerent? Sed haec hactenus.

De eo quoque & olim & nostra aetate rixatum est acriter, qui nam baptisandi sint. Negauit olim Pelagius paruulos esse baptisandos. Id quod modò audiuimus. Negauit eos baptisandos esse ante Pelagium Auxentius Arianus cum suis. Negarunt quidam tempore beati Bernardi, ut ex eius scriptis colligere licet. Negant hodie Anabaptistae, genus hominum in perniciem euangelij à satana excitatum. At ueritas catholica in scripturis sanctis nobis tradita simpliciter pronunciat, omnes eos esse baptisandos quos Deus agnoscit pro suo populo, participesque purgationis uel sanctificationis remissionisue peccatorum iudicat. Nam tota hac tractatione de Sacramentis ostendi & demonstro, baptismum esse signum populi Dei & symbolum purgationis nostrae per Christum. Ergo cum infantes fidelium sint in numero uel censu populi Dei participesque promissionis de purificatione per Christum: necessariò sequitur eos esse perinde baptizandos sicut adultos fidem profitentes. *Qui nam baptisandi sint*

Instituitur quidem disputatio acuta de eo qui nam sint populus Dei & participes remissionis peccatorum per Christum. Disseritur ergo de arcana illa Dei electione, & de alijs huic rei coniunctis difficillimis quaestionibus. Verùm breuius & simplicius hic nos expedire possumus. Dicimus populum Dei agnosci, uel ex confessione fidei hominum, uel ex liberali promissione Dei. Ex cõfessione quidem hominum. Nam eos pro filijs Dei agnoscimus, qui iam adulti palàm confitentur Deum uerum, Deum esse suum, & Iesum Christum salvatorẽ esse suum. Caeterum ea confessio uel uerè, uel fictè fit. Verè, ut cum S. Petrus ait, Tu es Christus filius Dei uiui: cum Eunuchus dicit, Credo filiũ Dei esse Iesum Christũ: Fictè uerò, ut cum Simon Magus in Actis apostolorum dicit se credere in Iesum Christum. Siue uerò uerè, siue fictè quis credat, quando fidem in Christum palàm confitetur (animi penetralia solus inspicit Deus: hic enim solus rectè creditur cordium esse scrutator) nostrum non est rectè confitentem separare uel abijcere à populo Dei. Nam Philippus Simonem magum non repulit, sed *De eo qui nam sint populus dei*

pro fideli confitentem recepit & pro fideli baptizauit: licet is reuera & coram Deo esset hypocrita. Sermone huius Decad. 1. ostendimus in Ecclesia hypocritas quoque numerari donec reuelantur. Quod autem ad remissionem peccatorum attinet, soli inter adultos illi eam obtinent, qui uerè credunt. Id quod aliàs sæpe ostensum est. S. Petrus Simoni licet baptizato, dicit, Non est tibi pars, neque sors in ratione hac. Cor enim tuum non est rectum coram Deo.

Acto. 8.

Porrò ex promissione Dei gratuita & liberali, non tantùm ex confessione hominum æstimamus uel agnoscimus Dei populum. Nam quibuscunque promittit Deus se ipsorum fore Deum, & quoscunque recipit ipse & agnoscit pro suis, eos nemo hominum citra grande scelus numero excluserit fidelium. Promittit autem Deus se non tantùm confitentium, sed & infantium fore Deum: promittit his gratiam suam & remissionem peccatorum: Quis ergo domino uniuersorum contradicens, porrò negauerit infantes Dei esse, ac purgationis per Christum fieri participes? Quòd autem Deus infantes pro suis agnoscat, & eosdem sanctificet, uel ex fœderis summa claret. Statuam pactum meum inter me & te, ait ad Abrahamum dominus, & inter semen tuum post te, in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus & seminis tui post te. Addita est Circuncisio symbolum sanctificationis. De quo abunde satis dixi cum ex ordine dissererem de Circuncisione. Nec est quod quis metuat cum circuncisione legalibusque abrogatam esse promissionem, & per Christi aduentum fœdus esse dissipatum. Modò enim diximus Christum uenisse adimplendis Dei promissionibus, non dissoluendis. In Euangelio ergo de infantibus, id est, nondum confitentibus fidem pronunciauit & dixit, Sinite paruulos uenire ad me, nec prohibueritis eos. Talium enim est regnum Dei. Et quamuis Talium, non Illorum dicatur, nemo tamen usque adeo rudis est, ut non intelligat inter ea quæ inter se conferuntur esse similitudinem. Proinde si adultorum est regnum Dei, eo quòd similes efficiuntur paruulis, certè consequitur necessariò regni cœlorum hæreditatem & infantium uel puellorum esse. Sequitur enim in Euangelio, Quicunque non acceperit regnum Dei tanquam puellus, haudquaquam ingredietur in illud. Idcirco oportet prius esse regni Dei hæredes infantes uel paruulos. Quis autem nesciat, neminem nisi sanctificatum purgatúmue ingredi in regnum cœlorum? Pueri ingrediuntur regnum Dei: ergo purgati sunt, nimirum gratia Dei: natura enim & origine sua immundi & peccatores, sed propter Christum purgati sunt: qui dixit se uenisse quæsitum seruatumque quod perierat. Paulus quoque disertè testatur per unius Adami delictum, malum propagatum esse in omnes homines ad condemnationem: ergo & per unius Christi iustificationẽ propagari bonũ in omnes homines ad iustificationem uitæ. Certum est itaque infantulos purificationis uel remissionis peccatorum per Christum esse participes, licet nõ confiteantur remissionem peccatorum. Quid quod in euangelio rursus ait dominus? Non est uoluntas coram patre uestro, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. Item, Qui receperit unum puellum talem, in nomine meo, me recipit. Qui autem offenderit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria, &c. Videte ergo ne contemnatis unum ex pusillis istis. Dico enim uobis, quòd angeli eorum in cœlis semper uident faciem patris mei qui in cœlis est. En quid dici poterat clarius? Non est uoluntas patris cœlestis ut intereant infantuli. Recepit ergo eos in gratiam gratuitò, licet nondum confiteantur. Deinde, Qui talem, qualem nimirum ipse produxerat in mediũ, recipit puellum, propter Christum, is ipsum dicitur recipere Christum. En tribuit infantium

Gene. 17.

recep-

receptoribus quod prophetarum. Addit, Qui autem offenderit unum de pusillis istis, qui in me credũt. Manifestè paruulos nondum confiteri potentes, credentes uocat, eo quòd ex gratia eos pro credentibus reputet. Nec mirum aut nouum hoc est, cum Deus ipsis etiam adultis fidem imputet pro iustitia. Vtrobiq; iustitia, acceptatio, aut sanctificatio, est gratuita & imputatiua, ut laudetur gloria gratiæ suæ. Præterea nõ uult contemni, multo minus reijci è numero sanctorum paruulos. Quinimo angelos his additos asseuerat custodes, qui tametsi sint diuinæ maiestatis ministri, eosdem tamẽ illos suos stipatores paruulis esse datos, siue concessos: ut uel inde æstimemus quanti faciat dominus infantulos, & ut discamus illos non expungere ex albo populi Dei, cui debetur uitæ hæreditas. Nihil hic tribuimus carnali natiuitati, sed omnia diuinæ gratiæ & promissioni. Claret iam ex his omnibus, & infantes fidelium, & adultos fidẽ confitẽtes esse baptizandos.

Infantes confitentes uel credentes.

Ex aduerso autem Anabaptistæ contendunt, neminem esse baptizandum, nisi eum solum qui & doceri & credere, adde & fidem profiteri possit. Atq; in huius rei confirmationem adducunt illas saluatoris sententias. Ex Matth. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, &c. Ex Marco, Ite in orbem uniuersum & prædicate euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, &c. En doctrina præcedit, inquiunt, baptismum. Ergo qui doceri non possunt, baptizari non debent. Præterea præit credere, subiungitur baptizare. Infantes non credunt: ergo baptizandi non sunt. Ad hæc omnia, coaceruant ex Actis apostolorum exempla quæ probant fideles, hoc est, fidem confitentes, esse baptizatos ab Apostolis. Commemorant & Catechumenos ueterum: quibus nullus sane fuisset locus datus, inquiunt, si baptizassent infantes. Respondeo, Si uerborum ordo aliquid facit in hac caussa, habemus & nos quod pro caussa nostra faciat. Nam in Marco sic legimus, Baptizabat Ioannes in deserto, prædicans baptismum pœnitentiæ. Quo loco cernimus baptizare præcedere, subsequi prædicare. Sed & illum ipsum locum quem illi pro se adducunt ex Matthæo demonstrabimus facere pro nobis. Mattheus enim sic habet, Data est mihi omnis potestas, ait dominus, in cœlo & in terra: euntes ergo μαθητεύσατε, id est, discipulate (ut sic dicam) id est, discipulos mihi facite uel colligite omnes gentes. Sed & modum indicat, quomodo colligant ei ex omnibus gentibus, uel omnes gentes, discipulos, Baptizantes eos atq; docentes. Baptizando & docendo comparabitis mihi Ecclesiam. Ac utrumq; pulchrè & breuiter sigillatim illustrat, dicens, Baptizantes eos in nomen patris, & filij, & spiritus sancti. Docentes eos seruare omnia quæcunq; præcepi uobis. Iam ergo baptismus præit doctrinam. Verùm nos inde non colligimus gentes, quæ nunquam quicquam prius de Deo & filio Dei ac spiritu sancto audierunt, baptizandas esse, neq; uerò id sustinerent: sed hæc proferimus ut ostendamus quàm non solido fundamento innitantur Anabaptistæ. Dicimus autem simpliciter uerum non esse quod isti fingunt, dominum iussisse eos duntaxat tingere, quos docuerint Apostoli. Neq; uerò hic designat qui baptizandi sint in uniuersum, sed loquitur de adultis primisq; fundamentis fidei & Ecclesiæ collocandis inter gentes, rudes adhuc & ignaras religionis. Adulti, non infantes prædicationem uel doctrinam audire, credere & confiteri possunt, infantes non item. Nihil ergo hic loquitur de infantibus. Verùm ideo non excluduntur à baptismo. Generalis lex est, Qui non laborat, non manducet: uerùm quis adeo barbarus ut ideo putet infantes fame esse necandos? Dominus misit Apostolos suos ab initio propagationis ueræ religionis in omnes gentes, ad eos qui & Deum ignorabãt & alieni

Quibus argumẽtis Anabap. doceant infantes non esse baptizandos.

erant à testamentis Dei, hos certè non primùm tingere, deinde docere oportuit, sed primùm docere deinde tingere. Si hodie proficisceremur ad Turcas conuertendos ad fidem Christi, primùm certè doceremus, deinde baptizaremus seruos Christi dedititiosq́;. Ita ipse quoq; dominus quondam cum ipso Abrahamo primùm reparauit fœdus, ac instituit circuncisionem obsignationem fœderis, deinde uerò Abraham circuncisus est. At idem ille cum intellexisset infantes quoque pertinere ad fœdus, & circuncisionem esse fœderis obsignationem, non Ismaelem duntaxat tredecim annos natum & uernaculos domus suæ, sed & infantes, inter quos & Isaacum numeramus, postea circuncidit. Ita fideles qui ex gentilismo conuertebantur per prædicationem euangelij, & baptizabantur confitentes, ubi intellexissent infantes suos reputari in populo Dei, & baptismum esse symbolum populi Dei, etiam infantes suos baptizari curauerunt. Quemadmodum ergo scriptum est de Abraham, Omnes mares domus suæ circuncidit: Ita non raro legimus in Actis & scriptis Apostolorum, patrefamilias conuerso totam eius domum esse baptizatam. Quod uerò ad Catechumenos attinet, accedebant apud ueteres ex gentibus quotidie ad Ecclesiam, quos isti in fide rudes instituebant in elementis fidei, deinde uerò baptizabant. Sed illi ipsi ueteres nihilo minus & fidelium infantes baptizabant. Id quod mox demonstrabimus.

Catechumeni.

Nec legitimè colligunt cum ita concludunt, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Pueri non credunt, ergo non sunt baptisandi. Rursus enim de adultis, sicut & apud Matthæum, constat esse locutum. Quoniam uerò ab adultis fidem fideiq́; confessionem requirit, inde non est consequens quòd idem requirat ab infantibus. Hos enim pro suis reputat etiam sine confessione, ex mera sua gratia & libera promissione. Vnde nos ex aduerso sic argumentamur: Credentes sunt baptisandi. Id quod ipsi quoque aduersarij concedunt. Infantes sunt credentes. Nam Deus reputat eos in numero fidelium. Id quod superius manifestè probaui. Proinde infantes sunt baptisandi.

Infantes baptismi mysteria nõ intelligentes.

Obijciunt infantes mysterium baptismi non intelligere, ac proinde cum ratione ac sensu communi non modò cum religione pugnare, baptizare infantes. Perinde enim esse truncum & infantem baptizare, cum neutrum utatur ratione. Cæterum laxant impuras suas linguas impuri nebulones in ipsam Dei maiestatem. Deus iussit circuncidere infantulos: & circuncisio grandia continuit mysteria, quæ infantuli non intellexerunt. An uerò Deus quicquam instituit contra rationem & sensum communem? Abite quò digni estis tenebriones cum uestris blasphemijs. Impurissimum uerò & plus quàm barbarum est, quod infantes cum truncis confertis. Quanti enim faciat Deus infantes, iam ante ex euangelio docuimus. Cæterum diligentissimè & sedulò docendi & commonefaciendi sunt homines ratione sana iam uti incipientes, ut meminerint se esse baptisatos, & ut conentur Dei inuocato nomine per omnia respondere suo uoto & suæ professioni. Ita uerò Abraham Isaacum suum instituit, & liberos suos sancti patres omnes.

Baptismum paruulorum esse ex Deo, & apostolos baptizasse infantes.

Sed præteritis furiosis, rabiosis, maledicisq́; illis rixatoribus, quibus nulla unquam uerba deesse audiuimus, quantumlibet sæpe & seriò cum eis contulerimus, pergamus paucis, sed euidentibus argumentis demonstrare paruulos esse baptisandos, adeoq́; Christi domini apostolos baptizauisse infantes. Dominus iussit baptizare omnes gentes: ergo & infantes. Hi enim comprehenduntur sub omnium gentium uocabulo. Item, Quoscunq; Deus inter fideles accenset,

set, fideles sunt. Petrus enim audiuit, Quod Deus purificauit, tu ne commune aut immundum dixeris. Paruulos reputat Deus inter fideles: sunt ergo fideles: nisi malimus Deo repugnare, & ipso uideri fortiores. Iam uerò extra controuersiam ponimus, Apostolos Christi eos baptizasse, quos Christus baptizare iussit. Iussit autem fideles baptizare: itaq; Apostoli baptizarunt infantes. *Acto. 10.*

Euangelium maius est baptismo. Paulus enim dixit, Dominus misit me Euangelizare, non baptizare: non quòd hoc negaret absolutè se ad baptizandũ nõ esse missum, sed quòd doctrinã præferret. Vtrunq; enim cõmendauit Apostolis Dominus. Porrò in doctrina Euangelica recipiuntur pueri à Deo, non repudiantur: quis ergo nisi cum ratione insaniens excludat ex minori? In sacramentis considerantur res signata & signum. Illa potior est. Ab illa nõ excluduntur infantes. Quis ergo signum neget? Etenim sancta Dei sacramenta magis ex uerbo quàm signo æstimant. Ex uerbo colligimus, & mulieres non excludi cœna Dominica. Quanquam ergo nõ legamus eas in prima institutione fuisse, & ad primã Domini mensam assedisse, neque ulla lex expressa extet quæ iubeat illas admittere ad cœnam, nihilominus ad cœnam intrepidè & sine dubitatione ex syllogismo admittimus. *1. Corinth. 1.*

S. Petrus illis baptismum aquæ negare non potuit, quibus uiderat datum esse sanctum spiritum, certissimum populi Dei signum. Dicit enim in Actis Apostolorum, Num quis prohibere potest quò minus aqua baptizentur hi qui spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? Proinde non negauit sanctus Petrus baptismum infantibus. Certò enim agnouit uel ex doctrina Domini & magistri sui, ut nihil nunc dicam de fœdere Dei æterno, infantium esse regnum cœlorum. Nemo autem recipitur in regnum cœlorum, nisi sit amicus Dei. Et hi non destituuntur spiritu Dei. Qui enim spiritum Christi non habet, hic non est eius. Pueri sunt Dei, ergo non destituuntur spiritu Dei. Ideoq; si perinde spiritum Dei acceperũt ut nos, si numerantur perinde in populo Dei ut nos adulti: quis obsecro prohibebit hos aqua tingi in nomine Domini? Olim obstrepebant Apostoli nondum satis instituti, infantes ad Dominũ apportantibus. Sed increpabat eos Dominus, ac dicebat, Sinite paruulos uenire ad me. Cur ergo non obediunt præcepto Domini rebelles Anabaptistæ? Quid enim aliud faciunt hodie, qui pueros ad baptismum adferũt, quàm quod fecerunt olim qui ad Dominum infantes attulerũt? Et Dominus quidem recepit illos, benedixit eis impositis manibus: deniq; uerbis & gestibus significauit luculentissimè pueros esse populum Dei, & Deo commendatissimos. Sed quare non eadem opera, inquiunt, baptizauit eos? Quia scriptum est, Iesus ipse non baptizabat, sed discipuli eius. Præterea cùm de re usqueadeò liquidè constat, quid contendimus adhuc de signo? Hactenus uiris bonis satisfactum est, rixatores pergunt quæstiones nectere. Præterea data est in ueteri populo Dei circuncisio infantibus: ergo baptismus debet dari infantibus in nouo populo. Nam baptismus successit in locum circuncisionis. Nam S. Paulus, Per Christum estis circuncisi, ait, circuncisione quæ fit sine manibus, dum exuistis corpus peccatorum carnis per circuncisionem Christi, consepulti simul cum illo per baptismum. En appellat Paulus baptismum circuncisionem Christianam, quæ fiat sine manibus: nõ quòd aqua non administretur manibus, sed quòd manibus nemo amplius circuncidatur, mysterio circuncisionis manente nihilominus in fidelibus. Nec legas quenquam ueterum ecclesiæ interpretum non confessum, in locum circuncisionis baptismum subijsse. Sed & parilitas uel similitudo utriusq; manifestam successionem ostendit. *Acto. 10.* *Rom. 8.* *Ioan. 4.* *Coloss. 2.*

His autem hæc atteximus, Serui Dei semper fuerunt soliciti his signa dare, qui-

Iosue 5. bus sunt instituta. Vt enim omnes alios prætereã, an non Iosue diligentissimè curabat circuncidi populum priusquàm ingrederetur terram promissam? Cùm autẽ fidelissimi fuerint serui Iesu Christi prædicatores orbis Apostoli, cui posthac dubiũ erit ipsos baptizasse infantulos, cùm baptismus subierit in locũ circũcisionis?

Certè Apostoli Christi omnia sua attemperarunt ad typos & figuras testamenti ueteris, ergo & baptismum attemperasse certum est, ideoq; & infantulos baptizasse. Quoniam hi fuerunt in typo baptismi. Nam populus Israelis, & mare rubrum, & alueum Iordanis transijt cum liberis. Et quamuis hi non semper exprimantur, sicuti nec mulieres in scripturis sanctis, cõprehenduntur tamen & subintelliguntur in his.

His accedit quòd clarissimè in scripturis traditur, Apostolos totas domos siue familias baptizasse. Comprehenduntur autem in domibus inprimis liberi: utpote præstantissima & clarissima domus pars. Baptizarunt ergo Apostoli liberos siue paruulos, non tantùm adultos. Quòd autem domus inprimis comprehendat infantes uel paruulos, nullo negotio demonstrari potest. Primùm quidem ex loco Genes. 17. quem iamiam adduximus. Deinde quòd Ioseph Iacobum patrem cum uniuersa domo euocat ex terra Chanaan in terram Ægypti, ne fame uidelicet domus eius intereat. Plurima sunt huius generis loca in lege & prophetis, & in uniuersa scriptura. Verùm esto, non fuerint infantes (quod rixatores isti obijciunt) in domibus, quas baptizarunt Apostoli, nihilominus tamẽ ad domũ pertinent, & in eam censentur, ut si fuissent in domibus baptizassent eos utique. Quòd ergo non baptizatos in familijs illis contendunt, eam quidem culpam nos dicimus nec in pueris hærere, quasi indigni fuerint baptismo, nec in Apostolis, ut qui non soliti fuerint pueros baptizare, sed in eo, quòd non adfuerunt. Nam si adfuissent, baptizati fuissent: eò quòd Apostoli totas baptizarunt domus, ad quas liberi pertinent.

Infantium baptismus durauit à temporibus Apostolorum. Iam uerò ex ueterum scriptis demonstrare possumus, infantium baptismum durauisse ab Apostolorum temporibus ad nos usque, nec; ullis concilijs aut Papæ aliorumúe hominum decretis institutum esse, sed ab ipsis Apostolis ex scriptura traditum. Origenes lib. Enarrat. in Epist. Pauli ad Rom. 5. exponens 6. cap. dicit ecclesiam Christi paruulorũ baptismum ab ipsis accepisse Apostolis. S. Hierony. meminit baptismi infantiũ lib. 3. contra Pelagianos, & in Epist. ad Lætam. S. Augustinus citat locum Chrysostomi, imò à Iuliano citatum illustrat lib. contra Iulian. 1. cap. 2. Idem ad S. Hierony. Epist. 28. Beatus Cyprianus non aliquod decretum nouum condens, ait, sed ecclesiæ fidem firmissimè seruans, mox natum ritè baptizari posse cum suis quibusdam coepiscopis censuit. Locus Cypriani extat in Epist. ad Fidum, sicuti supra etiam cùm de tempore baptismi loqueremur ostendimus. Idem August. contra Donatistas lib. 4. cap. 23. & 24. asserit pædobaptismum non ex authoritate hominum aut conciliorum esse petitum, sed ex traditione uel doctrina Apostolorum. Cyrillus libro in Leuit. 8. & puerorum baptismum approbat, & iterationem baptismi condemnat. Id quod non in hunc finem profero, ut humanis imponam testimonijs pædobaptismum, sed ut doceam diuinis testimonijs congruere humana, & uetustatis ueritatem stare à partibus nostris, mendacia & noua figmenta à partibus effrontium Anabaptistarum, fingentium pædobaptismum à Papa esse præceptum.

Historia Anabaptismi. Videtur autẽ operæpretiũ esse, ut nonnihil dicamus & de Anabaptismo. Decij & Galli Cęs. Imperio exorta est in Africæ partibus quæstio de Rebaptizandis hæreticis. Placuit autem S. Cypriano & reliquis Episcopis in Concilio Carthagineñ. congregatis Anabaptismus. Idem Cornelio Rom. episcopo, reuera sancto & docto,

cto, adde & martyri, unà cum multis Italiæ Episcopis displicuit. Hæreticos autem placuit post abiectionem praui, & confessionem recti dogmatis sola eos manuum impositione purgandos. Legere hęc licet apud Euseb. Eccles. hist. lib. 7. Extat eiusdem rei tractatio, & in Dogmat. ecclesiast. cap. 52. Sciendum est autem S. Cyprianum in hac caussa nihil asseruisse prefractius. In fine enim Epistolæ ad Iubaianum scribit, Hæc tibi breuiter pro nostra mediocritate rescripsimus frater chariss. nemini præscribentes aut præiudicantes, quò minus unusquisq; Episcoporũ, quod putauerit faciat, habens arbitrij sui liberam facultatem.

Post illa tempora rebaptizarunt & Ariani & Donatistæ. De Arianis scribunt historici, & inprimis Sozomenus lib. 6. Attingunt eandem rem alicubi & scriptores ecclesiastici. Contra Donatistas cum alijs uiris doctis disputauit beatus Augustinus. Lata est & lex imperatoria ab Honorio & Theodosio, ne sanctum baptisma iteretur. Retulit eam in Cod. libro 1. tit. 6. Iustinianus Cæs. hisce uerbis, Si quis rebaptizare quempiam de ministris catholicæ sectæ fuerit detectus, unà cum eo qui piaculare crimen commisit (si tamen criminis per ætatem capax sit) & hic cui persuasum sit, ultimo supplicio percellatur. Porrò Valentin. Valens & Gratianus ad Florianum Asiæ uicarium in hæc uerba præcipiunt: Antistitem qui sanctitatem baptismatis illicita usurpatione geminauerit, sacerdotio indignum esse censemus. Eorum enim condemnamus errorem, qui Apostolorum præcepta calcantes, Christiani nominis sacramenta sortitos, alio rursus baptismate non purificant, sed incestant lauacri nomine polluentes. Hactenus illi.

Lex imperatoria contra Anabaptistas.

Et reuera qui rebaptizant & rebaptizantur, prophanant & nomen Domini, quod super baptizatos in priore baptismo inuocatum est, & reprobant Dei institutum uelut inane & uitiosum. Nõ legitur Christus nisi semel esse baptizatus. Semel & non iterum baptizati sunt Apostoli. Semel duntaxat tincti sunt omnes sancti Dei. Imò quos tinxerat semel Iudas, non leguntur à digniore ministro rebaptizati. Proximo enim sermone demonstraui integritatem sacramentorum non dependere à dignitate & indignitate ministri. Neque uerò legas ullos apud ueteres esse secundò circuncisos, ne illos quidem quos constat ante Ezechiæ & Iosiæ regnum ab idololatris circuncisos ministris, sed non in idololatriam, sed in fœdus Domini Dei. Id quod & aliàs monuimus. Nephas ergo est repetere ceremoniam baptismi, & caret exemplo: neq; ulla hic interuenit necessitas. Quorsum enim attinet iterum baptizare, cùm baptismus semel datus ad totum pateat uitæ decursum? Præterea cùm Anabaptismus nihil aliud sit quàm compactio, coniuratio & contesseratio quædam in nouum & seditiosum, uel saltem superstitiosum consortium, in nouam schismaticamq; ecclesiam, & in nouum doctrinæ genus, Christiano & Apostolico ex diametro aduersum, certè mirum non est Anabaptistas pertinaces publicis coërceri & puniri legibus. Nam sunt ista alioqui damnabilia, & à Christiano magistratu minimè dissimulanda aut ferenda.

Piaculum rebaptismi.

Cæterum duo in præsenti loca opponunt nobis Anabaptistæ. Priorem ex 5. cap. Iosue, ubi in hæc uerba legimus, Fac tibi cultros lapideos & circuncide secundò filios Israel. En secundò circuncidi non potuerunt, inquiunt, nisi prius quoque fuerint circuncisi. Respondeo, Secundò circuncidere, uel iteratò facere, non significat id quod prius factum fuerat facere. Semel enim sublato præputio, quomodo semel ablatum iterum auferri potuisset? Quod ergo aliquandiu intermissum est, id nunc iterum repetitur, & secundò factum dicitur. Refertur itaq; secundò, non ad circuncidendos, sed ad ipsum tempus quo incircuncisi circuncidebantur. Primò enim circuncisi fuerant in Ægypto solenniter, antequàm ede-

Dissoluuntur loci pro Anabaptismo adducti.

rent pascha, iam ingressuri terram Chanaan secundò solenniter circunciduntur, qui hactenus in deserto & profectionibus circuncisi non fuerant. Atq; ita sequitur mox in eodē capite, mares Ægypto egressos, in deserto mortuos esse omnes, filios autem horum fuisse incircuncisos, unde eos iam oportuerit ut quondam patres eorum circuncidi. Nullum ergo in hoc legis testimonio præsidium habent Anabaptistæ.

Duodecim uiri Ephesij nō rebaptizati.

Posterius pro Anabaptismo testimonium proferunt ex 19. cap. Actuum Apostolorū: ubi aiunt duodecim illos uiros Ephesios aquæ & Ioannis quidem baptismo semel tinctos ab Apollo: sed eosdem mox rebaptizatos esse à Paulo in nomine Christi. Respondemus duodecim illos non iterū aqua baptizatos esse à Paulo. Semel fuerunt aqua baptizati, id quod eis sufficiebat. Neq; uerò alium baptismū aquæ potuisset affundere Paulus, quàm Ioannis. Docuimus enim & euicimus ab initio huius Sermonis, Ioānis, Christi & Apostolorum aquæ baptismū unum esse atq; eundem. Ibidem exposuimus baptismum ignis uel spiritus Christo esse pecu-

Acto. 8.

liarem. Viri ergo illi Ephesij baptizati quidē fuerunt baptismo aquæ, sicut & Samaritani à Philippo: sed nondū instituti erant plenè de baptismo ignis, nec baptizati erant igne, imò fatentur se nescire an talis sit baptismus, hoc est, an sit spiritus sanctus, qui uisibili specie ignis illabatur hominibus. Absolutè enim ignorare non potuerunt esse spiritum sanctum, sine quo utiq; non crediderant, imò in quem crediderant, siquidem rectè crediderant: proinde baptismū illum ignis dūtaxat ignorauerunt. Quemadmodum ergo Petrus & Ioannes Samaritanis imposuerunt manus, atq; hi protinus acceperunt spiritū sanctum. Ita Paulus Ephesijs imponit manus, & accipiunt spiritū sanctum. Lucas enim, His auditis, ait, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et ne quis hoc intelligeret de aquæ baptismo, mox subijcit modum & expositionē illustrem, Cùm imposuisset illis manus Paulus, uenit spiritus sanctus super eos. Hoc inquā appellarat baptizari in nomine Dñi Iesu. Sequitur enim, Et loquebantur linguis: & prophetabant. Hic autem semper fuit fructus & effectus baptismi ignis in primitiua ecclesia, sicut ab initio huius Sermonis ostendimus. Proinde non habent Anabaptistæ ullum ex scripturis pro suo Anabaptismo testimonium. Deserendos ergo & fugiendos esse bonis omnibus uident palàm omnes sana ratione uti uolentes. Satis autem uidetur cum his certatum: pergimus modò illa quæ in Baptismo restāt explicāda, neq; postrema sunt, exponere.

De uirtute baptismi.

De uirtute enim & effectu baptismi differentes illū sequimur ordinem, quem adumbrauimus in descriptione baptismi, perstringentes saltem singula, quòd copiosius de his diximus in generali consideratione sacramentorum. Præstat tamen ante omnia nouisse quid hostes ecclesiæ aliquando senserint de uirtute baptismi. Manichæi neminem suorum baptizauerunt. Nam docuerunt baptismum nihil salutis conferre percipientibus. Seleuciani, qui & Hermiani, baptismum similiter respuerunt. Messaliani, qui & Euchetæ siue precatores (sicut & in fine præcedentis Sermonis monuimus) & Enthusiastæ, numine inquam imò furore afflati nuncupantur, senserunt baptismum neque prodesse, neque obesse cuiquam. Sic enim omnia salutis spiritus operationi internæ, imò precationi humanæ tribuebant, ut externa omnia, etiam doctrinam tanquam inutilem & inefficacem fastidirent. Id quod de eis commemorat Theodoretus hist. Eccles. lib. 4. cap. 11. Verùm scriptura docet ablui nos baptismo à peccatis. Etenim baptismus est symbolum, testimonium, ac obsignatio purgationis nostræ. Deus enim promisit ecclesiæ suæ sanctificationem, idemq; pro ueritate sua, gratia sua per sanguinem filij sui purgat ecclesiam suam ab omnibus peccatis, & spiritu suo regenerat ac mundat, quæ

quidem purificatio obsignatur in nobis baptismo collato: atque ideò appellatur in scripturis ablutio & remissio peccatorum, purificatio, renouatio, regeneratio & lauacrum regenerationis: quemadmodum circuncisio, fœdus: & sacrificia, peccata atque sanctificationes nuncupantur. Legimus enim in Euangelio secundũ Marcum, Baptizabat Ioannes in deserto prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Idem & apud Lucam traditur. In Euangelio Ioan. 3. cap. baptismus purificatio appellatur. In Actis Apostolorum dicit Petrus ad populum quærentem quid faciat: Resipiscite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum. Ananias quoque Paulo dicit, Surge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine Iesu. Iam uerò ipse Paulus, Christus, inquit, dilexit ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ, per uerbum. Proinde promissio, imò ueritas sanctificationis & remissionis peccatorum gratuitæ, inscribitur corporibus nostris cùm baptizamur. Deus enim spiritu suo propter sanguinem filij sui animas regenuit ac repurgauit, regenerat atque repurgat. Valetque & efficax est baptismus in omni uita hominum, patet item & refertur ad omnia omniũ baptizatorum peccata. Verax est enim promissio Dei. Verax non fallax est sigillum promissionis. Semper efficax est Christi uirtus ad expurganda & delenda omnia suorum peccata. Quoties itaque peccauimus in uita nostra, in memoriam reuocemus sancti baptismi mysterium, quo semel in uniuersæ uitæ nostræ decursum tincti sumus, ut agnoscamus neque dubitemus peccata nobis nostra remitti ab eo Deo & Domino nostro, & per sanguinem quidem Christi, cui semel per baptismum sumus insiti, ut hic semper operetur in nobis salutẽ, usque dum recipiamur ex miseria in gloriam. Nec dubiũ est quin tota uita sua Abraham circuncisionis mysterium exercuerit, ac in Deo ipso & promisso sibi semine acquieuerit. Obseruandum tamen hic censeo id diligentissimè, quod significanter inculcauit & S. Augustinus, peccata nobis in baptismo dimitti aut purgari, non ut non sint, (superstes enim concupiscentia uiget & parturit semper) sed ne imputentur: nec ut peccare liceat, sed ut peccasse non noceat, ut sit factis remissio non permissio faciendi. De fide & operibus cap. 20. Ac huius generis perplura citat & Gratianus Distinct. 4. de Consecrat.

Baptizamur in remißionem peccatorum. *Marci 1.* *Lucæ 3.* *Ioan. 2.* *Acto. 2.* *Acto. 22.* *Ephes. 5.* *Valet baptismus in omni uita hominis.*

Deinde colligimur baptismo in cœtum populi Dei. Vnde à nonnullis appellatus est initiale uel initiationis signum, per quod uidelicet pateat ingressus in ecclesiam. Non quod ad ecclesiam non pertinuerimus prius. Nam ad ecclesiam pertinet, quisquis Christi est, fœderis illius æterni & promissionum Dei particeps. Baptismus ergo est signum uisibile & testimoniũ nostræ insertionis in corpus Christi: & rectè dicitur insitio, incorporatio uel insertio in corpus Christi. Diximus enim in communi consideratione Sacramentorum, primùm nos baptismo coniungi cum Christo, deinde cum omnibus Christi membris, fratribus nostris. Paulus enim, Quicunque, ait, baptizati estis, Christum induistis. At Christum induere, est idem cum eo fieri, adeoque ipsi compingi & incorporari, ut ipse in nobis uiuat, & nos in ipso. Solus enim ille per spiritum suum regenerat ac renouat nos, & omnibus donis largissimè perfundit, quod & idẽ Apostolus alibi hisce uerbis pronunciauit, Deus saluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos opulentè per Iesum Christum seruatorẽ nostrum. Ideò uerò & Christus Dominus in baptismo nostro baptizatus est, ut declararet se esse fratrem nostrum, nos eius cohæredes. Rectè ergo dixit beatus Augustinus, ad hoc ualere baptismum, ut baptizati Christo incorporentur, & membra eius habeantur. Idem baptismum appellauit sacramentum Christianæ societatis. Recol-

Colligimur baptismo in populum Dei. *Galat. 3.* *Titum 3.* *Lucæ 3.*

1.Corinth.12. *Baptismus seruit confeßioni nostræ.* ligimur enim uisibiliter per baptismum in unitatem corporis cum omnibus fidelibus quotquot fuerunt, sunt, atq; erunt. Nam & Paulus dixit, Per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus. Sequitur autem hinc baptismum seruire confessioni nostræ, ac tesseram rectè dici Christianæ religionis. Nam nota uel symbolum est, quo testamur & profitemur in Christianam religionē nos consentire: confitemur nos natura impuros & peccatores esse, sed gratia Dei per Christū sanctificatos. Si enim puri fuimus natura, quid erat nobis ablutione opus? Iam uerò cùm abluti sumus, quis dubitet de ueritate Dei? Verè ergo & liberè cōfitemur baptismum recipientes, & peccatum quo cum nascimur, sed & gratuitam peccatorum remissionem.

Postremò admonet nos recordatio & consideratio mysterij baptismatis officiorum pietatis: nempe ut tota uita nostra expendamus apud nosmetipsos diligentissimè, cuius corporis membra facti simus, ut abnegemus nosmetipsos & mundum hunc, ut mortificemus carnem nostram cum concupisentijs eius, sepeliamurq; cum Christo in mortem eius, ut resurgamus in nouitate uitæ, & uiuamus innocenter, ut amemus fratres nostros, tanquam membra nostra, cum quibus in unum corpus per baptismum sumus compacti: ut maneamus in uinculo concordiæ & in unitate ecclesiæ, ne alienas sectemur religiones, memores nos in Christū baptizatos esse, cui uni consecrati sumus, & longe separati atq; diuisi ab omnibus alijs dijs, cultibus, siue religionibus, deniq; ab omnibus hæresibus. Cogitemus præterea constanter & fortiter pugnandum esse contra satanam, & uniuersum satanæ regnum. Quoties ergo recordamur nos esse tinctos Christiano baptismo, toties animis nostris hæc suggeruntur, & officij nostri admonemur. Copiosius autem tractat hæc Apostolus in 6. cap. Epistolæ suæ ad Romanos, ubi disertè commemorat nos per baptismum insititios esse factos Christi, nimirum ut ex ipso ceu palmites ex uite succrescamus, sentiamusq; in animis & corporibus nostris & mortem & resurrectionem Christi. Quia enim spiritu Christi perfundimur, & hic in nobis agit, corpus quidem in diem moritur, spiritus autem uiuit, & in Christo exultat. Cui gloria in secula seculorum, Amen.

De sancta Domini cœna, quid sit, à quo, quādo, & quibus instituta, quo ritu, quando et quoties celebranda sit, de finibus eius. De genuino sensu verborū Cœnæ, Hoc est corpus meum. De præsentia Christi in cœna. De vera manducatione corporis Christi. De dignè & indignè manducantibus: & quomodo se quisq; præparet ad cœnā Domini. SERMO IX.

SANCTO Christi Domini Baptismo coniunctum est sacramentum corporis & sanguinis Dominici, quod appellamus Cœnam Domini. Quos enim Dominus regenerauit lauacro regenerationis, eos etiam epulo spirituali cibat, alit, sustinetq; ad uitam æternam: consequenter ergo dicendum est de Cœna Domini sancta.

Vocabula cœnæ Domini. Varias hæc appellationes consecuta est, sicuti & epulum paschatis, in cuius locum subijt, dicebatur quondam Transitio, uel transitus Domini, quod reuera erat transitus memoraculū, Memoria, Signum, Solennitas, Festum uel feriæ, Conuentus, Celebritas uel cœtus sacer, Cultus obseruatio, Ceremonia & Victima transitionis, Sacrificium uel oblatio. De qua re suo loco diximus. Cœna Domini sic dicta est ab Apostolo Paulo, ex eo nimirum quòd hæc ceremonia à Domino in ultima illa cœna est instituta, & quòd ipsa spirituale nobis epulū instruitur. Idē Paulus eandem appellauit Mensam Domini, haud dubiè non diuersas ob caussas. Ab

Mēsa Domini.

eodem

eodem rursus nuncupatur κοινωνία, communio, non tam quòd communionem habemus cum Christo, & hanc ille nobiscum habet, quàm quòd unus panis & unum corpus multi sumus, qui de eodem pane participamus. Lucas appellauit Fractionem panis, à parte totum. Ac constat ueteres non exhibuisse cœnantibus buccellas, sed mutuum fregisse panem. Quondam arctissima fœdera fractione panis cõsecrabantur. Dicitur præterea Memoria & celebratio passionis dominicæ. Dominus enim dixit, Hoc facite in mei memoriam. Dicitur Eucharistia, quoniam Cœnam domini celebrãtes, gratias agimus domino pro omnibus beneficijs, pro morte in primis, per quam redempti sumus. Dicitur & Symbolum, & mysterium, & sacramentum corporis & sanguinis dominici. Veteres nominarũt ferè Synaxim. Est autem σύναξις coniunctio, coactio, coagmentatio, siue cõciliatio. Ecclesia enim Christo in sacra Cœna perquam arctissimo fœdere coniungitur ac adunitur, deniq; ipsa inter se membra tenacissimè cõglutinantur. Dicta est præterea Conuentus sanctorum, cœtus sacer, & collecta. Non enim celebrari antiquitus consueuit, nisi in cœtu publico ecclesiæ. Quod ex Apostolo claret 1. Corinth. 11. Porrò nihil peccauerimus si Cœnam domini Testamentum Dei & domini nostri appellauerimus. Inuenias enim hic quæ ad testamentum plenum pertineant omnia. Testator enim Christus est. Hæredes instituuntur omnes Christi fideles. Legatũ est ipsa peccatorum remissio, & uita sempiterna, parta per traditũ corpus & effusum Christi sanguinem. Verùm literæ seu tabulæ testamenti huius sunt uerba Cœnæ dominicæ, testificãtes ceu publico scripto Christum fidelium esse cibum ac uitam. Ipsa uero actio seu ritus instar sigilli est. Quemadmodum itaq; literas obsignatas testamentum scripto comprehendentes & obsignantes, nuncupamus testamentũ: ita ipse dñs Cœnam suam dixit testamentũ. Hoc enim poculum, inquit, nouũ testamentum est in meo sanguine. Alioqui enim testamentũ nouum est peccatorũ remissio. Id quod Ieremias disertè testatur cap. 31. & Paulus Hebr. 8. Habet hoc sacrum & alia uocabula, sed hæc maximè memorabilia & uulgaria. De alijs aliàs.

Communio. *Fractio panis.* *Memoria passionis domini.* *Eucharistia.* *Sacramentum.* *Synaxis.* *Conuentus.* *Testamentum.*

Cœnam domini definiunt ferè epulum esse spirituale, quo dominus & mortem suam in memoria retinet, & suos ad uitam pascit. Liceat autem & mihi eius descriptionem paulò copiosiorem proponere in medium. Cœna domini, est actio sacra, diuinitus ecclesiæ instituta, qua dominus pane & uino in epulum apposito, suam nobis promissionem & cõmunionem attestatur, donaq; sua nobis repræsentat, & sensibus subijcit, uisibiliter in unum corpus colligit, mortem deniq; suam in memoria fidelium retineri uult, & officij nos nostri monet, laudis & gratiarum actionis maximè.

Quid sit Cœna Domini.

Principiò dicimus Cœnam domini esse actionem. Dominus enim ipsam instituens gratias egit Deo, panem fregit & poculum distribuit, ac dixit, Hoc facite in mei cõmemorationem. Deinde non quæuis actio est. (Ad cibariam enim mensam benedicimus etiam Deo, panem frangimus, & poculũ distribuimus) sed actio sacra, quia diuinitus & ecclesiæ quidẽ est instituta. Plurimum ergo differt à cibarijs & uulgaribus illis cœnis, cùm quòd singulariter à filio Dei & ecclesiæ instituta est, tum quòd uerbum Dei & peculiare Christi exemplum habet. S. Paulus ergo hanc ab epulis discernens prophanis, Si quis, inquit, esurit, domi edat, ne ad condemnationem conueniatis. Et iterum, An nõ habetis domus ad edendũ & bibendum? Qasi dicat, Hæc utiq; cœna mystica est. Rursus, qualis sit actio, mox declaratur cũ subiungitur, Qua dominus pane & uino in epulũ apposito, suam nobis promissionem & communionẽ attestatur, &c. Habet itaq; peculiares suos fines Cœna: de quibus etsi dixerim cũ disseruerem generaliter de Virtute sacramentorũ,

Cœna actio sacra.

repetam tamen quædam huc maximè pertinentia, cum ad finem prope huius sermonis peruenero.

Quis author cœnæ.

Circa hanc descriptionem autem Cœnæ, hæc potissimum ueniunt consideranda & explicanda. Primum quis instituerit & sit uerus cœnæ dominicæ author & hospes: nõ homo aliquis, sed ipse Dei filius, patris sapientia, uerus Deus & homo. Vnde non ad hominum mensam, licet huic homo minister præsideat, neq; de manibus ministri tantùm, sed de manibus ipsius domini sacra percipimus symbola, accumbentes ad mensam Christi domini nostri, cuius sumus hospites, si fuerimus fideles. Hic consecrauit nobis Cœnam, & cõsecrat adhuc uerbo, uoluntate & uirtute sua sancta. De qua re superius diximus. Hæc quia intelligunt fideles, ad sacras cœlestesq; epulas cum Christo accumbunt, mente & animo conuersantes in cœlestibus.

Quando instituta cœna.

Ea autem nocte qua tradebatur & postera sanguine fuso moriendoq; nouum testamentum confirmabat, cœnam instituit. Mox enim atq; agnum typicum cum discipulis edisset, ac clarè dixisset eius ceremoniæ nullum porrò usum futurum, in locum abrogatæ cœnam hanc reposuit. Vt quemadmodum agnus sanguinolentus Christum passurum significauerat: ita panis incruentus testatur Christum cibum uitæ, iam in cruce tostum ac passum, factum esse cibum omnium credentium. Obseruabilis ergo fuit nox illa, & cœna hæc ultima mysterijs est referta. Solent alioqui dicta & facta, quæ proximè mortem præcedunt, charissimorũ hominũ nobis esse maximè cõmendata. Ergo ut omnia Christi nobis chara sunt & pretiosa, ita meritò extrema hæc cœna debet nobis esse charissima & pretiosissima.

Quibus rebus constet cœna.

Constat autem Cœna uerbo & ritu, promissione & ceremonia. Verbum est, quòd annunciatur Christus in mortem traditus propter peccata nostra, & fudisse sanguinem in remissionem peccatorum nostrorum. Promittitur ergo credentibus remissio peccatorum. Hæc eadem res & ritu repræsentatur. Ritum illum nobis diligenter tradiderunt literis consecratum S. Matthæus, Marcus atque Lucas, quos secutus Paulus ne tantillum quidẽ ab his uariauit. Ego ex quatuor illis omnia in unum recollecta contextum iam c. v. recitabo,

Verba Cœnæ Domini.

Vespere facto ea nocte qua tradebatur, uenit dominus cum duodecim, & cum esset tempestiuum, accubuit, & duodecim cum eo. Vescentibus autem eis, accepit Iesus panem, & cum egisset gratias, fregit, deditq; discipulis, & ait, Accipite, comedite, hoc est corpus meũ quod pro uobis traditur (uel) frangitur. Hoc facite in mei recordationem. Similiter & poculo (postquam cœnauit) accepto, gratias egit, & dedit eis, dicens, Accipite hoc, & diuidite inter uos, Bibite ex eo omnes. Et biberunt ex eo omnes. Et dicebat illis, Hic enim est sanguis meus, qui est noui testamenti: qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. (Hoc est poculum nouum testamentum in sanguine meo, qui pro uobis effunditur) Hoc facite quotiescunq; biberitis in mei commemorationem. Amen dico uobis, quòd non bibam posthac ex fructu uitis usq; in diem illum, cum illud bibam uobiscum nouum in regno patris mei. Hæc sunt ad uerbum solennia & sacrosancta Cœnæ domini uerba.

Quo ritu celebrata & instituta sit Cœna.

Summus Pontifex ecclesiæ catholicæ Christus dominus Cœnam celebrauit cum discipulis suis, sicut iam uidimus & audiuimus citra omnem pompam, simpliciter planè & frugaliter. Abrogauit enim legis paulò operosiorem ceremoniã, nouã substituit maximè parabilem & minimè sumptuosam. Legis enim pleraq; fuerunt operosiora, euangelij omnia sunt parabiliora & sumptuosa minus. Discumbit ergo dominus cum duodecim suis discipulis. Vnde discimus ante omnia cœtum esse colligendum, qui Cœnam celebret. In cœtu suo hæc facit dominus.

Princi-

Principiò diligentissimè cõcionatur suis, & de ijs maximè, quæ attinebant ad mysterium passionis & redemptionis nostræ. Cæterum ubicunque est doctrina & auscultatio uerbi domini, uel euangelij Christi, ibi sunt gemitus & uota siue preces fidelium. Proinde celebraturi Cœnam dominicam ante omnia, ad exemplum & institutionem summi pontificis Christi domini, prædicationem euangelij audiunt diligentissimè, & precantur attentissimè. Deinde uerò accepit panem, benedixit & fregit dominus, dedit præterea discipulis suis & comedere iussit. Distribuit mox etiam poculum, & ex hoc omnes bibere mandauit. Sed & disertum & perspicuum mandatum subiecit, dicens, Hoc facite: nimirum quod me facere uidistis. Discipuli ergo & panem comederunt & de poculo biberunt omnes. Idcirco legitimè Cœnam domini celebrantes, mutuò inter se panem domini de manibus ministrorum Christi acceptum, frangunt, distribuunt & manducant, poculum insuper domini de manibus ministrorum Christi acceptum inter se distributum omnes potant. Et sicut pontifex summus Christus id facere iussit in sui memoriam, ita cœnam celebrantes memoriam mortis & omnium beneficiorum Christi peragunt. Præterea sicut dominus præijt exemplo suo gratias agens Deo patri, ita fideles gratiarum actione sacrum hoc concludunt, laudantes bonitatem & misericordiam eius, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Hic ritus Cœnæ domini & simplicissimus & optimus est, quem apostoli à domino Christo acceptum, omnibus nationibus custodiendum tradiderunt.

Ergo cum interrogatur, an liceat alio ritu cœnare, an liceat tradito ritui addere aliquid an adimere, aut aliquid in ipso mutare, an hac ipsa iam tradita & non alia forma oporteat celebrare cœnam domini? stultitia & temeritas non modica, quinimò impietas maxima proditur. Quorsum enim attinet simplicissima, optima, perfectissimaque cœnandi formula ab ipso domino tradita, & ab apostolis eius accepta, comminisci aliam? Quis quæso meliorem tradet ipso Dei filio, pontifice ecclesiæ catholicæ summo? Quis oro sanæ mentis addet, aut adimet aliquid institutis Dei? Quis immutare audeat tradita ab æterna Dei sapientia? Omnia Christi cùm dicta tum facta sunt perfectissima: ergo & forma cœnæ dominicæ, instituti singularis & celeberrrimi, perfectissima est. Perfectissimi fuerunt ritus sacramentorum ueteris testamenti, sic à prima eorum institutione traditi, ut his nihil à religiosis uel adijceretur uel adimeretur etiam post multa secula. Celebrauit enim pascha Ezechias rex, celebrauit & Iosias, sed non alio ritu, quàm tradito à Mose. Circunciderunt infantulos suos patres, sed non alia ratione, non alio ritu, quàm primitus tradito. Homicidij perpetrati accusabatur in lege quondam, si quis non sacrificasset eo loco & ritu, quem præscripserat deus per Mosen. Fulmine cœlitus demisso feriuntur Nadab & Abihu, quòd alienum ignem intulissent in tabernaculum: Oza percutitur repentina morte, quòd non eo modo tractaretur arca Dei exercituum, quo in lege iussa fuerat tractari. Proinde nobis quoque ritus à domino institutus Cœnę, & traditus ecclesiæ ab apostolis, maxima religione custodiẽdus erit: nisi credere libeat sacramentorum nostrorum instituta & ritus imperfectiores esse ueterum institutis, deumque patrem hodie minus curare prophanationem, aut religiosam obseruationem institutorum filij sui, quàm olim patrum ac Mosis. Cæterum uas electionis Paulus, intelligens institutionem Christi & perfectissimam esse & eandem simpliciter absque additamentis retinendam in Ecclesia, Corinthijs dicit, Ego accepi à domino quod et tradidi uobis. Nã nephas putauit aliud tradere ecclesiæ, quàm quod acceperat à domino. Teneamus ergo magna religione quod traditum à domino accepimus & apostolis. Nihil autẽ aliud Corinthijs

An liceat ritui aliquid addere, &c.

Leuit. 17. *Leuit. 10.* *2. Sam. 9.* *Num. 4.*

1. Cor. 11.

tradidit Apostolus, etiam post multos ab ascensione domini in cœlũ annos, quàm quod scripto fideli tradiderunt nobis sancti Apostoli & euangelistæ, beatus Matthæus, Marcus & Lucas.

Quomodo Cœna quondam celebrata in ecclesia.

Certè seculis aliquot ab obitu Apostolorum, simplicem illam rationem celebrandi Cœnam domini obseruatam esse ab Ecclesia constat. Nam prodibat in cœtum sacrum postquam prædicasset euangelium, & præuia oratione publicas Deo preces obtulisset, pastor uel minister ecclesiæ. At in prospectu populi stabat instructa pane & uino mensa, ponè hanc astans benedicebat populo, dicens, Dominus uobiscum. Excipiebat populus, Et cum spiritu tuo. Subdebat pastor, Sursum corda, admonens ecclesiam mystica sacra fore iam celebranda, ideoq; mentes à uisibilibus eleuandas ad inuisibilia. Respondebat populus, Habemus ad dominum. Inde uerò ad gratiarumactionem inuitans totam Ecclesiam, clamabat, Gratias agamus domino deo nostro. Respondebat ecclesia, Dignum & iustum est. Pastor iterum subiungebat, Verè dignum & iustum est, æquum & salutare (& conuersus ad dominum) nos tibi semper & ubiq; gratias agere domine sancte pater omnipotens æterne Deus, per Christum dominum nostrum: qui pridie quàm pateretur accepit panem gratias egit, fregit, deditq; discipulis suis. Et reliqua quæ commemorantur in Euangelio. His ex euangelio recitatis subdebat pastor, Oremus præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere, Pater noster qui es in cœlis, &c. Post recitatam orationẽ dominicã populus sacra percipiebat mysteria, communicabatq;, & post laudes Deo oblatas dimittebatur. Atq; huius quidem ritus quædam uestigia cernere licet apud scriptores ueteres, S. Cyprianum, S. Augustinum & alios.

Immutata forma Cœnæ dominicæ.

Porrò sequentibus exinde temporibus creuerunt precationes & benedictiones, creuerunt in immensum usq; ritus. Immutata est præterea institutio Christi, & conuersa in alienum usum, consarcinata est deniq; Missa, in qua parum uideas uetustatis. Sed de his aliàs disserui copiosissimè, intelligitq; totum hoc negotium c. v. peroptimè. Nihil curamus qui Christi domini institutionem perfectissimam & purissimam ab apostolis traditam tenemus, quid quiq; hominum, & quando quisq; pontificum hoc uel illud ritui sacro addiderit, detraxerit uel immutauerit: sed quid, qui ante & super omnes est, prior & fecerit & facere iusserit. Si instituentis authoritas, doctrina & sanctitas, si uetustas ualere debet, uicimus nos qui Christum pro nobis habemus cum electissimo Apostolorum choro. Ab his enim habemus quod celebramus, & omnibus celebrandum contendimus pijs.

Quare sub specie panis & uini instituta cœna.

An panis azymus an fermentatus usurpandus.

Cur autem mysterium hoc instituerit dominus sub specie panis & uini, perspicuum est. Panis enim confortat, & uinum exhilarat cor hominis. Id quod monui cum dissererem de Analogia sacramentorum. Præterea ederunt patres nostri in typo manna, panem cœlo deplutum. Vsi sunt & in gratulatorijs suis oblationibus & libaminibus pane & uino. Cæterum odiosa excitata est cõtentio super materia Cœnæ dominicæ: contendentibus his pane azymo, alijs uerò fermentato esse cœnandum. Atqui apud ueteres quondam de his nullæ mouebãtur rixæ. Nam ecclesiæ pro sua libertate utebantur utroque. Videtur quidem dominus in prima illa Cœna usus esse pane azymo in mensa, ex ueteri more celebrandi paschatis relicto. Vnde non paucæ ecclesiæ infermentato pane usæ sunt: quæ tamen fermentato utentes non damnabant hæreseos. Papa autem cum suis non leui scandalo Græcos leuiculam hanc ob rem anathemate percussit. Damnati sunt interim à priscis nonnulla de caussa Artotyritæ, quorum mentio fit ab Epiphanio inter Pepuzianos & Priscillianos, in mysterijs contra institutionem Christi apponentes cum pane caseum.

Dispu-

Disputatur præterea, uinum ne merum an aqua dilutum in cœna sit fidelibus propinandum. Cyprianus martyr propter mysterium contendit non merum sed aqua dilutum esse offerendum, id est propinandum fidelibus. Sic enim scriptum reliquit, Quia nos omnes portabat Christus, qui & peccata nostra portabat, uidemus in aqua populum intelligi, in uino ostendi sanguinem Christi. Quando autẽ in calice uino aqua miscetur, Christo populus adunatur & credentium plebs ei in quem credidit copulatur & iungitur. Sic autem in sanctificando calice domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec uinum solum potest. Nam si uinum tantum quis offerat, sanguis Christi esse incipit sine nobis: si uerò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Quando autem utrunque miscetur & adunatione confusa sibi inuicem copulatur, tunc sacramentum spiritale & cœleste perficitur. His pulchrum sanè mysterium aperit S. Cyprianus: uerùm quare pergimus Christo esse prudentiores & plura cõminisci mysteria quàm ab ipso accepimus? Scriptura nõ meminit ullius aquæ, imò cõmemorat dominum mero usum esse uino. Nam dominus dicit, Amen dico uobis, quòd posthac non bibam ex hoc fructu uitis. Significanter enim non uinum, sed uitis fructum dixit, ne ullam hic comminisceremur mixturam. Quid quod ipse sanctus dei martyr Cyprianus modis omnibus contendit in celebranda Cœna domini id duntaxat esse sequendum fidelib. quod traditum acceperunt à Christo domino? Quoniam uerò illud testimonium facit pro tota hac traditione nostra, de Cœna Christi secundum uerbum euangelij celebranda, recitabo hoc ex 2. Epist. lib. epist. 3. de uerbo ad uerbum. *Vino ne miscẽda aqua.*

Ab euangelicis præceptis omnino recedendum non esse, inquit, & eadẽ quæ magister docuit & fecit, discipulos quoque obseruare & facere debere, constantius & fortius alio in loco beatus Apostolus docet, dicens, Miror quòd sic tam citò demutamini ab eo qui uos uocauit in gratiam ad aliud euangelium: quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui uos perturbant & uolunt conuertere euangelium Christi. Sed licet nos aut angelus de cœlo aliter annunciet præterquam quod annunciauimus uobis, anathema sit. Sicut prædiximus & nunc iterum dico, Si quis uobis annunciauerit præterquam quod accepistis, anathema sit. Cum ergo nec ipse apostolus nec angelus de cœlo annunciare posset aliter aut docere, præterquam quod semel Christus docuit, & Apostoli eius annunciauerunt, miror satis unde hoc usurpatum sit, ut contra euangelicam & apostolicam disciplinam quibusdam in locis aqua offeratur in dominico calice, quæ sola Christi sanguinem non posit exprimere. Et iterum, Nõ est frater charissime, quòd aliquis existimet sequendam esse quorundam consuetudinem, si qui in præteritum in calice dominico aquam solam offerendam putauerunt. Quærendum est enim ipsi quem sint secuti. Nam si in sacrificio, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, utique id nos audire & facere oportet, quod Christus fecit & faciendum esse mandauit: cum ipse in euangelio suo dicat, Si feceritis quod mando uobis, iam non dico uos seruos sed amicos. Et quod Christus debeat solus audiri, pater etiã de cœlo contestatur, dicens, Hic est filius dilectissimus, in quo bene sensi: ipsum audite. Quarè si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putauerit: sed quid qui ante omnes est Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei ueritatem. Cum apud Isaiam prophetã Deus loquatur & dicat, Sine caussa autẽ colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. Et iterũ dominus in euangelio hoc idem repetat, dicens, Reijcitis mandatum Dei ut traditionem uestram statuatis. Sed & alio loco ponit, & dicit, Qui soluerit unum ex mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus

In cœna celebrãda nihil aliud sequendum quàm quod à Christo accepimus.

uocabitur in regno cœlorum. Quòd si nec minima de mãdatis dominicis licet soluere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum dominicæ passionis & nostræ redemptionis sacramentum pertinentia phas non est infringere, aut in aliud quàm quod diuinitus institutum est, humana traditione mutare? Et reliqua. Ea autem contra authorem ipsum ualere nemo negare potest. Nam scripturis & exemplo Christi demonstrari non potest, uino aquam esse mixtam in cœna. Quæ idem author profert testimonia, nemo non uidet ad propositũ negotiũ nihil facere, adde & à natiuo sensu deflexa esse. Euangelium simpliciter pronunciat, dominum suis fructum uitis propinasse. Et cum S. Paulus toties meminit poculi, nuspiam tamen aquam uino infusam aut infundendã esse docet. Proinde rectè damnantur aquarij, id est, aqua pura utentes in cœna: quales fuisse cõmemorant Martionitas & Tatianos. Porrò indifferens est, uino utaris in cœna rubro an albo.

De utraq; specie in cœna danda & accipienda.

Rursus cur non sub una uel panis uel uini specie, sed sub utraq; sacramentum cœnæ nobis tradiderit dominus? illud unanimiter in caussa omnes doctores ecclesiarum esse arbitrantur, quòd ita significare, imò attestari uoluit, & animam & carnem se suscepisse, eademq; impendisse pro nobis, sed & animam & carnem nostram liberasse ab interitu sempiterno. Quamuis uerò duæ sint species, unũ tamen duntaxat constituunt sacramentum. Neq; enim separandæ sunt. Neq; probanda est eorum sententia qui priuata, imò sacrilega quadam potestate institutũ Christi corruperunt, offerentes communicantibus laicis unam duntaxat speciem panis, sacerdotibus autem utranq; concedentes, adeoq; & solis his uendicantes. Etenim S. apostolus Paulus ab ipso dño accepit ius, omnes Christi fideles admittendi ad poculum dominicũ: uideant ergo audaculi illi à quo acceperint præceptum arcendi laicos, & prohibendi his concessum à dño Deo poculum. Nam Christus disertis uerbis, & ueluti prophetico spiritu prænoscens quid futurum esset in ecclesia, non ad panem adiecit, Edite ex hoc omnes: sed ad poculum addidit, Bibite ex hoc omnes. Marcus quoq; non sine graui caussa subiungit, Et biberunt ex eo omnes. Quibus accedit quod apud Lucam dominus dicit, Accipite hoc, & diuidite inter uos. Hoc luculentum & disertum Christi institutum spectans apostolus Paulus ter aut quater pani connectit poculum, dicens, Quotiescunq; comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem domini annunciate. Item, Quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Et iterum, Probet semetipsum homo, & sic de pane edat, & de poculo bibat. Rursus, Qui edit & bibit indignè, &c. Multiplex est hoc testimonium, dignum planè cui credatur, & cui cedant omnes omniũ hominum traditiones. Omnibus fidelibus instituit dominus poculum cœnæ: ergo Apostoli eius omnibus fidelibus exhibuerunt. Etenim si sacramentũ sanguinis Christi solis datum est apostolis, certè res ipsa, nempe peccatorum remissio per sanguinẽ Christi parta, ad solos pertinet Apostolos. Cæterum dominus disertè dicit, Hic est sanguis noui testamenti, qui effunditur pro multis in remissionẽ peccatorũ. In alijs quoq; scripturæ locis traditur disertè, sanguinẽ Christi effusum esse pro remissione peccatorum omnium fidelium. Proinde cum laici rei capaces sint, quãto magis signi? Si uero aduersarij perrexerint dicere, solos ad cœnam accubuisse apostolos, (qui typum prætulerint sacerdotũ) & his solis usum calicis esse concessum, nec alijs nisi in prima cœna præsentibus concedendum; interrogamus eos quo iure panẽ domini offerant laicis, aut quo iure ad cœnam admittant mulierculas? cum satis constet nec has nec illos (uti isti hac de re loquuntur) assedisse mensæ domini. Atq; hic deprehensi hærent. Sed obijciunt periculũ calicis, qui si offeratur promiscuè omnibus,

nibus, futurum ut hominum ineptia imperitiaq; magno cum scandalo effundatur in pauimentum. Quasi uerò æterna Dei prouidentia non præuiderit tantum scandalum, quod sapientes isti demum in fine seculi perspiciunt, & quod Dei filio defuit, sarciunt. Sufficere autem clamitant laicis unam speciem, cùm per concomitantiam ibi d-prehendatur esse sanguis Christi, ubi est corpus Christi. Ita uerò sequeretur alteram speciem frustra esse institutam. Sed separatim quidem primùm obtulit Dominus panem, deinde uerò poculum: neq; quicquam eorum quæ Dominus instituit redundat: pinde utraq; species omnibus debet, sic iubente Domino, fidelibus distribui. Id quod fecisse omnem uetustatem ad tempora fermè usque Concilij Constantiensis testabuntur, quotquot ueterum scripta perlegerũt. Ex quibus nonnulli nihil ueriti sunt dicere, non sine sacrilegio diuisionem fieri huius sacramenti.

De Consecratione panis & uini.

Post materiam cœnæ explicatam, solet quæstio texi de forma uel de consecratione panis & uini. Sed quoniam de hac dixi in generali sacramentorum consideratione, non est quòd cum fastidio auditorum eandem rem repetam. Non agnoscimus ullam transsubstantiationem ui uerborum & characterum factam, sed panem & uinum in suis substantijs, id quod sunt, manere asserimus, accedere autem institutionem, uoluntatem, ac uerbum Christi, & fieri sacramentum, atq; sic plurimum differre à pane & uino prophano, ut suo loco diximus.

An aliquis præesse debeat actioni cœnæ.

Sequitur iam quæstio de eo, Quis administret cœnã: id est, An aliquis ex ecclesia actioni cœnæ debeat præesse, & quis? Certè res ipsa flagitat, & iubet natura, ut omnia fiant decenter ac iusto ordine: flagitat religio, ut omnia cœnæ fiant ad exemplũ Christi. At hic præfuit cœnæ. Idem ministros ecclesiæ instituit, per quos uoluit administrari sacramenta. Quemadmodum ergo non quiuis baptizat, sed legitimus ecclesiæ minister: ita non est cuiusuis instruere sacram cœnam, & administrare, sed à Deo ordinati ministri. Improbamus autem in præsenti doctrinã Papisticam approbantem Missas priuatas, tradentemq; sacerdotem offerre corpus & sanguinem Domini pro astantibus, & applicare per Missam meritum redemptionis, sacrum hoc deuotè contemplantibus. Vt enim nullum extat uerbum Domini quod sacerdotes sacrificare uel priuatim applicare iubeat cœnam pro alijs, aut quod contemplantibus cœnam quicquam promittat, Hoc facite, inquit, edite & bibite omnes in mei memoriam, non autem dicit edentes aut bibentes solos sacerdotes pro uobis, contemplamini: ita corporaliter non adest pani & uino Christus: animis nostris spiritu suo coniunctus est: nullo cum fructu resideret in pane. Et ut adsit maximè, sacrificari tamen non posset, cùm quòd ipse semetipsum semel in cruce obtulit, nec ab ullo homine peccatore Deo patri unigenitus & dignissimus Dei filius amplius offerri possit: tum quòd nihil necesse sit eum offerre denuo, Paulo dicente, Christus una pro peccatis oblata uictima perpetuò sedet ad dexteram Dei, id quod superest expectans donec reddantur inimici eius scabellum pedum eius. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuũ eos qui sanctificantur. Et iterum idem, Vbi est plenaria peccatorum remissio, ibi non est amplius oblatio pro peccato. Atqui plenaria nobis collata est remissio peccatorum per mortem Christi semel factam. Proinde nullum est amplius sacrificium ecclesiæ pro peccato. Celebrat itaq; ecclesia commemorationem sacrificij semel in cruce peracti: non sacrificat amplius uel cruentè uel incruentè. Est quidem laus & gratiarum actio sacrificium Domino gratissimum: uerùm hoc non offert minister pro alijs, sed cum alijs. Nihil ergo hic ministro aliud tribuimus quàm ministerium, ut in celebratione cœnæ præeat precibus recitandis, ac post prælectionem

Hebr. 10.

sacram uerborumque solennium pronunciationem, ipse, Christi ad exemplum, panem Domini frangere, & poculum eius distribuere incipiat, ipse quoque sicut alij fideles, & ut consors fidei pro se sacramenta percipiat, & communione peracta, sacram actionem gratiarumactione & sancta exhortatione concludat.

De loco cœnæ Domini. *Acto.20.*

De loco in quo celebretur cœna, nihil uideo rixatum apud uetustissimos ecclesiæ ministros. Dominus Iesus usus legitur aula priuatæ cuiusdam domus. Sed & Paulus Apostolus Troade & prædicat, & panẽ frangit in quodam cœnaculo. Ac uetus quidẽ ecclesia, proximè sequens Apostolorum mortem, ad magni Constantini ferè tempora usque, uel rarissima uel nulla habuit templa augusta & publica. Vix enim Christianis in tam atroci tempestate licebat in publicum prorepere. Interim utebantur locis honestissimis, in quibus in cœtum coibãt sacrum, habentes oratoria. Hodie non uidetur ullus locus & dignior & commodior esse Cœnæ sacræ, quàm idem ille qui destinatus est doctrinæ & precibus. Sic enim à Paulo didicimus 1. Corinth. 11. cap. Cæterum si uis tyrannica non concedat templum, in ædibus priuatis, sed honestis, honestè cœnare quid uetaret? De instrumentis quoque Cœnæ sacris nonnihil in medium proferre ipsa poscit res. Apostolica secula mensis positis cœnabant: ignorabant aras fixas & extructas lapide, quæ magis idoneæ sunt fouendis ignibus pecudibusque cremandis. Et portatilis quidem mensa magis congruit exemplo Christi. Altaria interim stata minimè damnamus, modò legitimo usui Cœnæ duntaxat seruiant. S. Paulus in 1. ad Corinthios aras ethnicorum, mensas appellauit, ut mirari non debeamus cur ueteres mensas nostras nuncupauerint altaria. Facilis est enim transitus de altero ad alterum; uideturque ab illis allusum ad aram illam tabernaculi Dei unicam. Insternebantur mensæ quondam mundo aliquo panno, linteo, uel mappa. Vnde fortassis mutuata sunt quæ appellantur Corporalia. Splendorem autem & ornatum illum mundanum tum quidem ignorauerunt aræ Christianorum. In lege enim cautum legimus, ne qua extrueretur ara lapidibus politis: qua lege omnis sumptus & splendor in religionibus prohibitus est.

De ara uel mensa Dei.

De Vasis cœnæ Domini.

Vnde nec uasa quidem Cœnæ quondam pretiosa fuisse constat. Vt enim Christus & Apostoli ubique frugalitatẽ docuerunt, & luxum damnarunt, cõtemptumque auri & argenti inculcauerunt: ita sacris mysticis doctrinam illam suam non subuerterunt, aut occasionem præbuerunt luxui. Cùm pax post diutinam persequutionem reddita esset ecclesiæ, cœptum est aureis & argenteis uasis libari in templis. Sed tum quoque non defuerunt qui istud reuocarent ad antiquam frugalitatẽ & simplicitatem. Chrysostomus enim clamabat (quod & aliàs monui) in Cœna Domini peragenda nõ aureis uasis, sed animis esse opus. Et Ambrosius, Aurum, inquit, sacramenta non quærunt, neque auro placent quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum redemptio captiuorum est. Laudat S. Hieronymus S. Exuperium Tolosanum Episcopum, qui corpus Domini canistro uimineo, sanguinem portabat in uitro, & qui auaritiam eiecerat ex templo. Et quidem quasdam ecclesias post octingentos annos & amplius à passione Domini, usas esse ligneis uasculis in propinando sanguine Christi, ille canon Concilij Triburieñ. cõuincit, qui adhuc extat in Decretis Pontificijs, uetans ne quis sacerdos sacrũ mysterium in ligneis uasculis conficiat. Antiquissima sunt itaque pocula in cœna Domini lignea. Rogatus olim Bonifacius archiepiscopus (quod etsi alibi adduxerim, cogor tamen hic propter argumenti conuenientiam repetere) an liceret in uasculis ligneis sacramenta cõficere? Respondit, Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur: nunc è contrario, lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus. Quòd

si quis

si quis ex alia materia parata, citra luxum & superstitionem proferat, non conten derim odiosius, modo agnoscat nihil peccare ligneis usurpantes calicibus. Nam quantum ad formam & materiam poculorum attinet, libera sunt omnia fideli ecclesiæ.

Porrò cōstat ipsum Dominum nostrum in prima Cœna, adde & Apostolos in celebratione Cœnæ usos esse ueste uulgari & honesta. A primogenia ergo institutione non discrepat, si minister ad mensam Domini prodeat tectus suo, cæterum decoro & honesto uestimento. Certè qui percipiunt, non alia quàm uulgari ueste induuntur. Cauendum ergo ne hic subrepat superstitio. Veteres unico tecti uidentur pallio superinducto uulgari uestimento: idq; non exemplo Christi, uel Apostolorum, sed ex traditione humana. Tandem suppellex illa quæ hodie uisitur, ex imitatione uestitus sacerdotalis ueteris legis collecta est & iniecta ministris Cœnam celebrare uolentibus. Nec dissimulat hoc Innocentius eius nominis III. in lib. de Sac. alt. myst. 4. cap. 4. At nos dudum didicimus Leuitica omnia non tantùm esse abrogata, sed à nemine rursus reducenda in ecclesiam. Ergo cùm in luce Euangelica, non in umbra legis uersemur, meritò reijcimus uestitum illum missalem Leuiticum. *Qua ueste utendum in cœna.*

Lingua uerò patria & omnibus intelligibili, uel uulgari in celebrandis sacramentis quamlibet gentem ab antiquo esse usam dixi aliàs. De Gesticulationibus, quibus in Cœna celebranda utantur ministri, ex Euangelio aliud nihil dicere possumus, quàm quod didicimus. Accepit Dominus panem, benedixit, fregit, distribuit, &c. Hæc si imitetur minister, non est quòd de alijs sit solicitus gesticulationibus. Quæ hodie in Missarum celebratione sunt recepta hominum arbitrio, adeò nihil maiestatis addunt mysterijs, ut plus contemptus concilient, ne quid dicam aliud quod uideatur atrocius. *Qua lingua utendum.* *Gesticulationes.*

Indifferens est autem accumbendo uel adeundo Cœnam peragat ecclesia, ac sacra symbola in manus proprias accipiat, uel in ipsum os de manu præsidentium excipiat. Primogeniæ simplicitati & institutioni magis congruit, & sedere, & sacramenta in manus proprias accipere de manibus præsidentiū, deinde uerò frangere, percipere, ac alijs impartiri. Vt enim Dominus ad mensam cū discipulis accubuit, ita dixit porrectis symbolis, Accipite, Diuidite inter uos. Præterea sicut tranquillius & minore turba cœnatur sedendo, circumferentibus per ecclesiam mysteria sacra ministris: ita satis constat ex ueterum historijs eucharistiam quondam datam esse in manus sumentium. Superstitio est pugnans cum doctrina Apostolorum, qua raduntur manus laicorum, attingentium sacram Eucharistiā. Quare non radunt eodem iure labia, linguam & fauces communicantium? *In manus accipere eucharist.*

Retexitur ex his & alia quæstio, quid iudicare oporteat de reliquijs cœnæ Dominicæ, an aliquid recondendum de Cœna, an reconditum uel reclusum sit adorandum? Sed uidetur hæc quæstio nihil habere pietatis, superstitiosa autē & perniciosa esse prorsus. Quis enim nesciat panem & uinum extra usum sacrum legitimumq; non esse sacramentum? An pergemus unà cum sophistis inquirere, quid arrodat mus, cùm arrodit panem Dominicum? Indignissimæ sunt hæ quæstiones & obruendæ obliuione sancta. De recludenda uerò Eucharistia ne uerbum quidem docet nos in Euangelio Dominus, multò minus de adoranda. Accipite, inquit, edite, diuidite inter uos: non autē dicit, Recondite, adorate. Nam ueri adoratores adorant patrem in spiritu & ueritate. Præterea legimus disertis uerbis dixisse Dominum in Euangelio, Si dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus est, nolite credere. Rationem huius sui præcepti subiungit, *Reliquiæ cœnæ.* *An recludenda & adoranda eucharistia.*

Sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet usque in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Gloriosus non obscurus erit reditus, ait, in mundum filij hominis: nec ueniet amplius, nisi iudicaturus uiuos & mortuos. Paulus ergo Apostolus docens nos ueram religionem, non in terris, sed mentibus exaltatis iubet nos adorare Christum in cœlis ad dexteram patris. Et quis obsecro tam uæsanus sit, qui adoret signum sacrum pro re ipsa sacrosancta? Ex decretis recenter conditis palàm constat humano arbitrio illa esse inuenta. Certum est, Festum, quod corporis Christi uocant, serò sub Vrbano Papa demum esse institutũ, anno Domini 1264. Id uidere licet in Clement. lib. 3. tit. 16. cap. Si Dominum.

Colos. 3.

Quando celebranda Cœna.

Restat iam excutienda quæstio temporis Cœnæ Dominicæ, Quando celebranda sit Cœna Christi, mane ne an uespere? An simul oporteat cœnare? An accipienda ieiunis an pransis? Quoties item celebranda sit cœna, semel an multoties rariusúe? Constat quidem apertè satis, Christum uespere cum suis discubuisse, sed inde non sequitur alio tempore cœnam non posse peragi legitimè nisi uespertino. Dominus enim ex occasione epuli paschalis, & quoniam ea ipsa nocte tradendus erat, uespere cum suis & cœnabat, & cœnam nobis instituebat. Liberum interim reliquit sacrum hoc transferre ad horas matutinas: quòd sobrij ad res gerendas omnes, religionis maximè, longè aptiores sumus, quàm repleti dapibus. Ipsa itaque res flagitat conuiuas ieiunos: non ita tamen ieiunos, ne liceat ualetudinis gratia prægustare aliquid. Paulus enim dixit, Quòd si quis esurit, domi edat. Idem Apostolus non uult simul instrui conuiuia cum cœna Domini mystica. Vnde nos dicimus, non oportere simul cœnare. Docet quidem Tertullianus Christianos frequenter simul cœnitare consuesse: quod Cœnæ genus ἀγάπην uocatum tradit, à dilectione mutuato uocabulo: quòd ibi ditiorum epulis pauperes reficerentur. Verùm his cibo, potu alijsque necessarijs etiam extra templum poterat prospici. Paulus non uult eodem in loco & conuiuia publica agitari, & Cœnam mysticam celebrari.

Agape.

Quoties celebranda Cœna.

Porrò quoties sumenda sit Eucharistia à fidelibus in anno, nihil lege lata definierunt Apostoli, sed liberum reliquerunt in cuiusque ecclesiæ arbitrio. Quid enim clarius est, quàm quòd Paulus dixit? Quotiescunque comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis donec uenerit. Nam Dominus (eodem Apostolo authore) prior præcipiens dixerat, Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem. Nemo interim ita sibi liberam factam existimet cœnæ celebrationem, ut nunquam illam peragat. Non ea esset libertas iusta, sed licentia iniquissima. Qui certis uel statis in anno diebus cœnam celebrant Dominicam, frequentia quotidiana nolunt eam abduci in contemptum aut fastidium. Habent enim rationem sui populi & cœnam dignè adeoque & cum desiderio cupiunt peragi. Qui uerò eam creberrimè repetunt, existimant iniquũ esse si res bonæ frequentia abeant in despectum. Quantò enim meliores sunt res, tanto aiunt usurpandas frequentius. Vtrique cupiunt inseruire Domino, & multo cum fructu peragi quod liberum fecit Dominus. Inter hos si arbiter siue sequester institueretur hodie beatus Augustinus, nihil aliud pronunciaret proculdubio, quàm quod pronunciauit de ipsa caussa scribens Ianuario, & dicens, Rectius inter istos quispiã dirimit litem, qui monet præcipuè in Christi pace permaneant, faciat autem unusquisque quod secundum fidem suam piè credit esse faciundum. Neuter enim exhonorat corpus & sanguinem Domini. Contemptum solum non uult cibus ille.

Iam quibus instituta & exhibenda sit sacra hæc Cœna etiam consyderandum est. Videtur autem instituta & exhibenda omnibus Christi fidelibus, cuiuscunque sexus, uiris & mulieribus, summis & infimis. Ergo non est spargendum tantum mysterium porcis & canibus ad contemptum & conculcationem. Priusquàm enim celebretur, seriò & significanter admonendi sunt omnes homines, quorum sit hic cibus, peccata agnoscentium, dolentium de commissis, & credentium in Christum: admonendi sunt omnes, ut quisque in semetipsum descendens sese probet, deinde uerò de pane hoc sacro edat, & de poculo bibat, ne indignè ad iudiciũ sibi manducet & bibat. Cæterum si qui post seueram admonitionem accedentes accumbant, accumbendoque quasi profiteantur palàm se & esse & cupere manere Christi cultores, à quo sperent peccatorum remissionem, sanè non sunt arcendi à ministris neque eis sacra deneganda mysteria. Nam ipse Dominus cordium scrutator, seuerè, diligenter, perspicuè & multis in cœna ultima, etiam ante mysteriorum exhibitionem, admonuerat Iudam hypocritam, furem, proditorem, latronẽ, imò parricidam, blasphemum & desertorem, sed cùm admonitus nihilominus non discederet à tabula, sed maneret inter sanctos, non repulit eum uiolenter Dominus, nec palàm recedere iussit, nec panem Dominicũ eidem detraxit, sed perinde ut alijs obtulit, utcunque certò sciret qualis esset: id quod ministri ecclesiarum non ita certò de accumbentibus semper nouerunt. Nec peccauit hic quicquam Dominus, nec sanctum canibus proiecisse uidetur. Nam diligẽter admonuit eum Dominus de omnibus, de quibus erat admonendus, ipse uerò illa omnia audiens & intelligens, nihilominus inter sanctos hæret, & se pro fideli, non porco uenditat, & tanquam fidelis de pane & poculo participat. Qua hypocrisi tamen graue in se Dei iudicium prouocauit. Quemadmodum hodie quoque omnibus hypocritis hic cibus & potus sacer cedit ad perniciem corporis & animæ. Neque uerò contaminauit hypocritæ in cœna Domini præsentia alios accumbentes fideles Christi discipulos: quemadmodum ne hodie quidem fideles polluuntur, tametsi cernant plurimos secum accumbere hypocritas. Non enim cœnant cum eis ut cum hypocritis, sed tanquam cum fidelibus. Sibi interim non alijs nocet, sibi cadit & perit, sibi iudicium manducat & bibit hypocrita, fidelis autem fide sua uiuit. Qua de re diximus in alijs Sermonibus.

Quibus instituta sit Cœna.

Et quamuis infantes reputentur in numero & ecclesia fidelium, cœnæ tamen non sunt capaces. Ea in re turpiter aberrarunt ueteres: id quod in Sermone de Baptismo admonui. Non excidunt uita æterna infantes, etiamsi decedant ex hoc seculo sine hoc cibo mystico. Hic institutus est adultis, non infantibus. Probet semetipsum homo, inquit Apostolus, & sic edat de pane, & bibat de calice. Et Dominus, Hoc facite, inquit, in mei memoriã. Et iterum, Mortem Domini annunciate donec uenerit. Quæ sanè omnia in adultis, non infantibus, locum habent. Diligenter autem mox à pueris instituendi sunt liberi nostri, ut mysteria maturè intelligant & frequentent. Hoc ipsum filijs Israel præcepit Dominus, dicens, Si filij uestri dixerint ad uos, Quis hic cultus uester? respondebitis, Victima trãsitus Domini est, qui trãsiuit uel præterijt domus filiorum Israel cùm cæderet Ægyptios, & domus nostras liberauit. Certè minimè nobis cõmittendum, ut in liberis nostris instituendis simus segniores, cùm beneficium acceperimus præclarius quàm isti.

Infantibus non instituta cœna.

Huic quæstioni affines sunt aliæ, An cœna quamuis ob caussam uel necessitatem priuatim sit instituenda? An deferenda ægris uel decumbentibus? An applicanda mortuis, id est, an offerenda pro defunctis ad impetrandum eis refrigeriũ? Scio quid hic dicatur & fiat uulgo. Incidit pestis, fames, bellum, aut cœli intem-

An contra imminentia mala sit cœna celebranda.

peries, mox celebrari iubetur cœna, ut hac uelut expiatione calamitas auferatur. Rursus, ægrotat aliquis, alius tabescit fame, & affligitur omniũ rerum inopia, petit & hic à sacerdote ut cœnet, quò morbus hac ceu probatissima medicina curetur, ac fames & egestas tollatur. Cæterum hæc non est legitima cœnæ celebratio, sed prophanatio fœda. Nam Dominus non instituit piacularem hostiam contra omnes calamitates, qua placari uoluit, sed memoriam mortis suæ, & debitã gratiarumactionem. Neq; uerò ei quicquam offerimus cœnantes, propter quod sit nobis propitius, ac hoc à nobis malum auertat, bonum uerò desideratũ nobis largiatur, uerùm pro acceptis beneficijs agimus gratias. Licet alioqui calamitatibus oppressis uota, id est preces, offerre Domino, sed non licet mystica eius sacra in alium conuertere finem, quàm ille instituit. Nec habemus ulla exempla, quæ doceant illos uiros sanctos sic usurpasse unquam Domini cœnam, sicuti illi faciunt. Acceperant filij Israel epulum agni paschalis in cõmemorationem liberationis ex Ægypto, & ut grati esse pergerent benefico Domino: quantum uerò admisissent piaculum si toties epulari instituissent, quoties calamitatibus pressi, liberationem ambiuissent, & hoc quidem opere perfecto ambiuissent? Illi ipsi Arcã fœderis à Domino acceperant in symbolũ diuinæ præsentiæ & certi auxilij, sed cùm illam contra finem institutũ in castra detulissent, in hoc ut per ipsam cõsequerentur uictoriam, ipsi quidem fugati & cæsi sunt, & arca ipsa abducta est à Palæstinis in captiuitatẽ.

Priuatim nec domi ægris, nec in templo sanis cœna instituenda.

Rursus, si cœna Domini est publicum totius ecclesiæ in unũ collectæ epulũ sacrum, in quo debet fractio, distributio, comestio & potatio fieri, illocq; declarari & obsignari cõmunio corporis & sanguinis Christi: consequens est, cœnam Domini nulli neque sano neq; ægro, decumbentiúe aut moribundo priuatim uel domi uel in templo instruendam esse, neque pios cœnam ad tales priuatos usus exposcere posse. Nam institutionẽ Christi Domini non oportet humana authoritate aut consuetudine mutare. Certè Paulus requirit publicum conuentũ ecclesiæ, & uniuersalem quidem cœtum ad cœnam rectè obeundam. Conuenientibus uobis, inquit, in unum, uel ad eundem locum, aut ad idem, non est cœnam Domini sumere, id est, non editis cœnam Domini. Ratio, Nam quisque priuatam uel suam aut propriam præoccupat in comedendo. Proinde non uult hic priuati quicquam fieri. Idem enim in eodem loco in condemnationem eos conuenire & edere cœnam Domini, ait, qui cœnando festinant, non expectata ecclesia, donec omnes conuenerint, & tum demum simul ederint & biberint. Dicit enim, Itaque fratres mei, cùm conuenitis ad comedendum, alius alium expectate, (quòd si quis esurit, domi edat, nimirum ne propter famem præoccupare cogatur) ne ad condemnationem conueniatis. Ergo cœna Domini non est priuata, sed publica cœna nulli priuatim danda. Et quoniam non est publicus uel generalis cœtus, quando quatuor uel quinq; cum ægro communicant, nihil dicunt qui aiunt apud ægros cœnã instrui posse, si alij quoque simul cœnent. Præterea quis neget exemplum Christi & Apostolorũ hic perpetuò esse sequendum? Atqui satis constat Christũ in publico cœnaculo, in collecta ad se (ut tunc temporis colligi potuit) ecclesia cœnasse. Sed & Paulus dicit ea in re secutum se exemplum Dñi, ecclesijs nihil tradidisse aliud, quàm quod acceperit à Domino. Neq; legimus uspiã in sacris literis alios Christi Apostolos Eucharistiã detulisse ad infirmos, & priuatim cuiq; pro sua tentatione sedanda cœnã instruxisse sacrã. Vbiq; uerò Apostoli omnes, ægros & conscientia perturbatos, uerbo Domini cõfirmare & erigere mandãt: sed & orationibus sedulis docent afflictis succurrere. S. Iacobus diligenter scripsit, quomodo gerant se fi-

Iacobi 5.

deles apud ægros & moribundos, sed delationis ad ipsos aut celebrationis Eucharistiæ

ristiæ nō meminit uel uerbo. Nec uerisimile est, fidelissimos ecclesiæ doctores apostolos, dissimulaturos, si credidissent id maximè ad salutē nostram pertinere. Mouerunt nos sæpe de rebus longè minutioribus. Ac certum est, oīa illos ecclesiā docuisse, quæ ueræ pietatis & salutis sunt: nunc huius ne uerbo quidē meminerunt.

Obijciunt illud ex Actis apost. Et frangentes per singulas domos panem, inuicem sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis laudātes Deum. Cæterum is locus pertinet ad corporalem & nutritiuum, non mysticum cibum. Sequitur enim, μετελάμβανον τροφῆς, sumebant inuicem cibum uel alimentum. Proinde ut apud Isaiam in 58. cap. panem frangere pro cibare ponitur, ita hic quoque. Ditiores enim suppeditabant tenuioribus uictum, idq; faciebant ditiores animo hilari, non subtristi: & qui percipiebant beneficia, laudabant Deum. Quòd si quis pertinaciter contendat apostolos in priuatis ædibus cœnasse, respōdemus id nihil facere ad caussam præsentem ægrorum, ac ad priuatam communionem. Priuatas enim ædes tunc illis templorum uice fuisse dixi superius. Ergo non cœnarunt in priuatis ædibus propter ægros cibandos pane Eucharistiæ, sed quòd in eas confluxisset uniuersalis eius loci ecclesia: sicuti & Actor. 20. cap. apparet. Sicuti & in persecutionibus fieri consueuit. Rursus obijciunt, ueteres Eucharistiā uinctis ad carceres, & decessuris uiatici loco misisse. Verùm alibi diximus qua de caussa id fecerint antiqui. His iam addimus humanā consuetudinē non præiudicare uerbo dei. Commemorat beatus martyr Irenæus, Romanos episcopos solitos fuisse Eucharistiam transmittere episcopis aliunde Romam uenientibus in signum cōsensionis seu concordiæ. Atqui is ritus non fuit omnibus episcopis uulgaris, nec usurpatur hodie in ecclesijs. Vnde consequens est multa ueteribus fuisse in usu (quale illud quoq; fuisse iam ante diximus, quòd Eucharistiam dederunt infantibus) quæ nobis nullam interim legem cōstituunt. Possent uel hodie uiri boni priuatam admittere cœnam, ad tempus, his qui nondum plenum cœnæ usum intellexerunt. Verùm quis hinc collegerit iure ab omnibus fieri debere, quod indulgentia fit à quibusdam? Quòd si omnino & contentiose perrexerimus asserere uiaticum illud, renascetur ex eo (quod iam seculis aliquot receptum uidimus) fiducia in ipsam perceptionem sacramenti, quasi propter eam grati simus domino, discedentesq; ex hoc seculo, rectà euolemus ad cœlos, sine Eucharistia autem percepta deferamur rectà ad inferos. Subnascentur & alij errores plurimi. Neq; uerò ulla necessitas cogit ægris deferre Eucharistiam. Vt enim captiui citra salutis periculum absunt à celebratione cœnæ, sic etiam ægri ac moribundi. Cæterum cum sint interim per fidem ueram colligati corpori Christi, ecclesiæ, licet corpore absint cœtu sacro, mente tamen præsentes, omnium bonorum spiritualium participes sunt. His enim satis est quòd, dum per ualetudinem potuerunt, semper sacris adfuerunt mysticis. Epulum paschale nō ubilibet exhibebatur, sed Hierosolymis duntaxat, uno in loco. At quot putamus per ualetudinem corporis male affectā, & propter seniū, ex regno tam amplo Hierosolymas attingere non potuisse? Et quamuis nemo his in sacculo quicquam deferret ex carnibus agni, nihilominus tamen cōmunicabant cum tota Israelis ecclesia. Quis autem dubitet per aduentum Christi, cōditionem Christianorum minime factam esse deteriorem?

Pro mortuis non est instituta Cœna mystica à Christo domino, sed pro uiuentibus duntaxat: ergo pro mortuis non est celebranda eorùmue applicanda redemptioni. Qui sine fide moriuntur, subeunt rectà iudicium condemnationis. Qui uero mortui sunt in Christo, iam nunc choro seniorum inserti ante agnum stantes concinunt æternum Halleluiah. Nam certissimam esse salutem animarum fide-

Act. 2.

Deut. 16.

Pro mortuis non offerenda est eucharistia.

lium à morte corporea, demonstraui in sermone de Anima. Quod uerò nonnulli obijciunt, ueteres meminisse oblationis pro mortuis, nihil ad nos pertinere putamus. Scripturæ enim Canonicæ citra contradictionem credimus: patribus non credimus, nisi quatenus sua nobis approbãt scripturis canonicis. Nec ipsi sibi aliter credi uoluerunt. Proinde si ueteres sentiunt Cœnam esse sacrificium, & hanc pro refrigerio animarum defunctorum offerendam, non recipimus eorum sententiam, utpote non congruam scripturis canonicis, docentibus Cœnam à domino non in hunc finem esse institutam, ergo abusu Cœnæ deũ exasperari magis quàm placari: imò nullum esse opus hominis quãtumuis bonum, nedum uerbo Dei aduersum, quod sanctificare posit, cum ea prærogatiua sit solius meriti filij dei: præterea animas defunctorum non esse in huiusmodi statu in alio illo seculo, ut iuuari posint aut debeant ullis huius seculi operibus. Porrò si ueteres per oblationem intelligunt sacrificium laudis, nõ repugnamus, quò minus fiant pro mortuis oblationes, hoc est ut gratiæ agantur Deo, laudeturq́ bonitas eius qui uera fide donatos euocarit ex hoc misero seculo, coniunxeritq́ angelorum & omnium beatorum agminibus in æterna illa omnium gaudiorum patria. At cœnam propter defunctos celebrare, nulla iubet ueritas uel pietas.

Sacrificium duplex, expiationis & confessionis.

Ac in sacrificio uel oblatione distinguimus. Est enim sacrificium expiatorium, est & sacrificium confessionis uel laudis. Expiatorium offertur pro expiandis uel purgandis peccatis, adeoq́ & pro satisfactione pro peccatis. Id nequit esse sine morte & sanguine: quod Apostolus disertè ostendit in 9. cap. ad Hebræ. Tale uerò Christi sacrificium est (cui typum prætulere omnia omnium sanctorum ueteris testamenti sacrificia) qui & sacerdos & hostia semel semetipsum Deo patri obtulit, dum in cruce passus & profuso sanguine innoxio expirauit. Tale sacrificiũ hodie Cœna non est, sed commemoratio mortis, uel sacrificij semel peracti in cruce. Neq; enim Christus iterum sacrificari uel debet uel potest, qui semel oblatus sufficit expiandis omnibus omnium seculorum delictis. Quorsum ergo iterum sacrificaretur? Neq; à quoquam hominum filius Dei sacrificari potest, quia ea de causa semetipsum semel Deo obtulit, quippe sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedek.

Proinde minister ecclesiæ, Christi corpus & sanguinem Christi in cœna pro uiuentibus in ecclesia non sacrificat: sed cum tota ecclesia commemorationẽ peragit sacrificij in cruce semel peracti. A quo alibi dixi & Cœnam denominari posse sacrificium, eò quod sacrificij semel peracti à Christo sacramentum sit, sicuti & S. Augustinus scriptum reliquit. Confessionis uerò sacrificium, laudis est & gratiarum actionis, quod nos deo offerimus pro redemptione & beneficijs Dei gratis ecclesiæ collatis. Hanc cũ semper offeramus deo orantes, maximè uerò peragentes eucharistiam, uel celebrantes Cœnam, Cœna à ueteribus appellata est sacrificium, eo quòd in ipsa gratias deo agamus pro liberatione à morte & pro hæreditate donata uitæ æternæ. Offerri autẽ hoc sacrificium deo promiscuè ab uniuersali ecclesia cœnante, non à solo ministro ecclesiæ, pro uiuentibus in ecclesia, supra diximus.

De finibus Cœnæ dominicæ.

Cum autem hactenus, quantum necessitati huius caussæ seruire uidebatur, & quantum nostra potuit præstare exilitas ac inopia, plerasq; Cœnæ circumstantias, uel quæstiones de ipsa proponi solitas excusserimus, superest ut & ad finem propter quem Cœna domini à domino instituta est (qui locus sanè inter præcipuos non temere numeratur) explicandum descendamus. Eum uerò in descriptione Cœnæ ab initio protinus huius sermonis enumerauimus. Dominus enim pane

& uino in sacrum nobis epulum apposito, suam nobis promissionem & communionem uoluit attestari, donaq; sua nobis repræsentare & sensibus subijcere, uisibiliter quoq; in unum corpus colligere, mortem denique suam in memoria fidelium retinere, & officij nos nostri admonere, laudis & gratiarumactionis maximè. Atq; hæc quidem omnia sigillatim exponentes prosequuti sumus in generali consideratione uel tractatione Sacramentorum: eadem ergo in præsenti duntaxat refricantes perstringemus, ea paulò copiosius tractaturi, quæ ex illis disputanda proueniunt.

Cæterum per communionem intelligo societatem, coniunctionem uel participationem Christi domini, qua ipse per spiritum suum se totũ nobis insinuat atq; coniungit, nosq; eius per fidem participes efficimur, ac ipsi connectimur: ita ut per ipsum liberati à peccato & morte, in ipso uiuamus hæredes uitæ æternæ, ac ipse uiuat in nobis, ac totus noster sit quemadmodũ ipsi sumus eius toti. Neq; aliud esse dicimus communionẽ corporis & sanguinis domini. Nam corpore in mortem pro nobis tradito, & sanguine in remissionem peccatorum nostrorum effuso effectum est, ut purgati à peccatis, ipsius membra facti simus, ac ipse iam uiuificet, & ueluti alimentum uiuificum sustentet nos: unde etiam ipsum, utpote cibũ & potũ uitæ, edere & bibere dicimur. Itaq; promissio, cuius modò meminimus, & ipsa aliud non est, quàm ipsum dei uerbum, quod nobis annunciat in solo Christo esse uitam: Christum enim corpus suum tradidisse in mortem, & effudisse sanguinem in remissionem peccatorum nostrorum, ut credentes ipsi habeamus uitam æternam. Cæterum hæc promissio & communio Christi nõ nunc primum ad nos in Cœna aut per Cœnam defertur. Dominus enim Deus noster mox à mundi initio uitam & remissionem peccatorum Adæ & semini eius per Christũ promisit: deinde eandem promissionem cum Noe, Abraham, Mose & Dauide, alijsq; patribus renouauit. Et patres communicasse cum Christo, bonorumq; eius participes factos esse, testis est Apostolus cum uniuersa scriptura. At non solis patribus tantum obuenit bonum. Facta est & nobis promissio, & delata ad nos communio Christi, ac defertur singulariter in sancto baptismo, adde & in clarissima euangelij prædicatione: præterea nos illam recipimus fide, per quam Christo coniungimur, membraq; eius efficimur. Ergo ut ante Cœnam, Christi nõ sumus expertes aut uacui, sed uiuificati ab eo ac membra eius siue cõsortes: ita in ipsa actione, seu celebratione Cœnæ, reparatur nobis promissio, & nos cõmunionem illam Christi in qua sumus, renouamus & continuamus, corpore & sanguine Christi spiritualiter, uita & donis eius omnibus uerè per fidẽ participantes. Atq; hoc modo corpus domini edimus, & sanguinem eius bibimus. Porrò cõmunionem illam spiritualem, & promissionem uitæ per Christum, ipse dominus symbolis uisibilibus, epulo inquam panis & uini, uerbo uel promissioni suæ adiunctis, uisibiliter attestatur & obsignat, se uidelicet esse panem & potum uiuificum: nos autem (symbolis, fide & obedientia susceptis) obsignari in nobis promissionem illam & communionem Christi sustinemus, impresso uel traiecto in corpus nostrum corporis & sanguinis domini sigillo, uel sacramento. De qua re Apostolus quoq; disseruit in 1. ad Corinth. 10. cap. & ad Romanos 4. & nos ex ipso plura diximus in generali consideratione sacramentorum.

Dominus promissionem & communionem suam nobis attestatur.

Priusquam de alijs Cœnæ finibus positis in descriptione eius dicam, commemorabo quæ alij de promissione & communione Christi proferunt. Damnãt nostram doctrinam tanquam hæreticam. Contendunt enim dominum promisisse corpus & sanguinem suum uerum, sub specie panis & uini daturum in cibum

Confutatur sententia de corporali præsentia Christi in cœna.

& potum fidelibus, ergo modis omnibus & sine ulla contradictione credendum, ipsum panem naturale domini corpus, uinum sanguinem esse, & hæc ipsa manducari & potari oportere non tantùm spiritualiter, sed & corporaliter, ad uitam æternam. Quòd autem Christus corporaliter præsens sit in cœna, adeoq; panis eius corpus, uinum sanguis sit, sic probant, Quod dominus dicit, falsum esse non potest, quia ipse ueritas est, Dicit autem panem esse corpus suum, uinum esse sanguinem suum: itaq; panis & uinum eucharistiæ sunt uerè, realiter & essentialiter corpus & sanguis Christi. Cui quidem ueritati simpliciter credendum aiunt, licet ipsa ratio, totus mundus, omnes sensus, & ipsa natura rerum reclamet. Respondemus uera esse omnino quæ dixit dominus qui ueritas est: sed eo sensu quo ipse dixit ac intellexit, non autem eo sensu quem nos uerbis eius obtrudimus. Indagandum est ergo ante omnia quis sit uerus uerborum domini in Cœna, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, &c. sensus.

De genuino sensu uerborum domini, Hoc est corpus meum.

Isti quidem clamitant uerba domini simpliciter ad literam esse exponenda. Esse enim uerba testamenti; hoc autem non admittere ut uerba eius exponantur per tropum. Nos uerò dicimus omnes libros euāgelicos & Apostolicos recenseri sub titulo testamenti, ergo in omnibus & singulis scripturæ locis nihil corrumpendum, nihil adijciendum, nihil detrahēdum, nisi maledictioni dei subiacere libeat. Interim tamen fateri cogimur, infinitas esse in diuinis scripturis sententias, quas si pergamus simpliciter ad literā exponere, subuertemus cum fide uera scripturam uniuersam, aut mendacij & cōtradictionis arguere uidebimur. Proferā huius generis unum & alterum exemplum. Scribit beatus Apostolus & euangelista Ioannes, Verbum caro factum est. At si pergamus inhærere uerbis, dicemus deū mutatum esse in hominem. Sed quia hic sensus fidei & scripturæ cōtrarius est, Deus enim immutabilis est: & Christus Deus & homo uerus est, naturis non immixtis aut conuersis, sed in suis proprietatibus permanētibus, admittimus expositionē, quæ tradit Verbum assumpsisse carnem, deum factum esse hominem. Et hic quidem sensus non est alienus à scriptura: Paulus enim dicit filiū Dei nuspiam assumpsisse angelos, sed semen Abrahæ. Proinde uocabulum Est, exponunt orthodoxi cum Apostolo per assumpsit. Qua de re pluribus egit beatus Theodoretus in Polymorpho suo, Dialogo I. Rursus apud eundem Ioannem dicit dominus. Pater maior me est: inæqualitatē adorandæ trinitati obtrudemus, si contenderimus uerba domini absq; interpretatione simpliciter esse accipienda. Adhibitis autem locis alijs, & in consilium aduocata fide, dicimus filium iuxta diuinitatem patri æqualem esse, secundum humanitatem minorem, iuxta illud prophetæ apud Apostolum quoque usurpatum in hoc argumento, Minuisti eum paulò minus ab angelis. Legimus in euangelio Christum dominum habuisse fratres, & Ioannē apostolum appellari filium Mariæ, Mariam matrem Ioannis, Quis autem, nisi Heluidiana labe infectus, contendit illa exponenda esse ad literam? præsertim cum alij loci scripturæ manifestè testentur, fratres appellatos, qui reuera erant patrueles & consobrini, affines uel consanguinei: sed & circumstantia loci apud Ioan. in 19. cap. euincat Mariam Ioanni ut matrem filio esse cōmendatam. Si uerò ita tumultuari libet, ut illis hactenus licere experti sumus, clamantibus & clamando repetentibus, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, Hoc est, Hic est, Hoc est, Hic est, Est, Est, Est, repetemus & nos, Verbum caro factum est, factum est, factum est. Pater maior me est, est, est. Christus fratres habet, fratres inquam, fratres habet. Scriptura hoc habet. Veritas sic dicit. Verū quis ex his molestis & odiosis clamorib. & pertinacissimis rixis fructus redibit ad ecclesiā? Quomodo ædificabuntur audito-

auditores? Quomodo propagabitur gloria Dei? Quomodo illustrabitur ueritas? Necessitas ergo cogit nos fateri alicubi recedendum esse à litera, sed non à sensu, sensum autem adferendum quem ipsa fides, quem alij scripturæ loci cum hoc collati, quem denicꝫ loci eius circumstantiæ, præcedentia cum consequentibus sponte sua suppeditant. Interim à simplicitate uerborum non facilè discedendum esse, clamamus etiam ipsi & inculcamus. Verùm ubi cogit absurditas, nō rationis, sed pietatis, & scripturarum repugnantia, & cum articulis fidei pugnantia, dicimus, asserimus & contendimus, pium, imò necessarium esse recedere à litera & simplicitate uerborum. Iam uerò cogere nos illa ipsa quæ modò commemorauimus, recedere à litera in his domini uerbis, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, solidis scripturæ argumentis demonstrabimus, si prius genuinum & ueterem sensum uerborum solennium paucis explicauerimus. *Quando recedendū à litera.*

Dominus panē discipulis suis in eadem mensa accumbens, manu propria porrexit. Et cū unum modò corpus uerum, humanū & naturale haberet, hoc ipso utique uero corpore suo panē, non corpus uel alienū uel hoc ipsum suum discipulis porrexit. Necꝫ obturbat quod S. Augustinus enarrans Psal. 33. illud de Dauide citat, Et ferebatur in manibus suis: quibus mox subiungit, Quis uerò portatur in manibus suis? Manibus aliorū potest portari homo, manibus suis nemo portatur. De Dauide ergo id nō intelligitur, sed de Christo. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando cōmendans ipsum corpus suū, ait, Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. His enim uerbis S. Augustinus non affinxit duo corpora Christo humana, sed sensit corpus humanum tulisse in suis manibus corpus sacramentale, id est ipsum panē qui est corporis ueri sacramētum. Significanter enim dicit, Commendans corpus suum, ferebat illud corpus in manibus. Nam Concione secunda ijsdem prope uerbis, pauculis modò mutatis, Quomodo, inquit, ferebatur in manibus suis? Quia cum commendaret ipsum corpus suum & sanguinem suum, accepit in manus suas quod norunt fideles: & ipse se portabat quodammodo cum diceret, Hoc est corpus meū. Quibus uerbis manifestè declarauit se nō sentire ipsum corpus Christi naturale, Christū corpore suo naturali porrexisse discipulis: sed hoc quod norunt fideles, nimirum sacramentū uel mysteriū. Sequitur enim, Et ipse se portabat quodāmodo (obseruate quæso illud quodammodo) cum diceret, Hoc est corpus meum. Proinde uerba illa solennia, Hoc est corpus meū, quod pro uobis frangitur: &, Hic est sanguis meus, qui pro uobis effunditur, non alium sensum habere possunt, quàm hunc, Hoc est memoraculum, memoriale uel memoria, symbolū uel sacramentū corporis mei pro uobis traditi. Hic calix, uel ipsum uinū potius in calice, significat aut repræsentat uobis sanguinem meum semel effusum pro uobis. Sequitur enim in uerbis domini solennibus, quod mirè hunc sensum confirmat, Hoc facite in mei cōmemorationem. Quasi dixerit, Nunc quidem præsens ante oculos omniū uestrum obuersor: moriar autem & ascendam in cœlum, tum uerò panis & calix hic sacer memoracula seu symbola erunt traditi mei corporis & effusi cruoris pro uobis. Tunc frangite panem & māducate, poculum distribuite & bibite, & hæc in mei memoriam facite, laudantes mea in uos collata redemptionis & uitæ beneficia. *Vetus expositio uerborū cœnæ, Hoc est corpus meum.* Augustinus

Quanquam uerò hæc interpretatio calumnijs & conuitijs tantùm nō oppressa, abominabilis cœperit esse plerisqꝫ, ueram tamen, genuinam, & omnium uetustissimam esse constat. Tertullianus lib. contra Mart. 4. Christus acceptū, inquit, panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei. S. Hierony. in euang. Matth. Quomodo in Tertullianus Hieronymus

præfiguratione Christi, inquit, Melchizedek summi Dei sacerdos uinum & panem proferens fecerat, ipse quoque ueritatẽ corporis repræsentaret. Chrysost. Homil. in Matth. 83. Si mortuus Iesus non est, inquit, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est? S. Ambrosius in 1. ad Corinth. 11. cap. Quia morte domini liberati sumus, ait, huius rei memores in edendo & potando, carnem & sanguinem quæ pro nobis oblata sunt, significamus. S. Aurel. Augustinus non uno loco in eandem locutionũ classem conijcit has locutiones, Sanguis est anima, Petra erat Christus, & Hoc est corpus meũ. Videamus ergo quid dicat de illis locutionibus, ut intelligamus quid de uera huius, Hoc est corpus meum, interpretatione iudicemus. Lib. Quæst. 3. in Leuit. quæst. 57. Restat, inquit, ut illud appelletur anima, quod significat animam. Solet autẽ res quæ significat, eius rei nomine, quam significat, nuncupari. Sicut scriptum est, Septem spicæ septem anni sunt. Non enim dixit, Septem annos significant. Et septem boues, septẽ anni sunt, & multa huiusmodi. Hinc est quod dictũ est, Petra erat Christus. Non enim dixit, Petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod utique per substantiam hoc non erat, sed per significationem. Sic & sanguis, quoniam propter uitalem quandam corpulentiã, animam significat, in sacramentis anima dictus est. Tantum ille. Idem August. contra Adimantum cap. 12. Sic est sanguis anima, quomodo petra erat Christus. Et iterum ibidem, Possum etiam præceptum illud (de sanguine & anima pecoris, &c.) interpretari in signo esse positum. Non enim dominus dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui. Hæc ille. Obscura aut dubia esse hæc Augustini, ne Chorœbus quidem dixerit. Coniungat his qui uult quæ idem hic author clarè tradit de figurata locutione lib. 2. contra Aduers. legis cap. 9.

Chrysosto=

Ambrosius

Augustinus

Demonstratio tropicæ locutionis in uerbis cœnæ, Hoc est corpus meum.

Sed desinamus humana proferre testimonia de genuina & uetustissima uerborum Christi, Hoc est corpus meũ, expositione, pergamus potius solida ex scripturis, quæ & promisimus cõmemorare argumenta, quibus euincamus recedendum à litera necessariò, & uerba Christi ad eum quem diximus modum explicanda esse per tropum.

Principiò constat dominum in præsenti instituisse sacramentum: unde manifestum est eo modo locutum esse, quo solet scriptura aliàs in negotio sacramentario, ut cum dicit circuncisionem esse fœdus domini, Agnum esse transitum domini, Sacrificia esse & peccata, & sanctificationes, Baptismum esse lauacrum regenerationis. At demonstrauimus huius Decad. Sermone 6. has locutiones omnes admittere expositionem. Admittit ergo & hæc locutio, Hoc est corpus meũ, Hic est sanguis meus, expositionem, quia sacramentalis est. Admittit autem uulgarem illam, quam certissimum est receptam & usurpatam esse à catholica ecclesia ab Apostolorum temporibus, imò & à patriarcharum seculo ad nos usque, signa accipere rerum signatarum uocabula uel nomina, ut interim de substantia earum nihil participent, sed in sua natura propria permaneant.

Huc accedit quod dominus in euangelio secundum Lucam epulum paschale coniunxit cum cœna hac dominica nostra, adeoque & hanc in illius locum substituit: ut nihil mirum si in cœna nostra dixerit, Hoc est corpus meum. Nam in epulo paschali dicitur, Agnus est transitus domini. Quod quidẽ locutionis genus non erat obscurum Apostolis intelligentibus agnum hunc memoraculũ esse transitus semel peracti. Ex illa itaque intelligebant panẽ domini à domino illis oblatũ, corporis esse memoraculum. Alioqui enim in rebus multo minoris momenti diligenter percontabantur de genuino uerborũ sensu dominũ. At in præsenti nihil interrogarunt. Erant enim omnibus sanctis locutiones sacramentales perspectissimæ.

Præterea

Præterea si pergamus simpliciter ad literam uerba cœnæ intelligere, consequens erit Dominum nobis corpus & sanguinem suum corporaliter haurienda obtulisse. At in quem finem oro obtulisset, nisi ut ea corporaliter haurientes uiuamus? Cæterum uniuersa scriptura canonica docet uitam uel salutem & iustitiam nostram sola fide (quæ & spiritualis manducatio est) in traditum corpus & effusum sanguinem, nullo autem opere nostro, nedum corporali manducarione corporis Christi, quam ipse alibi docet nihil prodesse, constare. Cùm autem non sit nisi una eaq; simplicissima uitæ & iustitiæ parandæ ratio, per solam fidem, non per opus manducationis nostræ, neque sibiipsi contradicat scriptura, certè huiusmodi opus manducationis non instituit Dominus: & idcirco expositionem recipiunt uerba solennia cœnæ.

Si panis esset uerum & naturale corpus Domini, omnino sequeretur etiam impios hoc pane participantes, percipere corpus Christi, adeoq; carnem eius fieri cibum uentris: cùm careant illi mente fideq;. Verùm ab ea cogitatione ut absurda & indignissima omnes sancti abhorrent. De qua re paulò post dicã pluscula. Recipit ergo interpretationem sententia Christi, Hoc est corpus meum.

Vniuersa scriptura canonica testatur Dominũ Iesum Christum assumpsisse de intemerata uirgine corpus corpori nosto, id est humano, per omnia consubstantiale, imò factum esse illum nobis per omnia similem, excepto peccato. Iam uerò constat ipsum de uero corpore suo sensibili loquutum, cùm ait, Hoc est corpus meum. Nam addit, Quod pro uobis frangitur, uel traditur. Verum enim, naturale, sensibile, uel humanum pro nobis traditum & mortuum est. At hoc nuspiam apparet in pane, uel sub pane. Recipiunt ergo uerba Domini interpretationem.

Certè si Domini sententia fuisset ex pane facere corpus, ex uino sanguinem, iuxta potentiã qua uerbo condidit omnia, simul atq; dixisset, Hoc est corpus meum, panis fuisset corpus Christi, & illud ipsum corpus quo de loquebatur, mortale, passibile & palpabile, uisibileq;. Dixit enim & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt. Dixit, Fiat lux: & facta est lux, & huiusmodi quidem lux, quæ & sentiretur & luceret. Cæterum in Cœna nihil uidemus in manibus Christi, quàm panem, nullum corpus. Proinde mens saluatoris non fuit hisce uerbis, Hoc est corpus meum, condere aut facere ex pane corpus. Alioqui enim factum fuisset.

Nec est quòd hîc nobis nebulas suas spargentes offundant, & fucos suos allinant putridæ structuræ, utentes uocabulis Ineffabiliter, supernaturaliter, inuisibiliter, non qualitatiuè, non quantitatiuè, non ut in loco. His enim omnia sua, aliud interim effecturi, miro Dei iudicio, subuertunt. Si enim mysterium hoc ipsorum ineffabile est; quare utuntur hisce uocibus essentialiter, substantialiter, realiter, corporaliter? Effantur certè modum præsentiæ, qui sic loquuntur. Si supernaturaliter est panis corpus Christi, quare ipsi adijciunt naturaliter? Si uerò panis est corpus Christi inuisibiliter, nequit esse corporaliter, nequit esse uerum corpus, cuius proprietas est uisibile esse. Quis non rideat, si audiat ignem alicubi ardere & splendere lumen, sed frigidè & sine luce? Si non adest qualitatiuè, quantitatiuè, & ut in loco, ergo corporaliter non adest. An non corporum sunt quantitates, qualitates & locus? Audite enim quid Augustinus dicat ad Dardanum de præsentia Dei, Spacia locorum tolle corporibus, inquit, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi sint, & ideò necesse est ut non sint. Nos ergo ne spoliemus corpus Domini suis proprietatibus & sic negemus ueritatem corporis eius: rursus ne in eadem sententia adducamus tot contraria & absurda, exponimus uerba Domini.

Hoc est corpus meum, hoc est memoraculum corporis mei: uel, Hoc significat corpus meum.

Item si uocula EST, substantiuè accipienda est in uerbis Domini, Hoc est corpus meum, consequitur panem conuerti in carnem Christi. Sed hoc non fieri omnes sensus arguunt, manente substantia non tantùm accidentibus panis. Necesse est itaq; ut aduersarij intelligant in hoc, cum hoc, uel sub hoc esse corpus Christi. Verùm ita discesserunt & ipsi à simplicitate uerborum Domini, dicentis, Hoc est corpus meum: & non, Sub hoc est corpus meum.

Rursus si uerbis præscriptis affixi ne latum quidem pilum ab ijs citra sacrilegium deflexerimus, cur obsecro ausi sunt uerba quæ calicis uocant alio prorsus modo recitare S. Lucas & Paulus, quàm S. Matthæus & Marcus? Hi enim uerba sacri calicis sic reddunt, Hic est sanguis meus, qui est noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Illi uerò sic commemorant, Hoc poculum nouum testamentum per sanguinem meum, qui pro uobis effunditur: &, Hoc poculum nouum testamentum est in meo sanguine. An uerò existimamus nihil differentiæ esse inter sanguinem Christi & inter nouum testamentum? Nouum testamentum finit post Ieremiam Paulus esse plenariam omnium peccatorum remissionem. Ac idem ille dicit sanguine Christi hanc peccatorum remissionem esse partam. Quis uerò fuerit tam impudenter contentiosus ut audeat asserere ipsum poculum, aut uinum in poculo realiter & substantialiter esse remissionem peccatorum? Quid quod poculum uel calicem, non uinum, non potum, cogemur fateri uel sanguinem Christi, uel nouum testamentum, aut remissionē peccatorum esse, si pergamus literæ inhærere mordicus? Non enim dicit Dominus, Hoc uinum, sed hoc poculum. Libenter autem hic propter absurditatem uitandam admittimus tropum: Quare ergo in æquali caussa sumus iniquiores? Ergo sicut poculum uel uinum est testamentum uel remissio peccatorum, ita poculum uel uinum est sanguis Christi, eademq; ratione panis est corpus Christi. Poculum autem substantialiter non est peccarorum remissio aut sanguis, sed sacramentum sanguinis Christi quo dedicatum est testamentum nouum, & nobis obtenta plenaria peccatorum remissio: ergo panis est corpus Christi, quia sacramentum est corporis Christi.

Firmum quidem est argumentum quod produximus, sed non minus firmum futurum speramus, quod modò producturi sumus. Dominus cœnam sacram peragens, Hoc facite, inquit, in mei memoriam. Ac ea uerba non permittunt, ut eorum præsentiam realem statuamus, quorum meminisse debemus. Quis enim eorum meminisse dicitur, quæ coram præsentia contemplatur? Non debemus autem recedere à simplici significatione reminiscentiæ, aut memoriæ, præsertim cùm Paulus dicat, Mortem Domini annunciate donec uenerit. Inde enim sic colligimus, Cuius memoria peragitur donec ueniat uel redeat, is certè non præsens habetur sed uenturus expectatur: ergo corpus Domini traditum pro nobis, cuius memoria peragitur in cœna mystica, nō habetur præsens. Venturum enim expectatur.

Iam & loci illi qui de relinquendo per Christum mundo, de abeundo hinc loquuntur, non admittunt simpliciter uerborum cœnæ interpretationem. Expedit uobis, inquit, ut ego uadam. Si enim non abiero, consolator ille non ueniet ad uos. Sin autem abiero, mittam illum ad uos. Item, Exiui à patre, & ueni in mundum: iterum relinquo mundum, & uado ad patrem. Et iterum, Et posthac non sum in mundo: & hi in mundo sunt, & ego ad te uenio. Pugnant sanè hæc Abijsse hinc,

Ioan. 16.

1 Corin. 11.

hinc, Amplius non esse in mundo, Reliquisse mundum: & corpus suum naturale esse in mundo, adeoq; in cœna realiter & substantialiter exhiberi & recipi. Neque uerò licet testimonia ex Euangelio Ioannis de abitione Christi adducta tropicè interpretari. Apostoli enim fatentur Dominum clarè uel disertè citra parabolam esse loquutum. Quia ergo Apostoli testantur hunc Domini sermonem simplicem esse, uel simpliciter pronunciatum, necesse est alia illa opposita his uerba, Hoc est corpus meum, interpretari per tropum, ne secum pugnet scriptura. Præterea loci qui testantur post ipsam resurrectionem Christi corpus loco circumscribi, uideri & tangi, quæ & ipsa discrimen constituunt inter corpus Christi clarificatum, & angelicos spiritus, (ubi obiter cernis commentum modi definitiui nullum hîc habere locum) minimè admittunt nudam uerborum Domini solennium interpretationem. Angeli dicunt, Surrexit, Non est hîc. Ecce locus, ubi posuerunt eum. Marci 16. Item, Præcedet uos in Galilæam. Ibi eum uidebitis. Et iterum ipse ad discipulos, Contrectate me & uidete. Spiritus carnem & ossa non habet sicut uidetis me habere. Luca 24. Hæc de corpore clarificato (quale est quod ascendit, sedetq; ad dexteram patris) pugnant prorsus cum Vbiquitate, cum insensibilitate corporis Christi: quã tamen omnino statui necesse est, si pergamus realem corporis Christi præsentiam ex uerbis Cœnæ simpliciter intellectis urgere. Quibus accedit quòd Apostolus de resurrectione disputans, Si mortui non resurgunt, inquit, ne Christus quidem resurrexit. 1. Corinth. 15. Resurrexit autem Christus primitiæ dormientium: ergo nos quoque resurgemus. Ex nostris ergo corporibus resuscitatis apparet etiam quale fuerit, aut sit corpus Christi gloriosum, cui corpora nostra fiunt conformia. Nostra autem futura sunt uera, neruis, uenis, carne, cute & ossibus constantia, uisibilia non inuisibilia, & in loco aliquo cœli certo, non ubiq;: unde consequens est, ne Domini quidem corpus inuisibile & ubiq; esse. Quòd si quis arbitratur uitiosum esse argumentum quod à corpore nostro resuscitato ducitur ad corpus Domini resuscitatum, aut contra, Paulum accuset qui hoc nos docuit suo exemplo. 1. Corinth. 15. Fides ergo catholica & orthodoxa cogit nos per tropum exponere uerba cœnæ.

Cùm denique Capernaitæ disserentem Dominum de manducatione corporis sui & potando eius cruore audissent, & modũ cogitarent imaginarenturq; edendi bibendiq; carnalem, ille dixit se ascensurum in cœlum: uidelicet illis non esse cogitandum de naturalis sui corporis esu, quando in eo ipso corpore in cœlos ascensurus esset. Joan. 6. Neque hic locum habet quorundam nouum & elumbe commentum, confingentium, Ascendere in cœlum, aliud non esse quàm conditionem infirmam deponere, recipere supernaturalem. Ascendere in cœlum. Nam Lucas, cui omnino plus credendum est, quàm huiusmodi argutijs imò ineptijs, dicit Dominum in altum esse sublatum, & in cœlos à discipulorum conspectu subductum, adde & nubem suscepisse eius corpus: discipulos item defixis in cœlum oculis euntem prosequutos, donec audirent ab angelis, ad eum omnino modum rediturum, quo abeuntem uiderant. Acto. 1. Quis autem ignorat ipsum rediturum in nubibus cœli? Proinde cœlum in quod ascendit Dominus, loci nomen est, non conditionis. Locum nobis quoque promittit apud semetipsum in Euangelio, dicens, Si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam & assumam uos ad meipsum, ut ubi sum ego & uos sitis. Ioan. 14. Quid quod omnes mortalis corporis conditiones uel infirmitates in ipsa resurrectione deposuerat, ut eas nihil necesse habuerit in ascẽsione sua deponere?

Non negabit, opinor, quisquam fidelium, nihil instituisse nobis Dominum inutiliter aut sine luculento aliquo fructu nostro. Cùm autem in Euangelio dixerit

Dominus carnem suam corporaliter manducatam non prodesse: ubi non de alio corpore locutus est, quàm de eo ipso de quo in uerbis cœnæ, quod uidelicet tradidit pro nobis: irrefragabiliter sequitur, Dominum in cœna nobis non tradidisse quod non prodest. Tradidisset autẽ quod nõ prodesset, si corpus suũ corporaliter manducandũ tradidisset. Claret ergo uerba cœnæ omnino interpretari oportere.

Matth. 24. His omnibus accedit illustris prophetia ac mandatum disertum & minimè obscurum Domini nostri Iesu Christi, dicentis in Euangelio, Tunc si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorẽ inducantur si fieri possit etiam electi. Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire. Ecce in penetralibus (ἐν τοῖς ταμείοις in claustris inquam. ταμεῖα enim loca sunt abstrusiora penitioraq; in ædibus, in quæ reponimus quæ uolumus esse tutissima, quæ Germanicè appellamus schryn/ schlossz vnd ghalt) nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet usq; in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Quamuis uerò hic locus à multis soleat exponi de Iudaicis calamitatibus, negari tamen non potest, quod & ipse fatetur beatus Hieronymus, eadem opera totius mundi ad finem usque seculi fata contexi. Concluditur certè hic locus quem adduximus, sententia de ultimo Christi in mundum sub diem iudicij aduentu prolata: præterea negari non potest, simpliciter hic damnari à Domino doctrinam, quæ Christum in terrarũ diuersis locis, in scrinijs aut munitis locis commorantem uel præsentem, ostendit. Id quod transsubstantiationis doctores facere non libri modò ipsorum, sed & erecta corpori Christi, quæ ubique locorum cernuntur, tabernacula (quæ uocant Ciboria) sacella item, atq; adeò etiam augusta templa & monasteria testantur. In his locis omnibus & singulis, in his, inquam, locis cõmonstrant nobis Christum, dicentes, Ecce hic, ecce illic Christus, Ecce panis angelorum. In his hostijs omnibus totus est Christus, & in qualibet partium earum totus & plenus, talis qualis natus est de uirgine & pependit à cruce. Id quod protinus astruunt miraculis & prodigijs, ornant item uerborum inuolucris. mysteria tanta non inquirenda esse, sed credenda simpliciter. Ista enim fieri ineffabiliter & inuisibiliter per omnipotentiam Dei. Nec dissimulauit Dominus quantum hic error profecturus sit. Tantus erit prouentus, tanta frequentia errorem recipientium, & post Christum in deserta & ad penetralia concurrentium, ut etiam electi periculo inuoluantur. Sed quid interim in tanto periculo rerumq; discrimine suos docet facere Christus? Secundum repetit, Nolite credere. Quid nolite credere? Christum hic aut illic in terris, in deserto aut in penetralibus, uel etiam in medijs urbibus, uel in agro esse. Addit, Nolite exire. Ne sequamini turbam per distantiam locorum inquirentem Christum quasi in terris adhuc conuersantem. Proinde si iam uniuersus mundus, & omnia in mundo concilia, omnes reges & principes, adde & omnes angeli & diui iubeant nos credere Christum corporaliter hic & illic esse, solius tamen redemptoris Christi filij Dei sapientiæ patris, per quem omnia condita sunt, præceptum, illud ipsum credere prohibentis, eam apud omnes pios habebit authoritatem, ut sciant non ita credendum esse sicut præcipiunt creaturæ, sed sicut mandauit creator. Quinimò dignatur Dominus in hoc ipso Euangelij loco rationẽ nobis reddere suæ doctrinæ. Quare enim non credendum est Christum in hisce terris conuersari uel præsentem esse corporaliter, sed interim inuisibiliter? Quia sicut fulgur exit ex oriente, & apparet usq; in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Id quod perinde est ac si dixisset, Semel uenit humilis in terras filius Dei ad liberandos nos per humilitatem

litatem & mortem crucis, ea re peracta relictis terris ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram patris: inde non redibit in has nostras regiones nisi ad iudicium. Tum uerò apparebit gloriosus, illustris, omnibus conspicuus ueluti clarissimus sol, imò ueluti terrificum omnibus impijs fulgur. Proinde non est quòd illum ab ascensione usque ad reditum in iudicium expectemus inuisibiliter aduenturum, & nobiscum tamē corporaliter præsentem futurum. S. Hieronymus hunc ipsum locum enarrans, Hoc quoq; dicendū est, ait, quòd secundus saluatoris aduentus, non in humilitate ut prius, sed in gloria demonstrandus sit. Stultum est itaq; eum in paruo loco uel in abscondito quærere, qui totius mundi lumen sit. Hæc ille. Verùm ne uidear humano inniti testimonio, commemorabo quæ Paulus nos docuit in Epistola ad Hebræos. Christus semel, inquit, sub consummationem seculorum *Hebr.9.*
ad profligationem peccati per immolationē suipsius apparuit. Et quatenus constitutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: ita & Christus semel oblatus, ut multorum peccata tolleret, secundò absq; peccato conspicietur ijs qui eum expectant in salutem. Quoniam ergo Dominus noster semel uenit in mundum, semel oblatus est, iterum autem uel secundò uenturus est in fine seculi, certè non uenit quotidie iterum in hunc mundum. Et quoniam prohibuit credere, si quis illum nobis in mundo hic & illic præsentem commonstret: necessariò autem sequeretur ipsum hic & illic, imò in omnibus locis ubi eucharistia celebratur commonstrari posse præsentem, si uerba cœnæ ad literam intelligamus: ergo irrefragabiliter per collationem locorum consequitur, uerba cœnæ Dominicæ non iuxta literam interpretari oportere.

His puto satis factum minimè contentiosis ingenijs. Intelligunt haud dubiè de sacramentis loquendum esse sacramentaliter, & locutiones sacramentales sacramentaliter esse exponendas. Præterea contra credendi regulam nihil oportere credi. Miracula uerò & omnipotentia Dei, quæ hic ad ornandam & persuaden- *Miracula & omnipotentia Dei.*
dam caussam malam producuntur, nihil probant post tot & tam euidentia argumenta ueritatis. Miracula adiunguntur uerbo ueluti sigilla. Id quod apud Marcū attestatur ipse Dominus. Si ergo illa pugnent cum uerbo, & illud asseuerent quod uerbum omnibus modis negat: quis non intelligat de eorum esse miraculorum genere, quo de loquitur Apostolus in 2. ad Thessaloniceñ. 2. cap. & de quo iam audiuimus admonuisse in Euangelio Dominum, ne eis credamus? Omnia quidem potest Dominus, sed ideò non facit omnia. Omnia quæcunq; uoluit fecit Dominus, ait propheta, in cœlo & in terra. Porrò non uult uerbo suo & fidei suæ contraria facere: ergo ea non potest quæ non uult. Theodoretus in Polymorphi dialogo 3. Dominus Deus, inquit, nihil uult eorum, quæ non sibi suapte natura insunt. Potest autem quæcunq; uult. Vult autem quæ sunt suæ naturæ apta & conuenientia. Natura autem cùm uerax sit Deus, non potest quæ uerbo eius contraueniunt. Addunt alij orthodoxi, Non quòd omnia non possit, sed quòd id nolit quod contra naturam eius est, neq; deceat, ut contra semetipsum agat.

Interim disertè profiteor, me non omnem Christi præsentiam in ecclesia, & in *De præsentia Christi in cœna.*
ipsa quoque actione cœnæ damnare aut oppugnare simpliciter. Oppugno enim significanter corporalem illam præsentiam Christi in pane, quam tuentur & obtrudunt ecclesiæ Dei Papistæ. Fateor autem ingenuè, pleno ore, & corde syncero, spiritualem illam diuinam & uiuificam Christi & in cœna & extra cœnam Domini præsentiam, qua ille se non symbolis quidem inanimis, sed nobis per spiritum suum insinuare, nos omnium bonorum suorum participes facere, iustificare, uiuificare, alere, sustentare & satiare pergit: quam & nos per fidem in

nobis ipsis sentimus, per quam & sustentamur, alimur atq; satiamur. Est enim Christus ecclesiæ suæ caput: & nos cum ipso cōmunionem habemus. At quomodo esset sine capite suo corpus uiuum? Quomodo nos Christo participaremus, si ipsum in nobis non sentiremus præsentem, imò uiuentem atque operantem? Verùm de his suo quoq; loco dictum est copiosius.

His obstrepunt, sat scio, alij quidam ueritati aliàs non iniqui, clamantes hac ratione modum præsentiæ Christi in cœna non plenè satis exprimi, præsertim cùm ipse dixerit aliàs quoque, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Ego, inquit, totus, non mea uirtus aut diuinitas, non meus spiritus, aut mea uis. Præterea periculum esse ne Christum uideamur discerpere, cùm is totus nobiscum esse non possit, nisi corpore perinde ut diuinitate nobiscum sit. Nos uerò miramur illorum cogitationes. An non intellexerunt Dominum in diuino illo sermone suo, & in ipsa cœna & protinus à cœna habito, nihil perinde inculcasse atq; illud ipsum quod ipsi impugnant, nempe Christum abiturum corpore, præsentem autem futurum spiritu: & hanc quidem præsentiam ecclesiæ utiliorem futuram, quàm corpoream? An non intellexerunt quare incarnatus & cruci affixus sit, hoc est, quis sit effectus & usus corporis Christi, nimirum ut semel pro nobis litata in terris hostia corporis sui, hoc efferret in cœlum, in argumentum quòd & corpora & animæ nostræ per eius meritum illuc post mortem sint euehendæ? Postquàm ergo in terris expleuit corpus Domini ad quod explendum uenerat, nihil est quod amplius agat in terris. Sedet iam, & sedere debet ad dexteram patris, ut illuc nos omnes ad se trahat. Legat autem doctrinam Apostoli Pauli in 9. & 10. cap. Epist. ad Hebræos, si quis hisce nostris nondum plenè credit. Legat 14. & 16. cap. Euangelij Ioannis. Si autem istis uolupe est contentionis funem trahere, & his uerbis Domini, Ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi, perinde ut illis, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, mordicus inhærere, age explicent hæc mihi sancta sanctæ scripturæ testimonia. Paulus dicit habitare Christum in cordibus nostris, Viuere in ipso Christum, & se in Christo uiuere, Dominus dicit ad latronem, Hodie mecum eris in paradiso. Et Euangelista dicit de mortuo Domino, Posuerunt eum in monumento. Non dicit scriptura, Posuerunt carnem & ossa in monumento: sed posuerunt eum in monumento. Non dixit Dominus latroni, Anima tua erit cum spiritu uel anima mea in paradiso: sed, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Nec dicit Paulus Christi spiritum & uitam uiuere in ipso, aut habitare in cordibus nostris: sed Christum simpliciter dicit habitare in cordibus nostris. Quis autem tam absurdus & rixis impexus, ut propter ista loca & uerba scripturæ, contendat diuinitatem simul cum corpore Christi esse sepultam, corpus Christi simul cum anima fuisse eo die in paradiso, quo uterque excessit, Christi corpus simul cum spiritu habitare in cordibus fideliū & uiuere in Paulo, & Paulum uiuere in carne Christi? Libenter admittunt omnes catholicum catholicæ ecclesiæ ex uerbo Dei sensum, nempe Christum spiritu suo ecclesiæ suæ in finem usque seculi præsentem esse, corpore absentem, latronis animam in paradiso cum anima Christi non cum corpore fuisse collectam. Sic iudicat & de reliquis. Quòd si quis meæ interpretationi diffidit, audiat S. Augustinum Tract. in Ioannem 50. sic dicentem, Loquitur de præsentia corporis, cùm dicit, Pauperes semper habebitis uobiscum, me non semper habebitis. Nam secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem gratiam impletur quod ab eo dictum est, Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consum-

Matth. 28.

Ephes 3.

summationem seculi. Secundum carnem autem quam uerbum assumpsit, secundum id quòd de uirgine natus est, secundum id quòd à Iudæis comprehensus est, quòd ligno affixus, quòd de cruce depositus, quòd linteo inuolutus, quòd in sepulchro conditus, quòd in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me uobiscum. Quare? Quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, & eis deducentibus uidendo, non sequendo, ascendit in cœlum: ET NON EST HIC. Ibi enim sedet ad dexteram patris. ET HIC EST. Non enim recessit præsentia maiestatis. Tantum Augustinus. Porrò si his omnibus spretis pergunt urgere & inculcare illud domini ex Matthæo, Ecce ego, ego inquam (μεθ' ὑμῶν) uobiscum sum: opponimus eis hoc domini & ipsum ex euangelio, Expedit uobis ut ego (en habent hic quoque ego) abeam: opponimus item hoc angelorum testimonium ex Luca, Hic Iesus qui assumptus est (ἀφ' ὑμῶν) à uobis in cœlum, &c. Cogentur tandem uelint nolint in speciem pugnantia conciliare loca, & uniuersalem admittere sensum quem hactenus defendentes protulimus.

Neque ullum est hic diuisionis Christi periculum; neque diuidimus personam Christi cum Nestorio, cum proprietatem utriusque naturæ in Christo contra Eutychianos asserimus. Cum in terris corpore adhuc uersaretur Christus dominus, in cœlis se nihilo minus etiam fuisse aut esse ipsemet in euangelio testatur. Et reuera Christus, qui & Deus & homo pariter erat, tunc in cœlis erat, quando crucifigebatur & uersabatur in terris, tametsi in cœlis minimè crucifigeretur corpus eius. Quemadmodum autem ipse Christus semetipsum non diuidebat, licet in cœlo existens, in terris tamen non in cœlo & uersabatur & crucifigebatur in corpore: ita neque nos diuidimus Christum Deum & hominem, etiamsi ipsum cœnantibus præsentem adesse & nos ei communicare dicamus, nihilo minus tamen corpore suo in cœlo ad dexteram patris manere affirmemus: atque ita intra fines scripturæ consistamus. Ea de re pluribus disputaui, cum dissererem de una persona, & de duabus in Christo impermixtis naturis. *Non diuiditur Christus.*

Hactenus de sententia genuina uerborum Cœnæ domini, qua potui breuitate & euidentia, dixi. De loco Pauli 1. Corinth. 10† Calix benedictionis cui benedicimus, &c. quem illi quoque pro corporali præsentia asserenda proferunt, non est quod pluribus agam: semel enim & iterum is à nobis locus est tractatus. *supra ubi dissseruit de Sacramentis fo. 345*

Restat ergo ut expendamus quid illi de manducatione corporis Christi tradant, & quid de ipsa sentiendum doceant scripturæ canonicæ. Illi, Quod promisit dominus, inquiunt, id præstat certissimè & plenissimè. Subiungunt, Promisit autem se daturum sub specie panis & uini, uerum suum corpus, & uerum suum sanguinem, ad cibum & potum in uitam æternam. Colligunt, Verum ergo corpus & sanguinem suum dedit fidelibus sub specie panis & uini ad cibum & potum uitæ æternæ. Vnde & talem omnino manducari oportet qualis est, corporalis, corporaliter. Ad quam rem confirmandam adducunt sermonem domini, qui contexitur in euangelica historia apud Ioannem in cap. 6. Respondemus Deum plenissimè & perfectissimè quod promisit præstare, sed addimus ipsum non ad eum quem ipsi nobis sensum confingimus, sed quem uerbum eius uerè habet, præstare. Videndum ergo ante omnia quo sensu promiserit dominus se carnem suam in panem, & saguinem suum in potum fidelibus exhibiturum: deinde quomodo edamus eius carnem & bibamus eius sanguinem. Allegorica sunt planè, uel parabolica quæ proferuntur hic à domino propè omnia. Promittit domi- *De uera manducatione corporis Christi.* *Quomodo Christus dederit Carnem suam nobis in panem, id est ad cibum uitæ.*

nus se carnem daturum in panem, uel ad cibum, sanguinem ad potum. Quoniam uerò cibus & potus instituta sunt & dantur hominibus ad uitam corporalem conseruandam, dominus autem Ioannis 6. cap. non de corporis, sed animæ uita loquitur, transitus certè fit à rebus corporalibus ad spiritualia. Iam ergo cum promisit dominus daturum se carnem suam ad panem, uel in cibum, sanguinem suum ad potum, quid aliud promisit quàm traditurum se corpus suum in mortem, sanguinem suum effusurum in remissionem peccatorum? Nam morte Christi conseruamur, ceu cibo in uita, & liberamur à morte. Sanguine Christi abluimur à peccatis, & ueluti potu inebriantur animæ nostræ. Nihil ergo loquitur hic dominus de pane eucharistiæ, nec promittit se ex pane in cœna effecturum carnem suam, aut sub specie panis daturum suum corpus. Commentitia autem & falsa sit hæc mea expositio uerborum Christi de corpore uel carne dando in panem, &c. nisi uerbis Christi expositionem meam confirmauero. Dixerat in euangelio dominus, Operemini cibum qui non perit, sed qui permanet in uitam æternam, quem filius hominis dabit uobis. Idem paulò post per interpretationem subdit, Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita. Dixi me panem uel cibum uobis daturum (Panis enim domino more Hebraico cibum & sustentamentum significat) hic autem panis, uel hic cibus est caro mea inquit, carnem ergo meam me uobis daturum promitto, cum panem uitæ promitto. Habes expressè dominum per panem non intelligere corporalem panem, uel eucharistiæ panem. Sed quomodo carnem promittit ad panem, id est ad cibum uel ad uiuificandum? Repetit iterum dominus uerbum Dabo, & ait, Quam ego dabo pro mundi uita. Impendam nimirum eam in mortem, ut morte mea uos uiuificem. Moriendo itaque cibabit, id est uiuificabit caro mea. Hæc de promissione carnis in panem: sequitur de manducatione.

Quomodo edatur corpus Christi & bibatur eius sanguis.

Sicut autem scriptura sancta ubique citra tropum & extra allegoriam tradit nos mortis Christi, aut traditi eius corporis pro mundo participes fieri ad uitam per fidem: ita & in præsenti per tropum uel allegoriam iubet nos edere & bibere carnem & sanguinem Christi ad uitam æternam. Proinde edere carnem Christi, ac bibere eius sanguinem, nihil est aliud, quàm credere corpus Christi pro nobis traditum, sanguinem autem effusum esse pro nobis in remissionem peccatorum, ac per consequens manere in Christo, & manentem in nobis Christum habere. Fides enim de qua loquimur, non est imaginatio aut cogitatio duntaxat rerum præteritarum & extra nos positarum, sed certissimus assensus adeoque sensus quidam rerum diuinarum, intra nos magno cum fructu perceptarum. Ideo enim & per allegoriam edendi & bibendi, non modò fides, sed & fidei uirtus à domino per Ioan. significatur. Cibus non sine uoluptate transit in corporis nostri substantiam: fide ergo magno spiritus desiderio coniungimur cum Christo, ut is uiuat in nobis, nos in Christo uiuamus, communicantes omnibus bonis eius. Spiritualis est hæc Christi manducatio: qui ne hilum quidem hic de crassa uel corporali manducatione, inutili planè, uel somniauit. Verùm cum in uocibus edere & bibere carnem & sanguinem domini cardo controuersiæ uoluatur, illis corporaliter ipsas interpretantibus, nobis spiritualiter, demonstrandum uidetur, dominum per edere & bibere nil aliud intelligere uoluisse, quàm credere, & per consequens manere in Christo & manentem in nobis Christum habere: proferemus itaque nostræ assertionis per collationem locorum scripturæ testimonia diserta sex.

1. Dominus, Ego sum panis ille uitæ, inquit, qui uenit ad me, non esuriet: & qui credit

credit in me, non sitiet unquam. Quis autem negabit relationem inuicem habere Edere & non esurire, bibere & non sitire? Quoniam ergo dixit dominus, Non esuriet, præmisisset, Qui edit me: sed maluit uti uerbo ueniendi, & dicere, Qui uenit ad me non esuriet. Edere ergo est uenire, & uenire edere. Quid autem sit uenire ad ipsum, ipse mox explicat & ait, Omnis qui audiuit à patre & didicit, uenit ad me: id est recipit me, & credit in me. Nam & Paulus dixit, Oportet accedentem ad Deum credere. Hebr. 11. Hæc autem irrefragabiliter euincunt Edere aliud non esse quàm credere. Sequitur enim adhuc clarius, Et qui credit in me, non sitiet unquam. Qui bibit non sitit: pro bibere ergo reposuit credere: ergo bibere est credere. Nam fides mentes nostras satiat & pacificat. Habent hic responsionem qui obijciunt, An non dominus ipse uerba habuisset, quibus explicare potuisset mentem suam, siquidem intellexisset per edere & bibere credere? Habent inquam apertum testimonium quo alterum usurpat pro altero.

Rursus dicit in eodem sermone dominus, Qui edit carnem meam & bibit 2.
meum sanguinem, habet uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Idem in eodem sermone, Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. En habes iterum æquipollere, edere carnem Christi bibereque eius sanguinem, & credere in Christum.

Item, Ego sum panis uiuus, ait dominus, qui de cœlo descendi, si quis ederit 3.
ex hoc pane, uiuet in æternum. Rursus autem, Amen dico uobis, inquit, qui confidit mihi, habet uitam æternam. In idem ergo recidunt edere Christum & confidere Christo.

Et iterum, Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet Ioan. 4.
& ego in illo. Porrò Ioannes Apostolus in sua canonica dicit, Quisquis confessus 4.
fuerit, id est crediderit, quòd Iesus est filius Dei, Deus in eo manet & ipse in Deo.

Item, Amen amen dico uobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis 5.
eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Et Ioan. 8. dicit idem dominus, Si nō credideritis quòd ego sum, moriemini in peccatis uestris. Et iterum, Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum.

Rursus dicit dominus, Sicut me misit uiuens pater, & ego uiuo propter pa- 6.
trem: ita & qui ederit me, uiuet ipse quoque propter me. Et Ioan. 5. cap. Sicut pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio uitam habere in semetipso. Et in epistola canonica, Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso. Et, Qui habet filium, habet uitam.

Diuinis hisce & euidentissimis testimonijs subiungimus modo humana, perbibentia & ipsa Christum edere aliud nihil esse quàm credere & in Christo manere. August. Tract. in Ioan. 25. hæc uerba domini exponens, Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille, sicut scriptum reliquit, Hoc est ergo manducare cibum qui non perit, sed qui permanet in uitam æternam. Vt quid paras dentem & uentrem? Crede & manducasti. Idem iterū Tract. 26. Credere in eum, inquit, hoc est manducare panem uiuum. Qui credit in eum, manducat inuisibiliter, saginatur, quia inuisibiliter renascitur. Et iterum in eodem Tractatu, Hoc est manducare illā escā, ait, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere: ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubiò nec manducat spiritualiter carnem eius, &c. Idem iterum lib. de Doctr. Christ. cap. 16. docens quando admittenda sit figurata locutio, quando non

admittenda, dicit, Si præceptiua locutio est, aut flagitium aut facinus uetans, aut utilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus uidetur iubere, aut utilitatem aut beneficentiam uetare, figurata est. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis uitam in uobis, facinus uel flagitium uidetur iubere: figurata est ergo, præcipiens passioni domini esse cōmunicandum, & suauiter atq; utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & uulnerata sit, Hæc Augustinus, qui proculdubiò non tantùm suum sensum protulit, sed totius catholicæ quæ tunc erat ecclesiæ. Videant ergo quid agant aduersarij, qui omnes sanctos uolunt ad hoc scelus uel facinus adigere, ut uidelicet corpus Christi corporaliter manducemus.

Caro non prodest quicquam.

His omnibus præterea illud etiam accedit, euidentia & perspicacia sua omnia propè præcedentia excellens, quod ipse dominus Iesus admirantibus, imò obmurmurantibus atq; dicentibus, Quomodo potest hic carnem illam suam dare ad edendum, post explicatam ueræ fidei summam, respondet, Hoc ne uos offendit, quod dixi me panem cœlo delatum, carnem meam in cibum uitæ daturum credentibus? Non arbitror offensionem illam iustum habituram locum, ubi uideritis me in cœlos ascensurū, unde ad uos descendi, & in quo cum patre ab æterno eram. Tunc enim ex ascensione diuina intelligetis me panem esse cœlestem, naturalem Dei filium, & uitam mundi: intelligetis præterea carnem meam non morsibus corporaliter dilaniandam & absumendam fore, ut quæ sublata est in cœlos in arrhabonem salutis humanæ. Quibus protinus subiungit, Spiritus est qui uiuificat: caro non prodest quicquam. Et adhuc clarius, Verba quæ ego loquor uobis, spiritus & uita sunt. Constat autem carnem Christi permultum prodesse, & multò plus prodesse mundo, quàm ulla possit quantumuis eloquens lingua effari. Quinimò prædixit dominus, nos non habituros uitam, nisi manducata carne eius. Sic ergo negauit dn̄s carnem suam prodesse quicquam, ut Capernaitæ intellexerunt manducandam, corporaliter. Corporaliter manducata non prodest quicquam, spiritualiter autem manducata uiuificat: ac de spirituali manducatione, ex qua uita existit, locutum se dominus disertè dixit.

Istis ad hunc modum expositis & confirmatis, in breuem summam recolligimus quod ad aduersariorum obiectionem responderi posse existimamus. Vera est propositio, quæ asserit dominum certò quæ promisit præstare. Sed falsa est secunda propositio, quæ enunciat dominum in sermone suo Ioan. 6. cap. per panem intellexisse materialem eucharistiæ panem, atq; hunc se in carnem suam conuersurum promisisse. Nam per panem non intellexit materialem Eucharistiæ panem, sed ad idioma Hebraicum cibum uitalem, adeoq; carnem suam ueram, quam in mortem tradidit, in cibum inquam, ut nos per Christi mortem uiueremus. Sic ergo texenda fuerat argumentatio, Quod Deus promittit præstat: promittit se autem carnem suam in panem, id est, in cibum & uitam daturum. Dedit ergo carnem suam in cibum: id est, impendit se in mortem, ut per mortem eius uiueremus. Quæ cum ita habeant, cibus certè quo de loquitur dominus, non est corporalis cibus, licet ipse dominus uerum, humanum, & naturale corpus nostro consubstantiale habeat, sed spiritualis: non quòd caro conuertatur in spiritum: sed quòd spiritualiter non corporaliter hauriendus traditur. Fide autem non ore corporeo spiritualiter manducatur. Nam ut esus uel manducatio cibi nos facit participes: ita corporis & sanguinis Christi per fidem efficimur consortes.

Sed

Sed quid factum est, ais, cum panis cuius mentio fit Ioan.cap.6. non significet panem cœnæ, quòd omnes ferè ecclesiarum doctores, interpretes, & ministri hunc sermonem adaptarunt cœnæ domini? Respondeo adaptari posse hunc domini sermonem negotio cœnæ domini propter alias caussas, tametsi panis non significet Eucharistiæ panem. Imò confiteor hunc domini sermonem de manducanda carne, & bibendo sanguine eius, plurimum lucis inferre negotio cœnæ domini. Augustinus certè lib.de Conf.euangelistarum 3.cap.1. Ioannes de corpore & sanguine domini, inquit, hoc loco (Ioan.13.) nihil dixit, sed planè alibi multò uberius hinc dominum locutum esse testatur. Hæc ille de capite nimirum loquens Ioan.6. Quia enim una atque eadem caro & idem corpus est domini nostri, de quo ipse utrobique loquitur & Ioan.6. & Matth.26. & utrobique id ipsum pro nobis uel pro uita nostra in mortem tradi dicitur: quia item non est nisi unica participandi Christi ratio per fidem in traditum corpus & in fusum sanguinem, quia denique catholica uel uniuersalis ac indubitata doctrina est, carnē Christi corporaliter manducatam non prodesse, congruunt ac illustrant planè negotium cœnæ dominicæ quæ præmissa sunt in cap. Ioan.6. *Rectè adaptari negotio cœnæ domini uerba Ioan.6.*

Et ut hoc rectius adhuc intelligatur, commemorabo quæ semper in Ecclesia ex scripturis de duobus modis manducandi Christi prolata sunt. Manducatur corpus Christi, & bibitur eius sanguis spiritualiter, manducatur idem bibiturque sacramentaliter. Spiritualis modus perficitur fide, qua Christo connexi omnibus eius bonis communicamus. Sacramentalis modus perficitur duntaxat in celebratione cœnæ dominicæ. Pijs spiritualis manducatio perpetua est, quia fides eis perpetua est. Extra cœnam, & in Cœna Christo communicant, & in hac quidem magis reparant & continuant dudum cœptam: quod prius diximus: & nunc quidem adiuncta actione sacra multò celebrius & euidentius omnia fiunt. Increduli uerò ac hypocritæ cum coryphæo suo Iuda, nunquam ipso Christo communicant, neque ante cœnam, neque in cœna, neque post cœnam, quatenus scilicet in incredulitate sua perseuerant, sacramentis autem dominicis participant sibi in iudicium & condemnationem. *De duobus modis manducādi corpus domini.*

Scio quid hic nonnulli doceant, & quomodo tertium quendam modum manducandi Christi comminiscantur, qui nec spiritualis sit, nec merè sacramentalis, sed mixtus ex sacramentali & corporali. Contendunt enim ipsum domini corpus uerum ac naturale sub speciebus sacramenti ab infidelibus percipi corporaliter. Cæterum commentum esse humanum, nullo apparebit negotio ex solidis aliquot scripturæ argumentis: quæ Iudæ adaptabimus proditori, ut in hoc uno exemplo omnes impij discant quid in cœna domini manducent & bibant. Iudicio enim capitis reuelato, facile erit & de membris iudicare. *Tertius manducandi modus.*

Adfuisse quidem in cœna Iudam, dum distribueret mysteria dominus, in dubium uocant nonnulli, inter quos est & S.Hilarius. Cæterum historia euangelica disertè commemorat, dominum accubuisse cum duodecim. Sed & Lucas narrationē suam sic contexit, ut dubitare non possimus Iudam mysterijs communicasse etiam cum cæteris apostolis. Id quod & Augustinus contendit lib.3. de Conf. euang. cap.1. Tractatu item in Ioan.62. & in Psal.10. ac epist.163. Quibus accedit quod ipse quoque Aquinas Hilario respondens idem approbat nobiscum Parte 3. quæst.81. art.2. Cum autem constet Iudam adfuisse in cœna inter apostolos, cognoscendum iam uidetur quid acceperit à domino. Accepit quidem sacramenta corporis Christi, perinde ut alij discipuli, sed quoniā fidem, ut reliqui, non habuit, Christo non cōmunicauit, corpus & sanguinē domini nec edit nec bibit, *Iudam fuisse in cœna domini.* *Quid acceperit Iudas à domino in cœna.*

Nam quotquot edunt corpus domini, & bibunt eius sanguinem, non esuriunt aut sitiunt: manent enim in Christo, & Christus in eis: sunt membra Christi, nec moriuntur in æternum. Contraria omnia apparent in Iuda & omnibus eius socijs: ergo increduli non edunt corpus domini, nec bibunt eius sanguinem. Præterea indubitatum est nullam esse conuentionem inter Christum & Belial. Hoc enim pronunciauit Apostolus ex scripturarum unanimi consensu. Iudas autem ab ipso Christo satanas appellatur: ergo Iudas non cōmunicauit Christo. Quòd si omnino contenderimus Iudam ipsum domini corpus manducasse, profectò adfirmabimus impiè Christi corpus, non modò inutilem, sed & noxium esse cibum. Cæterum pietas tradit, Christum semper omnibus ipsum uerè manducantibus salutarem esse cibum. Negauit ipse quoq; Augustinus Iudam ipsum edisse corpus domini, & bibisse eius sanguinem. Tractatu in Ioan. 59. Apostoli inquit, manducabant panem dominum, Iudas panem domini contra dominum. Illi uitam: hic pœnam. Item Tractatu 26. Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubiò nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem: licet carnaliter & uisibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit, &c. Similia & propemodum clariora tradit lib. de Ciuit. Dei 21. cap. 25.

2. Cor. 6.

Opponunt his S. Pauli authoritatem dicentis, indignè manducantes non panis manducati aut epoti calicis, sed corporis & sanguinis domini fieri reos: hos item manducare & bibere sibi iudicium, eo quòd non dijudicent corpus domini: unde necessariò consequi indignos ipsum domini corpus & sanguinem manducare & bibere, non tantùm sacramenta corporis & sanguinis Christi. Respondemus Paulum disertis uerbis ita loqui, Quisquis ederit panem hunc, & biberit de poculo domini, &c. En qui ederit panem hunc, inquit, & de poculo biberit indignè: non autem dicit, Qui ederit carnem & biberit sanguinem indignè. Nam qui ipsum dominum edunt, non carent fide, ac manet Christus in ipsis, & ipsi in illo. Si autem miraris adhuc quomodo increduli possint rei fieri corporis & sanguinis domini, non nisi sacramentaliter manducati, ex alijs hoc scripturæ locis discito. Apud Ioannem dicit dominus, Amen amen dico uobis, qui recipit quemcunq; misero, me recipit: qui autem me recipit, recipit eum qui me misit. Ergo qui apostolum non recipit, non in apostolum peccat, sed in ipsum Deum, licet interim ipsum Deum nec uiderit, nec repulisse uideri uelit. Iudex dicturus legitur ad constitutos in sinistra, Discedite à me maledicti in ignem æternum. Esuriui enim & non dedistis mihi cibum. Sitiui & non dedistis mihi potum, &c. Verùm audi quomodo excepturi sint impij hanc iudicis sententiam. Domine quando uidimus te esurientem, aut sitientem, & non ministrauimus tibi? Sed audi uicissim quid responsurus sit iudex, Amen dico uobis, quatenus non fecistis uni de minimis his, nec mihi fecistis. Sicut ergo in ipsum Christum peccauit, qui peccauit in ministrum, aut mendicum, etsi interim Christi personam nihil læserit: ita corporis & sanguinis Christi reus fit, quisquis sacramentum corporis & sanguinis Christi indignè sumpserit, tametsi interim ipsum corpus & sanguinem domini non hauserit. S. Paulus alibi dicit apostatas ab integro rursus sibimetipsis crucifigere filium Dei. Atq; idem alibi negat modis omnibus, Christum uel crucifigi, uel mori posse. Proinde non potest iterum crucifigi Christus ab apostatis, interim tamen fœda ipsorum defectio sic æstimatur, quasi crucifixissent filium Dei. Vtcunq; ergo impij non edant ipsum domini corpus, &

Quomodo increduli rei fiāt corporis & sanguinis domini.

Ioan. 13.

Matth. 25.

Hebr. 6.

bibant eius sanguinem, rei tamen nihilominus fiunt corporis & sanguinis proditi uidelicet quantum in ipsis est. Calcat rebellis aliquis principis aut magistratus sui sigillum & literas discerpit: hic etsi ipsum magistratum non attigerit, aut conculcarit, dicitur tamen magistratum conculcasse, & accusatur non læsi sigilli aut uiolatarum literarum, sed impingitur ei crimen læsæ maiestatis & conculcati principis. Quid ergo mirum si audiamus indignè manducantes panem Domini, reos agi corporis & sanguinis Christi? Huius enim sacramentum & sigillum atque obsignatio sunt panis & poculum mysticum.

De reliquis Cœnæ Domini finibus.

Hæc hactenus de manducatione corporis Christi & potu sanguinis eius disputauimus, singula huius qua potuimus breuitate tractantes, transimus iam ad residuos Cœnæ Dominicæ fines (in descriptione Cœnæ positos) perstringendos. Institutam diximus à Domino Cœnam, ut dona Dei uisibiliter ecclesiæ repræsentet, oculisque omnium subijciat. Didicimus autem ex tota huius negotij disputatione, ipsum Christum omnium donorũ Dei aceruum esse plenissimum, utpote ex quo pro nobis in mortem tradito habemus omnia uitæ, remissionem peccatorum, & uitam æternam. Hæc cùm sint inuisibilia hauriantur que fide, uisibiliter etiam, id est per sacramenta sensibus repræsentantur prope omnibus, uisui, auditui, gustui & tactui, ut totus homo corpore & anima commotus magno cordis iubilo sacrum hoc iucundissimum celebret. Huc iam pertinet analogia. De qua dixi Sermone huius Decadis 7. unde hæc plenius disci uolo.

Institutam præterea diximus à Domino Cœnam, ut uisibiliter in unum corpus colligat omnia in terris alioqui dispersa membra. Vnde & fœdus & confœderationem alibi diximus Cœnam à sanctis cognominari. Fidei unitate & spiritus unius participatione inuisibiliter cum Christo & membris eius omnibus sumus connexi: In cœna autem coimus etiam uisibili coniunctione. Non enim iam uerbis, sed factis quoque, sed contesseratione, sed sacramento coalescimus & connectimur arctissimè, ipsa Cœnæ actione aperientes demonstrantesque omnibus & nos esse de eorum numero, qui credunt se per Christum redemptos, Christi membra & populum esse. Pariter autem obligamus nos Christo & ecclesiæ, & fidem synceram nos seruaturos, & beneficentiam ac charitatem erga omnes exercitaturos stipulantes. Plura de his require ex Sermone huius Decadis 7. Certè hinc probauit Paulus, consortibus mensæ Dominicæ non licere uesci idolothytis, & sacris communicare prophanis. Quod si rectè expenderent hodie multi, minus frequentes conspicerentur in sacris alienis seu peregrinis.

Institutam item diximus à Domino Cœnam, ut ea mortem suam retineret in memoria, ne unquam obliuione obliteraretur. Est autem mors Christi compendium omnium beneficiorum Dei. Ergo uult in memoria retineri beneficium incarnationis, passionis, redemptionis, amoris seu dilectionis. Licet autem memoria peragatur rei præteritæ, nempe mortis, ea tamen ad nos maximè pertinet, & uiuificat. Neque putabimus hunc esse postremum finem. Nullus enim tam diligenter atque hic est expressus. Semel enim & iterum dicit Dominus, Hoc facite in mei memoriam. Atritus sacer & actio illa sacra, uerbis uel prædicationi de morte Christi & redemptione humani generis coniuncta, mirum est quàm renouet subinde beneficium, neque in obliuionem uenire atque intercidere patiatur.

Institutam postremò diximus à Domino Cœnam, ut per ipsam admoneremur nostri officij, laudis & gratiarum actionis. Nostrum officium est, synceros esse in fide Christi, & omnes complecti fratres Christiana charitate propter Dominum, ac cauere ne corpora nostra coinquinemus mundis sordibus, quando

ſanguine Chriſti abluti ſumus. Paulus Apoſtolus, Quotieſcunque de pane hoc ederitis, inquit, & de poculo Domini biberitis, mortem Domini annunciate donec uenerit. Annunciare autem mortem Domini, eſt laudare bonitatem Dei, & gratias agere pro redemptione per mortem parta. Nam & Petrus Apoſtolus dixit, Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut uires annuncietis illius qui è tenebris uos uocauit in admirabilem lucem. Sed de his aliàs quoq; diximus.

1.Pet.2.

Hæc paucis de finibus cœnæ uolui repetere, quæ pij ſpiritu ſancto inſtructi ſinguli expendunt diligentius. Dimitterem modò c. v. niſi ex utilitate publica futurum uiderem, erudire paucis, quomodo ſe quiſque ad Cœnam Domini præparet, ne ad ipſam indignè accedat. Operæpretium autem fuerit ante omnia inueſtigare qui dignè uel indignè edant & bibant de pane & poculo Domini. Et gradus quidem eſſe in dignitate & indignitate noſtra, nemo eſt, qui iudicijs Dei ritè expenſis & religionis natura penitius inſpecta iudicat, negare poſſit. Præcipuus quidem indignitatis gradus eſt, ſine fide accedere ad myſteria fidei. Dignè accedit qui cum fide accedit: indignè qui ſine fide. Digni pœnitentia fructus in Euangelio appellantur, opera pœnitentes uel pœnitentiam profeſſam decentia. Quid autem decentius, æquius & iuſtius eſt, quàm ut celebraturus Cœnam Domini, credat ſe morte Chriſti in pretium pro mundo oblata redemptum, quo nomine & Chriſto redemptori gratias agere cupiat? Quid contra indecentius & iniquius eſt, quàm obſignationem corporis Chriſti percipere, ac nullam interim cum Chriſto communionem habere? ad gratiarumactionem accedere, & nullas interim ex animo gratias effundere? Quid autem unit nos Chriſto, aut quid efficit omnium beneficiorum eius participes & proinde etiam gratos, niſi fides? Quid diſiungit à Chriſto? & ſpoliat nos omnibus eius donis, redditq; ingratiſſimos, niſi incredulitas? Proinde fides uel incredulitas dignè uel indignè facit nos participare de menſa Domini. Apoſtolus Paulus in Actis ad Iudæos per incredulitatem Euangelij prædicationem reijcientes dicit, Vobis quidem primùm oportebat loqui ſermonem Dei: ſed quoniam repellitis illum & indignos uos iudicatis uita æterna, ecce conuertimur ad gentes. Quomodo autem Iudæi contra ſemetipſos ſe uita æterna indignos eſſe pnunciabāt, ac ueluti iudices in ſemetipſos deferebant ſententiam? Incredulitate ſe opponentes uerbo Dei, nec fide apprehendentes Chriſtum uitam & iuſtitiam mundi. Proinde dignitatis & indignitatis noſtræ primaria & maxima portio, uerſatur & conſiſtit in fide uel incredulitate. Fide teſtatur S. Petrus purificari corda noſtra: fides ergo uera eſt Chriſtianorum munditia. Vnde & S. Auguſtinus, Incredulus non manducat carnem Chriſti ſpiritualiter, ſed magis tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſibi manducat & bibit. Quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere ſacramenta, quæ aliquis non dignè ſumit, niſi qui mundus eſt. De quibus dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt, &c.

Dignè & indignè manducare & bibere, &c.

Acto.13.

Acto.15.

Deinde indignè edunt & bibunt de Cœna Domini, qui etſi fide non deſtituantur, abuſu tamen ſuo peruertunt rectum Domini inſtitutum: qualis uidetur fuiſſe Corinthiacæ eccleſiæ error, miſcentis priuatum & prophanum conuiuium cum eccleſiaſtico & myſtico, nec diſcernentis panē Domini, qui dicitur Corpus Chriſti, à cibo uulgari, Nam Paulus, Qui indignè, inquit, edit & bibit, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ergo non dijudicare corpus Domini, eſt indignè edere panem, & bibere poculum Domini. Dijudicare autem (διακρίνειν) eſt cum iudicio animiq; facultate exactè rem penſitare, æſtimare, ac ita

Dijudicare corpus Domini.

ita ut decet discernere à rebus alijs. Porrò corpus Domini est non modò spirituale illud Domini corpus ecclesia fidelium, sed ipsum corpus quod Dominus assumpsit de uirgine, ac pro nobis in redemptionem obtulit, quodq́ modò considet ad dexteram patris. Denique panis Eucharistiæ in cœna est ipsum Domini corpus, ueri inquam corporis pro nobis traditi sacramentum. Hunc ergo panem Domini mysticum quisquis non discernit à cibo prophano, sed ad mensam Christi ueluti cibariam accedit, nec agnoscit hunc cibum diuinum multum ab illo humano differre, nec eo modo quo instituit Dominus accedit, sed suas rationes sequitur, is certè non dijudicat corpus Domini, & iudicium sibi manducat & bibit, Paulo iterum se explicante & dicente, Itaque fratres mei, cùm conuenitis ad comedendum alius alium expectate, ne ad iudicium conueniatis. Proinde qui præoccupat cœnam publicam sua priuata, hoc est, qui non ita cœnat ut instituit Dominus, indignè manducat & bibit. Superius enim iudicium manducare & bibere dicuntur indignè manducantes & bibentes: & hic in iudicium conuenire perhibentur, qui non expectatis fratribus festinant: ac idem illi non dijudicant corpus Domini. S. August. Tract. in Ioan. 62. De his sermo est Apostolo, inquit, qui Domini corpus uelut alium cibum quemlibet indiscretè negligenterq́ sumebant. Hic ergo si corripitur qui non dijudicat, id est, non discernit à cæteris cibis Dominicum corpus, quomodo non damnaretur (Iudas) qui ad eius mensam fingens amicum accessit inimicus? &c. Quanto uerò grauius hodie uidentur peccare, qui subuerso Domini legitimo & primario usu, abusum suum magna cum cõtentione stabiliunt, adde & nolentibus reclamantibusq́ grauem persecutionem obtrudunt?

Præterea cum reipsa experiamur in diem, fidei nostræ multa deesse, unde uaria inter nos exoriuntur uitia, ex quibus deinde et indignitas nostra, leuissima quidem omnium existit: utpote quam Dominus gratia sua facilè diluit, ac ferè cruce immissa extergit, infirmitates huiusmodi non imputans ad condemnationem. Alibi enim Apostolus pronunciat nihil cõdemnationis esse ijs qui insiti sunt Christo Iesu, nec ambulant iuxta carnem, sed secundum spiritum. Rom: 8

Nec pari etiam supplicio diuersos hos indignitatis gradus punit iustissimus Dominus. Inspiciamus ergo quid nos doceat beatus Apostolus de pœna & supplicio indignè manducantium. Itaque quisquis ederit panem hunc, inquit, aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Quæ sanè intelligit de præcipua illa et omnium fœdissima incredulitatis indignitate. Etenim reus fit corporis & sanguinis Domini, cui culpa imputatur mortis Christi, hoc est, cui mors Christi ad mortem non ad uitam cedit: sicut & illis cessit qui ipsum corporaliter ex incredulitate impietateq́ crucifixerunt. His enim sanguis Christi prophanus tanquam pecoris aut latronis sceleratiq́ hominis uisus est, quasi meritò propter delicta effusus sit. Et quid obsecro sentit aliud quàm prophanum esse sanguinem Christi, qui non credit ipsum pro peccatis mundi esse effusum? Audet tamen hic participare de cœna Domini, ut meritò iam dicatur reus fieri corporis & sanguinis Domini. Prægrande peccatum est per incredulitatem indignè panem Domini edere, & calicem eius potare. Id quod uel Iudæ exemplo nobis ob oculos statuitur. Non credidit hic in Dominum Iesum, imò cogitabat ipsum tradere in manus latronum, nihilominus accumbebat & participabat de mensa Domini, meritò ergo ipsum sibi totum tandem uendicabat diabolus. Testatur enim Ioannes diabolum sub finem cœnæ ingressum esse in Iudam: non quòd priusquam ad cœnam uenisset non fuisset in ipsum ingressus: dudum enim ipsum inhabitare ac exagitare cœperat: sed quòd post tot Christi Domini

Pœna indignè manducantiū. *Ioan. 13.* *Lucæ 22.*

admonitiones, & post prophanata mysteria Christi, adeoq; & conculcata, totum illum sibi usurpasset, ac plenissimè possedisset.

Idem Apostolus Paulus corpus Domini non dijudicantibus, ueluti in alio gradu indignitatis constitutis interminatur iudicium, dicens, Nam qui edit & bibit indignè, iudicium sibi edit & bibit. Rationem autem hac sententia reddit, cur non temerè, nec nisi excussis animis ad mensam Domini accedere oporteat: quòd uidelicet ad iudicium accedatur. Est autem iudicium, pœna uel suppliciũ, quod Dominus suis irrogat fidelibus peccantibus, non in alio quidem mundo, sicut incredulis, sed in hoc seculo. Sequitur enim in uerbis Apostoli, quod eum nobis suppeditat sensum. Propter hoc inter uos multi imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Etenim si nosipsos dijudicassemus, haudquaquam iudicati fuissemus. At cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cũ mundo condemnemur. Distinguit apertè Apostolus inter indignè manducantes ferulæ diuinæ subditos, & inter mundanos, id est incredulos homines, quibus uidelicet pœnam Dominus differt in aliud istud seculum: fidelibus suis, sed tamen ex incuria peccantibus, & non omni parte instructis, ad cœnam accedentibus, uarias inijcit calamitates, ut pestes, famem, morbos, & huius generis alia, ad excutiendum ueternum. Sequitur enim, Si nosipsos dijudicassemus, hoc est, si uitia nostra ipsi coërcuissemus, & nosmet à malis separauissemus, haudquaquam iudicati, id est, supplicijs affecti & correpti fuissemus. Protinus enim subijcit, At cùm iudicamur, à Domino corripimur. Iudicari ergo est corripi. Discimus autem ex his unde in ecclesiam exundent uaria mala, nimirum ex indigno cœnæ Dominicæ usu.

Quomodo præparemus nos ad cœnã Domini.

Respondeat autem hic aliquis, Si sic res habeat, tutius fore, ut in uniuersum abstineatur à cœna Domini. Cæterũ si in uniuersum quis abstineat, peccat etiam sic contra Dominum, & grauiter quidem. Contemnit enim mandatum Dei dicentis, Hoc facite: imò contemnit & mortem Domini & omnia dona Dei. Proinde periculum non euasit, qui cœnæ celebrationem omisit: id quod & superius diximus. Alia uia ingrediundum erit, si cupias & periculum & peccatum uitare. Audi consilium Apostoli Pauli miro compendio dicentis, Probet autem homo semetipsum, & sic de pane illo edat, & de poculo bibat. Obseruandum autẽ quòd in hac probatione neminem relegat ad alium, sed quemlibet ad semetipsum. Papistæ iubent te confessorem auricularium accedere, confiteri, absolutionem suscipere, & ad indictam formam pro peccatis satisfacere. Sic enim abundè purgatum iubent te ad mensam Domini accedere. Cæterum Paulus doctor gentium & uas electionis, horum ne uerbo quidem meminit, sed simpliciter, Probet homo semetipsum, ait, & sic de pane illo edat, & de poculo bibat. Sicut enim Deus cordium est scrutator, & animi affectum requirit, hypocrisim odit: ita nemo nouit quid sit in corde hominis, aut quales sint erga Deũ affectus nostri, quàm nosipsi: nos ergo metipsos iubet omnia explorare in nobisipsis: hoc est, iubet quemlibet in semetipsum descendere, & sese examinare. Examen hoc sine fide & face uerbi Dei fieri non potest. Prælucente autem luce uerbi Dei, & fide uires suas exerente, inquirit apud seipsum fidelis, an peccata sua omnia multipliciter contra Deum commissa agnoscat: an propter commissa doleat: an syncera cordis fiducia credat Christum abluisse ac condonasse peccata omnia: an ingenuè confiteatur ore, sicut corde credit, non in alio quàm in solo Christo esse salutem & uitam: & an apud semetipsum constituerit huic confessioni immori: an ad innocentiam & sanctitatem sedulò & seriò aspiret: an omnia membra corporis Christi, cuius & ipse membrum est, diligere, iuuare, & pro eis ad exemplum Christi se im-

se impendere paratus sit: an iras & inimicitias omnes remiserit: an passionem Christi, redemptionisq; mysteriũ uniuersum recolere, & pro redemptione omnibusq; Dei beneficijs acceptis & accipiendis gratias Deo agere anhelet. Hęc est iusta probatio, & cœnæ mysticæ congrua: hac facta, licet in humilitate & timore Domini cum gaudio ad cœnam Christi Domini accedere.

Verùm trepidant hic fideles, utpote conscij sibi suæ imperfectionis & infirmitatis. Neque enim ista inueniunt in animis suis sic esse absoluta, ut alioqui intelligunt perfectionem iustam requirere. Accedit satanas, & multas & magnas remoras inijcit, quo à cœnæ celebratione retrahat. Ad ea dicimus, si quis putet neminem ad cœnam admittendum, quàm eum qui sit ab omni repurgatus peccato & infirmitate, is profectò à cœna arcebit & excludet omnes quotquot in hoc seculo uiuunt homines, imò abrogabit in uniuersum cœnam Domini, iam non amplius hominibus peccatoribus, sed angelis institutam. Meminerimus probationem illam etiam intra metas suas consistere, & Deum hic quoque ut ubique sua erga nos uti clementia seu misericordia. Nouit ille infirmitatem & corruptionem nostram, ac potest compati infirmitatibus nostris. Israelitæ sub Ezechia rege non ad plenum purgati participabant de agno paschali. Orauit autem rex, & dixit, Dominus qui bonus est propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Deum patrum suorum: & non imputabit eis, quòd minus sanctificati sunt. Ac subiungitur his in sacra historia 2. Paralip. 30. Et Dominus exaudiuit Ezechiam, & placatus est populo. Dignitas quæ per exactam probationem inquiritur, non est perfectio absoluta, sed uoluntas & mens à Deo instructa, quæ humiliter suam agnoscit indignitatem, ideoq; augmentum fidei & charitatis poscit suppliciter, omnemq; perfectionem in solo Christo requirit. In prima illa cœna conuiuæ Domini fuerunt Apostoli, & inter hos Iudas: sed quoniam hic fide caruit, & proditor, imò parricida erat, reus factus est corporis & sanguinis Domini. Cæteri Apostoli fuerunt & ipsi peccatores, sed non impij, habuerunt fidem in Christum, amarunt Christum, & se mutuò ut fratres: ergo non indignè sicut Iudas, manducarunt de mensa Domini. Licet interim ad illam ipsam mensam specimina ederent magnæ imperfectionis. Nam Petrus non sine contemptu & contumelia fratrum præfert se omnibus. Præterea contendunt ambitioso certamine de eo quis inter ipsos uideatur maior futurus. Non enim nunc commemorabo, quòd mox à mensa deserto Domino turpiter fugiunt, & multis modis se indignè gerunt: sed hæc omnia facilè diluuntur, quòd in ipsis fides esset altissimis defixa radicibus.

Consolatio afflictarum conscientiarum.

Matth. 26. Lucæ 22.

Non pigebit hic recitare uerbotim consolationem D. Ioannis Caluini, uiri pij & docti, magna cum laude etiamnum in ecclesia docentis, symmystæ mei, & fratris longe colendissimi charissimiq;, quam pro afflictis in hac caussa sic protulit, Meminerimus has sacras epulas ægrotis esse pharmacum, peccatoribus solatium, pauperibus largitionem, quæ sanis, iustis, & diuitibus, si qui reperiri possent, nullum afferrent operæpretium. Nam cùm in illis Christus nobis in cibum detur, intelligimus nos sine ipso tabescere, linqui, deficere. Deinde cùm in uitam detur, intelligimus nos sine ipso in nobis planè mortuos esse. Quare ea est dignitas quam unam & optimam afferre Deo possumus, si nostram ei uilitatem, & ut ita loquar, indignitatem afferamus, ut sua misericordia nos se dignos faciat: si animos in nobis despondeamus, ut nos in ipso consolemur: si nos humiliemus, ut ab ipso erigamur: si nos accusemus, ut ab ipso iustificemur. Præterea si ad eam quam in sua cœna nobis commendat unitatem aspiremus: & quemadmodum

nos omnes unum in seipso esse facit, ita unam omnium animam, cor unum, linguam unam nobis omnibus optemus. Hæc si perpensa & meditata habuerimus, nunquam nos illæ cogitationes perturbabunt. Nos bonorum omnium egeni & nudi, nos peccatorum sordibus inquinati, nos semimortui quomodo corpus Domini dignè manducaremus? Magis cogitabimus nos pauperes uenire ad benignum largitorem, ægros ad medicum, peccatores ad saluatorem. Dignitatem illam, quæ à Deo mandatur, fide præcipuè constare, quæ omnia in Deo, nihil in nobis reponit: deinde charitate, & ea quidem ipsa, quã Deo imperfectam offerre satis sit, ut ipsam in melius augeat, quando præstari solida non potest. Tantum ille.

Illa uerò dixi hactenus de sanctissima Domini nostri Iesu Christi Cœna, sacramento Christianorum præstantissimo & saluberrimo, cui mox ab initio, & uiuentibus adhuc Apostolis, satan salutis nostræ infensissimus hostis, insidiatus, ipsam multis conatus est adobruere contaminationibus: à quibus cum tempore iam aliquo fideliter sit repurgata, non desinit ille eam, quæ ecclesiæ cessit in symbolum fœderis nunquam rumpendi, ceu glomum aliquem litium obijcere & insinuare. Vnde ipsa res & salus nostra requirit, ut uigiles locum tentatori nullum cedamus, sed omnes in Christo concordes & in unum (per cœnæ celebrationem fidelem) corpus compacti, amemus nos mutuò, & æternas agamus gratias redemptori nostro Christo Domino: cui sit laus & gloria nunc & usq; in seculum, Amen, amen.

De quibusdam ecclesiæ Dei institutis. De scholis. De bonis ecclesiasticis, & horum usu & abusu. De templis & instrumentis Christianorum sacris. De admonitione & correctione ministrorum ecclesiæ, adeoq; totius ecclesiæ. De matrimonio. De Viduis. De Virginibus. De Monachis. Quid agat cum ægrotis ecclesia Christi, & de funeribus & sepultura.

SERMO X.

RESTANT adhuc quædam & paucula quidem illa explicanda c. v. quæ partim pertinent ad ministerij ecclesiastici institutionem & conseruationem, partim uerò sunt peculiaria quædã ecclesiæ instituta, quibus hæc carere non potest. De quibus hoc Sermone Decadis huius ultimo, quæ loqui dederit Dominus, quanta potero breuitate, explicabo.

Dominus non onerauit infinitis legibus suã ecclesiam.

Ante omnia sciendum est, Dominum Deum nostrum non onerasse in immensum extensis legibus & institutis ecclesiam suam, sed paucula seu numerata quædam dedisse, eaq; non sumptuosa, nec intricata aut prolixa, sed frugalia, simplicia, exposita & succincta. Olim cum lege lata, populo suo cultum alioqui sumptuosiorem institueret Dominus, certa tamen, numerata & moderata erant omnia: nec uolebat his addi uel adimi pro arbitrio hominum aliquid, uel aliter quàm ipse instituisset usurpari. Quis ergo crederet Dominũ ecclesiæ noui sui populi, post abrogatam legem, sumptuosam & in immensum extensam tradidisse disciplinam? Sumptuosa ergo & immensa omnia in ecclesia fecit partim pastorum & procerum ecclesiæ auaritia, partim prodigiosa superstitio plebis. Teneamus nos, Dominum Deum nostrum admodum pauca, nec nisi necessaria suæ instituisse ecclesiæ: ideoq; omnibus nobis annitendum esse, ne adobruatur ecclesia traditionibus & institutis nõ ab ipso Deo profectis. Satis magnificè ornata & instructa est ecclesia Dei, si teneat Dei & Domini sui instituta.

Potissima, uera pietatis capita in ecclesia.

Præcipua autem & primaria ecclesię Dei capita pietatis sunt, Doctrina syncera legis & prophetarum, Christi & Apostolorum, Oratio fidelis uni Deo per solum Christum oblata, Religiosa item legitimaq; sacramentorum Christi administratio

&

& perceptio. De quibus hactenus per quinque Decades disserui. Accedit illis & Charitas, communicatio opum seu beneficentia. De qua nonnihil dictum est Decade prima, & dicentur in hoc Sermone quoque nonnulla. Nec alia commemorat beatus Lucas in Actis, describens qualis fuerit primitiua Christi per Apostolos fundata fidelis Ecclesia, & quæ potissima eius capita. Erant autem perseuerantes, inquit, in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precationibus. In his paucis capitibus uniuersa pietas comprehensa consistit. *Acto.2.*

Cum ministerio ecclesiastico sunt coniuncta quæ sequuntur. Primum autem locum habent scholæ Christianæ, uberem prophetarum uel ministrorum Ecclesiæ segetem proferentes. Intellexerunt omnes gentes non omnino barbaræ, sine scholis nulla regna, nullas respub. feliciter conseruari posse. Igitur Ægyptios amplissima instituisse sacerdotum uel philosophantium collegia non modò Moses in Genesi, sed & Strabo Geographiæ lib. 17. author est. Historiæ quoque commemorant celeberrimos quosque orbis uiros percipiendæ sapientiæ gratia descendisse in Ægyptum: in quorum numero & Plato ille philosophorum Alpha numeratur. Nec temerè scribitur in libro Regum Solomonem sapientia excelluisse sapientes Ægyptiorum. Quid quod non soli Ægyptij, sed etiam Palestini, gens alioqui bellis quàm literis illustrior, suos habuisse dicuntur sacerdotes, quos in rebus dubijs consuluisse author est Samuel in historia sacra. Sed & Daniel testatur scholas celeberrimas fuisse Babylonijs, Medis ac Persis, unde prodierint magi, sapientes inquam in omni parte philosophiæ illustres. De Græcis & Romanis non est quod quicquam commemorem, cum nemo ignoret istorum decantatiss. ab omnibus doctis Athenas, & horum amplissima pontificum & augurum collegia. Sed omissis exteris, proferamus nostratia uel Ecclesiastica. Deus qui absolutissimam dedit populo suo, & reipub. & regni felicis formam, distribuit scholas per XLVIII. oppida regni. Oppida ea à Leuitis philosophantibus, Leuitica dicebantur. Totam enim Leuiticam tribum consecrarat sacerdotio & studijs: non quòd non liceret & ex alijs tribubus ingenuis hominibus philosophari: sed quòd Leuitæ studijs sacris peculiariter destinati essent. Ex tribu enim Iuda constat fuisse Isaiam & Danielem clarissima prophetantium lumina. Dederunt aliæ quoque tribus præstantissimos in omni sapientia uiros. Ac dicebantur oppida illa & Leuitica & sacerdotalia, non quòd in his soli sacerdotes agerent, sed quòd in eis synagogas haberent. Cæterum apud tabernaculum in Silo & maximè in Hierosolymorum urbe erat schola omnium præclarissima & ueluti uniuersalis, ut hodie nuncupant. *De Scholis.*

Clarissimos autem uiros scholis præfuisse eadem testatur sacra historia. Nam in Rama legimus Samuelem, apicem omnis sapientiæ, pietatis & eruditionis, præfuisse Naioth, id est bursæ (ut uocant) uel collegio prophetarum. Scholæ Hierichuntinæ & Gilgal rectores fuerunt Helias & Heliseus clarissima Israeliticæ Ecclesiæ lumina. Subuerterat impurus Ieroboam scholas, & conculcarat sacerdotalem ordinem, in sacerdotium admissis ex fece populi citra delectum quibuslibet. Intellexerunt autem uiri Dei Helias & Heliseus sine scholis doctrinam sanam non posse uel florere uel conseruari; toti ergo erant in instaurandis scholis. Cumque iusta his negarentur uectigalia, impijs regibus ea transferentibus ad adulatores, uentres, id est, ad sacerdotes idolorum, uitulorum & Baalis, factum est tamen bonitate domini, ut uiri aliquot boni aliquid conferrent studiosis, & hi modico contenti uictu, fortiter se gererent in deprauatissimo seculo. Qui uero Scholis sic præerant probatissimi uiri, sapientes ac prophetæ, appellabantur patres. Unde & discipuli uel scholares nuncupabantur filij prophetarum. Amos & *Amos 7.*

Rectores scholarum. *1.Sam.10.* *4.Reg.2. & 4.cap.*

Ieremias appellarunt & Nazareos. Ille enim, Non sum ego propheta, inquit, nec filius prophetæ, nimirum liberalibus eruditus artibus. Et idem iterum, Suscitaui de filijs uestris prophetas, & de iuuenibus uestris Nazareos. Hic uerò commendat etiam formam studiosorum in Threnis quam in captiuitate prorsus corruptam lamentatur. Præterea filij prophetarum appellabantur, propter affectum in præceptores tanquam in parentes, & propter obedientiam & studium assiduum. Quò autem clariores sapientioresq́ erant principes, tanto maiorem operam impendebant reparandis scholis & restituendis ordinibus Ecclesiasticis. Id quod uidere licet non in Dauide & Solomone duntaxat, sed & in Iosaphat, Ezechia & Iosia regibus optimis & felicissimis. In captiuitate & post captiuitatem Babylonicam dispergebatur domini populus per uaria regna longè & latè. Quocunque autem deferrentur, scholas seu synagogas instituebant, & restituta urbe Hierosolymorum ad hanc subinde aspirabant. Ideo enim commemorant Acta Apostolorum Paulum apud gentes prædicantem uerbum Dei, ingressum synagogas docuisse. Et Iacobus Apostolus, Moses, inquit, ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet, qui ipsum prædicent in synagogis. Vbi non loquitur de ciuitatibus Iudææ aut Galilææ, sed de ciuitatibus Gentium in Syria, Cilicia & Asia. Cęterum dispersos subinde aspirasse ad sacram Hierosolymorum urbem, illud arguit, quod in Actis legimus. Erant autem Hierosolymis habitantes Iudæi uiri religiosi ex omni natione earum quæ sub cœlo sunt. Et quòd commemoratur Paulus cum esset natus ciuis Tarsensis, Hierosolymas concessisse ad pedes Gamalielis, id est, ut se subderet disciplinæ auditorq́ fieret Gamalielis. Sic legimus Hierosolymis fuisse collegia siue synagogas Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, Cilicum & Asianorum. Durauit ergo scholarum usus ad tempora usq́ Christi, imò & post ascensionem eius ad cœlos, ad usque ferè urbis excidium, licet interim non semel uideatur deprauatus.

Amos 2. *Actorum 15.* *Actorum 2.* *Actorum 22.* *Actorum 6.*

Christus et apostoli instituunt scholas.

Christus quoq; Dei filius, rex & pontifex noster, & ipse omnium nobilissimam instituit scholam, uocatis duodecim Apostolis & discipulis septuaginta, uiris, in quam, delectissimis octoginta duobus. Sed & Apostoli permultos sibi compararunt discipulos, in primis autem Paulus organum Dei ad conuertendas gentes electiss. qui in comitatu suo habuisse legitur Sopatrem Berrhœensem, Lucam Antiochenum, Marcum Hierosolymitanum, Barnabam, Syluam uel Syluanum, Caium & Timotheum, Aristarchum & Secundum, Tychicum & Trophimum, Titum & Linum, Crescentem & Epaphram, Archippum & Philemonem, Epaphroditum & Artemam, & multos alios. Idem diligentissimè uiris bonis commendauit studiosos & ministros Ecclesiarum, adhortans omnes ad liberalitatem, ne quid his deesset. Ad Titum scribens, Zenam legisperitum, inquit, & Apollo studiose deducito, ne quid illis desit. Iam & Antiochiæ percelebrem fuisse in Syria scholam, & apostolicam quidem illam, non obscuris quidem argumentis, uel ex 13. cap. Actorum colligere licet. Sed & Eusebius Cæsarien̄. abundè testatur quàm illustres scholæ fuerint Alexandriæ in Ægypto, & in alijs illustribus Ecclesijs. Et nos hoc ipsum exposuimus aliquando paulò copiosius in libro quem scripsimus de Institutione episcoporum. Tandem uerò omnibus Ecclesiæ rebus in peius declinantibus, degenerarunt & ecclesiasticæ scholæ in monasteria siue collegia canonicorum & monachorum.

Titum 3.

Ad conseruationem ministerij pertinēt scholæ.

Cæterum ex his quæ diximus nulli obscurum esse puto, ad incolumitatem Ecclesiæ ministerijq́ sacri conseruationem inprimis pertinere scholas, in quibus tradantur bonæ artes ad sacra studia promouenda utiles: cuius generis

sunt

sunt linguarum sacrarum præcipuè, sermocinatricis philosophiæ, physices & matheseos studia: & hæc quidem moderata, & ad certum pietatis scopum delineata. Inuenias enim ingenia quæ in artibus & disciplinis consenescant, sacra uerò attingant nunquam. Atque utinam ex prophanis nimium ingurgitatis non etiam ipsa sacra, ueluti barbara, contemnere discerent impij. Inuenias ingenia alia quæ studijs matheseos ita inhærescunt, ut meliores agere posint ædificiorum magistros, quàm rectores uel pastores ecclesiarum, imò quæ cœlo astronomico sic implicentur, ut uerum cœlum sedem beatorum nihil ad se pertinere arbitrentur, satis beati futuri, si modò motus illos cœli uisibilis & astrorum cursum uel puncto attingere posint. Qui autem philosophiæ studijs & dialecticorum tricis rhetorumque præceptis plus nimium immorantur, nec finem ullum attingunt, aut seriò cogitant studia sua ad ædificationem Ecclesiæ conferre, ferè disputatores rixosi, & censores superbissimi fiunt, quibus nihil propriè, tersè & expensè satis dictum aut factum uidetur ab alijs, nisi quod ipsorum capitibus grauidis admodulatum, regulisque præscriptis pilo tenus etiam congruit. Hi ferè disputationibus impexissimis omnia inuoluunt, nihil aliud quàm disputationes & rixas spirant, omnia omnium aliorum etiam bene aut tolerabiliter dicta & facta arrogantissimè censent, arrodunt, & malignè cauillantur, philosophastri uerius quàm philosophi, imò scholarum & Ecclesiarum pestes: ex quibus uenenum altercationum, simultatum, dissidiorum, & scissionum effunditur in Ecclesiam. Contra hos uidetur locutus Apostolus Paulus ad Timotheum. Nam post compendium sanæ doctrinæ redditum, subiungit, Hæc doce & exhortare. Si quis aliter docet, nec acquiescit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, inflatus est, nihil sciens sed languens circa quæstiones & pugnas uerborum: ex quibus oritur inuidia, contentio, maledicentiæ, suspiciones malæ, superuacuæ conflictationes, hominum mente corruptorum, & qui ueritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. Seiungere à talibus. *1.Tim.6.*

Equidem feliciter nunquam cesit Ecclesiæ, quando homines docti & studiosi deserta simplicitate & puritate uerbi Dei, aliò conuerterunt oculos, neque hos unicè in solum uerbum Dei collimarunt. *Corruptio scholarum.* Ex ueteribus quidam non contempserunt uerbum Dei, sed interim plus quàm decebat tribuerunt traditionibus. At ea re & erroribus occasionem præbuerunt, & inductos abusus confirmarunt. Ante secula aliquot Gratianus & Lombardus & alij quidam ex scriptoribus Ecclesiasticis, conciliationem dogmatum facere, & certam plenamque theologiam conati sunt colligere. Verùm ea re non modò à scripturis abduxerunt scholas, sed & doctrinas peregrinas Ecclesiæ obtruserunt. Secuti istos Alexander, Albertus, & Thomas, qui non modò ipsi à sententijs illis pependerunt, & ea alijs etiam commendarunt, uerùm ipsam quoque philosophiam miscere cum theologia, & in unum ueluti corpus redigere contenderunt. Sed inde nobis tot uiæ ac sectæ, tot inquam paludes ranis scatentes, tot scholæ, tot monasteria, ac sophistæ. Proinde si hodie quoque pergamus scripturis sanctis male copulare philosophiam, & illas superstitiose ad disputationes reuocare, ac sub regulas cogere humanas uel artium, corrumpemus & ipsi in scholis, grandi cum Ecclesiæ detrimento, synceritatem doctrinæ Apostolicæ. Interim certum est bonas artes uel literas plurimum facere ad perspicuitatem ac euidentiam, sed moderatè cum iudicio religiosè adhibitas, ut imperium relinquatur sacris literis, seruiant autem omnes artes exoticæ.

Scholarum certus scopus.

Doceatur ergo in scholis ecclesiasticis pura pietas, imò sit PIETAS scopus studiorum omnium: inculcetur studiosis mox ab initio studiorum Catechesis, nec ulla eis permittatur requies, donec eam plenè & imbiberint, & familiarem sibi fecerint: augeatur deinde concepta pietas quotidianis lectionibus & concionibus sacris: prælegantur perpetuò scripta euangelica & apostolica, ut & hæc illis maturè fiant familiaria: simul autem commodè imbuantur linguis & artibus, exerceanturq; & scribendo & dicendo. In primis autem exulet ex scholis piè institutis & Christianis, luxus & libido. Floreat disciplina etiam seuerior. Si enim corrumpatur iuuentus in scholis, atq; in corruptione adoleuerit, quid obsecro ab his expectemus quando præfecti fuerint muneribus ecclesiasticis? Illos ne credamus futuros Ecclesiæ sal, qui ut dissolutissimi insulsissimiq; sunt, ita acrimoniam in alijs ferre non possunt? Illos ne putabimus fore ecclesiæ lumina, qui ipsi odere lucem, & delectantur tenebris, & tenebrarum operibus? Quod ergo in Ecclesia Israelis fuerunt filij Heli, idipsum erunt & sunt in Ecclesia Christi corrupti prophetarum filij. Peribunt itaq; simul cum plebe sibi credita. Proinde indulgentia nimia peccatur hodie in scholis scelere nunquam eluibili. Venias enim in scholas non paucas, in quibus milites & scurras, non scholares aut studiosos credas, quos uulgus clericos appellat. Neque uictus, neque uestitus, neque mores, neq; dicta, neque facta referunt homines ingenuos, honestos, aut studiosos. Scio interim multa deberi infelici & dissolutissimo nostro seculo, in quo à contumacibus & rebellibus non audiuntur seniorum consilia: sed rursus noui plurimum non rarò delinqui præsidentium incuria & indulgentia. Quoniam uerò in scholis rectè institutis incolumitas consistit ecclesiarum, annitendum erit summa ope nobis omnibus, ne quid hac parte per nostram peccetur incuriam ac oscitantiam. Hæc de scholis ecclesiasticis, qua potui breuitate recensui: de quibus plura dixi in libro de Institutione episcoporum.

Disciplina scholarum.

De bonis ecclesiasticis.

Porrò ut conseruari posint scholæ cum ministerio uniuerso, & omnibus ædificijs sacris, sumptibusq; ecclesiasticis, opus est omnino iustis facultatibus. Locus ergo hic admonet aliquid proferre de Bonis Ecclesiasticis. Deus in ea re pub. quam alijs prælucere, ut optimè in omnibus rebus necessarijs institutam, uoluit, ex publico uectigalia sacro ministerio deputauit, decimas uidelicet, primitias & uarij generis oblationes. Extant hæc multis ab ipso uiro Dei Mose in lege exposita: qui nihil ueritus est, ne eam ob tractationem accusaretur iniquæ cupiditatis aut auaritiæ. Disertè enim quæ Deus loqui iubebat, fideliter reddidit. Quid quod ipsa lex naturæ iubet laboranti dare mercedem, & publicos sumptus ex collatione publica suppeditare? Et uectigalia uel tributa illa quæ ex publico colligebantur, non erogabantur nisi in usus publicos. Partim enim cedebant ministris pro ipsorum ministerio, partim impendebantur publicis ædificijs & sumptibus sacris. Seruiebat item portio subleuandis pauperibus.

Ecclesia noui testamēti habet facultates.

Tametsi uerò abrogata sit nouo testamento lex Leuitica cum sacerdotio uniuerso, certum est tamen uniuersalem illam legem, publicos sumptus ex publicis collationibus facere iubentem, non esse abolitam. Nam legimus dominum Iesum Christum, licet non ex decimis & sacerdotum uectigalibus, ex collationibus tamen nihilo minus piorum uixisse. Nam publico fungebatur munere. Idem discipulos suos ad prædicandum ablegans, disertè dicit, Nolo uos de uictu & amictu esse solicitos. Dignus est enim operarius mercede sua. Ergo confert primitiua ecclesia, ab apostolis Christo collecta domos, prædia & pecunias suas ad conseruationem ministerij rerumq; Ecclesiæ necessariarum. Sacerdotes & Le-

Lucæ 8.
Matth. 10.
Acto. 4.

uitæ tunc occupabant sacra uectigalia, neque culmum impendebant apostolicæ Ecclesiæ, utpote quam fame extinctam cupiebant. At intelligebant interim pij & fideles homines ad ecclesiæ conseruationem omnino pertinere terrenas facultates. Homines enim dedit ministros Ecclesiæ, non angelos: pauperes item loco sui Ecclesiæ commendauit. At hi utpote homines uarijs rebus indigent. Contulerunt ergo sancti, spiritu sancto exagitati, ædes, pecunias, fundos, aliasque suas facultates, ut ex his & pauperes, & ministerium sacrum conseruetur. Certissimum est itaque ecclesiam populi noui testamenti ab ipsis Christi & Apostolorum temporibus facultates habuisse collatas è publico, & erogatas esse rursum in usus publicos.

Gregorius eius nominis primus, episcopus Romanus, commemorat suo tempore, & ante sua tempora moris fuisse, ut ex bonis ecclesiasticis fierent portiones quatuor, Vna episcopo & familiæ eius: alia clero: tertia pauperibus: quarta Ecclesijs reparandis. *Quomodo erogatæ sint quondam opes ecclesiæ.* Negant autem non pauci iustè episcopos stipendium accipere ab Ecclesia. Videamus ergo quid ea in re nos doceant cum Christo domino Apostoli. Christus dominus, qui nihil unquam admisit iniqui, à mulieribus legitur accepisse, quæ ipsi ministrarunt docenti de facultatibus suis. Idem amandans discipulos & iubens ne soliciti sint de uictu & amictu, subiungit, Dignus est enim operarius mercede sua. Dignum æquum & iustum iudicat dominus prædicatoribus suppeditare necessaria. *Ministris ecclesiarum deberi mercedem.* Ergo indignè se non gerunt qui accipiunt stipendium, unde parent sibi suisque necessaria: imò comparat prædicatores non ociosis uentribus, non gratis manducantibus panem alienum, neque mendicis, sed operarijs. Vt autem in lege testatur dominus ingens esse flagitium negare mercedem operarijs: ita non peccant uulgariter, qui fidos pastores fame contabescere & inedia perire sinunt. Alibi quidem, Gratis accepistis, ait ad discipulos dominus, gratis date. *Matth. 10.* Sed loquitur de dono miraculorum, sanitatisque beneficio infirmis aut morbo laborantibus & oppressis conferendo. Ita enim scriptum est, Infirmos sanate, leprosos mundate, mortuos suscitate, dæmonia eijcite. His demum subijcit, Gratis accepistis, gratis date. Proinde licet Apostoli stipendium acceperint ab eis quibus prædicarunt: pro dono tamen sanitatis, in nomine domini collato, nihil unquam accepisse à quoquam leguntur. Sicuti ne Heliseus quidem à Naamano Syriæ imperatore, ultrò magna offerente dona, uel tantillum accipere sustinuit, quòd eius consilio à lepra fuisset mundatus. 4 Reg. 5. At idem ille donum uiri à Baal salisa uenientis non respuit. Ex eodem Christi domini euangelio discunt ministri ecclesiarum ad quos usus conuertant stipendium ab Ecclesia acceptum. Cum enim dominus secedere iussisset Iudam loculos gerentem, *Ioan. 13.* existimarunt cæteri discipuli illum accepisse mandatum emendi necessaria diei festo, aut egenis aliquid erogandi. Proinde dominus stipendio accepto usus est ad res sibi suisque necessarias parandas, & ad eleemosynam largiendam. En omnia uitæ & muneri suo necessaria possunt ministri ex stipendio ecclesiastico sibi & familiæ suæ parare. Deinde ex eodem possunt & eleemosynam elargiri pauperibus, uelut de proprijs & iustè partis opibus. Etenim in Lege quoque Dominus disertè dicit, sacrificia Leuitarum facta ex decimis & alijs oblationibus uel uectigalibus sacris, tam sibi grata futura, quàm eorum est oblatio, qui offerunt aliquid ex propria arca aut ex proprio torculari prædijs ue proprijs. Certè si operarius aliquid de mercede sua offerat Deo, hoc est, largiatur pauperi, an non gratissima Deo uidetur esse oblatio? Gratissima ergo Deo fuerit eleemosyna collata à ministro Ecclesiæ ex stipendio accepto ex sacro ministerio.

Laborat operarius aliquis in extruendo templo, ac mercedem operis percipit ex bonis ecclesiasticis. Quis uerò eam ob rem dixerit operarium eleemosynam accepisse, nec eleemosynam ex eleemosyna conferre posse? Mercedem operis accepit. Nam laborauit. Ex mercede ergo & iustis proprijsq; suis opibus eleemosynam dat. Quare itaq; uideatur minister ecclesiæ eleemosyna uiuere & ex eleemosyna eleemosynam non posse conferre, qui tamen & ipse pro suo stipendio laborauit, unde & mercedem operis accepit, sicuti operarius, cui ministrum ipse dominus comparauit? An uerò dicet aliquis, ministrum ecclesiæ suo fungentem munere fideliter, nihil laborare? Si quis ea est impudentia adobrutus, non me, sed Paulum audiat apostolum dicentem, Si nos spiritualia uobis seminauimus, magnum est si nos uestra carnalia messuerimus? Et iterum, Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè ij qui laborant in sermone & doctrina. Dicit enim scriptura, Boui trituranti non obligabis os. Et, Dignus est operarius mercede sua. En non arbitratur apostolus bonum ministerij inæstimabile, re uilissima, stipendio inquā terreno, compensari ullo modo posse. Deinde, Qui laborant, inquit: qui laborant inquam, non qui ociantur inquit, in doctrina. Hos & boui laborioso animanti & trituranti qui lem confert, deniq; & operario. Id quod tam diligenter admoneo, quòd in maligno & ingratissimo hoc seculo nostro homines, imò monstra potius ingratitudinis inueniuntur, quibus persuasum est ministros nihil agere, etiam eos qui fideliter suum obeunt munus. Nam clamitant hos gratis suum panem, ueluti mendicos, edere. Quo nomine multa egregia ingenia absterrentur à studijs bonis & sacris, ut planè abhorreant à ministerio, ceu à mendicitate & re inhonestissima. Ita enim nouit satan res suas conficere pro regno suo augendo, abutens imò bene sibi utens nostra ingratitudine & malitia. Quare non potius sustinent illi cum Christo & Apostolis, qui & ipsi stipendio alti sunt ecclesiastico numerari, quàm inter ingratos & superbos illos recenseri, qui ferè usuris & malis artibus suas sibi opes parauerunt? aut si non malis artibus parauerunt, certè ex liberalitate & mero Dei dono, pro quo nihil laborauerunt, acceperunt?

1. Cor. 9. *1. Tim. 5.*

Paulus grauibus & multis argumentis approbat ius accipiendi stipendij ex ministerio sacro. An non, inquit, habemus potestatem edendi & bibendi? an non habemus potestatem sororem mulierem circunducendi? Intelligit autem potestatem accipiendi & pro sua, & pro uxoris, totiusq; familiæ necessitate. Ac per interrogationem quod uult enunciat, ut sic significet æquitatem confessam apud omnes, imò & exempla adiungit, nec quorumlibet, sed omnium, adde & maximorum Christi apostolorum, Christo etiam sanguine coniunctorum, dicens, Quemadmodum & cæteri apostoli & fratres domini, & Cephas? Quis ille Cephas nisi Petrus? Ad hunc enim Ioan. 1. cap. dicit dominus, Tu uocaberis Cephas, quod sonat, si interpreteris, lapis. Sed & Petrus à petra cognominatus est: ut in idem semper recidat etymon nominis. Qui uerò sunt fratres domini, nisi Ioannes & Iacobus, Iacobus item Iudæ, Iudas Iacobi & Simon? Hos autem omnes dicit Paulus stipendio accepto uixisse ex publicis Ecclesiæ collationibus. Exemplis his coniungit aliquot similia petita è uulgo, Quis, inquit, militat unquam suis stipendijs? Quis plantat uineam, & de fructu eius non edit? Aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non edit? Eleganter autem his, & proprijssimè quidem his, non alijs utitur similibus. Nam ministri ecclesiarum alibi milites, uinitores uel agricolæ & pastores apellantur. Quis uerò tam iniquus ut neget militibus, agricolis & pastoribus uictum & amictum ex militia, agricultura & re

1. Cor. 9. *Apostoli acceperunt stipendium.* *Marc. 6.*

re pecuaria? Agnoscunt ergo cordati & æquissimi iudicij omnes homines, ministrum ecclesiæ uiuere posse ex ministerio ecclesiastico. Cæterum ne quis obijceret, parabolas illas humanas & à uulgo petitas, in caussa ecclesiastica nihil probare, subiungit protinus, Num secundum hominem hæc dico? An non & lex eadem dicit? Etenim scriptum est in lege Mosis, Non obligabis os boui trituranti. Quasi dixerit, Sunt mihi in promptu pro iure nostro asserendo, non tantùm humanæ similitudines, sed & diuinæ scripturæ testimonia. Profert autem locum ex Deut. 25. cap. de alendis bobus laborantibus. Rursus ne quis eum locum nō de prædicatoribus, sed simpliciter de bobus interpretandum contenderet, subdit, Nunquid boues curæ sunt Deo? An hoc propter nos omnino dicit? Propter nos enim hoc scriptum est, quòd sub spe debeat is qui arat, arare, & qui triturat sub spe, spei suæ particeps esse. Nobis, inquit, uoluit in lege sua Dominus consulere. Voluit enim æquitatem syllogismo quodam colligi, ad hunc uel similem modum, Si Deus prospexit armento & pecudibus, eorumque rationem haberi uoluit, quanto magis hominum? Iniquissimum certè foret, si agricola cum boue sine spe, id est, frustra & sine fructu laboraret: iniquissimum ergo foret & ministrum in ecclesia sine spe ac debito stipendio agriculturam exercere ecclesiasticam. Porrò cùm his iterum opponi soleat, spirituali ministerio præmium deberi, non corporale, sed spirituale, respondet Apostolus, Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos uestra carnalia messuerimus? Nihil ergo Corinthios conferre sentit, cùm dant temporalia, si uidelicet hæc cum æternis conferantur bonis, quæ ministri docendo afferunt. Nam quanto antecellit anima corpus, tanto præstantiora sunt spiritualia corporalibus. Et occulit interim Apostolus in his argumentum euidens, dum admonet æquum esse ut qui seminat, etiam idem ille & metat. In eo autem inæqualitas magna est, quòd ministri seminant meliora, metunt autem deteriora. Homines quia & Deum & diuinum ministerium floccifaciunt, ideò ministros nihil agere iudicant. Paulus uerò rursus ab aliorum exemplo ius suum confirmat dicens, Si cæteri erga uos potestatis participes sunt, cur non potius nos? Cùm enim apud Corinthios nemo plus laborasset, quàm Paulus, nemo erat mercede dignior. Idē rursus ab exemplo & præcepto ac ordinatione Domini ius suum approbans, An nescitis, inquit, quòd hi qui in sacris operantur, ex sacrario edunt? & qui altari ministrant, altaris sunt participes? Sic & Dominus ordinauit, ut qui Euangelium annunciant, ex Euangelio uiuant. Vbi uerò hoc ordinauit Dominus? Cùm in Euangelio dixit operarium sua mercede esse dignum. Obseruandum autem puto inprimis quòd Apostolus disertè dicit, Dominum suam ordinationem de alendis ministris ecclesiæ, ad imitationem antiquarum populi Iudaici legum instituisse. Hinc enim colligimus nō aberrare nos à scopo, si in hac & similibus caussis uetera quoque instituta non omnino reijciamus.

His omnibus nihil derogat, quòd ipse Apostolus Paulus suo iure non est usus. *Paulus non accepit stipendium.* Alia enim est quæstio facti, alia iuris. A Corinthijs quidem certas ob caussas nihil accepit, sed nihilominus accepit ab alijs ecclesijs. Sed & à Thessalonicen. nihil accepit: cæterum hoc factum suum non uult præiudicare æquo iuri. Nam ad Corinthios, Alias, inquit, deprædatus sum ecclesias, accepto ab illis stipendio, quò *2. Cor. 11.* uobis inseruirem. Et cùm apud uos essem & egerem, non onerosus fui cuiquam. Nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres qui uenerant à Macedonia. Et ad Thessalonicen. Non inordinatè gessimus nos inter uos, inquit, neque gratis panem *2. Thess. 3.* accepimus à quoquam, sed cum labore & sudore nocte dieque facientes opus, ad hoc ne cui uestrum essemus oneri. Non quòd id nobis non liceat, sed ut nosmet-

1. Thess. 5. ipsos formam exhiberemus uobis ad imitandum nos. Ac idem ad eosdem Thessalonicen. Rogo uos, inquit, ut agnoscatis eos qui laborant inter uos, & qui præsunt uobis in Domino, & admonent uos, ut habeatis illos in summo pretio, per charitatem: propter opus illorum pacem habete cum eis. Cedat ergo ex facultatibus ecclesiæ pastoribus quantum satis est, & quantum honesta requirit necessitas. Hæc autem hactenus de portione pastoribus debita.

Studiosi alātur stipendio ecclesiæ. Clericis olim cedebat secunda pars opum ecclesiasticarum. Sunt autem clerici pastorum seges, studiosi theologiæ, & ministerio sacro dediti. Quoniam enim & hi sese & omnia sua in uniuersum ecclesiæ & ministerio eius consecrauerunt, æquissimum est ut ecclesiæ sumptibus alantur. Alantur autem frugaliter, qui alijs debent præferre frugalitatis exemplum. In delicijs educati, ministerijs ecclesiæ minimè congruunt. Ideò enim & Amos querebatur uinum propinari nazareis, quòd intelligeret ebrios ecclesiam non seruare, sed perdere funditus. De qua re aliàs dictum est. Præterea æquum est, ut presbyteris, scholarum rectoribus, professoribus, & omnibus, singulisq; personis ecclesiasticis sua persoluatur portio iusta.

Pauperibus prospiciatur ex bonis ecclesiæ. Porrò pauperibus in ecclesia destinata est tertia bonorum ecclesiasticorū portio. Sunt autem uaria pauperum genera. Sunt uiduæ, pupilli, orphani, infantesq; expositi. Sunt senio & morbis attriti atq; confecti. Morborum autem genera infinita sunt. Grauiora numerantur lepra, furor & mania, poscæ Gallicæ, uel scabies Indica uel Neapolitana, paralysis, podagra, & multa alia. Sunt & peregrini non tantùm indigenæ pauperes: sunt exules suis eiecti sedibus propter iustitiam & uerbum Dei. Sunt alij qui nondum ad imam peruenerunt inopiam, sed in procliui tamen stant, ita ut si non pecunijs numeratis iuuentur, mox toti ueniant publicis ecclesiæ bonis alendi. Sunt rursus quos captiuitates, bella, aquarum inundationes, incendia, atq; aliæ calamitates, grandinis, pruinæ, ac intemperies cœli attriuere. Quorum omnium salutem & incolumitatem commendauit nobis Dominus Deus noster, qui apertè testatur sibijpsi impensum esse quod impenderimus pauperibus. Proinde si contempserimus aut neglexerimus pauperes, ipsum Deum nostrum proculdubiò in ipsis spreuimus & neglleximus pauperibus. Iuuare autem oportet pauperes beneuolentia spontanea, consilio, consolatione, medicina, cura, pecunia, cibo, potu, uestimentis, hospitio, patrocinio, & quocunq; possumus modo, ac in omnibus ijs rebus in quibus illi nostro auxilio indigent. Si his non plenè sufficere possunt opes ecclesiasticæ, sarciat horum inopiam omnium fidelium copia. Si autem opes alioqui sufficientes olim piorum liberalitate collatæ in promptu sunt, quæ tamen procerum negligentia uel iniquitate, pauperum necessitati subducuntur, inde profectò sæuissimæ infelicitatum tempestates effunduntur & in respub. & in regna. Etenim puniuntur grauissimè qui priuatim de suo, cùm possunt, nihil conferunt pauperibus: quanto ergo atrocioribus supplicijs afficiendos existimamus, qui dudum ab alijs ad publicos pauperum usus collatas opes, ad priuatos usus impiè & sacrilegè rapiunt? Qui habet huius mundi substantiam, & uidet fratrem suum egentem, clauseritq; uiscera sua ab eo, crudelis est: ergo qui munus pauperi datum ipse sibi rapit, crudelior adeoq; sacrilegus est. Sodomitæ cum socijs urbibus subuersi leguntur, quòd manum pauperum non confortauerunt, sed dissoluerunt potius. Moabitæ & Chananæi excinduntur, quòd aspernati fuissent peregrinos, & nullam prorsus habuissent pauperum rationem. Sed cur tam longe petita adducimus exempla? cur non reuocamus in animos ultimā illam supremi iudicis è tribunali cœlesti, in ipsis firmato nubibus, sententiam, ad hunc

Fraudare pauperes sua portione. Ezech. 16. Isaie 16. 1. Ioan. 3. Ezech. 16. Esaie 16.

hunc modum pronunciatam, Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi edere. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & operuistis me. Infirmus, & uisitastis me: in carcere eram, & uenistis ad me. Subdit autem Euāgelista, quæ mire nostro congruunt instituto, Tunc respondebunt ei iusti, dicentes, Domine, quando te uidimus esurientem, & pauimus: & sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem uidimus te hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando uidimus te infirmum, aut in carcere, & uenimus ad te? Et respondens rex, dicet illis, Amen dico uobis, quatenus fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet & his qui à sinistris erunt, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim & non dedistis mihi cibum. Sitiui, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non collegistis me. Nudus, & non operuistis me. Infirmus, & in carcere eram, & non uisitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes, Domine, quando te uidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens, Amen dico uobis, quatenus non fecistis uni de minimis his, nec mihi fecistis. Sequitur ergo. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti uerò in uitam æternam. Alibi enim in Euangelio Dominus pauperes sui loco, qui ascēsurus erat in cœlos, nobis substituens, Semper, inquit, pauperes habetis uobiscū: & quandocunq; uolueritis, potestis illis benefacere: me uerò non semper habetis. Proinde legimus primitiuam ecclesiam in pauperibus curandis ad miraculū usq; fuisse solicitam. Paulus ecclesiæ Dei ubiq; commendat pauperes: pauperibus collegit in omnibus ferè ecclesijs, & collectam benedictionem mira procurauit maturitate, fide & diligentia. Id quod uidere licet in omnibus ferè eius Epistolis, præcipuè uerò in 15. ad Rom. in 1. ad Corinth. 16. in 2. ad Corinth. 8. & 9. cap. Ad Galatas, Dum tempus habemus operemur bonum, inquit, cùm erga omnes, tum uerò maximè erga domesticos fidei. In Epistola priore ad Timoth. monet etiam rationem habendā esse eorum quibus subueniatur, & quibus non subueniatur. In eadem Epistola præceptum dat Timotheo, & omnibus episcopis, quid agant cum ditioribus in ecclesia, dicens, His qui diuites sunt in hoc seculo præcipe, ne elato sint animo, neq; spem ponant in diuitijs incertis, sed in Deo uiuente, qui præbet nobis omnia affatim ad fruendum, ut bene faciant, ut diuites sint operibus bonis, ut faciles sint ad impertiendum, libenter communicantes, recōdentes sibijpsis fundamentum bonum in posterum, ut apprehendant uitam æternam. Idem ad Hebr. Beneficentiæ, inquit, & communionis ne obliuiscamini. Talibus enim uictimis placetur Deo. Paratæ sunt ergo opes mox inde ab Apostolorum temporibus pro necessitate pauperum subleuanda. Dati sunt ab ecclesia diaconi curatores seu œconomi, Inter quos illustriores fuere primi illi diaconi, quorum meminerunt Acta Apostolorum, & præclarus Christi martyr Laurentius. Ac ueterum scripta testantur, ex bonis illis ecclesiasticis liberatos fuisse perfrequenter captiuos, nubiles pauperes uirgines dotatas, denique extructa esse Xenodochia, Ptochotrophia, Nosocomia, Gerontocomia, Brephotrophia, & Orphanotrophia, nimirum pro excipiendis pauperibus peregrinis, pro alendis pauperibus indigenis, pro ægrotantium & languentium cura, pro senum necessitate, proq; infantium pupillorum & orphanorum educatione honesta. De his extant adhuc imperatoriæ leges.

Matth. 25. *Marci 14.* *Galat. 6.* *1. Timoth. 5.* *1. Timoth. 6.* *Hebr. 13.* *Acto. 6.*

In reformandis ergo ecclesijs aduigilandum est diligentissimè, ne quid hic peccetur negligentia aut malitia, ne fraudentur pauperes, neue abusum unum tollen- *Reformatio.*

tes, plures inducamus. Si suppetunt opes, conseruentur: si non suppetunt, colligantur ex ditioribus. Deinde inspiciatur pauperum conditio, & cuius rei quisque maximè sit indigus, aut quomodo cuiq; commodissimè prospici possit. Ea re deprehensa, maturè, benignè & diligenter fiat quod fieri conuenit ac necesse est. Si quid de opibus superfuerit publicis, seruetur futuris calamitatibus. Nihil prodigatur inutiliter & impiè. Rursus non coaceruetur fraude & inopia pauperum thesaurus infelix. Vtrobiq; enim ex æquo peccatur. Vtrobiq; enim fraudantur suis opibus pauperes. De beneficentia diximus alibi in hisce nostris Decadibus: de curandis item pauperibus, in alijs nostris lucubrationibus. Optimè uerò de subuentione pauperum scripsit Lodouicus Viues.

Aedificia sacra. *De Templis Christianorũ.*

Quarta & ultima portio bonorum ecclesiæ debetur ædificijs sacris, ut templis, scholis, & domibus ad templum scholasq; pertinentibus. Templa quæ & ecclesiæ à cœtu appellantur, sunt domus Domini Dei nostri. Non quòd in domibus huiusmodi Deus, quem cœli cœlorum non capiunt, habitet, sed quòd ecclesia uel populus Dei coit in huiusmodi domibus ad cultum Deo præstandũ, ad audiendũ uerbum Dei, ad percipienda sacramenta Domini, & ad precandum faciem Dei. Templa ergo ecclesiæ Dei omnino necessaria sunt. De cœtibus sacris dixi in disputatione de Oratione. Quamuis uerò iubente Deo Moses portatile templum, deinde uerò sapientissimus Solomon fixum templum, non sine sumptu magno, parauerint, non ideò tamen existimandum est maximos sumptus probari Deo post exhibitũ Christum adimpletasq; figuras. Nam ut ante legem latã Patriarchæ nullas leguntur Domino extruxisse basilicas, ita post abrogatam legẽ in ecclesia Christi placet Deo frugalis mundicia. Displicet autem insania illa ædificandi non admodum dispar furori Babylonico, conanti summum turris fastigium ipsis imponere nubibus. Non placet Deo luxus templorum, qui sine luxu ex toto terrarum orbe collegit ecclesiam, quam & frugalitatem & omnis luxus contemptum docuit. Satis amplum & magnificum fuerit templum, si sufficiat recipiendis omnibus ad ecclesiam istam pertinentibus. Hominibus enim non Deo paratur locus. Sit autem locus ille mundus & sanctus. Sanctificatur consecraturúe templum, non (ut superstitiosè à quibusdam creditur) ullis uerborum recitationibus, aut impressis characteribus, non oleo, & ignibus piacularibus, sed Dei uoluntate & præcepto, iubentis conuenire, & promittentis suam præsentiam, consecratur item usu sacro. Congregatur enim in templo sancta Dei ecclesia: annunciatur in templo ipsum Dei uerbũ sanctissimum: percipiuntur in templo sacrosancta Dei sacramenta: funduntur item ad Deum preces Deo gratissimæ. Locus quidem per se sanctus non est: sed quoniam hæc sancta in loco fiunt, quatenus fiunt & ipse locus appellatur sanctus. Meritò ergo abest à Dei templo sancto omnis prophanatio & res turpis atq; fœda. Curia senatoria ab omnibus habetur sacra, adeò ut maiestatis reus ageretur quisquis illam dicto uel facto indecoro uiolaret. At in hac colliguntur duntaxat senatores, audituri caussas litigantium de rebus fluxis & perituris. Quanto uerò maior debetur reuerentia templis, in quibus ad cultum Dei filij Dei conueniunt, ipsa Dei uerba audituri, & sacramenta eius percepturi? Vt ergo in templis superstitionem odimus, ita prophanationem ipsorum non amamus, imò minimè ferimus. Neq; uacat modò omnes circa templorum considerationem superstitiones manifestas recitare & excutere. Id quod feci aliàs.

Ad quam mundi plagam adorandum.

Disputatum uideo apud ueteres ad quam orbis plagã adorantes oporteat conuerti. De uetustissima orbis Apostolica ecclesia Antiochiæ, Socrates historiarum lib. 5, cap. 22. Antiochiæ, inquit, Syriæ inuersum habet ecclesia sitũ. Altare siquidẽ

non

non ad orientem, sed ad occidentem spectat. Fortassis imitati sunt ueteris populi in extructione ac situ tabernaculi & templi morem. Ad occidentem enim conuersi adorarunt, haud dubie propter Christum in fine & occasu seculorum uenturum. Alioqui uulgo receptum est adorare uersis ad orientem uultibus. Sed in his, si absit superstitio, altercatio, licentia & offensio, ualet libertas.

Porrò diuis non debent ulla extrui templa. Soli enim Deo, cui debetur cultus, ponendum est templum. Id quod exemplis ueterum docemur, & consensu totius scripturæ. Ethnici idololatræ creaturis posuerunt templa, atroci præuaricatione peccantes contra Deum uerum & æternum. S. Augustinus libro de Ciuit. Dei, sine uerborum inuolucro dixit, Martyribus nostris templa non ponimus, uel extruimus. Idem lib. 1. contra Maximinum Arianorum Episcopum, Nónne si templum, inquit, alicui sancto angelo excellentissimo, de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à ueritate Christi & ecclesia Dei? Quoniā creaturæ exhiberemus eam seruitutem, quæ uni tantùm debetur Deo. Si ergo sacrilegi essemus faciendo templum cuicunque creaturæ, quomodo non est Deus uerus cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus? Hæc ille. Proinde mendaces sunt qui audent asserere uiuentibus Apostolis posita à religiosis hominibus templa. De qua re diximus olim, ut & contra templorum luxum & sumptus inutiles, primo libro de Origine erroris, capite uigesimo primo. *Templa Diuis nō extruenda.*

Instrumenta templi sacra sint, & ipsa munda, & ab omni luxu aliena, à superstitione uerò alienissima. Instrumenta sunt cathedra sacra, è qua doceat minister: sedilia commoda auditoribus ecclesiasticis: baptisteriū baptizandis fidelibus paratum, & Mensa Dominica, denique quæ ad hæc ipsa uelut necessaria uidentur, aqua, panis, uinum, libri, lucernæ, calathi uel catini & pocula. Fuerunt sanè hæc aliquando aurea: sed conflauerunt optimi & sanctissimi quique Episcopi hæc non raro, ac liberarunt captiuos, cibaruntque fame tabescentes. Plurima horum collegi exempla, lib. de Instit. episcoporum capite 9. Et Lucernas quidem, quarum iam iam meminimus, adhibuisse ueteres in templis ad discussionē nocturnæ caliginis certum est, uel ex Actorum cap. 20. Stultum est autem & minimè religiosum, lumina ad cultum Dei adhibere. Clamat Lactantius, Num mentis suæ compos putandus est, qui authori aut datori luminis candelarum aut cereorum lumen offert pro munere? Aliud uerò ille exigit à nobis lumen, & quidem non fumidum, sed liquidum atque clarum, mentis scilicet. At contra tam liquidam ueritatem uideas hodie bonam cultus Dei partem in oblatione luminum collocari. Inter instrumenta ecclesiastica recensentur & Campanæ, quæ hodie id nobis sunt quod olim erant populo Dei Tubæ. Seruiunt enim cœtui conuocando, & referuntur ad signa. Circa illas mira exercetur superstitio. Baptizantur ab Episcopis; creduntur uim habere dispellendæ tempestatis atræ. Olim pulsu prouocabantur homines ad preces ingruente tempestate sæua, nunc ipse campanarum sonus ex consecratione uidetur peculiarem habere uirtutem. Quis non obstupescat ad extremam hanc cæcitatē? Vsurpant præterea campanas ad plangendum mortuos. Quæ quidem omnia superstitiosa & modis omnibus contemnenda sunt. *Instrumenta sacra.* Campanæ

Cùm autem in illis quæ commemorauimus uerus sit usus bonorum ecclesiasticorum, consequens est in contrarijs uersari abusum: siue peccetur in una specie, siue in pluribus. Iustitia in his, ut in omnibus, colenda est. Non eripiendum uni & dandum est alteri: sed suum cuique dandum est. Ergo non eripiendum aliquid pauperibus & dandum est ecclesiæ ministris: neque his sua portio & necessitas rapienda, ut habeant unde uiuant pauperes. Scriptura concedit bonorum *Abusus bonorum ecclesiæ.*

ecclesiasticorũ portionem ministris ecclesiæ: eadem iubet & pauperibus suum tribuere demensum. Ergo si Episcopi uel ministri ecclesiastici omnia sibi bona ecclesiastica uendicent, nec suas partes pauperibus distribuant, sacrilegio se polluunt. Si ministri non omnia sibi bona uendicent, interim plus quàm decet & necessitas poscit, ac ordinatio Domini & Apostolica admittit, sibi usurpant: aut si portionem sibi debitam turpiter concoquunt, grauiter delinquunt: grauius imò grauissimè peccant, si uenationibus, alea, poculis & luxu, scortis, adde & militia, bona etiam pauperum prodigunt: interim & ædificia sacra nec curant, nec ullam rationem habent eorum quæ fiunt in templo, aut quomodo fiant. Quòd si portio iusta cedat pauperibus, erretur autem hic fauore uel odio ab œconomis uel dispensatoribus, ut maximè indigis & miseris cedat nihil, indignis autem supersit multum, peccatur etiam hac ratione turpi abusu. Omnium autem fœdissimus abusus is esse uidetur, qui hodie ferè uulgatissimus est. Fit sumptus ingens in saxa et truncos, hoc est, in idola omni sensu carentia, pauperibus ueris Dei imaginibus nullus fit honor. Qui quidem furor est gentilis & extrema dementia. Sed cùm alij de abusu bonorum ecclesiæ dixerint copiosissimè, & nos quoq; de hoc alibi quædam proposuerimus, de his iam dicendi finem faciam.

Tempus sacrũ

Dicerem iam & de Tempore sacro, quæ tractatio omnino affinis est Loco sacro, de quo iam disputauimus, nisi de illo quoq; Decalogum exponentes disseruissemus. Hoc duntaxat adijciam in præsenti, non oportere propter hoc contendi odiosius in ecclesia, sed disciplinã cum charitate esse in hac caussa & similibus constanter seruandam. Memores enim nos esse decet concertationis perniciosissimæ de Paschate celebrando, quæ multo cum periculo & detrimento multum diuq; exercuit & orientis & occidentis ecclesias, caueréq; modis omnibus ne per contentiones satanæ aperiatur fenestra. Vtile fuerit mea sententia in hac caussa & nõ dissimilibus illius beati Augustini meminisse consilij, Quod neq; cõtra fidem, neq; contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos uiuitur societate seruandum est. Ad Ianuarium Epistola 118.

Disciplina & correctio ministrorum.

Ad ministerium sacrum pertinet & disciplina correctioq; ministrorum. Quam uerò hæc sit necessaria, colligi potest uel ex his Christi Domini uerbis, Vos estis sal terræ. Quòd si sal infatuatus fuerit, quo salietur? Ad nihil ualet ultra, nisi ut proijciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Scio iactare quosdam priuilegia nescio quæ, eximenta ipsos ab omni disciplina. Sed errant isti. Omnes enim ecclesiæ suæ ministros subiecit Dominus disciplinæ. Qui itaque à disciplina exempti esse uolunt, non sunt ministri Christi. Aut quis obsecro eum liberum à disciplina pronunciet, quem Dominus omnino uoluit esse subiectum atq; obstrictũ? Contra mandatum Domini non ualet ulla lex Pontificia, aut ullum priuilegium regium uel imperatorium. Nemo enim potest abrogare summi Dei decretum. Et Dominus quidem iubet monere & corripere quemlibet fratrem peccantem: uult ergo idem ut cæcutientes & impingentes ministros ecclesiarum acrius admoneamus. Ipse certè totum sacerdotum ordinem ecclesiæ Hierosolymitanæ increpauit, & creberrimè & acerbissimè. Heli sacerdos Domini pessimè audit in sacra historia, quòd seueriore disciplina filios suos sacerdotes nõ coërceret. Prophetæ Domini acerrimè leguntur accusasse & tota sacerdotum collegia & summos sacerdotes. Exempla ubiq; occurrunt in historia diuina, & in prophetarum sermonibus.

Galat. 2.

Quid quod S. Paulus sanctissimũ Apostolum Petrum Antiochiæ Syriæ in conspectu totius ecclesiæ increpuit, quòd non recto pede ad regulam Euangelij incederet? Christus deniq; ipse in reuelatione sua facta Ioanni Apostolo, angelos, id est

ministros ecclesiarum, grauissimè & admonet & increpat. Rursus uerò Apostolus Paulus, Aduersus presbyterum, inquit, accusationem ne admiseris, nisi sub duobus aut tribus testibus. Eos uerò qui peccant, coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. Ergo nō pauca extant in scripturis clarissima exempla sanctissimorum principum, qui primarios etiam ministros ecclesiarum legibus coërcuerunt, & non bene suo munere fungentes è gradu & cathedris deturbarunt. Sed & ipsa deposcit necessitas, & salus populi Dei, ut deprauati ecclesiarum ministri deponantur. Et satius quidem est conturbare aliquot ministros prauos, quàm in discrimen animæ & corporis tot ecclesias conijcere. Perduntur enim funditus ecclesiæ incuria & impietate deprauatorum pastorum. Deponantur itaq; maturè. 1. Timoth. 5.

Cæterum quò facilius & rectius in officio retinerentur ecclesiarum ministri, celebrarunt quondam ueteres semel & iterum in anno Synodos sacerdotales, & has ueluti medicinam adhibuerunt ministrorum morbis. Et ne quid hic longè petitum afferam, recitabo c. v. quæ leguntur in Constitut. imperatoria Iustin. Cæs, sic mandantis, Veteres definierunt ut bis per singulos annos sacerdotum seu Episcoporum in quacunq; prouincia celebrentur Synodi, & quæ suppullularent, ibi examinarentur, & cōpetenti correctione sanarentur. Id cùm hucusq; non sit obseruatum, necessarium uidetur id denuo ad rectam uiam reducere. Nos ergo cùm inuenerimus multos ob hanc negligentiam uarijs implicitos esse erroribus atque peccatis, iubemus ut omnibus in quacunque prouincia per singulos annos, uel in mense Iulio, uel Septembri una Synodus celebretur, coeantq; in unum uel apud Patriarchas uel Episcopos presbyteri, & agitentur caussæ fidei, quæstionum item canonicarum, & de administratione rerum ecclesiasticarum, uel de reprehensibili uita, aut alijs quæ correctionem desiderant. His enim ita obseruatis laici quoque magnum circa rectam fidem & honestam uitam profectum atque in melius emendationem promerebuntur. His protinus subiungit & hæc, Iubemus autem & prouinciarum præsides, si ita negligenter curari uiderint, Episcopos urgeant ad celebrandas Synodos. Quòd si eos moram nectere & segnius eas senserint peragere, nos ea de re certiores reddant, ut contra cunctatores conueniens à nobis procedat correctio. Hactenus Cæs. decretum recensui. Videant ergo Episcopi, ne quid hic eorum negligentia peccetur: & his quidem negligentibus, uideat magistratus ne ad socordiam horum conniueat in perniciem totius ecclesiæ & omnium ministrorum Christi. Sicubi uerò exoleuit salubre celebrandi Synodos institutum, reuocetur, & iusta cum grauitate reparetur ad ministerij conseruationem incolumitatemq; ecclesiarum. Subrepunt in horas uaria & multa uitia, quòd carnis ingenium admodum sit deprauatum: nisi ergo in ecclesia ualeat admonitio, & in quotidiano usu sit correctio, citius quàm ipsi putemus collabuntur & intereunt ea quoq; quæ firmissima credebantur. De Synodis.

Sicut autem Dominus priuatim uoluit admoneri & corripi præuaricantes ecclesiæ ministros, ita eiusdem admonitionis & correptionis bonū extendit ad uniuersam ecclesiam. Ergo habuit uetus ecclesia sanctum presbyterorum senatū, qui delinquentes in ecclesia diligenter admonebat, corripiebat grauiter, adde & consortio excludebat ecclesiastico, si uidelicet nihil emendationis expectari posse uideretur. Posterioribus uerò seculis Pontifices & Episcopi hoc uindictæ genus ad se rapientes per tyrānidem, & sacrilegè contra primā institutionē exercentes, con uerterunt salutarem medicinā in letale uenenū, reddideruntq; tam probis quàm improbis abominabilem. S. Paulus docens non paucorū libidini hanc permissam esse diuinitus uindictam, Decreui, ait, ut is qui hoc scelus patrauit, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis uobis & meo spiritu, unà cum potestate Do- *Admonitio & correctio ecclesiastica.* 1. Corinth. 5.

mini nostri Iesu Christi, tradatur satanæ ad interitum carnis, quò spiritus saluus sit in die Domini Iesu. En ecclesiæ seniorumúe in ecclesia est ista potestas uel uindicta. Modus autem est, interitus carnis. Finis uerò, salus spiritus, siue conseruatio fidelis hominis. Nam & ad Thessal. idem Apostolus, Si quis, inquit, non obedit sermoni nostro, hunc per Epistolam indicate, & ne commertium habeatis cum illo, ut pudore suffundatur: neq; uelut inimicum habeatis, sed admonete ut fratrem. Idem Apostolus alibi quoq; satis disertè indicans, qui nam ecclesiastico feriendi sint gladio, non peccatores quidem infirmi, aut uiri boni, à solis episcopis & coniuratis ipsorum hæretici iudicati, aut pauperes propter pecuniam nondum numeratam officiali aut uicario in spiritualibus, sed scelerati & nepharij, manifesteq; flagitiosi homines. Si quis cùm frater appelletur, inquit, fuerit scortator, aut auarus, aut idololatra, aut conuitiator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne cibum quidem capiatis. S. Augustinus in uindicta exercenda admittit moderationem, tum maximè cùm ex uindicta non ædificatio, sed destructio ecclesiæ metuitur. Qui metus fortè inanis, aut nimius uideri potuisset, si non idem Apostolus, qui incestuosum mœchum satanæ tradi iusserat, in posteriori dixisset Epistola ad Corinthios, Timeo autem ne fortè cùm uenero, non quales uolo, inueniam uos, & lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & scortatione & impudicitia quam gesserunt, &c. Minatur his quidem grauiter, se eis non parsurum: sed quoniam uidebat ad dissipationem ecclesiæ nō collectionem spectare, si omnes, mœchi instar, satanæ tradidisset, moderationem adhibuit, iuxta præceptum Domini, Sinite crescere utraq;, ne dum euellitis zizania, simul eradicetis & triticum. Opus est ergo sancto iudicio, ne hic nimia peccetur uel indulgentia uel seueritate. Prẹterea ualeat in resipiscentibus matura reconciliatio. S. Paulus, Sufficit, inquit, homini istiusmodi increpatio hæc. S. Petrus qui turpiter abnegarat Dominū, audit sibi in ipsa resurrectionis die à mulieribus per angelos nunciari Euangelium.

2.Thess.3. — 2.Corinth.12. — Matth.13. — 2.Corinth.2.

Porrò esse in ecclesia etiam magistratum, & ius gladij ferientis maleficos, & magistratum iudicantem ferientemq; gladio, nihilominus numerari inter uera ecclesiæ membra, imò magistratum officio suo ecclesiæ omnino utilem esse, docui Sermone 7. & 8. Decadis 2.

De matrimonio Christiano.

Singularia uerò Dei instituta in ecclesia sunt ea quæ sequuntur. Et coniugium quidem inter ecclesiæ instituta non postremas obtinet partes; quod si rectè colatur, fructus egregios & innumeros in ecclesia profert: si non rectè colatur, scandala & mala pestifera & infinita ex se profundit in ecclesiam. Rectè enim iudicant qui aiunt ex plurimis bene institutis domibus, optimè & sanctissimè institutam colligi ecclesiam: rursus ex multis impijs domibus, impiam constitui ecclesiam. Deus ergo uerbo suo diligenter instituit coniuges, & coniugium ornat pulcherrimè. Nō est autē præsentis instituti matrimonij encomiū canere, sufficit nosse ipsum Deum matrimonij esse authorē: instituisse autē hoc in ipsa paradiso, & in hunc finē, ut bene uel cōmodè apud sodalem homo uiuat: deniq; illum ipsum primos copulasse coniuges, & copulatis benedixisse. Vixisse autē in hoc uiuendi genere sanctissimos quosq; Dei amicos, patriarchas, principes, prophetas, reges, pontifices, sapientes & sacerdotes. Vnde fortassis Paulus dixisse legitur, Honorabile est coniugiū apud omnes, & cubile impollutum. Idem alibi doctrinam prohibentē contrahere matrimonium appellat dæmoniorū doctrinā. Cōstat enim ipsos quoq; Christi discipulos & Apostolos fuisse cōiugatos, neq; dimisisse (quod tamen quidam impudenter cōfingunt) cōiuges, cùm obirent munus prædicandi. Clarissimū enim illud est quod Apostolus ab Episcopo uel presbytero requirit, ut sit unius uxoris

Hebr.13. — 1.Tim.4. — 1.Tim.5. — Titum 1.

uxoris maritus: & quòd alibi potestatem uxorem Christianam circumducendi in munere apostolico, disertè asserit, & sibi quoque ac Barnabæ uendicat. Quid quod in Concilio Niceno pronunciatum est, concubitum cum uxore propria esse castitatem? Nam Paulus prior dixerat, Ad fornicationem uitandam habeat quisque uxorem propriam. Et, Coniugij cubile est immaculatum: item, Virgo si nupserit non peccauit. Talem ergo omnino esse iudicamus Papisticam doctrinam, prohibentem coniugia ministris, qualem esse pronunciauit Paulus, dæmoniacam. Coguntur hoc nobiscum fateri uel ipsi Papistæ, qui nondum omnem absterserunt pudorem. Dum enim ex fructibus iudicamus arborem, quos obsecro cœlibatus illius fructus recensere possumus, quam spurcitiam, obscœnitatem, fornicationes, stupra, adulteria, incestus & nepharios concubitus? Quis uiuit hodie impurius & impudentius, quàm ordo ille sacerdotum & monachorum? Vt enim non curant Dei uerbo & legibus obsequi, deumque sancta uita casto in coniugio glorificare: ita tradidit eos Deus per cupiditates cordium suorũ in immunditiam, ut ignominia afficiant corpora sua. 1.Cor.9. 1.Cor.7. Hebr.13.

Principiò autem docet scriptura sancta diligenter omnes inuigilare homines, ut sanctè, sobriè, prudenter & legitimè in timore domini contrahant matrimonium, ne affectus deprauatus, auaritiæ, ambitionis, aut libidinis prædominetur & exagitet, ne contra leges uel scriptas uel charitatis coëat connubium. Locum hic habent gradus consanguinitatis & affinitatis, honestas publica, reuerentia sanguinis, scandalum, & ne quis uxorem prophanæ & contrariæ religionis ducat. Vetamur enim iugum ducere cum incredulis. Deinde docemur contractum legitimè, piè, & sanctè auspicari cum precibus & perceptione benedictionis Dei in templo domini, & in conspectu & inter preces totius Ecclesiæ, cauereque ne hic cum impuro mundo omni prophanatione polluamur. Neque enim ignoramus quid hic soleant homines huius seculi, diabolo uidelicet, non Deo celebrare nuptias, in luxu, superbia, crapula, ebrietate, & omni lasciuia. Præterea docemur coniugibus cohabitare cum scientia, moderatione, patientia, fide & dilectione: sanctè item & honestè educare sobolem, eandemque suo tempore etiam sancto consecrare coniugio. *Sanctè contrahendum.* 2.Cor.6. 1.Pet.3.

Quòd si propter adulteria, aut adulterio grauiora scelera, ipsa ineuitabilis necessitas dissuere coniugia cogat, ecclesia tamen hic nihil agit temerè. Habet suos iudices, qui in causis & litibus matrimonialibus iuxta æquum & bonum, imò iuxta leges diuinas & secundum honestatis regulam iudicant. Noluit Apostolus fideles litigare in foro infidelium, ergo sequestres constituerent hortabatur, qui litigantes amicè componerent. At in causis matrimoniorum longè grauiora sunt quæ uetant litigantes ad incredulos concedere iudices. Rectè ergo Ecclesia Dei forum habet matrimoniale. Quoniam uerò de coniugio disserui Decadis 2. Sermone 10. & peculiarem de eodem librum quondam edidi, perstrinxi saltem hæc hactenus de connubio Christiano. *Diuortium.* 1.Cor.6.

Viduas habet ecclesia Dei, sed tales quales Christi Apostolus describit, dicens, Quæ uerè uidua est ac desolata, sperat in Deo, & perseuerat in obsecrationibus ac precationibus, noctu dieque. Porrò quæ in delitijs uersatur, ea uiuens mortua est. Idem iubet iuniores nubere, liberos gignere, & domum administrare, nec ullam occasionem dare aduersario maledicendi. Notus est locus Pauli 1. Timoth. 5. Habet item uirgines Ecclesia. Hæc curant ea duntaxat quæ domini sunt, & uerè sunt uirgines sine fuco & hypocrisi. Paulus, Virgo, inquit, curat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta cùm corpore tum spiritu. Multæ quidem corpore sibi temperant, non animo: Deus utrunque requirit, & animum *De uiduis.* *De uirginibus.*

maximè. Possumus quidem hominibus facere fucum: Deus autem non fallitur. S. Paulus in 1. ad Corinth. 7. cap. encomium Virginitatis canit, & per comparationem uirginis cum nupta ostendit, quantum sit uirginitatis bonum. Cæterum possunt, si uelint, uirgines nubere. Id quod clarè docet eodem illo loco Apostolus. Diuino testimonio congruit etiam humanum. Cyprianus enim cum socijs episcopis & presbyteris respondens Pomponio, dicit, Desideras ut tibi rescriberemus quid nobis de ijs uirginibus uideatur, quæ cum semel statum suum continenter & firmiter tenere decreuerint, detectæ sint postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis: Circa quam rem quoniam consilium nostrum desiderasti, scias nos ab euangelicis & apostolicis traditionibus non recedere, quo minus fratribus & sororibus nostris constanter & fortiter consulatur, & per omnes utilitatis & salutis uias ecclesiastica disciplina seruetur. Et mox, Quòd si se ex fide Christo dicauerunt, pudicè & castè sine ulla fabula perseuerent, ita fortes & stabiles præmium uirginitatis expectent. Si autem perseuerare nolunt, uel non possunt, melius est ut nubant, quàm in ignem delitijs suis cadant. Et reliqua. S. August. disputans de uerbis Apostoli, Damnationem habentes quòd primam fidem irritam fecerunt, damnationem non in consequens reijcit coniugium, sed in præcedentem inconstantiam. Damnantur, inquit, tales, non quia coniugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt. Et his paulò post addit, Proinde qui dicunt, talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi uidentur satis acutè & diligenter considerare quid dicant. Hæc ille. Ego per κρῖμα, id est, condemnationem uel iudicium, intelligo in apostolo reprehensionem, quam Heluetij uocamus *ein außrichten oder nachred*. Nam apud multos male audiunt, quòd primam fidem, id est, continentiæ pactum dissuerunt. Satius ergo putat Apostolus, iuuenculas se applicare coniugio, quàm ei instituto uitæ, à quo postmodum resilire per necessitatem non sine reprehensione hominum compelluntur. Loquitur autem eo loci non de Virginibus, sed de Viduis. Cyprianus simpliciter de Virginibus.

1. Tim. 5.

De bono uiduitatis cap. 9.

De monasterijs & monachis.

Monachos & monachas nesciuit primitiua Christi & Apostolorum Ecclesia: posteriora secula monachos habuerunt, sed non tales quales hodie cernuntur, qui sibi ipsis regula sunt & lex, quorum monasteria omni obscœnitate & impuritate scatent. Id quod omnibus nobis tacentibus, ipsa res adeoq; experientia loquitur. Et quæ uidentur coërceri paulo seueriore disciplina, hypocrisi sunt conspurcata, ut ne quid addam aliud. Et primi quidem monachi non inhabitarunt urbes, non inseruerunt semetipsos secularibus negotijs. Monuimus aliàs, quendam ex mediæ ætatis scriptoribus postulasse ut clericatu se abdicet qui factus sit abbas, eò quod monachus simul esse & clericus ritè nemo queat, cum alterum alteri sit impedimento. Ergo non uixerunt ex publicis Ecclesiæ uectigalibus, sed propriarum manuum laboribus sicut laici. S. Hieronymus disputans de origine monachorum in uita Pauli, sic reliquit scriptum, Inter multos sæpe dubitatum est à quo potissimum monachorum eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altius repetentes à beato Helia & Ioanne sumpsere principium: quorum & Helias plus nobis uidetur fuisse, quàm monachus: & Ioannes ante prophetare cœpisse quàm natus est. Alij autem (in quam opinionem uulgus omne consentit) asserunt Antonium huius propositi fuisse caput: quod ex parte uerum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quàm ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas uero & Macarius discipuli Antonij, quorum superior magistri corpus sepeliuit, etiam nunc affirmant Paulum quendã Thebeum principẽ istius rei fuisse: quod non tam nomine quàm opinione nos quoq; cõprobamus. Idem mox addit Paulum

lum sub Decio & Valeriano persequutoribus, metu tormentorum adactum, relicta urbe, commigrasse in desertum, in quo specum repererit atque in eo latitauerit, donec ab ipso repertus sit Antonio. Tenuerunt imperium Decius & Valerius circa annum domini 260. mortuus autem dicitur beatus Antonius anno ætatis suæ centesimo quinto, anno autem domini 360. Beatus Augustinus qui epistola 80. ad Hesychium se uixisse testatur anno domini 420. ab Eutropio autem ac Beda mortuus refertur anno domini 430. de Moribus ecclesiæ catholicæ cap. 31. monachorum sui seculi mores & instituta referens, ea commemorat, quæ alienissima sunt ab institutis nostrorum monachorum. Tempore imperatoris Iustiniani, qui aliquot leges de monasterijs & monachis tulit, uixit quidam Benedictus, quem multi monachorum patrem nuncupant, cuius uitam modò ex Trittenheymio (qui ante annos propè 50. excessit) C. V. recitabo, ut ex ea intelligat quantas uires & dignitates imbelles & contempti illi ab initio, successu temporis acceperint. Benedictus abbas Casinensis, inquit, primus fundator institutorque & princeps monachorum occidentalium, scripsit luculento sermone & præcipua discretione regulam monachorum libro uno, cuius initium est, Ausculta ô fili præcepta. Et capita habet 73. Mortuus est anno 542. Sed Marianus Scotus mortuum autumat anno 601. ultimo anno Mauritij imperatoris. Idem ille commemorat sub Benedicti regula militare ordines uiginti. Ex Benedictinis Romanam sedem habuisse Pontifices XVIII. Cardinales plus quàm CC. Archiepiscopos in diuersis Ecclesijs MDC. Episcopos quatuor ferme millia. Abbates insignes, qui uita doctrina & scriptis claruerũt quindecim millia septingentos. Canonisatos autem quindecim millia sexcentos. Vt autem multos alios monachorum ordines non recenseam, constat mendicantes monachos, fideles, sedulos & fortes Papæ & monarchiæ spiritualis, ut uocant, Romanæ satellites, ab Honorio fuisse confirmatos, circa annum domini M. C C. XXII. His autem omnibus nihil aliud effectum uolo, quàm ut intelligant omnes monachismum humana inuentione conditum, non ab apostolis Christi ecclesiæ traditum: & ab initio quidem utcunque uisum tolerabilem, postremò redditum esse omnino intolerabilem.

Quantum enim incommodet reipub. experientia loquitur. Cum religione uera illum ex integro pugnare qui nescit, omnia nescit. Fingunt illum esse meritorium coram Deo & perfectionis statum. At quis non uideat quam hoc pugnet cum merito Christi, & cum doctrina euangelij syncera? Quæ uerò pietas aut necessitas suadet post nomina nostra uni Deo in baptismo data, eadem etiam dare diuis, & his uouere, eorumque regulis nos per iuramenti religionem interpositam obstringere? Vetat uera religio nomina dare diuis, his nos qualicunque modo initiare. Vetat uera religio alios nobis patres & magistros deligere. Vetat uera religio nouos nobis cultus, nouasque religiones confingere, aut ab alijs confictas recipere. Territat Ieroboami & sociorum eius exemplum. Vetat uera religio iurare per nomina aliorum Deorum. Religio uni Deo nos per fidem & obedientiam religat. Superstitio dissoluto hoc uinculo, creaturas admittit. S. Paulus ad Corinthios, Vnusquisque uestrum dicit (ait) ego quidem 1. Cor. 3.
sum Pauli, ego uero Apollo, ego uero Cephæ, ego uero Christi. Num diuisus est Christus? Num Paulus crucifixus est pro uobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? En Christus est redemptor & magister noster. Christi fides in unum nos compegit corpus. Baptismo in unum corpus baptizati sumus, ut uocemur Christiani, non Petrini aut Paulini. Noluit Paulus denominari Christianos ab Apostolis, quanto minus hodie ferret alios dici Benedictinos, alios Franciscanos, alios Dominicanos? Sumus domini peculium: non licet nos addicere in

hominum seruitutem. Qui autem se addicunt, unitatem corporis Christi lacerant, crucem & baptismũ Christi prophanant. Disertè enim dicit Apostolus, Num diuisus est Christus? num Paulus crucifixus est pro uobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Licet ergo spirituales uulgò appellentur, nihil minus tamen sunt quàm spirituales. Nã idem ille Apostolus, Cum dicat unus, Ego sum Pauli, ait, alter uerò ego Apollo, nónne carnales estis? Quorsum uerò attinebat post euangelium Iesu Christi, & doctrinam apostolorum omnem pietatem complectentem & tradentem, nouas comminisci regulas? Certè cum semel priuatas uiuendi leges adinuenerunt, toto etiam externo uitæ habitu, & moribus omnibus adeoq; & uestibus à uulgo Christianorum sese separauerunt, ut uel ita omnibus notum facerent, se uelle separatim à uulgari illa & ueluti laica & imperfecta Ecclesia, sanctius, perfectius & spiritualiter magis uiuere. Sed quomodo id eis cesserit & cedat, uel hodie totus loquitur mundus.

De uotis monasticis. Vota quæ uouent ineptissima sunt. Castitatem quam non habent, uouent. Donum Dei est castitas, nec omnium est. Et Paulus dicit, Qui se non continent, contrahant matrimonium. Satius est matrimonium cõtrahere, quàm uri. Et Vri quidem dixit simpliciter, siue sub uoto, siue extra uotum. Neq; uerò decet diuinæ legi præiudicare humanum & stultè susceptum uotum. Paupertas uerò in monasterijs qualis sit, res ipsa docet. Paupertatem ueram exuunt isti cum deponunt uestem uulgarem, & cum cuculla maximas induunt opes. Nam & monachi, quod ueteribus prodigij & monstri loco fuisset, principes fiunt. Vulgares autem omnes uiuunt in otio, & panem suum gratis edunt, contra canonem apostolicum 2. Thessal. 3. Vbi & anathemate percutiuntur. Illi ipsi parentes & cognatos deserunt, quibus iure diuino tenebantur obsequi atq; inseruire, atque se addicunt alienis hominibus, à quibus ad infinitas adiguntur superstitiones. Et qui spontè à parentibus manu mittuntur, uel ex superstitione manu mittuntur, uel ut habeant unde tota sua uita in otio computrescant. Vt manifestum sit tales uentris non religionis gratia induere cucullam. Qualis uerò illa obedientia quæ uerbo dei reuelatæ obedientiæ repugnat ex integro? Dum magistratus iubet istos publica unà cum alijs fidelibus subire ac ferre onera, exempti & immunes sunt perpetuò. Habuerunt quondam ministri peregrinarum religionum sub regibus Iuda priuilegia regalia & consuetudines præscriptione longi temporis confirmatas: sed quoniam ministerium ipsorum destituebatur diuina comprobatione, imò uerbo Dei aduersabatur, non impiè, neq; iniustè aut sacrilegè à pijs regibus dissipata sunt.

Quis uerò audiat istorum excusationem, cum admoniti, ut de commissis peccatis agant pœnitentiam, excipiunt se fide iuramenti religari ad ordinem monachicum, ut inde salua conscientia emergere non possint. Etenim constat iuramentum illud quod prætexunt, planè esse temerarium: quod minimè præstandum esse ostendi Decad. 2. Serm. 3. Quid obsecro uinculũ ab homine sine Deo, imò contra uerbum Dei connexum, uel imprudenter uel scienter, obstringeret? Si tantam habet uirtutem crux Christi, ut nos à maledictione, qua obstricti tenebamur omnes, absoluat, quanto magis liberabit ab extraneis uinculis, non ab ipso Deo, sed aliunde, uel hominũ stultitia & impietate, uel diabolica arte iniecta? Clamat apostolus Paulus, Precio empti fuistis, nolite fieri hominum serui. *1. Cor. 7.* Quòd si hominum malitia aut propria inertia facti sumus serui, conandum est pijs ut restituantur rursus per ueram fidem & obedientiam in libertatem filiorum Dei. Euangelium certe annunciatur nobis, ut liberemur ab omni iniqua captiuitate, & seruiamus Deo in spiritu & ueritate.

Porrò obijcientibus, Monasteria omnia per orbem reformari oportere ad

primam

primam illam simplicitatem: respondemus, hoc nostro illo infelici seculo frustra, imò stultè sperari. Nec poterunt illa reduci ad antiquã simplicitatem, nec patientur principes & monachi talem fieri reformationem: quia intelligunt suis compendijs, honoribus, & uoluptatibus, multa nedum omnia decedere. At malunt hi totum orbem multis bellis collidi, quàm tradere Deo regnum suum, quod hactenus obtinuerunt. Vt autem ex his nihil sit periculi, quis uerò persuadebit nobis res cœnobiticas, ut maximè reformentur ad primum institutum, nostro illo seculo uel æquè feliciter uel felicius quàm in ueteri illo factitatum uidimus, administrandas fore? Vidimus quale initiũ habuerint, qualem item progressum, & quale incrementum. Vidimus quid potuerit hypocrisis, ambitio ac auaritia, uoluptas ac otium, & quo tandem reciderint omnia. An uerò putamus hominum cupiditates hodie fore moderatiores? An putamus nunc disciplinam minus fore à nobis & posteris nostris corrumpendam quàm à maioribus corrupta est? Quinimò non meliora sperare, sed peiora metuere cogimur, qui quotidie deteriora experimur. Viuimus enim in fæce mundi, & in extremo seculi fine, in quo draco ille abyssi, hominum malitia & impietate mirificas acquisiuit uires, omnes res in toto orbe perturbandi & corrumpendi. Vbi tamen illud nos non parum in tantis consolatur periculis, quod uerbum ueritatis habet, dies illos propter electos fore abbreuiandos, & illum breui soluendum tempore, mox autem conijciendum in stagnum sulphuris. Præterea si legitimè reformare uolumus, ad fontes ipsos accedamus oportet. At in primitiua ecclesia, in doctrina Christi & apostolorum, nihil legimus traditum de monachismo, intelligimus ergo non necessarium esse ecclesiæ: imò didicimus ipsa nos experientia docente pestiferum esse Ecclesiæ. Vera ergo reformatio suadet monachismum prorsus abrogare: non reiectis interim aut neglectis ijs, pœnitentiam agentibus, quos temporum iniquitas & sibijpsis & alijs reddidit inutiles, sed in curam & alimoniam ecclesiæ benignè receptis. Hæc autem hactenus per occasionem & obiter diximus de monachismo, cui nullum locum in primitiua Christi & apostolorum ecclesia fuisse indicauimus. Redimus ergo ad reliqua ecclesiæ utilia instituta.

Circa ægrotantes & moribundos utitur etiam disciplina fidelis Christi Ecclesia. Accurrunt enim uicini & fratres, ac faciunt certatim charitatis seu pietatis officia: iuuant facultatibus indigos, aut si indigi non sunt decumbentes, præstãt his alia pietatis officia. Accedit & minister ecclesiæ, qui ægrotum cõsolans morti præparat, præuia ad Deum confessione peccatorum: quorum remissionem si credat uerè certò annunciat ex uerbo euangelij. Requirit ab eo quoq; condonationem, siue ut in gratiam redeat cum omnibus, ne quid retineat ueteris iræ aut inimicitiarum. Post quæ publica fit ad deum ab ægroto, & ab ijs qui moribundo adsunt, oratio. Admonetur præterea de uarijs, confirmatur in fide, uocatur ad patientiam, & instituitur prout res eius deposcere uidentur: discedens ex hoc seculo docetur animam suam commendare in manus Dei patris iuxta redemptoris doctrinam & exemplum, in ipso mortis articulo exclamantis, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Atque hanc disciplinam ab ipsis Christi Domini apostolis didicimus. Nam Iacobus Apostolus, Infirmatur quis inter uos, inquit, accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et obsecratio fidei saluum faciet laborantem. Et eriget eum Dominus. Et si in peccatis fuerit, remittentur ei. Confitemini inuicem alius alij delicta: & orate pro uobis inuicem ut salui sitis. Multum enim ualet deprecatio iusti efficax, &c. Hæc est apostolica illa disciplina. Si uerò rogas ubi sit oleum? Respondeo Iacobi Apostoli ætate & aliquot post sequentibus mansisse adhuc in Ecclesia

Quid agat ecclesia apud ægrotantes.

Iacobi 5.

Vngentes eum oleo.

Marci 6. miraculosum illud sanandi ægrotos beneficium. De eo legimus in euangelio Marci, Et egreßi discipuli prædicabant ut resipiscerent, & dæmonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægros & sanabant. Et iterum in eodem, Porrò signa eos, inquit, qui crediderint, hæc sequentur, Per nomen meum dæmonia eijcient, &c. Et mox super ægros manus imponent, & bene habebunt. Quoniam ergo beneficium illud adhuc erat in Ecclesia, Iacobus iubet apud ægros usurpare oleum, & usurpare quidem in nomine domini, sicuti præceperat dominus. Cæterum cum illa gratia dudum desierit in Ecclesia, & re ipsa experiamur oleum nihil efficere apud ægrotantes, pro ratione nostri temporis, & pro officio nostro, ægrotantium morbos, fomentis morbo congruentibus maximè, adhibitis in nomine Christi, lenire & his medicari satagimus.

Marci 16.

Extrema unctio.

Scio quomodo ex hoc apostoli testimonio suam illam extremam unctionē ornare contendant Papistæ: sed laborant frustra. Vt enim non commemorem quòd Iacobus nihil loquitur de oleo consecrato: & quòd isti hanc medicinam nō nisi in extremis admittunt, cum Iacobus iubeat quemlibet inungere ægrotantē: quomodo obsecro ex uerbis S. Iacobi tuebuntur, quod sacrificus ægrotum rogat, Credisne quòd propter merita & preces sanctorum dominus uelit exaudire preces nostras? ac respondente moribundo, Credo, ingerit, Inuocemus ergo deū & sanctos eius. Aut ubi obsecro docuit uel Iacobus, uel alius Christi apostolus, quod ad unctionē illam suā proferunt? In nomine patris & filij & spiritus sancti, ungo te oleo sacrato, ut per hanc unctionē accipias plenam remißionem peccatorum tuorum. Quæ oro scriptura docet per unctionē illam consequi nos plenā peccatorum remißionem? Fiunt hæc manifestè contra primarium religionis nostræ articulum, tradentem per solum Christi sanguinem purgari nos à peccatis omnibus, & plenißimè quidem. Huic soli debetur gloria, non oleo aut ulli in toto orbe creaturæ.

De funeribus & sepultura.

Iam & mortuorum corpora non abijcit Christi Ecclesia, instar mortui canis. Agnoscit enim corpora templa fuisse eius qui inhabitauit sancti spiritus. Agnoscit corpora sepeliri in resurrectionem & gloriam uitæ æternæ. Colligit ergo corpora honestißimè, inuoluit panno & adoperit decētißimè, impositaque loculis defert solicitè in cœmeterium uel campum ecclesiasticum, ponè necessarijs amicis, uicinis & fratribus consequentibus, ipsumque funus deducentibus. Cæterum dum deponitur funus & telluri mādatur corpus, fiunt preces publicæ ab his qui deduxere funus. Nam gratias agūt domino, quòd in uera fide ex hoc seculo euocauit mortuū, & orant dominū ut ipsos quoque uera fide illuminatos maturè ad se transferat. Præterea in cœtu ecclesiæ publico cū honore recitatur demortui fratris, uel demortuæ sororis nomen, omnesque admonentur sortis suæ & ut maturè se morti præparent. Atque ad hunc modū legimus in literis sanctis, patres nostros suos cōdidisse mortuos etiā sanctißimos. Nihil autē legimus de canonisatione, de reliquiarum ueneratione, de anniuersarijs & oblationibus pro defunctis, in hoc oblatis ut ex pœnis purgatorij liberētur. Aliquot nobis in ueteri testamēto funera, ut Abrahæ, Sarę, Isaaci, Iacobi & Iosephi, Aaronis, Marię, Iosue, Samuelis & Dauidis, &c. in nouo testam. Ioan. Bapt. & Stephani describuntur, sed frugalia illa omnia, neque quicquā habentia superstitionis. Quòd Iosephi ossa elata sunt, mysterio elata sunt, & ut inde colligerent Israelitæ se reponendos in terram promissam. Quo & illud pertinet, quod patriarchæ unam in Hebron sepulturam elegerunt. Alioqui enim locus nihil facit ad conciliandum uel meliorem uel peiorem corpori sepulto sortem. Iudicandū est enim locum propter sanctorum in ipso sepulta corpora, quodam modo sanctificari aut certè sanctum appellari : non autem corpora quicquam sanctitatis aut salutis ex terra contrahere. Ergo nisi aliud uideatur diuinæ

proui-

prouidentiæ, libenter cubant sancti cum suis maioribus in cœmeterio eodem. Sin Deo uideatur aliud, agnoscũt se ab eadẽ terra ubiq; recipi indiscriminatim, nec locorũ distãtia se separari à suis maioribus. Proinde in ecclesia Dei nulla est superstitio circa funera & sepulchra. At quãta fuerit in papatu, nemo paucis explicauerit.

Hæc instituta ecclesiæ dei necessaria sunt, & religiosè obseruantur citra superstitionẽ à fidelibus ad ædificationem: cætera arbitrio duntaxat hominum inuenta nihil morantur pij. Scio interim quæ hic obijciantur, Veteri populo fuisse uarios multiplicesq; institutos à Deo per prophetas ritus & ceremonias, eò quod rudes huiusmodi pædagogia indigerent. Cęterum cum uulgus Christianorum & ipse ferè plus satis sit rudis, non sine spiritus instinctu à patribus tot & tam multiplices inuentas esse ceremonias, quibus & parere oporteat. Respondeo hanc non esse ueram & solidam rationem qua infirmis in fide consulitur. Alioqui enim apostoli Christi non tacuissent. Præterea ita comparatas esse res infirmorum & simplicium ipsa nos docet experientia, ut quo plures eis relinquuntur ceremoniæ, hoc magis dispergantur animi ipsorum in diuersa, minusq; ad Christum colligantur, cui uni tribuenda sunt omnia. Nam placuit patri in ipso habitare omnem plenitudinem, & in eodẽ ut compendio colligere omnia uitæ & salutis nostræ. Quid quod ipsa diuina sapientia è medio sustulit totam illam externam pædagogiam, discrimine inter nos & illos constituto? Reducere ergo pergeremus Iudaismum, si non desineremus multiplicare ritus uel ceremonias ad ueteris ecclesiæ morem. Olim quidem habuerunt suum usum ceremoniæ illæ, quamuis & hæ non fuerint infinitæ, sed numeratæ. Hodie nullum usum nec locum habent in Ecclesia. Neq; grauissima hic authoritate destituimur. Apostoli enim & presbyteri Hierosolymis magna coeunt frequentia in Conciliũ, in quo Petrus Apostolus disertè dicit, eos tentare dominum, qui iugum legis super liberas Christianorum ceruices imponere nituntur. Scribitur & Synodica epistola, in qua unanimiter & spiritui sancto & ipsis testantur placere ne quid amplius imponatur Ecclesiæ Christi, quàm quod paucis recensent. Vt uel inde inclarescat, sufficere doctrinam euangelij Ecclesiæ, sine legis ceremonijs. Si autem euangelio ritus olim à Deo institutos tunc misceri noluit, quanto minus hodie eidem commiscere decet humanas adinuentiones? Quibus præterea impiè tribuitur, uel ipsa ad gratiam cultúmue Dei præparatio, uel salutis nostræ portio, ut non minus hodie, quàm olim Paulus, dicere possimus, Posteaquã cognouistis Deũ, quomodo cõuertimini denuo ad infirma & egena elementa, quibus iterũ ab integro seruire uultis? Dies obseruatis & menses, & tempora & annos. Metuo de uobis ne frustra laborauerim erga uos. His oĩbus illud quoq; accedit, quòd hæc pædagogia, de qua isti loquuntur, pertinet ad cultũ Dei. At ꝓhibemur ipsi nobis fingere cultũ: ꝓhibetur nobis ne quid institutioni ac uerbo Dei uel addamus uel detrahamus. Proinde ecclesia Dei huiusmodi cõstitutiones nec instituit, nec ab alijs institutas recipit. De qua re superius quoq; nõnulla attulimus, cũ dissereremus de Abrogatione legis, & de Libertate Christ.

Ecclesiæ non esse opus legali pædagogia.

Acto. 15.

Galat. 4.

SPERO his me Sermonibus quinquaginta totũ fidei, pietatis, siue religionis ueræ, Ecclesiæq; negotiũ satis succincta breuitate comprehendisse. Quod autem in omnibus meis Sermonibus & libris inculco, id ipsum hic quoq; repeto, meliora ex scripturis doctũ, meliora libenter & cum gratiarumactione amplexurum. Domino Deo nostro, omnium bonorum fonti inexhausto, sit laus & gloria per Iesum Christum Dominum nostrum.

FINIS.